P. Agente

154

1396

1396-
XXII-9

2.754

Las Obras De S. Agustín en diez tomos Dio al Monast
or Palencia A R.R.mos P.P.s S. Pedro y Paul. Pres.te de Escalag.a y
Como depositario Josem. Fern.z de Vega

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI IN LIBROS RETRACTATIONVM PROLOGVS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA -

AMDIV istud facere cogito atque dispono, quod nunc adiuuante Domino aggredior: quia differendum esse nō arbitror, vt opuscula mea siue in libris siue in epistolis siue in tractatibus, cum quadam iudiciaria seueritate recenseam, & quod me offendit, velut censorio stilo denotem. Neque enim quisquam nisi imprudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit. Sed si dicit, non ea debuisse à me dici, quæ postea mihi etiam displicerent: verum dicit, & mecum facit. Eorum quippe reprehēsor est, quorum & ego. Neque enim ea reprehendere deberem, si dicere debuissem. Sed qui primas non potuit habere sapientiæ, secundas habeat partes modestiæ: vt qui non valuit omnia impœnitenda dicere, saltem pœniteat quæ cognouerit dicenda non fuisse. Sed vt volet quisque accipiat hoc quod facio, me tamen apostolicam illam sententiam & in hac re oportuit intueri, vbi ait: Si nosipsos iudicaremus, à Domino non iudicaremur. Illud enim quod scriptum est: Ex multiloquio nō effugies peccatum: terret me plurimum, non quia multa scripsi, vel quia multa etiam quæ dictata non sunt, tamen à me dicta cōscripta sunt. Absit enim vt multiloquium deputem quādo necessaria dicuntur, quātalibet sermonum multitudine ac prolixitate dicantur. Sed istam sententiam scripturæ sanctæ propterea timeo, quia de tam multis disputationibus meis sine dubio multa colligi possunt, quæ si non falsa, at certe videantur, siue etiam conuincātur, nō necessaria. Quem verò Christus fidelium suorum nō terruit, vbi ait: Omne verbum otiosum quodcunque dixerit homo, reddet pro eo rationem in die iudicij? Vnde & eius apostolus Iacobus: Sit, inquit, omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Et alio loco: Nolite, inquit, plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis: In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Ego mihi hanc perfectionem nec nunc arrogo, cum iam sim senex: quātominus cum iuuenis cœpi scribere, vel apud populos dicere: tantúmque mihi tributum est, vt vbicūque me præsente loqui opus esset ad populum, rarissimè tacere atque alios audire permitterer, & esse velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Restat igitur vt me ipse iudicem sub magistro vno, cuius de offensionibus meis iudicium euadere cupio. Magistros autem plures tunc fieri existimo, cum diuersa atque inter se aduersa sentiunt. Cum verò idipsum dicunt omnes, & verum dicunt: ab vnius veri magistri magisterio non recedunt. Offendunt autem non cum illius multa dicunt, sed cum addunt sua. Sic quippe incidunt ex multiloquio etiam in falsiloquium. Scribere autem ista mihi placuit, vt hæc emittam in manus hominum, à quibus ea quę iam edidi, reuocare emendanda non possum. Nec illa sanè prætereo, quæ catechumenus iam, licet relicta spe quam terrenam gerebam, sed adhuc secularium literarum inflatus cōsuetudine scripsi: quia & ipsa exierunt in notitiam describentium atque legentium, & leguntur vtiliter, si non nullis ignoscatur: vel si non ignoscatur, non tamen inhæreatur erratis. Quapropter quicunque ista lecturi sunt, non me imitentur errantem, sed in melius proficientem. Inueniet enim fortasse quomodo scribēdo profecerim, quisquis opuscula mea ordine quo scripta sunt legerit. Quod vt possit, hoc opere, quantum potuero, curabo vt eundem ordinem nouerit.

1. Cor. 11. §. 31. Pro. 10. 6. 19

Matth. 12. c. 36.

Iac. 1. c. 19.

Iac. 3. a. 1.

Diuersa sentiendo plures magistri fiūt.

Cur scripserit libros Retractationum.

RETRACTATIONVM LIBER PRIMVS.

CVM ergo reliquissem vel quæ adeptus fueram in cupiditatibus huius mundi, vel quæ adipisci volebam, & me ad Christianæ vitæ otium contulissem, nondum baptizatus, contra Academicos, vel de Academicis primum scripsi, vt argumenta eorum quæ multis ingerunt veri inueniendi desperationem, & prohibent cuiquam rei assentiri, & omnino aliquid tāquam manifestum certúmque sit, approbare sapientem, cū eis omnia videātur obscura & incerta, ab animo meo, quia & me mouebant, quantis possem rationibus amouerem. Quod miserante atque adiuuante Deo factū est. † Sed in eisdē tribus libris meis, nō mihi placet toties me appellasse Fortunam, quamuis nō aliquam deam voluerim hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum euentum, vel in corporis nostri, vel in externis bonis aut malis. Vnde & illa verba sunt, quæ nulla religio dicere prohibet, fortè, forsan, forsitan, fortasse, fortuitò: quod tamen totum ad diuinam reuocandum est prouidentiam. Hoc etiam ibi non tacui, dicens: Etenim fortasse quæ vulgo Fortuna nominatur, occulto quodam ordine regitur, nihilq; aliud in rebus casum vocamus, nisi cuius ratio & causa secreta est. Dixi quidem hoc, verum tamen pœnitet me sic illic nominasse fortunā, cum videam homines habere in pessima consuetudine, vbi dici debet, Hoc Deus voluit: dicere, Hoc voluit fortuna. Quod autem quodam loco dixi, Ita compāratum est, siue pro meritis nostris, siue pro necessitate naturæ, vt diuinum animum mortalibus inhærentem nequaquam philosophiæ portus accipiat, &c. Aut nihil horum duorum dicendum fuit, quia etiam sic sensus posset esse integer: aut satis erat dicere, pro meritis nostris, sicut verum est ex Adā tracta miseria: nec addere, siue pro necessitate naturæ. quandoquidem naturæ nostræ dura necessitas meritò præcedētis iniquitatis exorta est. Itémq; illic quod dixi, Nihil omnino colendum esse, totúmque abiiciēdum quicquid mortalibus oculis cernitur, quicquid vllus sensus attingit. addenda erāt verba, vt diceretur: Quicquid mortalis corporis vllus sensus attingit. Est enim sensus & mentis. Sed eorum more loquebamur tunc, qui sensum nō nisi corporis dicunt, & sensibilia non nisi corporalia. Itaque vbicunque sic locutus sum, parum est ambiguitas euitata, nisi apud eos quorum consuetudo est locutionis huius. Item dixi, Quid censeas aliud esse beatè viuere, nisi secundum id quod in homine optimum est viuere? Et quid dixerim, in homine esse optimum, paulò pòst explicans: Quis, inquam, dubitauerit, nihil esse aliud hominis optimum, quam eam partem animi, cui dominanti obtemperare conuenit cætera

CAP. 1. Contra Academicos.

Lib. 1 cap. 1 & 7. Quo sensu appellauerit Fortunam & liquoties.

Lib. 1. ca. 1.

Lib. 1. cap. 3

Mens aut ratio optimũ hominis.

tera quæque, quæ in homine sunt? Hæc autem ne aliã postules definitionem, mens aut ratio dici potest. Hoc quidem verum est: Nam quantum attinet ad hominis naturam, nihil est in eo melius quam mẽs & ratio: sed

Beate viuere in Deo consistere.

non secundum ipsam debet viuere, qui beate vult viuere, alioquin secundum hominem viuit, cum secundum Deum viuendum sit, vt possit ad beatitudinem peruenire: propter quam consequendam nõ seipsa debet esse contenta, sed Deo mens nostra subdenda est.

Lib. 1. ca. 4.

Item respondens ei cum quo disputabatur: Hic plane, inquam, non erras, quod vt tibi omen sit ad reliqua, libenter optauerim. Hoc licet nõ serio, sed ioco dictum sit, nollem tamen eo verbo vti. Omen quippe me legisse non recolo, siue in sacris literis nostris, siue in sermone cuiusquam ecclesiastici disputatoris, quamuis

Abominatio ab omine dicta.

abominatio inde sit dicta, quæ in diuinis libris assidue

Lib. 2. cap. 3

reperitur. In secundo autem libro prorsus inepta est & insulsa illa quasi fabula de Philocalia & Philosophia, quod sint germanæ & eodem parente procreatæ. Aut B enim philocalia quæ dicitur, nõ nisi in nugis est, & ob hoc philosophiæ nulla ratione germana: aut si propterea est hoc nomen honorandum, quia Latine interpretatum, amorem significat pulchritudinis, & est vera ac summa sapientiæ pulchritudo, eadem ipsa est in rebus incorporalibus atque summis philocalia quæ philosophia, neque vllo modo sunt quasi sorores duę.

Lib. 2. cap. 9

Alio loco cum agerem de animo, dixi, Securior rediturus in cælum. Iturus autẽ, quam rediturus dixissem securius, propter eos qui putant animos humanos pro meritis peccatorum suorum de cælo lapsos siue deiectos, in corpora ista detrudi. Sed hoc ego propterea nõ dubitaui dicere, quia ita dixi, in cælum, tanquam dicerem ad Deum, qui eius est auctor & conditor, sicut beatus Cyprianus non cũctatus est dicere: Nam cum corpus è terra, spiritum possideamus è cælo, ipsi terra

Ec. 12. c. 7.

& cælum sumus. Et in libro Ecclesiastæ scriptum est: C Spiritus reuertatur ad Deum qui dedit illum. Quod vtique sic intelligendum est, vt non resistatur Apostolo dicenti:

Rom. 9. c. 11

Nondum natos nihil egisse boni aut mali. Sine controuersia ergo quædam originalis regio beatitudinis animi, Deus ipse est. Qui eum non quidẽ de

Lib. 10. de Genesi ad literam, cap. 6 & 7.

seipso genuit, sed de nulla re alia condidit, sicut condidit corpus è terra. Nam quod attinet ad eius originẽ, qua fit vt sit in corpore, vtrum de illo vno sit qui primum creatus est, quando factus est homo in animam viuam, an semper ita fiant singulis singulæ, nec tunc

Lib. 3. ca. 12

sciebam, nec adhuc scio. In libro tertio, Si quid mihi videatur quæris, inquam, in mente arbitror esse summum hominis bonum. Verius dixissem, In Deo. Ipso

In Deo esse summum bo minis bonum.

enim mens fruitur vt beata sit, tanquam summo bono suo. Nec mihi illud placet quod dixi: Libet deierare per omne diuinum. Item quod dixi de Academicis,

Lib. 3. ca. 10
Lib. 3. ca. 16 & 17.

quia verum nouerant, cuius simile appellabant verisimile, idque ipsum verisimile appellaui falsum, quod

Lib. 3. ca. 18

approbant. Duas ob causas non recte dictum est: vel quod falsum esset, quod aliquo modo esset simile ali- D cuius veri, quia in genere suo & hoc verum est: vel quod approbant ista falsa, quæ vocabant verisimilia, cum illi nihil approbarent, & affirmarent nihil approbare sapientem. Sed quia hoc ipsum verisimile etiam probabile nũcupabant, hinc factum est vt hoc de illis

Lib. 3. ca. 17

dicerem. Laus quoque ipsa qua Platonem vel Platonicos seu Academicos philosophos tantum extuli, quantum ipsos impios homines non oportuit, nõ immerito mihi displicuit: præsertim quorum contra errores magnos defendenda est Christiana doctrina. Illud etiam quod in comparatione argumentorum Ci-

Lib. 3. ca. 20

ceronis, quibus in libris suis Academicis vsus est, meas nugas esse dixi, quibus argumenta illa certissima ratione refutaui: quamuis iocando dictum sit, & magis ironia videatur, non debuit tamen dici. Hoc opus sic A incipit: O vtinam Romaniane hominem sibi aptum.

CAPVT II. *De beata vita.*

LIBRVM de beata vita, non post libros de Academicis, sed inter illos vt scriberem contigit. Ex occasione quippe ortus est diei natalis mei, & tridui disputatione completus, sicut satis ipse indicat. In quo libro constitit inter nos, qui simul quærebamus, non esse beatam vitam nisi perfectam cognitionem Dei. Displicet autem illic, quòd †Málio Theodoro, ad quẽ librum ipsum scripsi, quamuis docto & Christiano viro, plus tribui quam deberem. Et quòd fortunã etiam illic sæpe nominaui. Et quòd tempore vitæ huius in solo animo sapientis dixi habitare vitam beatã, quomodolibet se habeat corpus eius, cum perfectam cognitionem Dei, hoc est qua homini maior esse non possit, in futura vita speret Apostolus, quæ sola beata vita dicenda est, vbi & corpus incorruptibile atq; immortale spiritui suo sine vlla molestia vel reluctatione subdetur. Sanè istum librum nostro in codice interruptum reperi, & non parum minus habere, & sic à fratribus quibusdam descriptus est, nec adhuc apud aliquem integrum inueneram, ex quo emendarẽ quando hæc retractaui. Hic liber sic incipit: Si ad philosophiæ portum.

In præfatione. al. Mallio.

Disput. 3.

CAPVT III. *De ordine.*

PER idem tempus inter illos qui de Academicis scripti sunt, duos etiam libros De ordine scripsi, in quibus magna quæstio versatur, vtrum omnia bona & mala diuinæ prouidentiæ ordo contineat. Sed cũ rem viderem ad intelligendum difficilem, satis ęgre ad eorum perceptionem cum quibus agebam disputando posse perduci, de ordine studendi loqui malui, quo à corporalibus ad incorporalia potest profici. Verum & in his libris displicet mihi sæpe interpositum fortunæ vocabulum. Et quòd non addebam, corporis, quando

Lib. 2 cap. 7

sensus corporis nominaui. Et quòd multum tribui li-

Lib. 1. cap. 2. Lib. 1. cap. 1. & 2.

beralibus disciplinis, quas multi sancti multũ nesciũt, quidam autem qui sciunt eas, sancti nõ sunt. Et quòd

Lib. 1. cap. 8 & 2. c. 14.

Musas quasi aliquas deas, quamuis iocando commemoraui. Et quòd admirationem vitium nuncupaui. Et

Lib. 1. cap. 3

quòd philosophos non vera pietate præditos, dixi virtutis luce fulsisse. Et quòd duos mundos, vnum sensi-

Lib. 1. ca. 11 & 2. c. 18.

bilem, alterum intelligibilem, non ex Platonis vel ex Platonicorum persona, sed ex mea sic commendaui, tanquam hoc etiã Dominus significare voluerit, quia

Ioan. 18. f. 36.

non ait: Regnum meum non est de mundo: sed, Regnum meum non est de hoc mundo. cum possit & aliqua locutione dictum inueniri: & si alius à Domino

Apoc. 21. a. 1.

Christo significatus est mundus, ille congruẽtius possit intelligi, in quo erit cælum nouum & terra noua, quando complebitur quod oramus, dicẽtes: Adueniat

Mat. 6. b. 10

regnum tuum. Nec Plato quidem in hoc errauit, quia esse mundum intelligibilem dixit, si non vocabulum quod ecclesiasticæ consuetudini in re illa nõ vsitatum est, sed ipsam rem velimus attendere. Mundũ quippe

Mundus intelligibilis est ratio qua Deus fecit mundum.

ille intelligibilem nuncupauit ipsam rationem sempiternam atque incommutabilem, qua fecit Deus mundum. Quam qui esse negat, sequitur vt dicat, irrationabiliter Deum fecisse quod fecit: aut cum faceret vel antequam faceret, nescisse quid faceret, si apud eum ratio faciendi non erat. Si vero erat, sicut erat, ipsam videtur Plato vocasse intelligibilem mundum. Nec tamen isto nomine nos vteremur, si iam satis essemus literis ecclesiasticis eruditi. Nec illud mihi pla-

Lib. 2. ca. 20

cet, quòd cum dixissem, Summa opera danda est optimis moribus: mox addidi, Deus enim noster aliter nos exaudire non poterit: Bene autem viuentes facilime exaudiet. Sic enim dictum est, tanquam Deus non exaudiat peccatores, quod quidam dixit in Euangelio,

Ioan. 9. f. 31

sed ille qui nondum cognouerat Christum, à quo fuerat iam illuminatus in corpore. Nec illud placet, quod

Li. 2. ca. 20

Pythagoræ philosopho tantum laudis dedi, vt qui hãc legit vel audit, possit putare, me credidisse nullos errores

rores in Pythagorica esse doctrina, cum sint plures, iidémque capitales. Hoc opus sic incipit. Ordinem rerum Zenobi.

CAPVT XIII. *Soliloquiorũ.*

INTER hæc scripsi etiam duo volumina secũdum studium meum & amorem rationem indagãdæ veritatis, de his rebus quas maximè scire cupiebam, me interrogans, mihíque respondens, tanquam duo esse- *Lib.1.ca.7.* mus, ratio & ego, cum solus essem. Vnde hoc opus So- *Lib.1.ca.15* liloquia nominaui, sed imperfectum remansit. Ita ta- *Lib.1.cap.1* men vt in primo libro quæreretur, & vtcunque appareret, qualis esse debeat qui vult percipere sapiẽtiam, quæ vtique non sensu corporis, sed mente percipitur. Et quadam ratiocinatione in libri fine colligitur, ea quæ vere sunt, immortalia esse. In secundo autem, de immortalitate animæ diu res agitur, & non peragitur. In his sanè libris non approbo quod in oratione dixi, Deus qui nisi mundos verum scire noluisti. Respõderi enim potest, multos etiam non mundos multa scire *1.sen.dist.2 Cap.1.* vera. Neque enim definitum est hic quid sit verum, *Lib.1.cap.1* quod nisi mundi scire non possint, & quid sit scire. Et illud quod ibi positum est: Deus, cuius regnum est totus mundus, quem sensus ignorat. Si Deus intelligendus est, addenda fuerant verba, vt diceretur, Quem mortalis corporis sensus ignorat. Si autem mundus dictus est quem sensus ignorat, ille recte intelligitur, qui *Apo.21.a.1* futurus est cælo nouo & terra noua. Sed etiam hic *1.Retract.* addenda erant illa verba, vt diceretur: mortalis cor- *cap.1.& 3.* poris sensus. Sed illo more adhuc loquebar, quo *Lib.1.ca.1.* sensus proprie corporis appellatur. Nec assidue repetendum est, quod & superius inde iam dixi, sed hoc recolendum, vbicunque ista locutio in meis literis in- *1.sen.dist.2* uenitur. Et vbi dixi de patre & filio, Qui gignit, & quẽ *cap.omnes.* gignit, vnum est. dicendum fuit, vnum sunt. Sicut a- *Lib.1.cap.7* perte ipsa veritas loquitur, dicens: Ego & pater vnum *Ioã.10.f.30* sumus. Nec illud mihi placet, quod in ista vita Deo intellecto iam beatam esse animam dixi, nisi fortè spe. *Lib.1.ca.13* Item quod dixi, Ad sapientiæ coniunctionem nõ vna via peruenìri: non bene sonat: quasi alia via sit præter *Ioan.14.a.6* Christum, qui dixit, Ego sum via. Vitãda ergo erat hęc offensio aurium religiosarum, quamuis alia sit illa vniuersalis via, aliæ autem viæ de quibus in Psalmo ca- *Psal.24.a.4* nimus, Vias tuas Domine notas fac mihi, & semitas *Lib.1.ca.14* tuas doce me. Et in eo quod ibi dictum est, Penitus esse ista sensibilia fugienda: cauẽdum fuit ne putaremur illam Porphyrij falsi philosophi tenere sententiã, quã dixit, Omne corpus esse fugiendum. Non autem dixi ego, omnia sensibilia, sed ista, hoc est corruptibilia, *Apo.21.a.1* sed hoc potius dicendum fuit. Non autem talia sensi- *Lib.2.ca.20* bilia futura sunt in futuri seculi cęlo nouo & terra noua. Item quodam loco dixi, quòd disciplinis liberalibus eruditi, sine dubio in se illas obliuione obrutas eruunt discendo, & quodammodo refodiunt. Sed hoc quoque improbo. Credibilius est enim, propterea vera respondere de quibusdam disciplinis, etiam imperitos earum quando bene interrogantur, quia præsens est eis quantum id capere possunt lumen rationis æternæ, vbi hæc immutabilia vera conspiciunt, nõ quia ea nouerant aliquãdo & obliti sunt, quod Platoni vel talibus visum est. Contra quorum opinionem quanta pro suscepta opera dabatur occasio, in lib. duodecimo *Cap.15.* De trinitate, disserui. Hoc opus sic incipit: Voluenti mihi multa ac varia mecum.

CAP. V. *De immortalitate animæ.*

POST libros Soliloquiorum iam de agro Mediolanum reuersus, scripsi librum De immortalitate animæ, quem mihi quasi commonitorium esse volueram propter Soliloquia terminanda, quæ imperfecta remanserant. Sed nescio quomodo me inuito exiit in manus hominum, & inter mea opuscula nominatur. Qui primo ratiocinationum contorsione atque breuitate sic obscurus est, vt fatiget cum legitur etiam intentionem meam, víxque intelligatur à meipso. De-

A inde cogitans nihil aliud quam animos hominum, in quadam argumentatione eiusdem libri dixi, Nec esse in eo quod nihil discit, disciplina potest. Item quod alio loco dixi, Nec vllam rem sciẽtia complectitur, nisi *Cap.4.* quæ ad aliquam pertinet disciplinã: nec venit in mentem Deum non discere disciplinas, & habere omnium rerum scientiam, in qua etiam præscientia est futurorum. Tale est & illud quod ibi dictum est: Nõ esse vi- *Cap.4.* tam cum ratione vlli, nisi animæ. Neque enim Deo sine ratione vita est, cum apud eum & summa vita, & summa sit ratio. Et illud quod aliquãto superius dixi, *Cap.1.* Id quod intelligitur, eiusmodi esse semper: cum intelligatur & animus, qui vtique nõ eiusmodi est semper. Quod vero dixi, Animum propterea non posse ab æ- *Cap.6.* terna ratione separari, quia non ei localiter iungitur: profecto non dixissem, si iam tunc essem literis sacris ita eruditus, vt recolerem quod scriptum est: Peccata *Esa.59.a.2* vestra separant inter vos & Deum. Vnde intelligi da- B tur, etiam earum rerum posse dici separationem, quæ non locis, sed incorporaliter iunctæ fuerant. Quid sit *Cap.13.* etiam quod dixi: Anima si caret cerpore, in hoc mundo non est: non potui recordari. Nũquid enim animæ mortuorum aut non carent corpore, aut in hoc mundo non sunt? Quasi vero inferi non sint in hoc mũdo. Sed quia carere corpore, in bono posui, fortasse no- *Corpus, pestes corporeas significat.* mine corporis pestes corporeas appellaui. Quod si ita est, nimis insolenter verbo vsus sum. Illud quoque temere dictum est: A summa essentia speciem corpori *Cap.15.* per animam tribui, qua est, inquãtumcunque est. Per animam ergo corpus subsistit, & eo ipso est quo animatur: siue vniuersaliter vt mundus, siue particulariter vt vnum quodque animal intra mundum. Hoc totum prorsus temere dictum est. Hic liber sic incipit: Si alicubi est disciplina.

PER idem tempus quo Mediolani fui baptismum percepturus, etiam disciplinarũ libros conatus sum C scribere, interrogans eos qui mecum erant, atque ab huiusmodi studiis non abhorrebãt: per corporalia cupiens ad incorporalia quibusdam quasi passibus certis vel peruenire vel ducere. Sed earum solum De grammatica librum absoluere potui, quem postea de armario nostro perdidi: & De musica sex volumina: quãtum attinet ad eam partem quæ rhythmus vocatur. Sed eosdem sex libros iam baptizatus, iámque ex *1.retract. cap.11.* Italia regressus in Aphricam scripsi. Inchoauerã quippe tantummodo istam apud Mediolanum disciplinã. De aliis verò quinque disciplinis illic similiter inchoatis: de dialectica, de rhetorica, de geometria, de arithmetica, de philosophia, sola principia remanserunt, quæ tamen etiam ipsa perdidimus: sed haberi ab aliquibus existimo. HoCVT opus sic incipit: Omnia nomina tredecim.

CAPVT VI. *De libris disciplin.* *A corporalibus ad incorporalia ascendit.*

IAM baptizatus autem cum Romæ essem, nec ferre tacitus possem Manichæorum iactantiam de falsa & fallaci continentia vel abstinentia, qua se ad impe- D ritos decipiendos, veris Christianis, quibus comparãdi non sunt, insuper præferunt, scripsi duos libros, vnum De moribus ecclesiæ catholicæ: alterum De moribus Manichæorum. In eo igitur qui est De moribus eccle- *Cap.9.* siæ catholicæ, vbi posui testimonium, in quo legitur: *Psal.43. d.24.* Propter te afficimur tota die, æstimati sumus vt oues occisionis: mẽdositas nostri codicis me fefellit minus memorem scripturarum, in quibus nondum assuetus eram. Nam eiusdem interpretationis alij codices non habent, Propter te afficimur: sed, Propter te morte *Rom.8.g.36* afficimur: quod vno verbo alij dixerũt mortificamur. Hoc esse verius Græci libri indicant, ex qua lingua in Latinam secũdum Septuaginta interpretes, veterum diuinarum scripturarum est facta translatio: & tamen secundum hęc verba, id est, Propter te afficimur, multa disputans dixi, quæ in ipsis rebus non tanquam fal-

CAPVT VII. *De moribus ecclesiæ catholicæ, & de moribus Manich.*

sa improbo: veruntamen conuenientiam scripturarum A veterum & nouarum, quam demonstrare cupiebam, ex his duntaxat verbis non vtique demonstraui. Vnde autem mihi error obrepserit, dixi: ex aliis verò testimoniis eandem conuenientiam sufficienter ostendi. Similiter & paulò pòst testimonium posui de libro Sapientiæ, secũdum codicem nostrum, in quo scriptum erat: Sobrietatem enim sapientia docet, & iustitiam & virtutem. Et secundum hæc verba differui res quidem veras, sed ex occasione mendositatis inuentas. Quid enim verius, quam quod sapientia doceat veritatem contemplationis, quam nomine sobrietatis significatam putaui: & actionis probitatem, quam per duo alia intelligi volui, per iustitiam atque virtutem: cum codices eiusdem interpretationis veriores habeant: sobrietatem enim & sapiẽtiam docet, & iustitiam & virtutem? His enim nominibus Latinus interpres quatuor illas virtutes, quę maximè in ore philosophorum esse adsolent, nominauit, sobrietatem appellans temperantiam: prudentiæ imponens nomen, sapientiam: fortitudinem verò virtutis vocabulo enunciãs, solam iustitiam suo nomine interpretatus est. Has autẽ quatuor virtutes in eodem libro Sapiẽtiæ suis nominibus appellatas, sicut à Grẽcis vocantur, longe postea reperimus in codicibus Græcis. Item, quod posui de libro Salomonis, Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes. In multis quidem codicibus legi, sed hoc Græcus nõ habet: habet autem, vanitas vanitatum: quod postea vidi: & inueni eos Latinos esse veriores, qui habent vanitatum, non vanitantum. Ex occasione tamen huius mendositatis quæcunque differui vera esse ipsis rebus apparẽt. Quod autem dixi, Eum ipsum quem cognoscere volumus, hoc est Deum, prius plena charitate diligamus: melius diceretur sincera quam plena: ne fortè putaretur, charitatem Dei nõ futuram esse maiorem, quando videbimus facie ad faciem. Sic itaque hoc accipiatur: tanquam plena dicta sit, qua maior esse non possit, quamdiu ambulamus per fidem. Erit enim plenior, imò plenissima, sed per speciem. Itẽ quod dixi de iis qui subueniunt indigentibus, quia misericordes vocantur, etiam sapientes vsqueadeò sint, vt iam nullo animi dolore turbentur: non sic accipiendũ est tanquam definierim, in hac vita esse tales sapiẽtes, Nõ enim dixi, cum sint: sed dixi, etiam si sint. Alio loco vbi dixi, Iam verò cum hæc humana dilectio inhęrentem vberibus suis nutriuerit & roborauerit animum, sequendo Deo factum idoneum, vbi eius maiestas ex tanta parte quanta homini dum terræ huius inhabitator est sufficit, aperire se cœperit, tantus charitatis ardor innascitur, & tantum diuini amoris consurgit incendium, vt exustis omnibus vitiis, & homine sanctificato atque purgato, satis appareat quam diuinè dictum sit: Ego sum ignis cõsumens, possunt putare Pelagiani, istam perfectionem in hac mortali vita me dixisse posse contingere. Sed non hoc putẽt. Ardor quippe charitatis sequendo Deo factus idoneus, & tam magnus vt vitia cuncta cõsumat, in hac vita nasci & crescere potest: perficere verò propter quod nascitur, vt nullum insit homini vitium, non consequenter hic potest: quamuis tanta ista res eodem ardore charitatis perficiatur, vbi perfici & quando perfici potest: vt quemadmodum lauacrum regenerationis purgat à reatu omnium peccatorum quæ humana traxit natiuitas, & contraxit iniquitas: ita illa perfectio purget ab omni labe vitiorum, sine quibus humana esse non potest in hoc seculo infirmitas. Sicut accipiendum est etiam quod ait Apostolus: Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, mundans eam lauacro aquę in verbo, vt exhiberet sibi gloriosam ecclesiam nõ habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Hoc est enim lauacrum aquæ in verbo quo mundatur ecclesia. Sed cum tota dicat ecclesia quamdiu hic est: Dimitte nobis debita nostra: non vtique hic est sine macula & ruga, aut aliquid eiusmodi: ex eo tamen quod hic accipit, ad illam gloriam quæ hic non est perfectionémque perducitur. In alio libro cuius est titulus De moribus Manichæorũ, illud quod dixi, Dei bonitas omnia deficientia sic ordinat, vt ibi sint vbi congruentissimè possunt esse, donec ordinatis motibus ad id recurrant vnde defecerunt: nõ sic accipiendum est, tanquam omnia recurrant ad id vnde defecerunt, sicut Origeni visum est, sed ea omnia quæ recurrunt. Non enim recurrent ad Deum à quo defecerũt, qui sempiterno igne punientur: quamuis omnia deficientia sic ordinentur, vt ibi sint, vbi congruentissimè possunt esse: quia & illi qui non recurrunt, congruentissimè in pœna sunt. Alio loco, Nemo ferè, inquam, de scarabæis dubitat, quin de fimo in pilam rotundato ab his atque obruto existant: cum hoc exemplum vtrum verum sit, multi dubitent, multi ne audiuerint quidem. Hoc opus sic incipit: In aliis libris satis opinor egisse nos, &c.

Mat. 6. d. 12.

Cap. 7.

2. retr. ca. 14

De ciuitate Dei, cap. 17.

IN eadẽ vrbe scripsi dialogũ, in quo de anima multa quęrũtur ac differũtur, id est, vnde sit, qualis sit, quãta sit, cur corpori fuerit data, cũ ad corpus venerit qualis efficiatur, qualis cum abscesserit. Sed quoniã quanta sit, diligentissimè ac subtilissimè disputatum est, vt eam si possemus ostenderemus corporalis quantitatis non esse, & tamen magnum aliquid esse, ex hac vna inquisitione totus liber nomen accepit vt appellaretur, De animæ quantitate. In quo libro illud quod dixi, Omnes artes animam secum attulisse mihi videri: nec aliud quicquã esse id quod dicitur discere, quam reminisci ac recordari: non sic accipiendum est, quasi ex hoc approbetur, animã vel hic in alio corpore, vel alibi siue in corpore, siue extra corpus, aliquãdo vixisse: & ea quæ interrogata respondet, cum hic non didicerit, in alia vita antè didicisse. Fieri enim potest, sicut iam in hoc Opere suprà diximus, vt hoc ideo possit, quia natura intelligibilis est, & connectitur nõ solum intelligibilibus, verũ etiam immutabilibus rebus. Eo ordine facta est, vt cum se ad eas res mouet quibus cõnexa est, vel ad seipsam, inquantum eas videt, in tantum de his vera respondeat. Nec sanè omnes artes eo modo secum attulit, ac secum habet. Nam de artibus quæ ad sensus corporis pertinent, sicut multa medicinæ, sicut astrologiæ omnia, nisi quod hic didicerit, nõ potest discere. Ea verò quæ sola intelligẽtia capit, propter id quod dixi, cũ vel à seipsa vel ab alio fuerit bene interrogata, & recordata respõdet. Alio loco, Vellem, inquam, hinc plura dicere, ac meipsum constringere, dum quasi tibi præcipio, vt nihil aliud agerem quam reddere me mihi, cui me maximè debeo. Vbi videor dicere potius debuisse, redderer Deo, cui me maximè debeo. Sed quoniam prius sibi ipse homo reddendus est, vt illic quasi gradu facto inde surgat atque attollatur ad Deum, sicut filius ille minor prius reuersus est ad semetipsum, & tunc ait: Surgam, & ibo ad patrem meum: ideo sic sum locutus. Deniq; mox addidi. Atque ita fieri amicum mancipium Domino. Quod ergo dixi, Cui me maximè debeo, ad homines retuli: Magis enim mihi me debeo quam hominibus cæteris, quamuis Deo magis quam mihi. Hic liber sic incipit: Quoniam video te abundare otio.

CAPVT VIII. De animæ quantitate. Cap. 1.

Cap. 20.

Lib. 12. de trinitate, cap. 15.

Cap. 28.

CVM adhuc Romæ demoraremur, voluimus disputando quærere, vnde sit malum. Et eo modo disputauimus, vt si possemus id quod de hac re diuinæ auctoritati subditi credebamus, etiam ad intelligentiam nostram quantum differendo opitulante Deo agere possemus, ratio considerata & tractata perduceret. Et quoniam constitit inter nos, diligenter ratione discussa, malum non exortum nisi ex libero voluntatis ar-

CAPVT IX. De libero arbitrio.

Tullius lib. 1 Offic.

Sapientia docet veritatem contemplationis.

Eccl. 1. a. 2. Cap. 21.

Cap. 27.

Cap. 30.

Deu. 4. d. 24 Heb. 12. g. 29.

Charitas cuncta vitia consumit.

Eph. 5. f. 25

tis arbitrio: trés libri quos eadem disputatio peperit, A appellati sunt De libero arbitrio. Quorum secúdum & tertiũ in Aphrica, iam etiá Hippone regio presbyter ordinatus, sicut tunc potui terminaui. In his libris ita multa differta sunt, vt incidentes nõnullæ quæstiones, quas vel enodare non poteram, vel lõgam sermocinationem in præsenti requirebant, ita differrẽtur, vt ex vtraq; parte, vel ex omnibus earundẽ quæstionum partibus, in quibus nõ apparebat quid potius cõgrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, vt quodlibet eorum verũ esset, laudandus crederetur, vel etiá ostenderetur Deus. Propter eos quippe disputatio illa susceptа est, qui negãt, ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci, & Deum, si ita est, creatorem omnium naturarum culpandũ esse contendunt: eo modo volentes secundum suæ impietatis errorem (Manichæi enim sunt) immutabilem quandam & Deo coæternam introducere mali naturã. De gratia verò Dei, qua suos electos sic prædestinauit, vt B eorum qui iam in eis vtuntur libero arbitrio, ipse etiá præparet voluntates, nihil in his libris disputatum est propter hoc proposita quæstione. Vbi autẽ incidit locus vt huius gratię fieret commemoratio, transeunter commemorata est: non quasi inde ageretur, operosa ratiocinatione defensa. Aliud est enim quærere, vnde sit malum: & aliud est quærere, vnde redeatur ad pristinũ, vel ad maius perueniatur bonum. Quapropter
2. sent. dist. 28. cap. 1. noui hæretici Pelagiani, qui liberum sic asserunt volũtatis arbitrium, vt gratiæ Dei non relinquant locum, quandoquidem eam secúdum merita nostra dari asserunt, nõ se extollãt quasi eorum egerim causam: quia multa in his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius disputationis causa poscebat. Dixi quippe in libro pri-
Lib. 1. ca. 12 mo, Malefacta iustitia Dei vindicari. Et addidi, Non enim iustè vindicarentur, nisi fierent voluntate. Item cum ipsam bonam volũtatem tam magnum bonum esse monstrarẽ, vt omnibus corporeis & externis bo- C
2. sent. dist. 28. ca. alibi. nis meritò anteponeretur, dixi: Vides igitur iam, vt existimo, in voluntate nostra esse cõstitutum, vt hoc vel fruamur vel careamus tanto & tam vero bono. Quid enim tam in voluntate quam ipsa voluntas sita est? Et
2. sent. dist. 41. cap. si autem. alio loco: Quid ergo causæ est, inquam, cur dubitandum putemus, etiam si nunquam antè sapientes fuimus, voluntate nos tamẽ laudabilem & beatã vitam, voluntate turpem & miseram mereri ac degere? Item
Lib. 1. ca. 13 alio loco: Ex quo conficitur, inquam, vt quisquis rectè honestéque vult viuere, si id se velle præ fugacibus rebus velit, assequatur tãtam rem tanta facilitate, vt nihil aliud ei quam ipsum velle sit habere quod voluit.
Lib. 1. ca. 14 Itémque alibi dixi, Hoc enim æterna lex illa, ad cuius considerationem redire iam tempus est, incõmutabili stabilitate firmauit, vt in voluntate meritum sit, in beatitate autem & miseria prẽmium atq; supplicium.
Lib. 1. ca. 16 Et alio loco, Quid, inquam, quisq; sectandum & amplectendum eligat, in voluntate esse positum cõstitit.
Cap. 1. Et in libro secundo: Homo enim ipse, inquá, inquantum homo est, aliquod bonum est, quia rectè viuere D
Lib. 2. ca. 18 cum vult potest. Et alio loco dixi: Rectè fieri nõ posse,
Cap. 1. nisi eodem libero volũtatis arbitrio. Et in libro tertio: quid opus est, inquam, quæri vnde iste motus existat, quo volũtas auertitur ab incommutabili bono ad cõmutabile bonum, cum eum non nisi animi, & voluntarium, & ob hoc culpabilem esse fateamur: omnisq; de hac re disciplina vtilis ad id valeat, vt eo motu improbato atq; cohibito voluntatem nostrã ad perfruendum sempiterno bono, à lapsu temporalium conuer-
Lib. 3. cap. 3 2. sent. dist. 28 cap. alibi. & dist. 41. cap. si autem. tamus? Et alio loco, Optimè, inquam, de te veritas clamat: Non enim posses aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus, facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas est.
Lib. 3. ca. 16 Ea enim prorsus nullo interuallo mox vt volumus

præstò est. Item alio loco, Si enim tu laudaris, inquam, videndo quid facere debeas, cum id non videas, nisi in illo qui est incommutabilis veritas, quanto magis ille qui & velle præcepit, & posse præbuit, & non impunè nolle permisit? Deinde subiunxi, dicens: Si enim hoc debet quisque quod accepit, & sic homo factus est vt necessariò peccet, hoc debet vt peccet. Cum ergo peccat, quod debet facit. Quod si scelus est dicere, neminem natura sua cogit vt peccet. Et iterum: Quæ Lib. 3. ca. 17 tandem esse poterit, inquam, ante voluntatem causa voluntatis? Aut enim & ipsa voluntas est, & à radice ista voluntatis non receditur: aut non est voluntas, & peccatum nullum habet. Aut igitur voluntas est prima causa peccandi, aut nullum peccatum est prima causa peccandi: nec est cui rectè imputetur peccatum nisi peccanti. Non ergo est cui rectè imputetur peccatum nisi voluntati. Et paulò pòst: Quis, inquam, pec- 2 sent. dist. 41. cap. si autem. cat in eo quod nullo modo caueri potest? Peccatur autem: Caueri igitur potest. Quo testimonio meo Lib. 3. ca. 18 in quodam libro suo Pelagius vsus est. Cui libro cum 2. sent. dist. 28. cap. quod vero. respondissem, titulum libri mei esse volui, De natura & gratia. In his atque huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani vel putare possunt, suam nos tenuisse sententiam. Sed frustra hoc putant. Vo- Rom. 6. Voluntas est qua peccatur & rectè viuitur. luntas quippe est, qua & peccatur, & rectè viuitur: quod his verbis egimus. Voluntas ergo ipsa nisi Dei gratia liberetur à seruitute qua facta est serua peccati, & vt vitia superet, adiuuetur: rectè piéque viui à mortalibus non potest. Et hoc diuinum beneficium quo liberatur, nisi eam præueniret, iam meritis eius daretur, & non esset gratia, quæ vtique gratis datur. Quod in aliis opusculis nostris satis egimus, istos inimicos huius gratiæ nouos hæreticos refellentes. Quamuis & in his libris qui non contra illos omnino, quippe illi nondum erant, sed contra Manichæos conscripti sunt, de libero arbitrio, non omnimodo de ista Dei gratia reticuimus, quam nefanda impietate conantur auferre. Diximus quippe in secundo libro, Non solum magna, sed etiam mini- Cap. 19. ma bona non esse posse, nisi ab illo à quo sunt omnia bona, hoc est Deo. Et paulò pòst: Virtutes, inquam, 2. sent. dist. 26 cap. si vero. quibus rectè viuitur, magna bona sunt: Species autem quorumlibet corporum, sine quibus rectè viui potest, minima bona sunt. Potentiæ verò animi, sine quibus rectè viui non potest, media bona sunt. Virtutibus nemo male vtitur. Cæteris autem bonis: 2. sent dist. 26. cap. quæritur. id est mediis & minimis, non solum bene, sed etiam male quisque vti potest. Et ideo virtute nemo male vtitur: quia opus virtutis est bonus vsus istorum, quibus etiam non bene vti possumus. Nemo autem bene vtendo male vtitur. Quare abundantia & magnitudo bonitatis Dei, non solum magna, sed etiam media & minima bona esse præstitit. Magis Bonitas Dei in omnibus laudanda. laudanda est bonitas eius in magnis quam in mediis, & magis in mediis quam in minimis his bonis: sed magis in omnibus, quam si non omnia tribuisset. Et alio loco, Tu tantum, inquam, pietatem inconcus- Lib. 2. ca. 20 sam tene, vt nullum tibi bonum vel sentienti vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo. Itémque alio loco dixi: Sed quoniam non sicut sponte homo cecidit, ita etiam sponte surgere potest: porrectam nobis desuper dexteram Dei, id est, Dominum nostrum Iesum Christum firma fide teneamus. Et in libro tertio, cum dixissem il- Cap. 18. lud, quo & Pelagium de meis opusculis vsum fuis- 2. sent. dist. 28 cap. quod verò. se commemoraui: Quis enim, inquam, peccat in eo quod nullo modo caueri potest? Peccatur autem: Caueri igitur potest: continuò secutus adiunxi, Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda iudicantur, sicut in diuinis

auctoritatibus legimus. Ait enim Apoſtolus: Miſeri-
cordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci. Ait &
1.Tim.1. d.16. Propheta: Delicta iuuentutis meæ & ignorantię meæ
Pſal.24.b.7 ne memineris. Sunt etiam neceſſitate facta improbá-
Rom.7.c.15 da, vbi vult homo rectè facere & non poteſt. Nam vn-
de ſunt illæ voces: Nõ enim quod volo facio bonum,
Ibidem 18. ſed quod odi malum, hoc ago. Et illud: Velle adiacet
Gal.5.c.17 mihi, perficere autem bonum non. Et illud: Caro cõ-
cupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autẽ aduerſus car-
nem. Hæc enim inuicem aduerſantur, vt non ea quæ
vultis faciatis? Sed hæc omnia hominum ſunt, ex illa
mortis damnatione venientium. Nam ſi non eſt iſta
pœna hominis ſed natura, nulla iſta peccata ſunt. Si e-
nim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus
eſt, ita vt melius eſſe non poſſit, ea quæ debet facit, cũ
hæc facit. Si autem bonus homo eſſet, aliter eſſet: nũc
autem quia ita eſt, nõ eſt bonus, nec habet in poteſta-
te vt bonus ſit, ſiue non videndo qualis eſſe debeat, ſi-
ue videndo & non valendo eſſe qualem ſe debere eſſe
2.ſent.diſt. 36.cap.& ideo. videt: pœnam iſtam eſſe quis dubitet? Omnis autem
pœna ſi iuſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium no-
minatur. Si autem iniuſta eſt pœna, quoniam pœnam
eſſe nemo ambigit, iniuſto aliquo dominante homini
impoſita eſt. Porrò quia de omnipotentia Dei & iuſti-
tia dubitare dementis eſt, iuſta hæc pœna eſt, & pro
peccato aliquo penditur. Nõ enim quiſquam iniuſtus
dominator aut ſurripere hominẽ potuit velut igno-
ranti Deo, aut extorquere inuito, tãquam inualidiori,
vel terrendo vel confligẽdo, vt hominem iniuſta pœ-
na cruciaret. Relinquitur ergo vt hæc pœna iuſta de
Lib.3.ca.18 3.ſent.diſt. 25.cap. tradit. damnatione hominis veniat. Et alio loco: Approbare,
inquam, falſa pro veris vt erret inuitus, & reſiſtẽte at-
que torquente dolore carnalis vinculi, non poſſe à li-
bidinoſis operibus temperare, non eſt natura inſtituti
hominis, ſed pœna damnati. Cum autem de illa volũ-
tate recte faciendi loquimur, de illa ſcilicet in qua ho-
mo factus eſt loquimur. Ecce quam longe antequam
Pelagiana hæreſis extitiſſet, ſic diſputauimus, velut iá
2.ſent.diſt. 26.cap.quæ-ritur. contra illos diſputaremus. Cum enim omnia bona di-
cerentur ex Deo, id eſt & magna & media & minima:
Liberum arbitrium ad rectè viuendũ neceſſarium. in mediis quidem bonis inuenitur liberum voluntatis
arbitrium, quia & male illo vti poſſumus, ſed tamen
tale eſt, vt ſine illo recte viuere nequeamus. Bonus au
tem vſus eius iam virtus eſt, quæ in magnis reperitur
bonis, quibus male vti nullus poteſt. Et quia omnia bo
na, ſicut dictum eſt, & magna & media & minima ex
Vſus bonus liberi arbitrij ex Deo. Deo ſunt, ſequitur vt ex Deo ſit etiam bonus vſus li-
Lib.2.ca.20 & 3.ca.18. beræ voluntatis, quæ virtus eſt, & in magnis numera-
tur bonis. Deinde dictum eſt: Ex qua miſeria peccan-
tibus iuſtiſſimè inflicta, liberet Dei gratia, quia ſponte
homo, id eſt libero arbitrio cadere potuit, non etiam
ſurgere. Ad quam miſeriam iuſtæ damnationis perti-
net ignorantia & difficultas quam patitur omnis ho-
mo ab exordio natiuitatis ſuæ, nec ab iſto malo niſi
Lib.3.ca.20 & 21. 3.ſent.diſt. 25.cap.ſed forte. Dei gratia quiſquam liberatur. Quam miſeriam Pe-
lagiani nolunt ex iuſta damnatione deſcendere, negã-
tes originale peccatum: quamuis ignorãtia & difficul-
tas, etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic
culpandus Deus, ſed laudandus eſſet, ſicut in eodem
tertio libro diſputauimus. Quæ diſputatio cõtra Ma-
nichæos habenda eſt, qui non accipiunt ſcripturas ſan
ctas Veteris inſtrumẽti, in quibus originale peccatum
narratur. Et quicquid inde in literis Apoſtolicis legi-
tur, deteſtabili impudentia immiſſum fuiſſe contendunt à corruptoribus ſcripturarum, tanquam nõ fue-
rit ab Apoſtolis dictum. Cõtra Pelagianos autem hoc
defendẽdum eſt, quod vtraque ſcriptura commẽdat,
quam ſe accipere profitẽtur. Hoc opus ſic incipit: Dic
mihi quæſo te.

CAP. X. De Geneſi aduerſus Manichæos

IAM verò in Aphrica conſtitutus, conſcripſi duos li-
bros De Geneſi cõtra Manichæos. Quamuis enim
in ſuperioribus libris quicquid diſputaui, vnde oſten-
derem Deum ſumme bonum & immutabilem crea-
torem eſſe omnium mutabilium naturarum, nec vl-
lam eſſe naturam malam ſiue ſubſtantiam inquãtum
natura eſt atq; ſubſtantia, aduerſus Manichæos noſtra
inuigilaret intentio: iſti tamẽ duo libri apertiſſimè ad-
uerſus eos editi ſunt in defenſionem veteris legis, quã
vehementi ſtudio veſani erroris oppugnant. In primo Cap.1.
ab eo quod ſcriptum eſt: In principio fecit Deus cælũ Gen.1.a.1.
& terram: donec ſeptem peragantur dies, vbi legitur
Deus requieuiſſe in die ſeptimo. In ſecũdo autem ab
eo quod ſcriptum eſt, Hic liber creaturæ cæli & terrę,
donec Adam & mulier eius dimiſſi ſunt de paradiſo,
& cuſtodia poſita eſt ligno vitæ. Deinde in fine libri
errori Manichæorum fidem catholicę veritatis oppo-
ſui, quid illi dicant, & nos quid dicamus breuiter aper-
téque complectens. Quod verò dixi: Illud autem lu- Lib.1.cap.8
men nõ irrationabilium animalium oculos paſcit, ſed
pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore viſi-
bilium rerum & temporalium ſe ad eius prȩcepta im-
plenda conuertunt, quod omnes homines poſſunt ſi
velint, non exiſtimẽt noui hæretici Pelagiani ſecundũ
eos eſſe dictum. Verum eſt enim omnino, omnes ho-
mines hoc poſſe ſi velint, ſed præparatur voluntas à
Domino, & tãtum augetur munere charitatis, vt poſ-
ſint. Quod hic ideo dictum non eſt, quoniam præſen-
ti neceſſarium non erat quæſtioni. Quod verò ibi le- Lib.1.ca.19
gitur, benedictionem Dei qua dictum eſt, Creſcite & Gen.1.d.28
multiplicamini: in carnalem fœcunditatem poſt pec-
catum conuerſam eſſe credendum, ſi non poteſt alio
modo dictum videri, niſi vt putentur illi homines non
habituri fuiſſe filios homines niſi peccaſſent: omnino
non approbo. Illud etiam non eſt conſequens, vt ideo Lib.1.ca.20
intelligatur in allegoria tantummodo eſſe accipien-
dum, quod herbæ virides, & ligna fructifera omni ge-
neri beſtiarum, & omnibus auibus, & omnibus ſerpẽ-
tibus in libro Geneſeos dantur ad cibum, quia ſunt &
quadrupedia & volatilia, quæ ſolis carnibus viuere vi-
deantur. Fieri enim poſſet vt alerentur ab hominibus
etiam de fructibus terræ, ſi propter obedientiam qua
ipſi homines Deo ſine vlla iniquitate ſeruirent, mere-
rentur omnes beſtias & aues omni modo habere ſer-
uientes. Item mouere poteſt quomodo dixerim de po
pulo Iſraël: adhuc corporali circũciſione & ſacrificiis, Lib.1.ca.23
tanquam in mari gentium populus ille legi ſeruiebat.
Quandoquidem apud gentes ſacrificare non poterãt,
ſicut eos & nunc videmus ſine ſacrificiis remãſiſſe, niſi
fortè quod per paſcha immolant ouem, hoc in ſacrifi-
cio deputetur. In ſecundo etiam libro illud quod po- Cap.3.
ſui, nomine pabuli ſignificari poſſe vitam, cum melio-
ris interpretationis codices non habeant pabulum ſed
fœnum, non ſatis aptè dictum videtur. Nõ enim con-
gruit fœni nomẽ ſignificationi vitæ, quomodo pabu-
li. Item videor non rectè appellaſſe verba prophetica
quibus ſcriptum eſt, Quid ſuperbit terra & cinis? quia Lib.2.ca.5.
non in eius libro legitur quem certi ſimus appellandũ Ec.10.b.10
eſſe prophetam. Nec illud Apoſtoli, vbi adhibet teſti- Lib.2.cap.8
monium de Geneſi, dicens: Factus eſt primus homo 1.Cor.15.
Adam in animam viuentem, ſicut ille voluit, intellexi f.45.
cum exponerem quod ſcriptum eſt, Inſufflauit Deus Gen.2.b.7.
in faciem eius flatum vitæ, & factus eſt homo in ani-
mam viuam, vel in animam viuẽtem. Apoſtolus enim
ad hoc adhibuit illud teſtimoniũ, vt probaret eſſe cor-
pus animale: ego autem hinc putaui hoc eſſe mõſtran
dum, animalem factum prius hominem, non corpus
hominis ſolum. Quod autẽ dixi, Nulli naturæ nocere Lib.2.ca.29
peccata niſi ſua: ideo dixi, quoniã iuſto qui nocet, non
ei verè nocet, quandoquidem etiam mercedem eius
auget in cælis: ſibi autem peccando verè nocet, quia
propter ipſam voluntatem nocendi, recipiet id quod
nocuit. Poſſunt ſanè Pelagiani ad ſuũ dogma trahere

iſtam

istam sententiam, & ideo dicere, paruulis aliena non nocuisse peccata, quia dixi nulli naturę nocere peccata nisi sua: non intuentes ideo paruulos, qui vtiq; pertinent ad humanam naturam, trahere originale peccatum, quia in primis hominibus natura humana peccauit, ac per hoc naturæ humanæ nulla nocuere peccata nisi sua. Per vnum quippe hominem in quo omnes peccauerunt, peccatum intrauit in mundum: non enim nulli homini, sed nulli naturæ dixi peccata nocere nisi sua. Item in eo quod paulò pòst dixi, Nullū esse malum naturale: possunt quærere similem latebram, nisi hoc dictum ad naturam talem referatur, qualis sine vitio primitùs cõdita est. Ipsa enim verè ac propriè natura hominis dicitur. Translato autẽ verbo vtimur, vt naturã dicamus etiã quali nascitur homo, secũdum quam locutionẽ dixit Apostolus: Fuimus enim & nos aliquando natura filij iræ, sicut & cæteri. Hoc opus sic incipit: Si eligerent Manichæi quos deciperent.

Rom. 5.c.12

Lib.2.ca.29

Eph.2.4.3.

CAPVT XI. De musica. 1.retr.cap.6

DEINDE, vt suprà commemoraui, sex libros De musica scripsi, quorum ipse sextus maximè innotuit, quoniã res in eo digna cognitione versatur, quomodo à corporalibus & spiritalibus, sed mutabilibus numeris perueniatur ad immutabiles numeros qui iã sunt in ipsa immutabili veritate, & sic inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur. Quod qui non possunt, & tamen ex fide Christi viuunt, ad illa certius atq; felicius conspicienda post hanc vitã veniunt. Qui autem possunt, si desit eis fides Christi, qui vnus mediator est Dei & hominum, cum tota sapientia sua pereunt. In hoc libro illud quod dixi, Corpora enim tanto meliora sunt, quanto numerosiora talibus numeris: anima verò istis quæ per corpus accipit carẽdo fit melior, cum sese auertit à carnalibus sensibus, & diuinis sapientiæ numeris reformatur. nõ sic accipiendum est, quasi nõ sint futuri numeri corporales in corporibus incorruptibilibus & spiritalibus, cum multo speciosiora & decentiora futura sint: aut anima eos sensura non sit, quando erit optima, quemadmodum hic eis carendo fit melior. Hic enim opus habet auertere se à carnalibus sensibus ad intelligibilia capiẽda, quia infirma est & minus idonea vtrisque simul adhibere intentionem suam. Et in his corporalibus nunc illecebra cauenda est, quamdiu anima illici ad delectationem turpem potest. Tunc autem tam firma erit atque perfecta, vt numeris corporalibus non auertatur à contemplatione sapientiæ, & ita sentiat eos vt non illiciatur ab eis, nec eis carendo fiat melior, sed ita fit bona & recta, vt nec latere possint eam nec occupare. Item quod dixi, Hæc autem sanitas tunc firmissima erit atque certissima, cum pristinę stabilitati certo suo tempore atque ordine hoc corpus fuerit restitutum: non ita dictum putetur, quasi non sint futura post resurrectionem corpora meliora, quam primorũ hominum in paradiso fuerunt, cum illa iam non sint alenda corporalibus alimentis quibus alebantur ista: sed pristina stabilitas hactenus accipienda est, quatenus ægritudinem ita nullam corpora illa patientur, sicut nec ista pati possent ante peccatum. Alio loco: Laboriosior est, inquam, huius mundi amor. Quod enim in illo anima quærit, constantiam scilicet æternitatémque, non inuenit: quoniam rerum trãsitu completur infima pulchritudo, & quod in illa imitatur constantiam, à summo Deo per animam traiicitur: quoniam prior est species tãtum modo tempore commutabilis, quam est ea quæ & tempore & locis. Hæc verba si eo modo accipi possent, vt nõ intelligatur infima pulchritudo, nisi in corporibus hominum, omniúmque animalium quæ cum sensu corporis viuunt, ratio manifesta defendit. Hoc quippe in ea pulchritudine imitatur constantiam, quod in compage sua manent eadem corpora in quantum manent: id autem à summo Deo in ea per animam traiicitur. Anima quippe ipsam compagem tenet ne dissoluatur & diffluat: quod videmus in corporibus animalium anima discedente contingere. Si autem infima pulchritudo in omnibus corporib. intelligatur, cogit ista sententia etiam ipsum mũdum animal credere, vt etiam id ipsum quod in illo imitatur constantiam, à summo Deo per animam traiiciatur. Sed animal esse istũ mundum, sicut Plato sensit, aliíque philosophi quam plurimi, nec ratione certa indagare potui, nec diuinarum scripturarum auctoritate persuaderi posse cognoui. Vnde tale aliquid à me dictum quo id accipi possit, etiam in libro De immortalitate animę temerè dictum notaui. Non quia hoc falsum esse confirmo, sed quia nec verum esse comprehendo, quod sit animal mundus. Hoc sanè inconcusse retinendum esse non dubito, Deum nobis non esse istum mundum, siue anima eius vlla, siue nulla sit. Quia si vlla est, ille qui eam fecit, est Deus noster: si autem nulla est, nullorum Deus potest esse iste, quanto minus Deus noster. Esse tamen spiritalem vitalemque virtutem, etiam si non sit animal mundus. Quæ virtus in angelis sanctis ad decorãdum atque administrandum mundum Deo seruit, & à quibus non intelligitur, rectissimè creditur. Angelorum autem sanctorum nomine, omnem sanctam creaturam spiritalem, in Dei secreto atque occulto ministerio constitutam nunc appellauerim: sed spiritus angelicos sancta scriptura nomine animarum significare non solet. Proinde in eo quod circa finem libri huius dixi: Rationales & intellectuales numeri beatarum animarum atque sanctarum legem ipsam Dei, sine qua folium de arbore nõ cadit, & cui nostri capilli numerati sunt, nulla interposita natura excipientes, vsq; ad terrena & inferna iura transmittunt, nõ video quemadmodum vocabulum animarum secundum scripturas sanctas forsitan possit ostendi: quandoquidem hic non nisi angelos sanctos intelligi volui, quos habere animas nusquam me legisse in diuinis eloquiis canonicisq; recolo. Hic liber primus sic incipit: Modus quispes est. Sextus autem, Satis diu pene.

Quod mundus non sit animal.

Lib.7.de ciu. Dei,cap.23.

Cap.15. 1.retr.cap.5.

Lib.6.ca.17

CAPVT XII. De magistro.

PER idem tempus scripsi librum, cuius est titulus, De magistro: in quo disputatur & quæritur, & inuenitur, magistrum non esse qui docet hominẽ scientiam, nisi Deum. Secundum illud etiam quod in Euangelio scriptũ est: Vnus est magister vester Christus. Hic liber sic incipit: Quid tibi videmur efficere velle cum loquimur?

Mat.23. b.10.

CAPVT XIII. De vera religione.

TVNC etiam de vera religione librum scripsi, in quo multipliciter & copiosissime disputatur, vnũ verum Deum, id est trinitatem, patrem & filiũ & spiritum sanctum religione vera colendum: & quãta misericordia eius, per temporalem dispensationem concessa sit hominibus Christiana religio, quæ vera religio est, & ad eundem cultum Dei quemadmodum sit homo quadam†vita sua coaptandus. Maxime tamen contra duas naturas Manichæorum liber hic loquitur. In hoc libro quodam loco: Sit, inquam, tibi manifestum atque perceptum, nullum errorem in religione esse potuisse, si anima pro Deo suo non coleret animam aut corpus aut phãtasmata sua. Hic animam pro vniuersa creatura incorporali posui non loquens more scripturarum, quæ animam quando non translato verbo vtuntur, nescio vtrum velint intelligi nisi eam qua viuunt animalia mortalia, in quibus & homines sunt, quamdiu mortales sunt. Paulo pòst autem eundem sensum melius sum breuiúsque complexus, vbi dixi, Non ergo creaturæ potius quam creatori seruiamus, nec euanescamus in cogitationibus nostris, & perfecta religio est. Creaturam quippe vno nomine vtranque, id est spiritalem corporalémque significaui. Restat quod ibi dixi, aut phantasmata sua: propter

†al. suauitate.

Cap.10.

Rom.1.c.21

quod hic dixi, nec euanescamus in cogitationibus nostris. Item quod dixi, Ea est nostris temporibus Christiana religio, quã cognoscere ac sequi securissima & certissima salus est, secundum hoc nomen dictum est, non secundum ipsam rem, cuius hoc nomen est. Nam res ipsa quæ nunc Christiana religio nuncupatur, erat & apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousq; ipse Christus veniret in carne, vnde vera religio quæ iam erat, cœpit appellari Christiana. Cum enim eum post resurrectionem ascensionemq; in cælũ cœpissent Apostoli prædicare, & plurimi crederent, primum apud Antiochiam, sicut scriptum est, appellati sunt discipuli Christiani. Propterea dixi, Hæc est nostris temporibus Christiana religio: non quia prioribus temporibus non fuit, sed quia posterioribus hoc nomen accepit. Alio loco: Intende igitur, inquam, in hæc quæ sequuntur diligenter & pie quantum potes: tales enim adiuuat Deus. Quod nõ ita intelligendum est, quasi tãtummodo tales adiuuet, cũ adiuuet etiam non tales vt sint tales, id est vt diligenter & pie quęrãt. Cap. 12. Tales autem adiuuat vt inueniant. Itémq; alibi: Deinde, inquam, iam erit consequens, vt post mortem corporalem quam debemus primo peccato, donec tempore suo atque ordine suo hoc corpus restituatur pristinæ stabilitati. Quod sic accipiẽdum est, quia etiam pristina stabilitas corporis quam peccando amisimus, habebat tantam felicitatem, vt in defectum non vergeret senectutis. Huic ergo pristinæ stabilitati restituetur hoc corpus in resurrectione mortuorum. Sed habebit amplius, vt nec alimentis corporalibus sustẽtetur: sed ad sufficientiam viuificetur solo spiritu, cum resurrexerit in spiritum viuificãtem, qua causa etiam spiritale erit. Illud autem quod primum fuit, quamuis non moriturum nisi homo peccasset, tamen animale Cap. 14. factum est, hoc est in animam viuentem. Et alibi: Vsq; adeo, inquam, peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Potest videri falsa hæc definitio, sed si diligenter discutiatur, inuenietur esse verissima. Peccatum quippe illud cogitandum est, quod tantummodo peccatũ est, non quod est etiam pœna peccati, sicut superius oste ndi, cum quædam commemorarem ex libro tertio De libero arbitrio. Quãuis & illa quæ non immerito non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à nescientibus vel à coactis perpetrantur, non omnino possunt sine voluntate cõmitti: quoniã & ille qui peccat ignorans, voluntate vtiq; facit, quod cum faciendum nõ sit, pu- Gal. 5. c. 17. tat esse faciendum. Et ille qui concupiscente aduersus spiritum carne, non ea quæ vult facit, concupiscit qui- al. volens. dem †nolens, & in eo non facit quod vult. Sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens, & in eo nõ facit nisi quod vult, liber scilicet iustitiæ, seruusque peccati. Et illud quod in paruulis dicitur originale peccatũ, cum adhuc non vtantur arbitrio voluntatis, nõ absurde vocatur etiam volũtarium, quia ex prima hominis mala voluntate cõtractum, factum est quodammodo al. voluntarium. †hæreditarium. Non itaq; falsum est quod dixi: Vsque adeo peccatum voluntarium malũ est, vt nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium. Ideo gratia Dei non solum reatus omnium præteritorum soluitur in omnibus qui baptizantur in Christo, quod fit spiritu regenerationis, verũ etiam in grandibus voluntas ipsa sanatur, & pręparatur à Domino, quod fit spiritu fidei & charitatis. Alio loco in eo quod dixi de Domino Ie- Cap. 16. su Christo: Nihil egit vi, sed omnia suadendo & mo- Mat. 11. b. 12. nendo: non mihi occurrerat quod vendentes & emẽ- Mat. 8. b. 16 tes flagellando eiecit de tẽplo. Sed quid hoc, aut quantum est? Quãuis & dæmones nolentes ab hominibus, non sermone suasionis, sed vi potestatis eiecerit. Item Cap. 25. alio loco: Prius, inquam, isti sequendi sunt, qui vnum Deum summum solum verum Deum & solũ colendum esse dicunt, si apud hos veritas non eluxerit, tunc demum migrandum est. Quod ita potest videri dictũ, quasi de huius religionis veritate dubitauerim. Dixi autem sicut ei congruebat ad quem scribebam. Sic enim dixi: Si apud hos veritas non eluxerit, nihil dubitans quod apud eos eluceſceret, quemadmodum ait Apostolus: Si Christus non resurrexit: non vtiq; dubi- 1. Cor. 15. b. 14. tans quod resurrexerit. Item quod dixi, Nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quęreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanũ, quorum nouitate flagrauit: verum est quidem: non enim nunc vsq;, cum manus imponitur baptizatis, sic accipiũt spiritum sanctum, vt loquantur linguis omnium gentiũ: aut nunc vsque ad vmbram transeũtium prędicatorum Christi sanantur infirmi, & si qua talia tunc facta sunt, quæ postea cessasse manifestũ est. Sed non sic accipiendum est quod dixi, vt nũc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse quando istũ ipsum librũ scripsi ad Mediolanensium corpora martyrũ, in eadẽ ciuitate cæcum illuminatũ fuisse iam nouerã, & alia nõnulla, qualia tam multa etiã istis temporibus fiunt, vt nec omnia cognoscere, nec ea quæ cognoscimus enumerare possimus. Et alio loco illud quod dixi: Sicut ait apo- Cap. 41. stolus, Omnis ordo à Deo est: non eisdẽ verbis hoc di- Rom. 13. a. 1 xit Apostolus, quamuis eadem videatur esse sentẽtia. Ait quippe ille: Quæ autẽ sunt, à Deo ordinata sunt. Cap. 30. & Et alibi: Prorsus, inquã, nemo nos fallat: quicquid re- 41. cte vituperatur, in melioris comparatione respuitur. Hoc de substantiis atque naturis dictum est: inde enim disputabatur, non de bonis actionibus atque peccatis. Itemque alibi: Sed nec sic quidem, inquam, ab Cap. 46. homine homo diligendus est, vt diliguntur carnales fratres, vel filij, vel coniuges, vel quicunque cognati, aut affines, aut ciues. Nam & ista dilectio temporalis est. Non enim vllas tales necessitudines haberemus, quæ nascendo & moriendo contingunt, si natura nostra in præceptis & imagine Dei manens, in istam corruptionem non relegaretur. Hunc sensum prorsus improbo, quem iam & superius improbaui in primo libro de Genesi contra Manichæos. Cap. 19. Ad hoc enim ducit, vt credantur illi coniuges primi non generaturi posteros homines, nisi peccassent: tanquam necesse fuerit vt morituri gignerentur, si de concubitu maris & fœminæ gignerentur. Nondum enim videram fieri potuisse, vt non morituri de non morituris nascerentur, si peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura: ac per hoc si & in parentibus & in filiis fœcunditas felicitásque mansisset, vsque ad certum sanctorum numerum, quẽ prędestinauit Deus, nascerentur homines non parentibus succeſſuri morientibus, sed cum viuẽtibus regnaturi. Essent ergo etiam istæ cognationes atque affinitates, si nullus delinqueret, nullúsq; moreretur. Item alio loco, Ad vnum Deum tendentes, inquam, & ei Cap. 55. vni religantes animas nostras, vnde religio dicta creditur, omni superstitione careamus. In his verbis meis ratio quæ reddita est, vnde sit dicta religio, plus mihi placuit. Nam non me fugit aliam nominis huius originem exposuisse Latini sermonis auctores, quod inde sit appellata religio, quod religitur: quod verbum compositum est à legendo, id est eligendo, vt ita Latinum videatur religo, sicut eligo. Hic liber sic incipit: Cum omnis vitæ bonæ.

Religionem Christianam apud antiquos fuisse. Actor. 11. d. 26. Discipuli Christiani vbi primum appellati.

IAM verò apud Hipponem Regium presbyter scripsi librum De vtilitate credendi, ad amicum meum quem deceptum à Manichæis, adhuc eo errore noueram detineri, & irridere in catholicæ fidei disciplina, quod iuberentur homines credere, nõ autẽ quid esset verũ certissima ratione docerentur. In hoc libro dixi, Cap. 3. In quibus tamen legis præceptis atq; mãdatis, quibus Exo. 20. nunc

CAPVT XIIII. *De vtilitate credendi ad Honoratum.*

nunc Christianos vti fas non est, quale vel sabbatum
Gen.17.* est vel circuncisio vel sacrificia, & si quid huiusmodi
est, tanta mysteria continentur, vt omnis pius intelligat, nihil esse pernicioſius, quam quicquid ibi est, accipi ad literam, id est ad verbū: nihil autem salubrius,
2 Cor.3.b.6 quam spiritu reuelari. Inde est: Litera occidit, spiritus autem viuificat. Sed aliter exposui verba ipsa Apostoli Pauli, & quantum mihi videtur, vel potius ipsis rebus apparet, multo conuenientius in eo libro qui inscribitur De spiritu & litera: quamuis non sit & iste
Cap.11. sensus respuendus. Item dixi: Duæ sunt enim personæ in religione laudabiles. Vna eorū qui iam inuenerunt, quos etiam beatissimos iudicare necesse est. Alia eorū qui studiosissime & rectissime inquirunt. Primi ergo sunt iam in ipsa possessione, alteri in via, qua tamē certissime peruenitur. In his verbis meis, si illi qui iam inuenerunt, quos in ipsa possessione esse iam diximus, sic accipiantur beatissimi, vt non in hac vita, sed in ea quam speramus, & ad quam per fidei viam tendimus sint, non habet iste sensus errorem: ipsi enim iudicandi sunt quod quærēdum est inuenisse, qui iam ibi sunt quò nos quærendo & credendo, id est viam fidei tenēdo cupimus peruenire. Si autem in hac vita putantur isti esse vel fuisse, id verum esse non mihi videtur: non quia in hac vita nihil veri omnino inueniri potest quod mente cernatur, non fide credatur: sed quia tantum est quicquid est, vt non faciat beatissimos. Ne-
1.Cor.13. d.12. que enim quod ait Apostolus: Videmus nunc per speculum in ænigmate, & nunc cernitur ex parte, non cernitur mente? cernitur plane, sed beatissimos nondum facit. Illud enim beatissimos facit quod ait: Tūc autem facie ad faciem, & tunc cognoscam sicut & cognitus sum. Qui hoc inuenerunt, ipsi dicendi sunt in beatitudinis possessione consistere, ad quam ducit via fidei quam tenemus, & quò credendo cupimus peruenire. Sed quinam sint illi beatissimi qui iam sunt in ea possessione quò ducit hæc via, magna quæstio est. Et angeli quidem sancti quod ibi sint, nulla magna quæstio est. Sed de sanctis hominibus iam defunctis, vtrum ipsi saltem dicendi sint iam in illa possessione consistere merito quæritur. Iam enim corpore quidem corruptibili, quo anima aggrauatur, exuti sunt, sed adhuc expectant etiam ipsi redemptionem corporis sui, & caro eorum requiescit in spe, nondum in futura incorruptione clarescit. Sed vtrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est, facie ad faciem, nihil ex hoc minus habeant, nō hic locus est disputando inquirere. Item quod dixi, Nam scire magna & honesta vel etiam diuina, beatissimum est: ad eandem beatitudinem referre debemus. In hac enim vita quantumcunq; id sciatur, nondum est beatissimum: quoniam incomparabiliter longe est amplius quod inde nescitur. Et quod dixi: Multum interesse vtrum aliquid mētis certa ratione teneatur, quod scire dicimus: an famæ vel literis credendum posteris vtiliter commendetur. Et paulò pòst: Quod scimus igitur, debemus rationi: quod credimus, auctoritati: non sic accipiendum est, vt in sermone vsitatiore vereamur nos dicere scire, quod idoneis testibus credimus. Proprie quippe cum loquimur, id solum scire dicimur, quod mentis firma ratione comprehēdimus. Cum verò loquimur verbis consuetudini aptioribus, sicut loquitur etiam diuina scriptura, non dubitemus dicere scire nos, & quod percipimus nostri corporis sensibus, & quod fide dignis credimus testibus, dum tamen inter hæc & illud quid distet intelligamus. I-
Cap.12. & 15. tem quod dixi: Nemini dubium est, omnes homines aut stultos esse aut sapientes: potest videri esse contrarium illi quod legitur in lib.3. De libero arbitrio, quasi vero natura humana præter stultitiam & sapientiam
Cap.14. nullam mediam recipiat affectionem. Sed illud ibi dictum est vbi de primo homine quærebatur, vtrum sapiens fuerit factus, an stultus, an neutrum: quoniā nullo modo stultum dicere poteramus qui sine vitio factus est, cum sit stultitia magnum vitium: & sapiētem quomodo diceremus qui potuit seduci, nō satis apparebat. Ideóque ad compendiū dicere volui, quasi vero natura humana præter stultitiam & sapiētiam nullam mediam recipiat affectionem. Intuebar quippe paruulos, quos licet confiteamur trahere originale peccatū, tamen nec sapientes nec stultos possumus proprie dicere, nondum vtentes libero arbitrio, seu bene seu male. Nunc autē sapientes aut stultos esse omnes homines dixi, eos volens intelligi qui iam ratione vtuntur, qua discernūtur à pecoribus, vt homines sint, sicut dicimus, beatos esse omnes homines velle. Nūquid enim in hac sententia tam vera atq; manifesta metuimus ne intelligantur & paruuli, qui hoc adhuc velle non possunt? Alio loco cum miracula commemoras- Cap. 16.
sem, quæ Dominus Iesus fecit cum hic esset in carne: Miracula cur fiant.
adiunxi, dicens: Cur, inquietis, ista modo non fiūt? Atque respondi, quia non mouerent nisi mira essent: si autem solita essent, mira non essent. Hoc autem dixi, quia non tanta nec omnia modo, non quia nulla fiunt etiam modo. In fine autem libri. Sed quoniam sermo Cap.18.
iste noster, inquam, multo processit longius quam putabam, hic finē libro faciamus, in quo memineris volo, nondum Manichæos me cœpisse refellere, & illas nugas nondum inuasisse, neque de ipsa catholica magnum aliquid aperuisse: sed voluisse tantum modo eruere tibi si possem falsam opinionem, de veris Christianis malitioſe aut imperitè vobis insinuatam, & erigere ad magna quædam & diuina discēda. Quare hoc volumen ita sese habeat, placatiore autem animo tuo facto, ero fortassis in cæteris promptior. Hæc non ita dixi, quasi nihil aduersus Manichæos adhuc scripsissem, vel nihil de doctrina catholica mandassem literis, cum tot superius edita volumina de vtraq; re non me testentur tacuisse: sed in hoc libro ad illum scripto nondum Manichæos refellere cœperam, & illas nugas nondum inuaseram, neque de ipsa catholica magnum aliquid aperueram: quoniam sperabam hoc initio facto, ad eum ipsum me scripturum fuisse, quæ hic nondum scripseram. Hic liber sic incipit: Si mihi Honorate.

Sanctos defunctos expectare redemptionem corporis sui. Sap.9.c. Rom.8.d. Psal.15.

Cap.11.

CAPVT XV. Contra Manichæos De duabus animabus.

POST hunc librum scripsi adhuc presbyter contra Manichæos De duabus animabus, quarum dicunt vnam partem Dei esse, alteram de gente tenebrarum, quam non condiderit Deus, & quę sit Deo coæterna: & has ambas animas, vnam bonā, alteram malam, in vno homine esse delirāt. Istam scilicet malā, propriam carnis esse dicentes, quam carnem etiam dicunt gentis esse tenebrarum. Illam verò bonam, ex aduentitia Dei parte, quæ cum tenebrarū gente conflixerit, atq; vtranq; miscuerit, & omnia quidem bona hominis illi bonæ animæ, omnia vero mala illi malæ animæ tribuunt. In hoc libro illud quod dixi, Nullam esse qua- Cap.17.
lemcunque vitam, quæ non eo ipso quo vita est, & in quantum omnino vita est, ad summum vitæ fontem principiumq; pertineat: ita dixi, vt tanquā creatura ad creatorē pertinere intelligatur, non autem de illo esse tanquam pars eius existimetur. Item quod dixi: Nus- Cap.10. 2.sent.dist. 41.ca.illud etiam.
quam scilicet, nisi in volūtate esse peccatum, possunt Pelagiani pro se dictū putare, propter paruulos, quos ideo negāt habere peccatum, quod eis in baptismate remittatur, quia nondum arbitrio voluntatis vtuntur. Quasi vero peccatum quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est reatu eius implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, vsquam esse potuerit nisi in voluntate, qua voluntate commissum est, quādo diuini præcepti est facta transgressio. Potest etiam putari falsa esse ista sententia, qua diximus, Nusquam nisi in

Rom.7.c.16 nisi in voluntate esse peccatum, quia dixit Apostolus: A Si autem quod nolo, hoc facio, iam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Hoc enim peccatum vsque adeo non est in voluntate, vt dicat: Quod nolo, hoc facio. Quomodo ergo nusquam est nisi in volũtate peccatum? Sed hoc peccatum de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est: quandoquidẽ hoc de concupiscentia carnis dicitur, quod aperit in consequentibus dicens, Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonũ: velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non. Perfectio quippe boni est, vt nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine, cui quidem quando bene viuitur, non consentit volũtas: veruntamen non perficit bonum, quia inest adhuc concupiscentia cui repugnat voluntas, cuius cõcupiscẽtię reatus in baptismate soluitur, sed infirmitas manet, cui donec sanetur, omnis fidelis qui bene proficit studiosissime reluctatur. Peccatum autem quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipue intelligendum est, quod iusta damnatio cõsecuta est. Hoc enim per vnum hominem introiuit in mundũ: quanquam & hoc peccatũ quo consentitur peccati concupiscentiæ, non nisi voluntate committitur. Propter hoc & alio loco dixi, Non igitur nisi volũtate peccatur. Itémque alio loco ipsam voluntatem definiui dicens: Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum vel adipiscendum. Quod propterea dictum est, vt hac definitione volens à nolente discerneretur, & sic ad illos referretur intentio, qui primi in paradiso fuerũt humano generi origo mali, nullo cogente peccando, hoc est libera voluntate peccando, quia & scientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator suasit vt hoc fieret, nõ coëgit. Nam & qui nesciens peccauit, non incongruenter nolẽs peccasse dici potest, quamuis & ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine volũtate pec C catũ. Quæ voluntas vtiq; sicut definita est, animi motus fuit, nullo cogente, ad aliquid vel non amittendũ, vel adipiscendum. Quod enim nisi voluisset, non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit, ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccauit, nesciens peccatum esse quod fecit: ita nec tale peccatũ sine volũtate esse potuit, sed voluntate facti, nõ volũtate peccati. Quod tamẽ factum peccatum fuit: hoc enim factũ est quod fieri non debuit. Quisquis autem sciens peccat, si potest cogenti ad peccatum sine peccato resistere, nec tamen facit, vtique volens peccat: quoniam qui potest resistere, non cogitur cedere. Qui vero cogenti cupiditati bona voluntate resistere nõ potest, & ideo facit contra præcepta iustitiæ, iam hoc ita peccatũ est, vt sit etiam pœna peccati. Quapropter peccatum sine vo-
Cap.11. 15.q.1.ca.1 2.sen.di.35 cap.1. Peccatũ quid luntate esse non posse verissimum est. Itémq; definitio peccati qua diximus, Peccatum est voluntas retinendi vel cõsequendi quod iustitia vetat, & vnde li- D berum est abstinere: Propterea vera est, quia id definitum est quod tantummodo peccatum est, nõ quod est etiam pœna peccati: nam quando tale est vt idẽ sit & pœna peccati, quantũ est quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi fortè si pia est vt oret auxilium: Intantum enim libera est: quia intãtum liberata est, & intantum appellatur voluntas. Alioquin tutius cupiditas, quam voluntas propriè nuncupãda est: quæ non est, sicut Manichæi desipiunt, alienę naturæ additamentum, sed nostræ vitium, à quo non sanamur nisi gratia saluatoris. Quod si quisquam dicit, etiã ipsam cupiditatem nihil aliud esse quam voluntatẽ, sed vitiosam peccatóq; seruientẽ, non resistendum est: nec de verbis, cum res cõstat, controuersia faciẽda est. Sic enim ostenditur, sine voluntate nullũ esse peccatum
Cap.12. siue in opere siue in origine. Rursus in eo quod dixi, Iam quærere cœperam: vtrum illud malum genus animarum antequam bono miscereturr, habuisset aliquam voluntatem. Si enim non habebat, sine peccato atq; innocens erat, & ideo nullo modo malũ. Cur igitur, inquiunt, peccatum dicitis paruulorum, quorum voluntatem non tenetis ream? Respondetur, non eos proprietate voluntatis, sed origine reos teneri. Omnis enim homo terrenus quid est origine, nisi Adã? Porrò Rom.5.c.12 autem Adam habebat vtiq; voluntatem, qua voluntate cum peccasset, peccatum per eũ intrauit in mundum. Itémq; in eo quod dixi, Natura esse malę animæ nullo modo queũt. Si quæritur quomodo accipiamus quod ait Apostolus: Fuimus & nos natura filij iræ sic- Eph.2.c. ut & cæteri, respondemus, naturam in his verbis meis me intelligi voluisse illam quę propriè natura dicitur, in qua sine vitio creati sumus. Nam ista propter originem natura appellatur, quæ origo vtiq; habet vitium quod est cõtra naturam. Et iterum in eo quod dictum est, Peccati reum teneri quẽquam, quia nõ fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis & insaniæ est. Cur ergo, inquiunt, paruuli tenentur rei? Respondetur, quia ex eius origine tenentur, qui non fecit quod facere potuit, diuinum scilicet seruare mandatum. Quod autem dixi, Illæ animæ quicquid faciunt, si natura non voluntate faciunt, id est si libero & ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus: propterea non perturbat de paruulis quæstio, quia ex illius origine rei tenentur, qui voluntate peccauit, quãdo libero & ad faciendum, & non ad faciendum, motu animi non carebat, eíque ab opere malo abstinendi summa potestas erat. Quod Manichæi de tenebrarũ gente non dicunt, quam fabulosissimè inducũt, eámque naturam semper malam, nunquam bonam fuisse contendũt. Illud autem quæri potest quomodo dixe- Cap.13. rim, Etiam si sunt animæ, quod interim incertum est, corporeis officiis, non peccato, sed natura deditę, nósque quanquam sint inferiores, aliqua tamen interiore vicinitate contingunt, non illas ideo malas haberi oportere: quia nos cum eas sequimur & corporea diligimus, mali sumus: quandoquidem de illis hoc dixi, de quibus superius loqui cœperam, dicens, Quãquam etiamsi eisdem concedatur inferiore alio genere animarum nos illici ad turpia: non inde conficiunt, aut illas natura malas esse, aut istas summum bonum. De his enim disputationem vsque ad hunc locum perduxi, vbi dixi, Etiamsi sunt animæ, quod interim incertum est, corporeis officiis, non peccato, sed naturæ deditæ, &c. Quæri ergo potest, cur dixerim, quod interim incertum est, cum prorsus dubitare non debuerim, non esse tales animas. Sed hoc ideo dixi, quia expertus sum qui dicerent diabolum & angelos eius bonos esse in genere suo, & in ea natura in qua eos creauit Deus ordine proprio tales quales sunt: sed nobis malum esse, si illiciamur & seducamur ab eis, si autem caueamus eos atque vincamus, decorum atque glorioſum. Et hoc qui dicunt, videntur sibi vt id probent, de scripturis adhibere idonea testimonia: Vel illud quod scriptum est in libro Iob, cum diabolus describeretur: Hoc est initium figmenti Domi- Iob 40.c.14 ni quod fecit ad illudendum ab angelis suis. Vel illud in Psal. CIII. Draco hic quem finxisti ad illuden- Psal.103. d.28. dum ei. Quam quæstionem quæ non aduersus Manichæos qui hoc non sentiunt, sed aduersus alios qui hoc sentiunt, suscipienda esset atque soluenda, pertractare atque enodare tunc nolui, ne librum multò quam vellem facerem longiorem: cum viderem etiam si hoc concederetur, tamen debere Manichæos ac posse conuinci, introducentes insaniſſimo errore, naturam mali æterno bono coæternam.

Paruuli rei tenentur non voluntate sed origine.

2.sent.dist. 28.cap.similiter.

2.sent dist. 27.cap.si igitur.

Ideo

Non nisi voluntate peccatur.

15.q.1.ca.1 Voluntas quid.

Ideo ergo dixi, quod interim incertum est non quod ego inde dubitarem, sed quod inter me & illos quos ita sapere inueneram, nondum esset ista quęstio dissoluta, quam tamen in aliis longe posterioribus libris meis, De Genesi ad literam, secundum scripturas sanctas quanta potui manifestatione dissolui. Alio loco, Propterea, inquam, corporea diligẽdo peccamus, quia spiritalia diligere & iustitia iubemur, & natura possumus, & tunc in nostro genere optimi & beatissimi sumus. Vbi quæri potest, cur natura, & non gratia possumus dixerim. Sed contra Manichæos de natura quæstio versabatur. Et vtique id agit gratia, vt sanata natura quod vitiata non potest, possit per eum qui venit
Mat. 18. b. 11. quærere & saluum facere quod perierat. Quã tamen gratiam etiam tunc recolens oraui pro familiarissimis meis qui mortifero illo adhuc tenebantur errore, & dixi, Deus magne, Deus omnipotens, Deus summæ bonitatis, quem inuiolabilem & incorruptibilẽ credi atque intelligi fas est, trina vnitas, quam catholica ecclesia colit, supplex oro expertus in me misericordiam tuam, ne homines cum quibus mihi à pueritia in hominum victu fuit summa consensio, in tuo cultu à me dissentire permittas. Sic vtique orans, iam fide retinebam, non solum conuersos ad Deum gratia eius adiuuari, vt proficiant ac perficiantur, vbi adhuc dici potest, pro merito conuersionis illorum istam dari gratiam, verumetiam vt conuertantur ad Deum, ad ipsam Dei gratiam pertinere: quando quidem pro eis oraui qui erant ab illo nimis auersi, atque vt ad illam conuerterentur oraui. Hic liber sic incipit: Opitulãte Dei misericordia.

CAPVT XVI. *Acta contra Fortunatum Manichæum*

EODEM tempore presbyterij mei, contra Fortunatum quendam Manichęorum presbyterum disputaui, qui plurimum temporis apud Hipponem vixerat, seduxerátque tam multos, vt propter illos ibi eum delectaret habitare. Quæ disputatio nobis altercantibus excepta est à notariis veluti gesta conficerẽtur, nam & diem habet, & consulem. Hanc in librum memoriæ mandandam conferre curauimus. Versatur
Malum vnde ortum. ibi quæstio, vnde sit malum. Me asserente exortum fuisse hominis malum ex libero volũtatis arbitrio. Illo autem naturam mali Deo coæternam persuadere moliente: sed consequenti die tandem confessus est nihil se aduersus nos inuenire quod diceret. Nec sanè
Disput. 1. catholicus factus est, sed tamen ab Hippone discessit. In hoc libro illud quod dixi, Animam dico esse factã à Deo, vt cætera omnia quæ à Deo facta sunt: sed inter illa quæ Deus omnipotens fecit, principalem locum datum esse animæ: ita dixi, vt hoc generaliter de vniuersa creatura rationali accipi vellem, quamuis in scripturis sanctis animas dictas esse angelorum, aut nõ omnino, aut non possit facile reperiri, sicut suprà iam
Disp. 2. diximus. Item alio loco: Ego dico, inquam, peccatum non esse, si non propria voluntate peccetur: vbi peccatum illud intelligi volui, quod non est etiam pœna
Disp. 1. Disp. 2. peccati. Nam de tali pœna dixi alibi in eadem disputatione, quod dicendum fuit. Itémque dixi, Vt postea eadem ipsa caro quæ nos pœnis torsit in peccatis manentes subiiciatur nobis in resurrectione, & nulla aduersitate nos quatiat, quominus legem & præcepta diuina seruemus. Quod non ita est accipiendum, tanquam & in illo Dei regno, vbi incorruptibile atq; immortale corpus habebimus, de scripturis diuinis lex & præcepta sumenda sint: sed quia perfectissimè ibi lex æterna seruabitur, & illa duo præcepta de diligẽdo Deo & proximo, non in lectione, sed in ipsa perfecta
Mat. 22. d. 39. & sempiterna dilectione tenebimus. Hoc opus sic incipit: Quinto cal. Septemb.

CAPVT XVII. *De fide & symbolo.*

PER idem tempus coram Episcopis hoc mihi iubẽtibus, qui plenarium totius Aphricæ conciliũ Hipponе regio agebant, de fide & symbolo presbyter dis-
al. habebãt

A putaui. Quam disputationem, nonnullis eorum qui nos familiarius diligebant studiosissime instãtibus, in librum contuli, in quo de rebus ipsis ita differitur, vt tamen non fiat verborum illa contextio, quæ tenenda memoriter competentibus traditur. In hoc libro cum de resurrectione carnis ageretur: Resurget, inquã, cor- *Cap. 18.*
pus secundum Christianam fidem, quæ fallere nõ potest. Quod cui videtur incredibile, qualis sit nũc caro attendit, qualis autem futura sit non considerat: quia illo tempore immutationis Angelicæ, non iam caro erit & sanguis, sed tantum corpus, & cætera quę ibi de corporum terrestrium in corpora cœlestia mutatione differui, quoniam dixit Apostolus cum inde loqueretur, Caro & sanguis regnum Dei non possidebũt. Sed *1. Cor. 15. f. 50.*
quisquis ea sic accipit, vt existimet ita corpus terrenum quale nunc habemus, in corpus cœleste resurrectione mutari, vt nec membra ista, nec carnis sit futura substantia: proculdubio corrigendus est, com-
B monitus de corpore Domini, qui post resurrectionem in eisdem membris non solum conspiciendus oculis, verumetiam manibus tangendus apparuit, carnémque se habere etiam sermone firmauit, dicens: Palpa- *Luc. 24.*
te & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, *f. 39.*
sicut me videtis habere. Vnde cõstat, Apostolum non carnis substantiam negasse in regno Dei futuram, sed aut homines qui secundum carnem viuunt, carnis & sanguinis nomine nuncupasse, aut ipsam carnis corruptionem, quæ tunc vtique nulla erit. Nam cum di- *1. Cor. 15.*
xisset, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: *f. 50.*
bene intelligitur tanquam exponendo quid dixerit, continuò subdidisse: Neque corruptio incorruptionem possidebit. De qua re ad persuadendum infidelibus difficili, diligenter quantum potui me disseruisse reperiet quisquis De ciuitate Dei librum lege- *Ca. 5. & 21*
rit nouissimum. Hoc opus sic incipit: Quoniam scriptum est.

C CVM de Genesi duos libros contra Manichæos condidissem, quoniam secũdum allegoricam expositionem scripturæ verba tractaueram, nõ ausus naturalium rerum tãta secreta ad literam exponere, hoc est quemadmodum possent secundum historicã proprietatem quæ ibi dicta sunt accipi: volui experiri in hoc quoq; negotiosissimo ac difficillimo opere quid valerem, sed in scripturis exponẽdis tyrociniũ meum sub tanta sarcinæ mole succubuit. Et nondum perfecto vno libro, ab eo quem sustinere non poteram labore conquieui. Sed in hoc opere cum mea opuscula retractarem, iste ipse vt erat imperfectus venit in manus, quem neque edideram, & abolere decreueram, quoniam scripsi postea XII. libros, quorum titulus est De Genesi ad literam. In quibus quamuis multa quæsita potius quam inuenta videantur, tamen eis iste nullo modo est comparandus. Verum & hunc postea quam retractaui, manere volui: vt esset index,
D quantum existimo, non inutilis, rudimentorum meorum in enucleandis atque scrutandis diuinis eloquiis, eiúsque titulum esse volui, De Genesi ad literam imperfectus. Inueni quippe eum vsque ad hæc verba dictatum: Pater tantum pater est, nec filius aliud est quã *Cap. 16.*
filius: quia & cum dicitur similitudo patris, quãquam ostendat nullam interuenire dissimilitudinem, nõ tamen solus est pater, si habet similitudinem. Post hæc repetiui verba scripturæ rursus consideranda atq; tractanda. Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imagi- *Gen. 1. 26*
nem & similitudinem nostram. Hucusque dictatum librum imperfectum reliqueram. Quod autem ibi sequitur, addendum putaui cum eum retractarem: nec sic tamen perfeci, sed hoc quoque addito imperfectum reliqui. Si enim perfecissem, saltem de omnibus operibus & verbis Dei, quæ ad sextum diem pertinent, disputassem. In hoc libro ea notare quæ

CAPVT XVIII. *De Genesi ad literam imperfectus.*

mihi

mihi displicent, vel defendere quæ aliis non bene intellecta displicere possunt, superfluũ mihi visum est. Breuiter enim potius admoneo, vt illi duodecim libri legantur, quos longe postea Episcopus feci, & ex ipsis de isto iudicetur. Hic liber sic incipit: De obscuris naturalium rerum.

CAPVT XIX. *De ser. Domini in monte Mat. 5. a. 9.*

PER idem tempus De sermone Domini in monte secundum Matthæum, duo volumina scripsi. In quorum primo propter id quod scriptum est: Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur: Sapientia, inquam, congruit pacificis, in quibus iam ordinata sunt omnia, nullúsque motus aduersus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum & ipse obtemperet Deo. Quod meritò mouet quomodo dixerim. Non enim cuiquam prouenire in hac vita potest, vt lex repugnans legi mentis omnino non sit in membris. Quandoquidem etiam si ei sic resisteret spiritus hominis, vt in nullum eius laberetur assensum: non ideo tamen illa non repugnaret. Hoc ergo quod dictum est, Nullum esse motum aduersus rationem rebellem: rectè accipi potest id nunc agentibus pacificis, domando concupiscentias carnis, vt ad

Lib. 1. al. peruenia-tur. Mat. 5. a. 9.

istam pacem plenissimam quandoque †veniatur. Proinde quod alio loco cum eandem sententiam Euãgelicam repetens dixissem: Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur: adiunxi dicens, Et ista quidem in hac vita compleri possunt, sicut completa esse in Apostolis credimus: sic accipiendum est, nõ vt in Apostolis hic viuentibus nullum carnis motum arbitremur spiritui repugnasse, sed hactenus hîc ista posse cõpleri, quatenus in Apostolis credimus esse completa, ea mẽsura scilicet perfectionis humanæ, quanta in hac vita potest esse perfectio. Non enim dictum est, ista in hac vita compleri possunt: nam completa esse in Apostolis credimus: sed dictum est, sicut completa esse in Apostolis credimus, vt ita compleantur sicut in illis cõpleta sunt: id est quadam perfectione, cuius capax est ista vita, non sicut complenda sunt in illa quam speramus

1. Cor. 15. g. 55. Ioan. 3. d. 34

pace plenissima, quando dicetur: Vbi est mors contentio tua? Alio loco quod interposui testimonium, Non enim ad mensuram dat Deus spiritum, nondum intellexeram de Christo propriè verius accipi. Aliis quippe hominibus nisi ad mensuram daretur spiritus, non duplum peteret Helisæus quam fuit in Helia. Itẽ quod

Mat. 5. c. 18

scriptum est: Iota vnum aut vnus apex non transiet à lege donec omnia fiant, cum exponerem, nihil dixi posse aliud intelligi, nisi vehemẽtem perfectionis expressionem. Vbi merito quæritur, vtrum ista perfectio sic possit intelligi, vt tamen verum sit, neminem iam vtentem voluntatis arbitrio hic viuere sine peccato. A quo enim vsque ad vnum apicem lex perfici potest, nisi à quo fiunt vniuersa diuina mandata? Sed in eisdẽ

Mat. 6. b. 12

mandatis est etiam quod iubemur dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quam orationem vsque ad finem seculi tota dicit Ecclesia. Omnia ergo mandata facta deputantur, quando quicquid nõ fit ignoscitur. Sanè quod

Mat. 5. c. 19

ait Dominus, Quicunque soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic, &c. vsque ad eum locum vbi ait, Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum: multo melius & conuenientius exposui in aliis posterioribus sermonibus meis, quod etiã hic retexere longum est. Ad hoc autem iste ibi perducitur sensus, vt eorum sit iustitia maior quam scribarum & Pharisæorum, qui dicunt & non faciunt. De scribis quippe & Pharisæis alio loco ipse Dominus ait, Dicũt

Mat. 23. a. 3

enim & non faciunt. Illud etiam melius intelleximus postea quod scriptum est, Qui irascitur fratri suo. Codices enim Græci non habent sine causa, sicut hic positum est: quamuis idem ipse sit sensus. Illud enim diximus intuendum, quid fit irasci fratri suo, quoniam non fratri irascitur qui peccato fratris irascitur. Qui ergo fratri, non peccato irascitur, sine causa irascitur. Item quod dixi, Hoc & de patre & de matre & de cæteris vinculis sanguinis intelligendum est, vt in eis oderimus quod genus humanum nascendo & moriendo sortitum est: ita sonat, quasi non essent futuræ istæ necessitudines, si nullo naturæ humanæ præcedente peccato nemo moreretur. Quem sensum iam superius improbaui. Essent enim profectò cognationes & affinitates, etiam si originali nullo existente peccato, sine morte crescerent & multiplicaretur genus humanum. Ac per hoc aliter soluenda est quæstio, cur Dominus præceperit diligendos inimicos, cum alio loco

Irasci fratri suo quod. Mat. 5. a. 22

Luc. 14. f. 26.

præcipiat odio habendos & parentes & filios, nõ sicut hic soluta est, sed sicut eam posterius sæpe soluimus: id est vt diligamus inimicos lucrandos regno Dei, & oderimus in propinquis, si impediunt à regno Dei. Item de præcepto quo prohibetur vxor dimitti, nisi propter fornicationem: hic quidem scrupulosissimè disputaui. Sed quam velit Dominus intelligi fornicationem propter quam liceat dimittere vxorem, vtrum eam quæ

Psal. 72. d. 26.

damnatur in stupris, an illam de qua dicitur: Perdidisti omnem qui fornicatur abs te, in qua vtique & ista est: neque enim non fornicatur à Domino, qui tollẽs mẽbra Christi, facit ea membra meretricis: etiam atque

1. Cor. 6. d. 15.

etiam cogitandum est atque requirendum. Nec volo in re tanta támque ad dignoscendum difficili putare lectorem istam sibi nostram disputationẽ debere sufficere: sed legat & alia, siue nostra quæ postea scripta sunt, siue aliorum melius considerata atque tractata: vel ipse, si potest, ea quæ hic merito mouere possunt, vigilantiore atque intelligentiore mente discutiat. Nõ quia omne peccatum fornicatio est, neque enim omnem peccantem Deus perdit, qui quotidie sanctos suos exaudit, dicentes: Dimitte nobis debita nostra: cũ

Mat. 6. b. 12

perdat omnem qui fornicatur ab eo. Sed quatenus intelligenda atque †limitãda sit hęc fornicatio, & vtrum

al. elimãda

etiam propter hanc liceat dimittere vxorem, latebrosissima quæstio est. Licere tamen propter istam quę in stupris committitur, nulla quæstio est. Et vbi dixi, hoc permissum esse, non iussum, non attendi aliam scripturam, dicentem: Qui tenet adulterã, stultus & impius est. Nec sanè adulteram dixerim fuisse deputandam illam mulierem etiam posteaquã audiuit à Domino. Nec ego te damnabo, vade deinceps iam noli peccare: si hoc obediẽter audiuit. Loco alio peccatum

Prouer. 18. d. 23.

Ioan. 8. a. 11

fratris ad mortem, de quo dicit Ioannes apostolus: Nõ pro illo dico vt roget quis: ita definiui vt dicerem, Peccatum fratris ad mortem puto esse cum post agnitionem Dei per gratiã Domini nostri Iesu Christi quisq; oppugnat fraternitatem, & aduersus ipsam gratiã qua reconciliatus est Deo, inuidentiæ facibus agitatur. Quod quidem non confirmaui, quoniam hoc putare me dixi: sed tamen addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis peruersitate finierit hanc vitam: quoniam de quocunque pessimo in hac vita constituto non est vtique desperandum, nec pro illo imprudẽter oratur, de quo non desperatur. In 11. item libro: Nulli, inquã, licebit ignorare Dei regnum, cum eius vnigenitus nõ solum intelligibiliter, sed etiam visibiliter in homine Dominico de cælo venerit, iudicaturus viuos & mortuos. Sed non video vtrum rectè dicatur homo Dominicus, qui est mediator Dei & hominum, homo Chri-

1. Ioan. 5. d. 16.

Peccatum ad mortem quod esit.

1. Tim. 2. b. 5.

stus Iesus, cum sit vtiq; Dominus: Dominicus autem homo quis in eius sancta familia non potest dici: Et hoc quidem vt dicerem, apud quosdam legi tractatores catholicos diuinorum eloquiorum. Sed vbicũque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe vidi nõ esse

Lib. 2.

dicendum, quamuis nonnulla possit ratione defendi. Item quod dixi, Nullius enim ferè conscientia Deum

potest

poteſt odiſſe: video non fuiſſe dicendum. Multi enim
Pſ.73.d.24. ſunt de quibus ſcriptum eſt: Superbia eorum qui ode-
Mat.6.d.34 runt te. Alio loco in eo quod dixi, ob hoc dixiſſe Dominum, Sufficit diei malitia ſua: quia cibos ſumere vrgebit ipſa neceſſitas, quam propterea malitiam nominatam arbitror, quia pœnalis nobis eſt, pertinet enim ad hanc fragilitatem quam peccando meruimus: non attendi etiam primis hominibus data fuiſſe in paradiſo corporis alimenta, antequam iſtam mortis pœnam peccando meruiſſent. Sic enim erant immortales in corpore nondum ſpiritali, ſed animali, vt tamen in eiuſmodi immortalitate corporalibus alimẽtis vterentur. Item quod dixi, Quam ſibi Deus elegit glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam neq; rugam, non ideo dixi, quia nũc ex omni parte iam talis eſt, quamuis ad hoc electa nõ dubitetur, vt talis ſit quãdo Chriſtus apparuerit vita eius, tunc enim & ipſa cũ illo apparebit in gloria. Propter quam gloriam dicta eſt Eccleſia glorioſa. Item quod Dominus ait, Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis: operosè quidem tria iſta quid inter ſe differant exponendũ putaui, ſed longe melius ad inſtantiſſimam petitionem omnia referuntur. Hoc quippe oſtendit, vbi eodem verbo cuncta concluſit, dicẽs: Quãto magis pater veſter qui in cælis eſt dabit bona petentibus ſe? Non enim dixit, petentibus & quærentibus & pulſantibus. Hoc opus ſic incipit: Sermonem quem locutus eſt Dominus.

Eph.5.f.27

Col.3.a.4.

Mat.7.b.7.

CAP. XX. *Pſalmus cõtra partem Donati.*

VOLENS etiam cauſam Donatiſtarum ad ipſius humillimi vulgi & omnino imperitorum atque idiotarum notitiam peruenire, & eorum quantũ fieri poſſet per nos inhærere memoriæ, Pſalmũ qui eis cantaretur, per Latinas literas feci: ſed vſque ad V literam. Tales enim abecedarios appellant. Tres verò vltimas omiſi, ſed pro eis nouiſſimum quaſi epilogum adiunxi, tanquam eos mater alloqueretur Eccleſia. Hypopſalma etiam quod reſponderetur, & procœmiũ cauſę, quod nihilominus cantaretur, non ſunt in ordine literarum. Earum quippe ordo incipit poſt procœmium. Ideo autem non aliquo carminis genere id fieri volui, ne me neceſſitas metrica ad aliqua verba quæ vulgo minus ſunt vſitata compelleret. Iſte Pſalmus ſic incipit: Omnes qui gaudetis.

CAPVT XXI. *Contra epiſtolam Donati hæretici.*

LIBRVM etiam contra epiſtolam Donati, qui partis Donati ſecundus poſt Maiorinum epiſcopus apud Carthaginem fuit, eodem presbyterij mei tẽpore ſcripſi, in qua epiſtola ille agit, vt non niſi in eius cõmunione baptiſma Chriſti eſſe credatur, cui nos contradicimus. In hoc libro dixi in quodam loco de apoſtolo Petro, quod in illo tanquam in petra fundata ſit eccleſia: qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſibus beatiſſimi Ambroſij, vbi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipſa petra eccleſia canente, culpam diluit. Sed ſcio me poſtea ſæpiſſimè ſic expoſuiſſe quod à Domino dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: vt ſuper hunc intelligeretur quem confeſſus eſt Petrus dicẽs, Tu es Chriſtus filius Dei viui: ac ſi Petrus ab hac petra appellatus perſonã eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc petram ædificatur, & accepit claues regni cælorum. Nõ enim dictum eſt illi, Tu es petra: ſed, Tu es Petrus, petra autẽ erat Chriſtus, quem confeſſus Simon ſicut eũ tota eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Harum autem duarum ſententiarum quæ ſit probabilior eligat lector. Alio loco dixi, Nullius mortem Deus quærit: quod ſic accipiendum eſt, quia homo ſibi acquiſiuit mortem deſerens Deum, & acquirit qui non recurrit ad Deum, ſecundum quod ſcriptum eſt: Deus mortem non fecit. Sed etiam illud non minus verum eſt, Vita & mors à Domino Deo eſt: vita ſcilicet à donante, mors à vindicante. Item quod dixi: Donatum cuius epiſtolam refellebam, rogaſſe vt Imperator inter ipſum & Cæcilianum tranſmarinos epiſcopos iudices daret: non ipſum, ſed alium Donatũ, eiuſdem tamen ſchiſmatis, hoc feciſſe probabilius inuenitur. Ille autem non erat Carthaginiẽſis Donatiſtarũ epiſcopus, ſed à Caſis nigris, qui tamen primus apud Carthaginem ipſum nephariũ ſchiſma commiſit. Nec ſanè Donatus Carthaginienſis vt Chriſtiani rebaptizarẽtur, inſtituit, quod ego eum inſtituiſſe credideram, quando eius epiſtolæ reſpondebam. Nec de libro Eccleſiaſtici ipſe abſtulit de media ſententia verba ad rem neceſſaria, vbi cum ſcriptũ ſit: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tãgit illum, quid proficit lauatio eius: iſte ſic poſuit tanquam ſcriptum eſſet, Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio eius? Nos autem & antequam eſſet pars Donati, ſic habuiſſe codices plurimos, veruntamen Aphros, vt non eſſet in medio, & iterũ tangit illum, poſtea didicimus. Quod ſi tunc ſciſſem, non in iſtum tanquã in furem diuini eloquij, vel violatorem tãta dixiſſem. Hic liber ſic incipit: Abs te ipſo præſente audieram.

Ecc.34. d.30.

CAPVT XXII. *Contra Adimantũ Manichæi diſcipulum.*

EODEM tempore venerunt in manus meas quædam diſputationes Adimãti, qui fuerat Manichæi diſcipulus, quas cõſcripſit aduerſus legem & prophetas, velut cõtraria eis Euangelica & Apoſtolica ſcripta demonſtrare conatus. Huic ergo reſpondi, verba eius ponens, eiſq; reddens reſpõſionem meam. Quod opus vno volumine concluſi, & in eo quibuſdam quæſtionibus non ſemel ſed iterum reſpondi, quoniam quod primum reſponderam perierat, & tunc inuentum eſt, cum iam iterum reſpondiſſem. Aliquas ſanè earũdem quæſtionum popularibus Eccleſiaſticis ſermonibus ſolui, adhuc etiã quibuſdam non reſpondi: aliquæ remanſerunt, quæ rebus aliis magis vrgentibus prætermiſſæ ſunt, cumulo quoq; obliuionis adiuncto. In hoc ergo dixi: Certis enim quibuſdã vmbris & figuris rerum ante Domini aduentum ſecundum mirabilẽ atque ordinatiſſimam diſtributionem temporũ populus ille tenebatur qui Teſtamentum vetus accepit, tamen in eo tanta prædicatio & prenunciatio Noui teſtamẽti eſt, vt nulla in Euangelica atque Apoſtolica doctrina reperiantur, quamuis ardua & diuina præcepta & promiſſa, quæ illis etiã libris veteribus deſint. Sed addendum erat penè atq; dicendum, vt penè nulla in Euangelica atq; Apoſtolica doctrina reperiãtur, quamuis ardua & diuina præcepta & promiſſa, quæ illis etiã libris veteribus deſint. Quid eſt enim quod in ſermone Euangelico in monte Dominus dicit: Audiſtis quia dictum eſt antiquis hoc, ego autem dico vobis hoc: ſi nihil ipſe amplius præcepit quam præceptũ eſt in illis veteribus libris? Deinde regnum cælorum illi populo fuiſſe promiſſum non legimus in iis quę promiſſa ſunt lege data per Moſen in monte Sina, quod proprie Vetus dicitur teſtamentum, quod præfiguratum dicit Apoſtolus per ancillam Saræ & filium eius, ſed & ibi figuratum eſt & nouum per ipſam Saram & filium eius. Proinde ſi figuræ diſcutiantur, omnia ibi prophetata reperiuntur, quæ ſunt præſentata, vel expectantur præſentanda per Chriſtum. Veruntamẽ propter quædam præcepta non figurata, ſed propria, quæ non in vetere teſtamento, ſed in nouo inueniuntur, cautius & moderatius diceretur, penè nulla, quam nulla hic eſſe quæ non ſint & illic, quamuis illic ſint illa duo præcepta de dilectione Dei & proximi, quò rectiſſimẽ omnia & legitima & prophetica & Euangelica & Apoſtolica referuntur. Item quod dixi, Tribus modis in ſcripturis ſanctis filiorum nomen accipitur: minus cõſiderate dictum eſt, & alios enim quoſdam modos ſine dubio prætermiſimus: ſicut dicitur filius gehennæ, vel filius adoptiuus: quæ vtique nec ſecundum naturam, nec ſecundum doctrinam, nec ſecundũ imitationem dicuntur. Quorũ trium modorũ tanquã ſoli ſint exempla

Mat.5.c.21

Exo.19.d.2

Gal.4.d.24

Cap.5. *Filiorum nomen in ſcripturis tribus modis accipitur.*

Matth.23. c.15. Rom.8.c.14 Io.8.d.e.37

Mat.16. d.18.

Petra Chriſtus. 1 Cor 10. d.4.

Sap.1.d.13. Eccleſ.11. b.14.

exempla reddidimus. Secundum naturam, ſicut Iudęi A
filij Abrahæ: ſecundum doctrinã, ſicut filios ſuos quos
1 Cor. 4 c. 14 Gal. 4. d. 28. Euangelium docuit Apoſtolus vocat: ſecundum imi-
tationem, ſicut filij Abrahæ nos ſumus, cuius imita-
Cap. 12. 1 Cor. 15. §. 54. mur fidem. Quod autem dixi, Cum induerit incorru-
ptionem & immortalitatem, iam non caro & ſanguis
erit: ſecundum corruptionem carnalẽ dictum eſt car-
nem non futuram, non ſecundum ſubſtantiã, ſecun-
dum quam Domini corpus etiam poſt reſurrectionẽ
Lucæ 24. f. 39. Cap. 26. caro appellata eſt. Alio loco, Niſi quiſq;, inquam, vo-
luntatem mutauerit, bonum operari nõ poteſt, quod
in noſtra poteſtate eſſe poſitum alio loco Dominus do
Mat. 12. c. 71 cet, vbi ait, Aut facite arborem bonam & fructũ eius
bonum, aut facite arborẽ malam & fructũ eius malũ.
Quod non eſt cõtra gratiam Dei quã prædicamus. In
poteſtate quippe hominis eſt mutare in melius volun
tatem, ſed ea poteſtas nulla eſt niſi à Deo detur, de quo
Ioan. 1. b. 12 2. ſent. diſt. 41 cap. ſi autem. 2. ſent diſt. 28. cap ſic etiam. dictum eſt: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Cum
enim hoc ſit in poteſtate quod cũ volumus facimus,
nihil tam in poteſtate quam ipſa voluntas eſt, ſed præ- B
paratur voluntas à Domino. Eo modo ergo dat pote-
ſtatem. Sic intelligendum eſt & quod dixi poſtea, In
noſtra poteſtate eſſe, vt vel inſeri bonitate Dei, vel ex-
cidi eius ſeueritate mereamur: quia in poteſtate no-
ſtra non eſt, niſi quod noſtrã ſequitur voluntatẽ. Quæ
cum fortis & potens præparatur à Domino, facile fit
opus pietatis, etiã quod difficile atq; impoſſibile fuit.
Hic liber ſic incipit: De eo quod ſcriptum eſt.

CAPVT XXIII. Expoſitio quarundam propoſitionum ex epiſtola Pauli ad Romanos.

CVM presbyter adhuc eſſem, cõtigit vt apud Car-
thaginem inter nos qui ſimul eramus, ad Roma-
nos Apoſtoli epiſtola legeretur, & quędam interroga-
bar à fratribus: quibus cum ſicut poteram reſponderẽ,
voluerunt ſcribi potius quæ dicebã, quam ſine literis
fundi. Vbi cum eis obtemperarem, liber vnus acceſſit
ſuperioribus opuſculis meis. In quo libro, Quod autẽ
Rom. 7. c. 14 ait, inquam, Scimus quia lex ſpiritalis eſt, ego autem
carnalis ſum: ſatis oſtendit, non poſſe impleri legẽ: niſi
à ſpiritalibus, quales facit gratia Dei. Quod vtiq; non
ex perſona Apoſtoli accipi volui, qui iam ſpiritalis e- C
rat: ſed hominis ſub lege poſiti, nondum ſub gratia. Sic
enim prius hæc verba ſapiebam, quæ poſtea lectis qui-
buſdam diuinorum tractatoribus eloquiorum, quorũ
me moueret auctoritas, conſideraui diligentius & vidi
Ibidem. etiam de ipſo Apoſtolo poſſe intelligi, quod ait: Sci-
mus quoniam lex ſpiritalis eſt, ego autẽ carnalis ſum.
Quod in eis libris quos contra Pelagianos nuper ſcri-
pſi, quantum potui diligenter oſtendi. In iſto ergo li-
bro & hoc quod dictum eſt, Ego autem carnalis ſum:
Ibidem. & deinde cætera vſque ad eum locum, vbi dicit: Mi-
ſer ego homo, quis mẽ liberabit de corpore mortis hu
ius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum no-
ſtrum: dixi hominem deſcribi adhuc ſub lege, non-
dum ſub gratia conſtitutum, benefacere volentem,
ſed victum concupiſcentia carnis male facientem. A
cuius concupiſcentiæ dominatu non liberat, niſi gra-
Rom. 5. a. 5. tia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum do-
no ſpiritus ſancti, per quem diffuſa charitas in cordi- D
bus noſtris vincit carnis concupiſcentias, ne conſen-
tiamus eis ad male faciendum, ſed potius bona facia-
mus. Vnde quidem iam euertitur hæreſis Pelagiana,
quæ vult, non ex Deo nobis, ſed ex nobis eſſe charita-
tem qua bene ac pie viuimus. Sed in illis libris quos
aduerſus eos edidimus, etiam ſpiritalis hominis iamq;
ſub gratia conſtituti melius intelligi verba iſta mon-
ſtrauimus, propter carnis corpus, quod ſpiritale non-
dum eſt: erit autem in reſurrectione mortuorum, &
propter ipſam carnis concupiſcentiam, cum qua ita
confligunt ſancti, non ei conſentientes ad malum, vt
tamen eius motibus quibus repugnantibus reſiſtunt,
1 Corinth. 15. §. 54. non careant in hac vita: non eos autem habebunt in
illa, vbi abſorbebitur mors in victoriam. Propter hanc

itaque concupiſcentiam motúſque ipſos quibus ita
reſiſtitur, vt tamen ſint in nobis, poteſt quiſq; ſanctus
iam ſub gratia poſitus, dicere iſta omnia quæ hic eſſe
dixi verba hominis nondum ſub gratia poſiti, ſed ſub
lege. Quod hic oſtendere longum eſt, & hoc vbi oſtẽ- Cap. 6. 1 ſent. diſt. 41. cap. opinari.
derim dictum eſt. Item diſputans quid elegerit Deus
in nondum nato, cui dixit ſeruiturum eſſe maiorem:
& quid in eodem maiore ſimiliter nõdum nato repro-
bauerit, de quibus propter hoc commemoratur, quã-
uis longe poſtea prolatum propheticũ teſtimonium:
Iacob dilexi, Eſau autem odio habui: adhoc perduxi Rom. 9. c. 13 Mal. 1. a. 3.
ratiocinationem vt dicerem, Non ergo elegit Deus o-
pera cuiuſquã in præſcientia, quæ ipſe daturus eſt: ſed
fidem elegit in præſcientia, vt quem ſibi crediturũ eſ-
ſe præſciuit, ipſum elegerit cui ſpiritũ ſanctum daret,
vt bona operando etiam vitam æternam conſequere-
tur. Nondum diligentius quæſieram, nec adhuc in-
ueneram qualis ſit electio gratiæ: de qua idem dicit A-
poſtolus, Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ Rom. 11. b. 5
ſunt, quæ vtiq; non eſt gratia ſi eam merita vlla præce-
dant, ne iam quod datur, non ſecundum gratiam, ſed
ſecundum debitum reddatur potius meritis, quam do
netur. Proinde quod continuò dixi: Dicit enim idem
Apoſtolus: Idem Deus qui operatur omnia in omni- 1 Cor. 12. a. 6 Cap. 61.
bus. Nuſquam autem dictum eſt: Deus credit omnia
in omnibus: ac deinde ſubiũxi, Quod ergo credimus,
noſtrum eſt: quod autem bonum operamur, illius eſt
qui credentibus dat ſpiritum ſanctum. Profecto nõ di-
cerem, ſi iam ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei mu-
nera reperiri, quæ dantur in eodẽ ſpiritu. Vtrunq; ergo
noſtrum eſt propter arbitriũ voluntatis, & vtrunq; ta-
men datum eſt per ſpiritum fidei & charitatis. Neque
enim ſola charitas, ſed ſicut ſcriptũ eſt, Charitas cum
fide à Deo patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto. Et Eph. 6. d. 23
quod paulo pòſt dixi, Noſtrũ eſt enim credere & vel-
le, illius autem dare credentibus & volentibus facul-
tatem bene operandi per ſpiritum ſanctum, per quem
charitas diffunditur in cordibus noſtris: verũ eſt qui-
dem, ſed eadem regula, & vtrunq; ipſius eſt, quia ipſe
præparat voluntatem: & vtrunq; noſtrum, quia nõ fit
niſi volentibus nobis. Ac per hoc quod etiam poſtea
dixi, Quia neq; vellẽ poſſumus niſi vocemur, & cum
poſt vocationem voluerimus, nõ ſufficit voluntas no-
ſtra & curſus noſter, niſi Deus & vires currẽtibus præ-
beat, & perducat quò vocat. Ac deinde ſubiunxi: Ma- Cap. 62.
niteſtum eſt ergo, non volentis neq; currentis, ſed mi- Rom. 9. d. 16
ſerentis Dei eſſe, quod bene operamur, omnino veriſ-
ſimum eſt. Sed parum de ipſa vocatione differui, quæ
fit ſecundum propoſitum Dei. Non enim omniũ qui
vocantur talis eſt, ſed tantùm electorum. Itaque quod
paulo pòſt dixi: Sicut enim in iis quos eligit Deus, non
opera ſed fides inchoat meritum, vt per munus Dei
bene operentur: ſic in iis quos damnat, infidelitas &
impietas inchoat pœnæ meritum, vt per ipſam pœ-
nam etiam male operentur: veriſſimè dixi, Sed fidei
meritum etiam ipſum eſſe donũ Dei, nec putaui quę- Rom. 9. d. 18
rendum eſſe, nec dixi. Et alio loco, Cuius enim miſe-
retur, inquam, facit eum bene operari, & quem obdu
rat, relinquit eum vt male operetur. Sed & illa miſeri-
cordia præcedenti merito fidei tribuitur: & iſta obdu-
ratio præcedenti impietati. Quod quidem verum eſt,
ſed adhuc quærẽdum erat, vtrum & meritum fidei de
miſericordia Dei veniat, id eſt vtrum iſta miſericõrdia
ideo tantummodo fiat in homine, quia fidelis eſt, an
etiam facta fuerit vt fidelis eſſet. Legimus enim dicen- 1. Ti 1. c. 13
te Apoſtolo, Miſericordiam conſecutus ſum vt fidelis 1 ſent diſt. 41. ca multi.
eſſem. Non ait, quia fidelis eram. Fideli ergo datur
quidem, ſed data eſt etiam vt eſſet fidelis. Rectiſſimè
itaque alio loco in eodem libro dixi, Quoniam ſi non Cap. 63.
ex operibus, ſed miſericordia Dei & vocamur vt cre-
damus, & credentibus præſtatur vt bene operemur,

non eſt

non est gentibus inuidẽda misericordia: quamuis minus ibi diligenter de illa quæ per Dei propositũ fit vocatione tractauerim. Hic liber sic incipit: Sensus hi sunt in epistola Pauli ad Rom.

CAPVT XXIIII. *Expositio epistolæ Pauli ad Galatas.*

POST hunc librum exposui eiusdem apostoli epistolam ad Galatas, non carptim, id est aliqua prætermittens, sed continuanter & totam. Hanc autem expositionem vno volumine comprehendi. In quo illud quod dictum est, Priores ergo apostoli veraces, qui non ab hominibus, sed à Deo per hominẽ missi sunt, per Iesum Christum scilicet adhuc mortalem. Verax etiam nouissimus apostolus, qui per Iesum Christum totum iam Deum post resurrectionem eius missus est. Propter immortalitatem dictum est, totũ iam Deum, quam post resurrectionem habere cœpit, non propter diuinitatem semper immortalem, à qua nunquã recessit, in qua totus Deus erat, & cum moriturus adhuc erat. Hunc autem sensum sequentia manifestant. Adiunxi enim dicens, Priores sunt cæteri apostoli per Iesum Christum adhuc ex parte hominem, id est mortalem. Nouissimus est apostolus Paulus per Iesum Christum iam totum Deum, id est ex omni parte immortalem. Hoc enim dixi, exponẽs quod ait Apostolus, Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum patrem: quasi iam Iesus Christus non sit homo. Sequitur enim, Qui suscitauit illum à mortuis, vt hinc appareret cur dixerit, neq; per hominem. Proinde propter immortalitatem iam nũc non homo Christus Deus: propter substantiam verò naturæ humanæ, in qua ascendit in cælum, etiã nunc mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus, quoniam sic veniet quomodo eum viderũt euntem in cẽlum. Item quod dixi, Gratia Dei est qua nobis donantur peccata vt reconciliemur Deo: pax autem qua reconciliamur Deo, sic accipiendum est, vt tamen sciamus etiam vtrunque ad generalem Dei gratiam pertinere, quomodo in populo Dei aliud specialiter Israël, aliud Iudas, & tamen vtrunque generaliter Israël. Item cum exponerem, Quid ergo lex transgressionis gratia posita est: ita distinguendum putaui, vt interrogatio esset. Quid ergo? Ac deinde responsio. Lex trãsgressionis gratia posita est. Quod quidem non abhorret à vero, sed melior mihi videtur ista distinctio, vt interrogatio sit, Quid ergo lex? & inferetur responsio, Transgressionis gratia posita est. Quod autem dixi, Ordinatissimè itaq; subiũxit, Quòd si spiritu ducimini, non adhuc estis sub lege: vt intelligamus eos esse sub lege, quorum spiritus ita concupiscit aduersus carnem, vt non ea quæ volunt faciãt, id est non se teneãt inuictos in charitate iustitiæ, sed à concupiscente aduersum se carne vincantur. Hoc ex illo sensu est, quo sentiebam id quod dictum est, Caro cõcupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non ea quæ vultis faciatis: ad eos pertinere qui sub lege sunt, nõdum sub gratia. Adhuc enim non intellexeram hæc verba, & illis qui sub gratia sunt, non sub lege, propterea cõuenire, quia & ipsi concupiscentias carnis, contra quas spiritu concupiscunt, quamuis eis non consentiant, nollẽt tamen vllas habere si possent. Et ideo non quæcunque volũt faciunt, quia volunt eis carere, nec possunt. Tũc enim eas nõ habebunt, quando nec corruptibilẽ carnẽ. Hic liber sic incipit: Causa propter quã scribit Apostolus.

Gal.1. a.1.

1.Tim.2.b.5 Act.1.b.11

Cap.1.

Cap.5.

Gal.5.c.17.

CAPVT XXV. *Expositio epistolæ ad Rom.*

EPISTOLÆ quoq; ad Romanos sicut ad Galatas expositionẽ susceperam. Sed huius operis, si perficeretur, plures libri erant futuri. Quorum vnũ in sola disputatione ipsius salutationis absolui, ab initio scilicet vsque ad illud, vbi ait: Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo. Factũ est quippe vt immoraremur cum vellemus soluere incidẽtem sermoni nostro difficillimam quæstionem de peccato in spiritum sanctum, quòd non remittatur neq; in hoc seculo neq; in futuro. Sed deinde alia volumina cessaui adiungere, exponendo epistolam totam, ipsius operis magnitudine ac labore deterritus, & in alia faciliora deflexus sum. Ita factum est, vt librum quem feceram primum, relinquerem solum, cuius esse titulum volui, Epistolæ ad Romanos inchoatæ expositio. Vbi quod dixi, Gratiam esse in dimissione peccatorũ, pacem verò in reconciliatione Dei: vbicunq; hoc dixi, non sic accipiendum est, ac si pax ipsa & reconciliatio non pertineat ad gratiam generalem, sed quod specialiter nomine gratiæ remissionem significauerit peccatorũ. Sicut legem & specialiter dicimus, secundum quod dictum est, Lex & prophetæ: & generaliter, vt in ea sint & prophetæ. Hic liber sic incipit: In epistola quam Paulus apostolus scripsit.

Mat.12. c.31.

CAPVT XXVI. *De diuersis quæstionibus.*

EST etiam inter illa quæ scripsimus quoddam prolixum opus, quod tamen vnus deputatur liber, cuius est titulus, De diuersis quæstionibus octogintatribus. Cum autem dispersæ fuissent per chartulas multas, quoniam ab ipso primo tẽpore conuersionis meæ, posteaquam in Aphricam venimus, sicut interrogabar à fratribus, quando me vacantem videbant, nulla à me seruata ordinatione dictatæ sunt, iussi eas iam episcopus colligi, & vnum ex eis librum fieri, adhibitis numeris, vt quod quisque legere voluerit, facile inueniat. Harum quæstionum est I, vtrum anima à seipsa sit. II, de libero arbitrio. III, vtrum Deo auctore sit homo deterior. IIII, quæ sit causa vt sit homo deterior. V, vtrum animal irrationale beatum esse possit. VI, de malo. VII, quę propriè in animãte anima dicatur. VIII, vtrum per se anima moueatur. IX, vtrũ corporeis sensibus percipi veritas possit. In qua illud quod dixi: Omne quod corporeus sensus attingit, quod & sensibile dicitur, sine vlla intermissione temporis commutatur. Sine dubio verum quidem non est in corporibus resurrectionis incorruptibilibus, sed nũc ea nullus nostri corporis sensus attingit, nisi fortè diuinitùs tale aliquid reueletur. X, vtrum corpus à Deo sit. XI, quare Christus de fœmina natus sit. XII, loco, vbi titulus est, Sententia cuiusdam sapientis: nõ est mea, sed quia per me innotuit quibusdam fratribus, qui tunc à me ista diligentissimè colligebant, & placuit eis, inter nostra eam scribere voluerunt. Est autem cuiusdam Fontei Carthaginiensis, [qui de vita Bracmanarum aliquãta conscripsit,] de mente mundanda ad videndũ Deum, quod Paganus quidem scripsit, sed Christianus baptizatus mortuus est. XIII, quo documento cõstet homines bestiis excellere. XIIII, non fuisse corpus Domini nostri Iesu Christi phantasma. XV, de intellectu. XVI, de filio Dei. XVII, de scientia Dei. XVIII, de trinitate. XIX, de Deo & creatura. XX, de loco Dei. XXI, vtrum Deus auctor mali non sit. Vbi videndum est, ne male intelligatur quod dixi, Mali auctor non est, quia omnium quæ sunt auctor est: quia inquantum sunt, intantum bona sunt. Et ne hinc putetur non ab illo esse pœnam malorum, quæ vtique malum est iis qui puniuntur. Sed hoc ita dixi quemadmodum dictum est, Deus mortem non fecit: cum alibi scriptum sit, Mors & vita à Domino Deo est. Malorum ergo pœna quæ à Deo est, malum est quidem malis, sed in bonis Dei operibus est, quoniam iustum est vt mali puniãtur, & vtique bonum est omne quod iustum est. XXII, Deũ non pati necessitatem. XXIII, de patre & filio. Vbi dixi quod eam ipse genuerit, qua sapiens dicitur, sapientiam: sed melius istam quęstionem in libro postea De trinitate tractauimus. XXIIII, vtrum & peccatum & recte factum, in libero sit voluntatis arbitrio. Quod ita esse omnino verissimum est. Sed vt ad recte faciendum liberum sit, Dei gratia liberatur. XXV, de cruce Christi. XXVI, de differentia peccatorum. XXVII, de

2.sen.dist. 35.cap.quod autem. & dist.37.cap. cum ergo.

Sap.1.d.13 Eccl.11.b. 14. 2 sent.dist. 36.cap.& ideo. & cap. quod autem. 1.sent.dist. 32.cap.præterea.

prouidentia.XXVIII, quare Deus mundum facere voluerit. XXIX, vtrum aliquid sit sursum aut deorsum in vniuerso. XXX, vtrum omnia in vtilitatẽ hominis creata sint. XXXI, eum qui vt vult viuit, beatum esse. Nec ipsa mea est, sed Ciceronis: veruntamen quia & hæc per me innotuit fratribus, inter ista quæ colligebant scripserunt eam, volentes nosse quemadmodum virtutes animi ab illo diuisæ ac definitę sint. XXXII, vtrum rem vllam alius alio magis intelligat, atq; ita eiusdem rei per infinitum eat intelligentia. XXXIII, de metu. XXXIIII, vtrum non aliud amãdum sit quam metu carere. XXXV, quid amandum sit. In qua illud quod dixi, id esse amandum, quod nihil est aliud habere, quam nosse, non satis approbo. Neq; enim Deum non habebant, quibus dictum est: Nescitis quia templum Dei estis vos, & spiritus Dei habitat in vobis? nec tamen eum nouerant, vel non sicut noscendus est nouerant. Item quod dixi, Nemo igitur beatam vitam nouit, & miser est, Nouit, dixi, quomodo noscenda est. Nam quis eam penitùs nescit, eorum duntaxat qui iam ratione vtuntur, quandoquidem beatos se esse velle nouerunt? XXXVI, de nutrienda charitate. Vbi dixi, Deus igitur & animus quo amatur, charitas propriè dicitur purgatissima & consummata, si nihil aliud amatur. Quod si verum est, quomodo ergo Apostolus ait, Nemo vnquam carnem suam odio habuit? Et ex hoc admonet vt diligantur vxores. Sed ideo dictum est, proprie dilectio dicitur, quoniã caro diligitur quidẽ, nec tamẽ propriè, sed propter animã cui subiacet ad vsum. nam & si propter seipsam videtur diligi, cũ eam nolumus esse deformẽ, ad aliud referendũ est decus eius, ad illud scilicet, à quo decora sunt omnia. XXXVII, de semper nato. XXXVIII, de cõformatione animæ. XXXIX, de alimẽtis. XL, cum animarũ natura vna sit, vnde hominum diuersæ volũtates. XLI, cum omnia Deus fecerit, quare nõ æqualiter fecerit. XLII, quemadmodum Dei sapientia Dñs Iesus Christus & in vtero matris fuerit & in cælis. XLIII, quare filius Dei in homine apparuerit, & spiritus sanctus in colũba. XLIIII, quare tãto pòst venit Dominus Iesus Christus. Vbi cũ generis humani tanquã vnius hominis ætates cõmemorarem: dixi, Nec oportuit venire diuinitus magistrũ, cuius imitatione in mores optimos formaretur, nisi tẽpore iuuentutis. Et adiunxi ad hoc valere quod Apostolus dicit, sub lege tanquam sub pædagogo paruulos custoditos. Sed potest mouere cur alibi dixerimus, Christũ in generis humani sexta ætate tanquã in senectute venisse. Hoc ergo quod de iuuẽtute dictũ est, ad vigorem feruorémq; fidei refertur, quę per dilectionem operatur: illud autẽ de senectute ad temporũ numerum. Potest enim intelligi vtrunq; in vniuersitate hominũ, quod nõ potest in ætatibus singulorũ. Sicut in corpore non potest esse simul & iuuentus & senectus, in animo autem potest: illa propter alacritatẽ, ista propter grauitatẽ. XLV, aduersus mathematicos. XLVI, de ideis. XLVII, vtrũ aliquando cogitationes nostras videre possimus. Vbi quod dixi, angelica corpora, qualia nos speramus habituros, lucidissima atq; ætherea esse credẽdum est. Si hoc sine mẽbris quæ nunc habemus, & sine substãtia, quamuis incorruptibilis, tamen carnis accipiatur, erratur. Multo autẽ melius in opere De ciuitate Dei, quæstio ista tractata est, de vidẽdis cogitationibus nostris. XLVIII, de credibilibus. XLIX, quare filij Israël sacrificabant visibiliter pecorum victimas. L, de æqualitate filij. LI, de homine facto ad imaginem & similitudinem Dei. Vbi quid est quod dixi, Homo sine vita nõ rectè appellatur, cum dicatur homo etiã cadauer hominis. Ergo saltem dicere debui, non propriè dicitur: vbi dixi, non rectè dicitur. Item dixi, Neque inscitè distinguitur, quod aliud sit imago & similitudo Dei, aliud ad imaginem & similitudinem Dei, sicut homi-

Tullius Off. 1.

1. Cor. 3. d. 17.

Eph. 5. f. 29

Mat. 3. d. 16

Gal. 3. d. 23

Ibid. 3. a. 6.

Lib. 22. cap. 29.

nem factum accipimus. Quod non ita intelligendum est, quasi homo non dicatur imago Dei, cum dicat Apostolus, Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago & gloria Dei: sed dicitur etiam ad imaginem Dei, quod vnigenitus non dicitur, qui tantummodo imago est non ad imaginem. LII, de eo quod dictũ est: Pœnitet me feciſſe hominem. LIII, de auro & argẽto, quod Israëlitæ ab Ægyptiis acceperunt. LIIII, de eo quod scriptũ est, Mihi autẽ adhærere Deo, bonum est. Vbi quod dixi, Quod autem est omni anima melius, id Deũ dicimus, magis dici debuit, omni creato spiritu melius. LV, de eo quod scriptum est, Sexaginta sunt reginæ, octoginta concubinæ, & adolescentularũ non est numerus. LVI, de annis quadragintasex ędificati tẽpli. LVII, de centum quinquaginta tribus piscib. LVIII, de Ioanne Baptista. LIX, de decem virginibus. LX, de die autem illo & hora nemo scit, neque angeli cælorum, neque filius hominis, nisi solus pater. LXI, de eo quod scriptum est in Euangelio, turbas Dominum in eremo pauisse de quinq; panibus. Vbi quod dixi duos pisces duas illas significare personas, regiam scilicet & sacerdotalẽ, ad quas etiam sacrosancta illa vnctio pertinebat: dicendum potius fuit, maximè pertinebat, quoniam vnctos aliquãdo legimus & prophetas. Item quod dixi, Lucas qui tanquam ascendentem post abolitionem peccatorum sacerdotem Christũ insinuauit, per Nathan ascendit ad Dauid: quia Nathan propheta missus erat, cuius correptione Dauid ipsius peccati abolitionem pœnitendo impetrauit. Non sic accipiendum est tanquam ipse fuerit Nathan propheta, qui filius Dauid: quia nec hic dictum est, quia ipse propheta missus erat: sed dictum est, Quia Nathan propheta missus erat, vt mysterium non in eodẽ homine, sed in eodem nomine intelligatur. LXII, de eo quod scriptum est in euangelio, quod baptizabat Iesus plures quam Ioannes, quamuis ipse non baptizaret, sed discipuli eius. Vbi quod dixi, Latro ille cui dictum est: Amẽ dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, qui nec ipsum baptismum acceperat. Hoc quidẽ & alios ante nos rectores sanctæ ecclesiæ posuisse in suis literis inuenimus, sed quibus documentis satis possit ostendi quod non fuerit baptizatus ille latro, ignoro. De qua re in posterioribus quibusdã opusculis nostris diligentius disputatum est, maximè in eo quod ad Vincentiũ Victorem de animæ origine scripsimus. LXIII, de verbo. LXIIII, de muliere Samaritana. LXV, de resurrectione Lazari. LXVI, de eo quod scriptum est, An ignoratis fratres, sciẽtibus enim legem loquor, quia lex dominatur homini, inquantum tempus viuit? vsque ad eum locum in quo scriptum est, Viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum eius in vobis. Vbi illud quod ait Apostolus, Scimus autem quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum: exponere volens, dixi, id est carni consentio, nondum spiritali gratia liberatus. Quod non sic accipiendum est, quasi spiritalis homo iam sub gratia cõstitutus, etiam de seipso non possit hæc dicere: [Venundatus sum sub peccato. Quod enim operor non intelligo. Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odio malum illud facio: & cætera quæ sequuntur vsq; ad eum locum vbi dictum est: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?] Quod postea didici, sicut iam sum ante confessus. Rursus exponens quod ait apostolus: Corpus quidem mortuum est propter peccatum. Mortuum, inquam, corpus dicit, quamdiu tale est, vt indigentia rerum temporalium molestet animã. Sed multo melius mihi postea visum est, ideò mortuum corpus dictum, quod habeat iam moriendi necessitatem, quam non habuit ante peccatum. LXVII, de eo quod scriptum est, Existimo enim quod indignæ sint passiones huius temporis ad fu-

1. Cor. 11. b. 7.

Gen. 6. b. 6.

Exodi 3. g. 22. & 12. c. 35.

Psal. 72. 27

Cant. 6. c. 6.

Matth. 24. c. 36.

Mar. 14. b. 18.*

Io. 6. a. 10.*

Luce 3. f. 23

Luce 23. f. 43. De conſ. diſt. 4. c. baptiſmũ 4. ſen. diſt. 4 cap. ſunt & alij.

Lib. 3. cap. 6

Ioan. 4. a. 7.*

Ibid. 12. f. 43.*

Rom. 7. a. 1.

Rom. 7. c. 14

Rom. 7. d. 24

ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis: vsq; ad id quod dictum est: Spe enim salui facti sumus. Vbi cũ exponerem quod scriptum est, Et ipsa creatura liberabitur à seruitute interitus: dixi, Et ipsa creatura, id est ipse homo, cum iam signaculo imaginis propter peccatum amisso remansit tantummodo creatura. Quod non ita accipiendum est quasi totum amiserit homo quod habebat imaginis Dei. Nam si omnino nõ amisisset, non esset propter quod diceretur, Reformamini in nouitate mentis vestræ. Et, In eandem imaginem transformamur. Sed rursum si totum amisisset, nihil maneret vnde diceretur, Quanquam in imagine ambulet homo, tamen vane conturbatur. Item quod dixi spiritaliter summos angelos viuere, infimos verò animaliter: audacius dictum est de infimis quam vt possit vel scripturis sanctis, vel ipsis rebus ostendi: quia & si forsitã potest, difficillimè potest. LXVIII, de eo quod scriptum est, O homo tu quis es, respondeas Deo? Vbi dixi, Quia etiam si leuioribus quisque peccatis, aut certe quamuis grauioribus & multis, tamẽ magno gemitu & dolore pœnitendi misericordia Dei dignus fuerit, non ipsius est, qui si relinqueretur interiret, sed miserentis Dei qui eius precibus doloribúsque subuenit. Parum est enim velle, nisi Deus misereatur: sed Deus non miseretur qui ad pacem vocat, nisi volũtas præcesserit ad pacem. Hoc dictum est post pœnitentiam. Nam est misericordia Dei etiam ipsam præueniens voluntatem, quæ si non esset, non præpararetur voluntas à Domino. Ad eam misericordiam pertinet & ipsa vocatio quæ etiam fidẽ præuenit. De qua paulò pòst cum agerem dixi, Hæc autem vocatio quę siue in singulis hominibus siue in populis atque in ipso genere humano per temporum opportunitates operatur, altæ & profundæ Domini ordinationis est. Quò pertinet etiam illud, In vtero sanctificaui te, & cũ esses in renibus patris tui, vidi te. Et: Iacob dilexi, Esau autem odio habui, &c. Quamuis testimoniũ illud, Cum esses in renibus patris tui, vidi te, vnde mihi tanquam scriptum sit, occurrerit, nescio. LXIX, de eo quod scriptum est, Tunc & ipse filius subiectus erit ei qui illi subiecit omnia. LXX, de eo quod Apostolus dicit, Absorpta est mors in victoriam: vbi est mors contentio tua? vbi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum, virtus peccati lex. LXXI, de eo quod scriptũ est, Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. LXXII, de temporibus æternis. LXXIII, de eo quod scriptum est, Et habitu inuentus vt homo. LXXIIII, de eo quod scriptum est in epistola Pauli ad Colossenses, In quo habemus redemptionẽ & remissionem peccatorum, qui est imago Dei inuisibilis. LXXV, de hæreditate Dei. LXXVI, de eo quod apostolus Iacobus dicit, Vis autem scire ô homo inanis, quia fides sine operibus otiosa est. LXXVII, de timore, vtrũ peccatum sit. LXXVIII, de pulchritudine simulachrorum. LXXIX, quare magi Pharaonis fecerunt miracula quædam sicut Moyses famulus Dei. LXXX, aduersus Apollinaristas. LXXXI, de quadragesima & quinquagesima. LXXXII, de eo quod scriptum est, Quem enim diligit Dominus corripit, flagellat autẽ omnem filium quem recipit. LXXXIII, de coniugio in eo quod Dominus ait, Si quis dimiserit vxorem suam excepta causa fornicationis. Hoc opus sic incipit: Omne verũ.

Rom.12.a.2 · 2.Cor.3.d.18. · Psal.38.9. · 1.Cor.15.f.54. · Gal.6.a.2. · Phil.2.a.7. · Col.1.b.14. · Iac.2.d.20. · Exodi 7.d.22.* · Heb.12.b.6 · Mat.19.b.9

CAPVT XXVII. De mendacio.

ITEM De mendacio scripsi librum, qui & si cum aliquo labore intelligitur, habet tamẽ non inutilem ingenij & mentis exercitationem, magisque moribus ad veriloquium diligendum proficit. Hunc quoq; auferre statueram de opusculis meis, quia & obscurus & anfractuosus, & omnino molestus mihi videbatur, propter quod eum nec ediderам. Deinde cum postea scripsissem alterum, cuius titulus est Contra mendacium, multo magis istum non esse decreueram & iuseram, sed non est factum. Itaque in ista retractatione opusculorum meorum cum eũ incolumem reperissem, etiam ipsum retractatum manere præcepi: maximè quia in eo nonnulla sunt necessaria, quæ in illo altero non sunt. Propterea verò illius inscriptio est, Cõtra mendacium: istius autem, De mendacio: quoniam per illum totum oppugnatio est aperta mẽdacij, istius autem magna pars in inquisitionis disputatione versatur. Ad eundem tamen finem vterque dirigitur. Hic liber sic incipit: Magna quæstio est de mendacio.

D. AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
RETRACTATIONVM LIBER SECVNDVS.

CAP. 1. De diuersis quæstionibus ad Simplicianum.

IBRORVM quos episcopus elaboraui, primi duo sunt ad Simplicianum ecclesiæ Mediolanensis antistitem, qui beatissimo successit Ambrosio, De diuersis quæstionibus, quarum duas ex epistola Pauli apostoli ad Romanos, in primum librum contuli. Harum prior est de eo quod scriptum est, Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. vsque ad illud vbi ait: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. In qua illa Apostoli verba, Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, &c. quibus caro contra spiritũ confligere ostenditur, eo modo exposui, tanquam homo describatur adhuc sub lege, nondum sub gratia cõstitutus. Longe enim postea & spiritalis hominis (& hoc probabilius) esse posse illa verba cognoui. Posterior in hoc libro quæstio est, ab eo loco vbi ait, Nõ solum autem, sed & Rebecca ex vno concubitu habẽs Isaac patris nostri: vsque ad illud vbi ait, Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus: in cuius quæstionis solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit Dei gratia. Nec nisi ad illud potuit peruenіri, vt liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus, Quis enim te discernit? quid autem habes quod nõ accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi nõ acceperis? Quod volens etiam martyr Cyprianus ostendere, hoc totum ipso titulo definiuit, dicens: In nullo gloriandũ, quando nostrum nihil est. In II. libro tractãtur cæterę quæstiones, & pro nostra quantulacunque facultate soluuntur, quæ sunt omnes de scriptura quæ Regnorum appellatur. Harum prima est de eo quod scriptum est, Et insiliit spiritus Domini in Saul: cum alibi dicatur, Et spiritus Domini malus irruit in Saul. Quam cum exponerem dixi, Quamuis sit in cuiusque potestate quid velit, non est tamen in cuiusquam potestate quid possit. Quod ideo dictũ est, quia nõ dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus fit, vbi prius & maximè est ipsum velle. Sine vllo quippe interuallo temporis præstò est voluntas ipsa cum volumus, sed hanc quoque ad bene viuendum desuper accipimus potestatem, cum præparatur voluntas à Domino. Secunda quæstio est, quomodo dictum sit: [a] Pœnitet me quod constituerim regem Saul. Tertia, [b] vtrum spiritus immundus qui erat in pythonissa, potuerit agere vt Samuel à Saule videretur, & loqueretur cum eo. Quarta, de eo quod scriptum est: Intrauit rex Dauid, & sedit ante Dominũ. Quinta, de eo quod dixit Helias, O Domine testis huius viduæ, cum qua ego inhabito apud ipsam, tu malè feciſti, occidere filium eius. Hoc opus sic incipit: Gratissimam planè.

Rom.7.b.7. · Ibid.9.c.10 & Esa.1.c.9 · 1.Cor.4.b.7 · 1.Reg.15. b.10.& 16 c.14. · Li.2.quæst.2 · a 1.Reg.15.c.11. · b Ibid.28. b.7.* · 2.Reg.7. c.18. · 3.Reg.17. d.20.

CAP. II. *Contra epistolam quam vocant Fundamenti.*

LIBER contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti, principia eius solâ redarguit, sed in cæteris illius partibus annotationes vbi videbatur, affixæ sunt quibus tota subuertitur, & quibus cõmoneret, si quando contra totam scribere vacauisset. Hic liber sic incipit: Vnum verum Deum.

al. redarguit, sed in vltimis eius partibus cum anfractus omnes vbi videbatur explosi, sint. Annotationes &c.

LIBER De agone Christiano fratribus in eloquio Latino ineruditis humili sermone cõscriptus est, fidei regulam continens, & præcepta viuendi. In quo illud quod positum est: Nec eos audiamus, qui carnis resurrectionem futuram negant, & commemorant quod ait apostolus Paulus: Caro & sanguis regnũ Dei non possidebunt, non intelligentes quod ipse dicit Apostolus, Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum enim hoc factum fuerit, iam nõ erit caro & sanguis, sed cæleste corpus: non sic accipiẽdum est, quasi carnis non sit futura substantia, sed carnis & sanguinis nomine ipsam corruptionem carnis & sanguinis intelligendus est Apostolus nuncupasse, quæ vtique in regno illo non erit, vbi caro incorruptibilis erit. Quãuis & aliter possit intelligi, vt carnem & sanguinem opera carnis & sanguinis dixisse accipiamus Apostolum, & eos regnum Dei non possessuros, qui perseueranter ista dilexerint. Hic liber sic incipit: Corona victoriæ.

CAP. III. *De agone Christiano.* Cap. 32. 1. Cor. 15. §. 50.

LIBROS De doctrina Christiana, cũ imperfectos comperissem, perficere malui quam eis sic relictis ad alia retractanda transire. Compleui ergo tertiũ qui scriptus fuerat vsq; ad eum locum vbi commemoratũ est ex Euangelio testimonium de muliere, quæ abscõdit fermentum in tribus mensuris farinæ, donec fermentaretur totum. Addidi etiam nouissimũ librum, & quatuor libris opus illud impleui, quorũ primi tres adiuuant vt scripturæ intelligantur, quartus autẽ quomodo quæ intelligimus proferenda sint. In II. sanè libro de auctore libri, quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quod etiã ipsum sicut Ecclesiasticum Iesus Sirach scripserit, non ita cõstare, sicut à me dictum est: postea didici, & omnino probabilius comperi non esse hunc eius libri auctorẽ. Vbi autẽ dixi, His XLIIII. libris testamenti veteris terminatur auctoritas, ex consuetudine qua iam loquitur ecclesia, Vetus testamentum appellaui: Apostolus autem non videtur appellare vetus testamentum, nisi quod datum est in monte Sina. Et in eo quod dixi de temporum historia secundum Ambrosium soluisse quæstionem, tanquam coætanei fuerint Plato & Hieremias, me fefellit memoria. Nam quid ille de hac re episcopus dixerit, in libro eius legitur, quem de sacramentis siue de philosophia scripsit. Hoc opus sic incipit: Sunt præcepta quædam.

CAP. IIII. *De doctrina Christiana.* Cap. 25. *Luca 13. d. 21.* *Cap. 8.* *Gal. 4. d. 24* *Cap. 28.*

CAP. V. *Contra partẽ Donati.*

SVNT duo libri mei, quorum titulus est Cõtra partem Donati. In quorum primo libro dixi, nõ mihi placere vllius secularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter arctare. Et vere tũc mihi non placebat, quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantũ eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinę. Hoc opus sic incipit: Quoniam Donatistæ nobis.

CAP. VI. *Confessionum*

CONFESSIONVM mearum libri XIII. & de malis & de bonis meis Deum laudant iustũ & bonũ, atque in eum excitant humanum intellectum & affectum, interim quod ad me attinet, hoc in me egerunt cum scriberentur, & agunt cum leguntur. Quid de illis alij sentiant, ipsi viderint, multis tamẽ fratribus eos multum placuisse & placere scio. A primo vsq; ad decimum de me scripti sunt. In tribus cęteris de scripturis sanctis, ab eo quod scriptum est: In principio fecit Deus cælum & terram: vsq; ad sabbathi requiem. In IIII. libro, cum de amici morte animi mei miseriã cõfiterer, dicens quod anima nostra vna quodammodo facta fuerat ex duabus, & ideo, inquã, fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur quem multum amaueram: quæ mihi quasi declamatio leuis quam grauis confessio videtur, quamuis vtcunq; temperata sit hæc ineptia in eo quod additum est, fortè. Et illud in libro XIII. quod dixi firmamentum factum inter spiritales aquas superiores, & corporales inferiores, nõ satis considerate dictum est, Res autẽ in abdito est valde. Hoc opus sic incipit: Magnus es Dñe, & laudabilis valde.

Cap. 32.

CONTRA Faustum Manichæum blasphemãtem legem & prophetas, & eorum Deum & incarnationem Christi, scripturas autem Noui Testamenti, quibus conuincitur, falsaras esse dicentem, scripsi grãde opus, verbis eius propositis reddens responsiones meas: triginta & tres disputationes sunt, quas etiam libros cur non dixerim? Nam etsi sunt in eis aliqui perbreues, tamen libri sunt. Vnus verò eorum, vbi à nobis aduersum eius criminationes Patriarcharum vita defenditur, tantæ prolixitatis est, quantę nullus ferè librorum meorum. In libro ergo tertio cum soluerem quæstionem, quomodo potuerit duos patres habere Ioseph, dixi quidem ex alio natus, ab alio fuerit adoptatus, sed genus quoq; adoptionis dicere debui: sic enim sonat quod dixi, tanquam eum viuus adoptauerit alius pater. Lex autẽ filios etiam mortuos adoptabat, iubens vt fratris sine filiis mortui duceret frater vxorem, & fratri defuncto semẽ ex eadem suscitaret, quę profectò de duobus vnius hominis patribus expeditior ibi redditur ratio. Vterini autem fratres fuerunt in quibus hoc contigit, vt vnius defuncti qui vocabatur Heli, duceret alter vxorẽ, id est Iacob, à quo Matthæus narrat genitũ esse Ioseph: sed vterino fratri suo eum genuit, cuius filium Lucas dicit fuisse Ioseph, nõ vtiq; genitum, sed ex lege adoptiuum. Hoc in eorum literis inuentum est, qui recenti memoria post ascensionem Domini de hac re scripserunt. Nam etiam nomen eiusdem mulieris, quæ peperit Iacob patrem Ioseph de priore marito Nathan, qui fuit pater Iacob, auus Ioseph, secundum Matthæum: & de marito posteriore Melchi peperit Heli, cuius erat adoptiuus Ioseph, non tacuit Aphricanus. Quod quidem cũ Fausto responderem, nondum legeram, sed tamen per adoptionem potuisse cõtingere, vt vnus homo duos haberet patres, dubitare non poteram. In XII. & XIII. de filio Noë secundo qui est appellatus Cham, ita disputatum est, tanquam nõ in filio suo Chanaan, sicut scriptura demonstrat, sed in seipso fuerit à patre maledictus. In XIIII. de sole & luna talia dicta sunt, tanquam sentiant, & ideo tolerẽt vanos adoratores suos, quamuis verba ibi accipi possint ab animali ad inanimale translata, modo locutionis qui vocatur Græcè metaphora, sicut de mari scriptum est, quod fremat in vtero matris suæ volens progredi, cum vtiq; non habeat voluntatem. In vndetricesimo: Absit, inquam, vt sit in membris sanctorum etiam genitalibus aliqua turpitudo. Dicuntur quidem inhonesta, quia non habent eam speciem decoris, quam membra quę in promptu locata sunt: sed probabilior in aliis postea scriptis nostris reddita ratio est, cur ea dixerit etiam Apostolus inhonesta, propter legem scilicet in mẽbris repugnantem legi mentis, quæ de peccato accidit, nõ de prima nostræ institutione naturæ. Hoc opus sic incipit: Faustus quidam fuit genere Apher.

CAP. VII. *Contra Faustum Manichæum.* *Cap. 14.* *Circa finem, & lib. 13. c. 10.* *Lib. 14. cap. 12.* *1. Cor. 12. c. 23. Rom. 7. d. 23*

CONTRA Manichæum quendam nomine Felicem prẽsente populo in ecclesia biduo disputaui. Hipponem quippe venerat, eundem seminaturus errorem, vnus enim erat ex doctoribus eorum, quamuis ineruditus liberalibus literis, sed tamẽ versutior Fortunato. Gesta sunt ecclesiastica, sed inter meos libros computantur. Duo ergo libri sunt, in quorum II. disputatum est de libero voluntatis arbitrio, siue ad malum ope-

CAP. VIII. *Contra Felicem Manichæum.*

lum operandum, siue ad bonum: sed de gratia qua ve-
Ioan.8.d.36 rè liberi fiunt, de quibus scriptum est, Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis: diligentius disputare, quoniam talis erat cum quo agebamus, nulla sumus necessitate compulsi. Hoc opus sic incipit: Honorio Augusto.

CAP. IX. *De natura boni aduersus Manichæos.* LIBER De natura boni aduersus Manichæos est, vbi ostenditur naturam incommutabilem Deum esse ac summum bonum, atq; ab illo esse cæteras naturas siue spiritales siue corporales, atq; omnes inquàtum naturæ sunt, bonas esse: & quid vel vnde sit malũ, & quanta mala Manichæi ponant in natura boni, & quanta bona in natura mali, quas naturas finxit error ipsorum. Hic liber sic incipit: Summum bonum, quo superius non est, Deus est.

CAP. X. *Contra Secundinum Manichæum.* SECVNDINVS quidam, nõ ex eis quos Manichæi Electos, sed ex eis quos Auditores vocant, quẽ nec facie quidem noueram, scripsit ad me velut amicus, honorificè obiurgans quod oppugnarem literis illam hæresim, & admonens ne facerem, atq; ad eam potius sectandam exhortãs, cum eius defensione, & fidei catholicæ reprehensione. Huic respondi: sed quia in eiusdem opusculi capite non posui quis cui scriberet, non in epistolis meis, sed in libris habetur. Illic ab exordio conscripta est etiam eius epistola. Huius autem voluminis mei titulus est: Contra Secundinum Manichæum, quod mea sententia omnibus quę aduersus illam pestem scribere potui, facilè præpono. Hic liber sic incipit: Tua in me beneuolentia.

CAP. XI. *Contra Hilarium tribunitium.* INTER hæc Hilarius quidam vir tribunitius laicus catholicus, nescio vnde aduersus Dei ministros, vt fieri adsolet, irritatus, morem qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, vt hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro, siue ante oblationem, siue cum distribueretur populo quod fuisset oblatum, maledica reprehensione vbicunq; poterat lacerabat, asserẽs fieri non oportere. Huic rẽspondi iubẽtibus fratribus, & vocatur liber ipse: Contra Hilarium. Hic liber sic incipit: Qui dicunt mentionem.

CAP VT XII. *Quæstionum euangeliorũ.* SVNT quædam expositiones quorundam locorum ex Euangelio secundum Matthæum, & aliæ similiter secundum Lucam, in vnum librum illę, in alterũ istæ redactæ sunt. Titulus autẽ operis huius est: Quæstiones euangeliorum. Sed quare illa sola de supradictis euangelicis libris exposita fuerint, quæ his libris meis continentur, & quæ ista sint, prologus meus, adiunctis atque enumeratis eisdem quæstionibus, ita vt quisque legere quod voluerit, numeros secutus inue-
Cap.27. niat, satis indicat. In primo ergo libro in eo quod posi-
Mat.28. d.16. tum est, Dominum seorsum duobus discipulis suam retulisse passionem, mẽdositas codicis nos fefellit. Nã duodecim scriptum est, non duobus. In II. libro volẽs exponere quomodo duos patres potuerit habere Io-
Deu.25.a.5 seph, cuius coniunx dicta est virgo Maria, illud quod perhibetur fratrem dixisse defuncti fratris vxorem, vt ei semen secũdum legem suscitaret, ideo dixi esse infirmum, quoniam qui nasceretur, nomen defuncti lex eum iubebat accipere: non est verũ. Nomen enim defuncti quod dictum est, ad hoc lex valere præcepit, vt eius filius diceretur, non vt hoc quod ille vocaretur. Hoc opus sic incipit: Hoc opus non ita scriptum est.

CAP VT XIII. *Annotationes in Iob.* LIBER cuius est titulus, Annotationes in Iob, vtrũ meus habendus sit, an potius eorum qui eas sicut potuerunt vel voluerunt, redegerunt in vnum corpus descriptas de frontibus codicis, nõ facilè dixerim. Suaues enim pauciſſimis intelligentibus sunt, qui tamen necesse est offendantur multa non intelligentes, quia nec ipsa verba quæ exponuntur ita descripta sunt in multis locis, vt appareat quid exponatur. Deinde breuitatem sententiarum tanta secuta est obscuritas, vt eam lector vix ferre possit, quem necesse est plurima non intellecta transire. Postremò tam mẽdosum comperi opus ipsum in codicibus nostris vt emendare non possem, nec editum à me dici vellem, nisi quia scio fratres id habere, quorum studio non potuit denegari. Hoc opus sic incipit: Et opera magna erant ei super terram.

CAPVT XIIII. *De catechizandis rudibus.* EST etiam liber noster de catechizãdis rudibus hoc ipso titulo prænotatus. In quo libro vbi dixi, Nec angelus qui cum spiritibus aliis satellitibus suis superbiendo deseruit obedientiam Dei, & diabolus factus est: aliquid nocuit Deo, sed sibi. Nouit enim Deus ordinare deserentes se animas: conuenientius diceretur, deserentes se spiritus, quoniã de angelis agebatur. Hic liber sic incipit: Petisti à me frater Deo gratias.

Cap. 18.

CAP. XV. *De trinitate.* LIBROS De trinitate, quæ Deus est, XV. scripsi per aliquot annos. Sed cum eorũ duodecimum nondum perfeciſſem, & eos diutius tenerẽ quàm possent sustinere qui vehementer illos habere cupiebant, subtracti sunt mihi minus emendati quam deberent ac possent, quãdo eos edere voluissem. Quod posteaquã comperi, quia & alia eorum apud nos exemplaria remanserant, statueram eos iam ipse non edere, sed sic habere, vt in alio aliquo opusculo meo quid mihi de his euenerit dicerem: vrgentibus tamẽ fratribus, quibus resistere non valui, emendaui eos quantum emendandos putaui, & compleui & edidi, adiungens eis à capite epistolam, quam scripsi ad venerabilem Aurelium episcopum Carthaginensis ecclesiæ: quo tanquã prologo exposui & quod accidisset & quid facere mea cogitatione voluissem, & quid fratrum charitate cõpellente feciſſem. In quorum libro XI. cum de corpo-
Cap.5. re visibili agerẽ, dixi: Quocirca id amare alienari est, quod secũdum eum amorem dictum est, quo aliquid sic amatur, vt eo fruendo existimet beatum se esse qui hoc amat. Nam non est alienari, in laudem creatoris amare speciem corporalẽ, vt ipso creatore fruẽs quis-
Cap.10. que verè beatus sit. Itémq; in eodem, vbi dixi: Nec auem quadrupedem memini, quia non vidi, sed phantasiam talem facillimè intueor, dum alicui formæ volatili, qualem vidi, adiũgo alios duos pedes, quales itidem vidi. Hæc dicens nõ potui recolere volatilia quadrupedia, quæ lex commemorat. Neq; enim computat in pedibus duo posteriora crura quibus locustæ saliunt, quas dicit mundas, & ideo discernit eas ab immundis talibus volatilibus, quæ non saliunt illis cruribus, sicut sunt scarabæi. Omnia quippe huiusmodi, volatilia quadrupedia vocantur in lege. In XII. velut
Cap.10. expositio verborum Apostoli, vbi ait: Omne peccatũ
1.Cor.6.d.18. quodcunq; fecerit homo, extra corpus est, non mihi satisfacit: nec sic puto intelligẽdum quod dictum est: Qui autem fornicatur, in corpus propriũ peccat: tanquam ille hoc faciat, qui propter adipiscenda ea quæ per corpus sentiuntur, vt in his finem boni sui ponat, aliquid agit. Hoc enim lõgè plura peccata complectitur, quam illa fornicatio quæ concubitu perpetratur illicito, de qua locutum cum hoc diceret Apostolum apparet. Hoc opus sic incipit: Lecturis hæc quæ de trinitate disseruimus.

CAPVT XVI. *De consensu euangelistarum.* PER eosdem annos quibus paulatim libros De trinitate dictabam, scripsi & alios labore cõtinuo, interponens eos illorum temporibus, in quibus sunt libri IIII. De consensu euangelistarum, propter eos qui tanquam dissentientibus calumniantur: quorum primus liber aduersus eos scriptus est, qui tanquam maximè sapientem Christum vel honorant vel honorare se fingunt: & ideo nolunt Euangelio credere, quia non ab ipso illa conscripta sunt, sed ab eius discipulis, quos existimant ei diuinitatem, qua crederetur Deus, errore tribuisse. In quo libro quod dixi ex Abraham cœpisse gentem Hebræorum, est quidẽ & hoc credibile, vt Hebræi velut Habraei dicti esse videantur: sed

Cap. 14. Cap. 11. ex illo verius intelliguntur appellati, qui vocabatur A Heber, tanquam Hebręi, de qua in re lib. XVI. De ciuitate Dei satis disserui. In II. autem libro cum agerē de duobus patribus Ioseph, ab altero dixi genitum, ab altero adoptatū. Sed dicendum fuit alteri adoptatū. Defuncto enim, quod magis credendum est, secundū legem fuerat adoptatus, quoniam qui eum genuit, eius matrem fratris defuncti coniugem duxerat: Item vbi Cap. 3. dixi, Lucas verò ad ipsum Dauid per Nathan ascēdit, per quem prophetam Deus peccatum illius expiauit. Per cuius nominis prophetam, dicere debui, ne putaretur idem fuisse homo cum alter fuerit, quamuis & ipse hoc vocaretur. Hoc opus sic incipit: Inter omnes diuinas auctoritates.

CAPVT XVII. *Contra epistolam Parmeniani Donatistarum episcopi.*

IN tribus libris contra epistolam Parmeniani Donatistarum Carthaginensis episcopi successoriscq; Donati, quæstio magna versatur & soluitur, Vtrū in vnitate & eorundem communione sacramentorū mali contaminent bonos, & quemadmodum non cōtaminent disputatur, propter ecclesiā toto orbe diffusam, Cap. 1. & 2. cui calumniando schisma fecerunt. In quorum libro tertio cū differeretur, quomodo sit accipiendū quod 1. Cor. 5. d. 13. ait Apostolus: Auferte malū ex vobisipsis, illud quod dixi, vt ex seipso quisq; auferat malum, non sic esse intelligendum, sed sic potius vt homo malus auferatur ex hominibus bonis, quod fit per ecclesiasticam disciplinam, satis Græca lingua indicat, vbi sine ambiguitate scriptum est, vt intelligatur hunc malum, nō hoc malum, quamuis & secundū istum intellectū responderim Parmeniano. Hoc opus sic incipit: Multa quidem & alia aduersus.

CAPVT XVIII. *De baptismo.*

CONTRA Donatistas auctoritate beatissimi episcopi & martyris Cypriani se defendere molientes, septem libros De baptismo scripsi, in quibus docui nihil sic valere ad refellendos Donatistas, & ad eorum prorsus ora claudēda, ne aduersus catholicā ecclesiam suum schisma defendant, quomodō literas factúmq; C Lib. 1 ca. 17 & lib. 3 ca. 18. & lib. 4 cap. 3. & 4. & 10. Cypriani. Vbicunq; autem in his libris commemorauī ecclesiam non habentem maculam aut rugam, nō sic accipiendum est quasi iam sit, sed quæ præparatur vt sit quādo apparebit etiam gloriosa. Nūc enim propter quasdam ignorātias & infirmitates membrorum Mat. 6. b. 12 suorum, habet vnde quotidie tota dicat: Dimitte nobis debita nostra. In IIII. lib. cum dicerem vicem baptismi posse habere passionem, nō satis idoneum posui illius latronis exemplum, qui vtrum non fuerit baptizatus, incertum est. In lib. VII. de vasis aureis & argenteis in domo magna constitutis, sensum Cypriani secutus sum, qui hæc accepit in bonis: in malis autem 2. Tim. 2. d. 20. lignea & fictilia, ad illa referens quod dictum est, Alia quidem in honorem: ad hæc autem quod dictum est, Alia verò in contumeliam. Sed magis approbo quod apud Tychonium postea reperi vel aduerti, in vtrisq; intelligendum, quædam in honorem, non sola scilicet aurea & argentea, & rursus in vtrisque quædā in contumeliam, non vtique sola lignea & fictilia. Hoc opus D sic incipit: In eis libris quos aduersus.

CAPVT XIX. *Contra quod attulit Centurius à Donatistis.*

CVM aduersus partem Donati multa crebris disputationibus ageremus, attulit ad ecclesiā quidam laicus tunc eorū nonnulla cōtra nos dictata vel scripta in paucis velut testimoniis, quæ suæ causæ suffragari putant. His breuissimè respondi. Huius libelli titulus est: Contra quod attulit Centurius à Donatistis. Et incipit sic: Dicis eo quod scriptum est in Salomone.

CAP. XX. *Ad inquisitiones Ianuarij.*

LIBRI duo, quorum est titulus, Ad inquisitiones Ianuarij: multa de sacramētis cōtinent disputata, siue quę vniuersaliter, siue quę particulariter, id est nō peræquè in omnibus locis obseruat ecclesia, nec tamē commemorari omnia potuerunt, sed satis ad inquisita respōsum est: quorum librorum prior epistola est, habet quippe in capite quis ad quem scribat, sed ideo inter libros annumeratur hoc opus, quoniam sequēs qui nomina nostra non habet, multo est prolixior, & in eo multo plura tractantur. In primo igitur quod de manna dixi, quia vnicuiq; secundū propriam voluntatē in ore sapiebat: non mihi occurrit vnde possit probari, nisi ex libro Sapientiæ, quem Iudæi non recipiunt in Cap. 16. Sap. 16. a. Exo. 16. a. Num. 11. a. auctoritatem canonicam, quod tamē fidelibus potuit prouenire, non illis aduersus Deum murmuratoribus, qui profectò alias escas non desiderarent, si hoc eis saperet manna quod vellent. Hoc opus sic incipit: Ad ea quæ me interrogasti.

CAPVT XXI. *De opere monachorum.*

VT de opere monachorum librum conscriberem, illa me necessitas compulit, quod cum apud Carthaginem monasteria esse cœpissent, alij se suis manibus transigebant, obtemperantes Apostolo: alij verò ita ex oblationibus religiosorum viuere volebant, vt nihil operantes, vnde necessaria vel haberent vel supplerent, se potius implere præceptum Euangelicū existimarent atq; iactarent, vbi Dominus ait: Respicite B Mat. 6. d. volatilia cæli & lilia agri. Vnde etiam inter laicos inferioris propositi, sed tamē studio feruētes, existere cœperant tumultuosa certamina, quibus ecclesia turbaretur, aliis hoc, aliis aliud defendentibus. Huc accedebat quod criminis erant quidam eorum, qui operādum non esse dicebant. Vnde contentiones, hinc reprehendentium, inde quasi pugnantium pro partium studiis augebantur. Propter hoc venerabilis senex Aurelius, ecclesiæ ipsius ciuitatis episcopus, vt hinc aliquid scriberem iussit, & feci. Hic liber sic incipit: Iussioni tuæ sancte frater Aureli. al. purgantium.

CAPVT XXII. *De bono coniugali contra Iouinianum.*

IOVINIANA hæresis sacrarum virginum meritū æquando pudicitiæ coniugali tantum valuit in vrbe Roma, vt nonnullas etiam sanctimoniales de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, deiecisse in nuptias diceretur, hoc maximè argumento cū eas vrgeret dicens: Tu ergo melior quam Sara, melior quā Susanna siue Anna? & cæteras commemorando testimonio sanctæ scripturæ commēdatissimas fœminas, quibus se illæ meliores, vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam virorum sanctorum sanctū cœlibatum, commemoratione patrum coniugatorum & prædicatione frangebat. Huic monstro sancta ecclesia quæ ibi est, fidelissimè ac fortissimè restitit. Remanserant autem istæ disputationes eius in quorundam sermunculis ac susurris, quas palàm suadere nullus audebat. Sed etiam occultè venenis repentibus, facultate quam donabat Dominus, occurrendum fuit: maximè quoniam iactabatur Iouiniano respondi nō posse cum laude, sed cum vituperatione nuptiarum. Propter hoc librum edidi, cuius inscriptio est, De bono coniugali. Vbi de propagatione filiorum prius quam homines mortem peccando mererentur, quoniā concubitus mortaliū corporū res videtur, quæstio magna dilata est: sed in aliis postea literis nostris, satis quantum arbitror explicatur. Dixi etiam quodam loco, Quod enim est cibus ad salutem hominis, hoc est cōcubitus ad salutem generis, & vtrunque non est sine delectatione carnali, quę tamen modificata & temperantia refrenante, in vsum naturalem redacta, libido esse non potest. Quod ideo dictum est, quoniam libido nō est bonus & rectus vsus. Sicut enim malum est male vti bonis, ita bonum est bene vti malis: de qua re aliàs, maximè contra nouos hæreticos Pelagianos diligentius disputaui. De Abraham quod dixi, Ex hac obedientia pater ille Abraham, qui sine vxore non fuit, esse sine vnico filio & à se occiso paratus fuit: non satis approbo. Magis enim filium, si esset occisus, resuscitatione sibi mox fuisse reddendum, credidisse credendus est: sicut in epistola legitur quæ est Heb. 11. d. ad Hebręos. Hic liber sic incipit: Quoniam vnusquisque homo.

Gen. 11. d. Dan. 13. d. Luc. 2. a.

POSTEA

CAPVT XXIII. *De S. Virgin.*

POSTEA quàm scripsi De bono cõiugali, expectabatur vt scriberẽ De sancta virginitate, nec distuli: atque id Dei munus, & quàm magnum, & quanta humilitate custodiendum esset, vno sicut potui volumine ostendi. Hic liber sic incipit: Librum de bono coniugali nuper edidimus.

CAPVT XXIIII. *De Genesi ad literam.*

PER idem tẽpus de Genesi libros XII. scripsi ab exordio, donec de paradiso dimissus est Adá & flammea rhomphæa posita est custodire viam ligni vitæ. Cum autẽ ad hoc vsq; XI. libri peracti essent, duodecimum addidi, in quo diligentius de paradiso disputatũ est: titulus horum librorum inscribitur, de Genesi ad literam: id est non secundum allegoricas significationes, sed secundum rerum gestarũ proprietates. In quo opere plura quæsita quã inuenta sunt: & eorum quæ inuenta sunt, pauciora firmata: cætera verò ita posita, velut adhuc requirenda sint. Hos sanè libros posterius cœpi, sed prius terminaui quam de Trinitate: ideo eos
Cap. 19. nunc ordine quo cœpi, recolui. In v. libro, & vbicunq; B
in eis libris posui, de semine cui repromissum est, quod
Gal. 3. c. dispositum sit per angelos in manu mediatoris: nõ sic habet Apostolus, sicut veriores codices pòst inspexi, maximè Græcos. De lege enim dictũ est, quod tanquã de semine dictũ, multi Latini codices habẽt per inter-
Cap. 27. & 28. pretantis errorẽ. In VI. libro quod dixi, Adam imaginẽ Dei, secundũ quam factus est, perdidisse peccato: non sic accipiendũ est, tanquam in eo nulla remanserit, sed quod tam deformis vt reformatione opus haberet. In
Cap. 33. XII. de inferis, magis mihi videor docere debuisse, quod sub terris sint, quã rationem reddere cur sub terris esse credantur, siue dicantur, quasi non ita sit. Hoc opus sic incipit: Omnes diuina scriptura bipertita est.

CAPVT XXV. *Contra literas Petiliani.*

ANTEQVAM finirem libros de Trinitate, & libros de Genesi ad literam, irruit causa respõdendi literis Petiliani Donatistæ, quas aduersus catholicã scripsit, quam differre non potui. Et scripsi in hãc rem tria volumina, quorum primo primæ parti epistolæ C
ipsius, quam scripsit ad suos, quia non tota in nostras manus venerat, sed prior parua pars eius: quanta potui celeritate & veritate respondi. Etiam ipsa epistola est ad nostros, sed ideo inter libros habetur, quia cæteri duo in eadem causa libri sunt. Postea quippe inuenimus totam, eiq; tanta diligentia respondi, quanta Fausto Manichæo, verba scilicet eius sub ipsius nomine prius ponens particulatim, & sub meo per singula responsionem meam. Sed prius quod scripseram, antequam totam reperiremus, peruenit ad Petilianum: & iratus respondere conatus est, in me potius dicẽs quicquid ei libuit, in causa verò omnino deficiens: quod cũ posset collatis vtriusque nostrum scriptis facillimè aduerti, tamen propter tardiores hoc ipse respondendo demonstrare curaui: sic est additus eidem nostro operi liber tertius. Hoc opus in primo libro sic incipit: Nostis nos sæpe voluisse. In secundo autem sic: Primis partibus epistolæ Petiliani. In tertio autem sic: Legi D
Petiliane literas tuas.

CAPVT XXVI. *Contra Cresconium grãmaticum.*

GRAMMATICVS etiá quidam Donatista Cresconius, cum inuenisset epistolam meam, qua primas partes quæ in manus nostras tũc venerat epistolæ Petiliani redargui, putauit mihi esse respondẽdum, & hoc ipsum scripsit ad me. Cui operi eius libris quatuor respondi, ita sanè vt tribus peragerem quod vniuersa responsio flagitabat. Sed cum viderem de sola Maximianensium causa quòd suos schismaticos damnauerunt, & eorum aliquos rursus in suis honoribus receperunt, baptismúmq; ab eis extra suam communionẽ datum non repetiuerunt, responderi posse ad cuncta quæ scripsit, etiam quartum librum addidi, in quo idipsum quantum potui diligenter atq; euidenter ostẽdi. Hos autem quatuor libros quando scripsi, iam contra Donatistas leges dederat Honorius imperator. Hoc

opus sic incipit: Quando ad te Cresconi.

CAPVT XXVII. *Probationum & testimoniorum cõtrà Donatistas.*

POST hæc vt ad Donatistas peruenirẽt contra eorũ errorem & pro catholica veritate necessaria documenta curaui, siue de ecclesiasticis, siue de publicis gestis, siue de scripturis canonicis. Et primo ad illos eadẽ promissa direxi, vt ipsi ea si fieri posset exposcerent. Quæ cũ venissent in eorum quorundã manus, nescio quis extitit qui suo nomine tacito cõtra hæc scriberet, ita se confitens Donatistã, tanquã hoc vocaretur. Cui ego respondens, & aliũ librum scripsi. Illa verò documenta quæ promiserã, eidem libello quo ea promiseram iunxi, & ex vtroq; vnum esse volui: eúmq; sic edidi, vt in parietibus basilicæ quę Donatistarum fuerat, prius propositus legeretur, cuius titulus est: Probationum & testimoniorum cõtra Donatistas. In quo libro absolutionem Felicis Aptungensis ordinatoris Cæciliani, non hoc ordine posuimus quo postea nobis claruit, consulibus diligenter inspectis, sed tanquam post Cæcilianum fuerit absolutus, cum antè sit factum. Illud etiam quod cõmemorato Iudæ Apostoli testimo- *Iud. 1. d. 19.*
nio, vbi ait: Ii sunt qui segregãt semetipsos, animales, spiritum non habentes, adiunxi etiam dicens, De quibus Paulus Apostolus dicit, Animalis autẽ homo non *1. Cor. 2.*
percipit ea quæ sunt spiritus Dei: non sunt isti illis æ- *d. 14.*
quandi, quos omnino ab Ecclesia schisma præcidit. Istos quippe idem Apostolus Paulus paruulos dicit esse in Christo, quos nondum escam valentes capere, lacte nutrit tamen: illi autem non in filiis paruulis, sed in mortuis & perditis computandi sunt, vt si quis eorum correctus Ecclesiæ fuerit copulatus, recte de illo dici possit, Mortuus erat & reuixit: perierat, & inuentus est. Hic liber sic incipit: Qui timetis cõsentire Ecclesiæ catholicæ. *Luc. 15. 3. 32.*

CAPVT XXVIII. *Contra nescio quem Donatistam.*

ALTERIVS libri quẽ suprà cõmemoraui, titulũ esse volui. Cõtra nescio quẽ Donatistã, vbi similiter de absolutione ordinatoris Cæciliani verus ordo tẽporis nõ est. Illud etiã quod dixi: Ad multitudinem zizaniorũ, vbi intelliguntur omnes hæreses: minus habet vnã necessariam cõiunctionẽ: dicendũ enim fuit. Vbi intelliguntur & omnes hæreses. aut Vbi intelligũtur etiã omnes hæreses. Nunc verò ita dictũ est, quasi præter Ecclesiam tantum modo sint zizania, nõ etiam in Ecclesia, cum ipsa sit regnum Christi, de quo colle- *Mat. 13.*
cturi sunt angeli eius messis tempore omnia scandala. *f. 39.*
Vnde & Cyprianus martyr, Etsi videntur, inquit, in ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, vt quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Quẽ sensum etiam aliàs nos, & maximè aduersus eosdem præsentes Donatistas in collatione defendimus. Hic liber sic incipit: Probationes rerum necessariarum.

CAPVT XXIX. *Admonitio Donatistarũ de Maximianistis.*

CVM viderem multos legendi labore impediri à discẽdo, quam nihil rationis atq; veritatis habeat pars Donati, libellum breuissimũ feci, quo eos de solis Maximianistis admonendos putaui, vt posset facilitate describẽdi in manus plurium peruenire, & ipsa sui breuitate facilius commendari memoriæ: cui titulum imposui: Admonitio Donatistarũ de Maximianistis. Hic liber sic incipit: Quicunq; calumniis hominum.

CAPVT XXX. *De diuinatione dæmonum.*

PER idem tempus accidit mihi ex quadam disputatione necessitas, vt de Diuinatione dæmonum libellum scriberem, cuius titulus iste ipse est. In eius autem quodam loco vbi dixi, Dæmones aliquando & hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere, rem dixi occultissimam audaciore assueueratione quàm debui: nam peruenire ista ad notitiam dæmonum, per nonnulla etiam experimenta compertum est: Sed vtrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia,

nos autem latentia,an alia vi & ea ſpiritali iſta cognoſcant, aut difficile poteſt ab hominibus, aut omnino non poteſt inueniri. Hic liber ſic incipit: Quodam die in diebus ſanctis octauarum.

CAPVT XXXI. *De ſex quæſtionibus contra Paganos expoſitis ad Deo gratias.*

INTER hęc miſſæ ſunt mihi à Carthagine quęſtiones ſex, quas propoſuit amicus quidam, quem cupiebam fieri Chriſtianum, vt contra Paganos ſoluerẽtur, præſertim quia nonnullas earum à Porphyrio philoſopho propoſitas dixit. Sed non eum eſſe arbitror Porphyrium Siculum illum, cuius celeberrima eſt fama. Harum quæſtionum diſputationes in vnũ librum contuli, non prolixum, cuius eſt titulus: Sex quæſtiones contra Paganos expoſitæ. Earum autem prima eſt De reſurrectione, ſecunda De tempore Chriſtianę religionis: tertia De ſacrificiorum diſtinctione: quarta
Mat.7.d.2. De eo quod ſcriptum eſt, In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis: quinta De filio Dei ſecundum Salomonem: ſexta De Iona propheta. In quarũ ſecunda quod dixi, Salus religionis huius, per quam ſolã veram vera ſalus veracitérq; promittitur, nulli vnquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus nõ fuit: nõ ita dixi tãquam ex meritis ſuis quiſquam dignus fue-
Rom.9.c.12 rit: ſed quemadmodum ait Apoſtolus: Non ex operi-
Mal.1.d.22 bus, ſed ex vocante dictũ eſſe, Maior ſeruiet minori: quam vocationem ad Dei propoſitum adſerit perti-
2Tim.1.c.9 nere. Vnde dicit: Non ſecundum opera noſtra, ſed ſe-
Rom.8.c.28 cundum propoſitum ſuum & gratiam. Et vnde idem dicit: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecũdum propoſitum vo-
2Tim.1.c.9 cati ſunt ſancti. De qua vocatione ait: Vt dignos vos habeat vocatione ſua ſancta. Hic liber poſt epiſtolam, quæ poſtmodum à capite addita eſt, ſic incipit: Mouet quoſdam.

CAPVT XXXII. *Expoſitio epiſtolæ Iacobi.*

INTER opuſcula mea reperi expoſitionem epiſtolę Iacobi apoſtoli, quam retractans aduerti adnotationes potius expoſitorum quorundam eius locorum in librum redactas fratrum diligentia, qui eas in frõtibus codicis eſſe noluerũt. Adiuuat ergo aliquid, niſi quod ipſam epiſtolam quam legebamus quando iſta dictaui, non diligenter ex Græco habebamus interpretatã. Hic liber ſic incipit: Duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione, ſalutem.

CAPVT XXXIII. *De peccatorũ meritis & remiſſione, ac de baptiſmo paruulorum.*

VENIT etiam neceſſitas, quæ me cogeret aduerſus nouam Pelagianam hæreſim ſcribere, contra quam prius cum opus erat, nõ ſcriptis, ſed ſermonibus & collocutionibus agebamus, vt quiſq; noſtrũ poterat aut debebat. Miſſis ergo mihi à Carthagine quæſtionibus eorum quas reſcribẽdo diſſolueram, ſcripſi primum libros tres, quorum titulus eſt, De peccatorum meritis & remiſſione: vbi maximè de baptiſmate diſputatur paruulorum propter originale peccatũ: & de gratia Dei qua iuſtificamur, hoc eſt iuſti efficimur: quamuis in hac vita nemo ita ſeruet mandata iuſtitię, vt non ſit ei neceſſarium pro ſuis peccatis orando di-
Mat.6.b.12 cere, Dimitte nobis debita noſtra. Contra quæ omnia ſentientes illi nouam hęreſim condiderunt. In his autem libris tacenda adhuc arbitratus ſum nomina eorum, ſic eos facilius poſſe corrigi ſperans: imò etiam in III. libro, quæ eſt epiſtola, ſed in libris habita propter duos, quibus eam connectẽdam putaui, Pelagij ipſius nomen non ſine laude aliqua poſui: quia vita eius à multis prædicabatur: & eius illa redargui quæ in ſuis ſcriptis non ex perſona ſua poſuit, ſed quid ab aliis diceretur expoſuit: quæ tamẽ poſtea iam hæreticus pertinaciſſima animoſitate defendit. Cęleſtius verò diſcipulus eius iam propter tales aſſertiones apud Carthaginem in epiſcopali iudicio, vbi ego non interfui, excommunicationem meruerat. In II. libro quodã loco, Hoc quibuſdam, inquam, in fine largietur, vt mortem repentina commutatione non ſentiant: ſeruãs locum diligentiori de hac re inquiſitioni. Aut enim non morientur, aut de vita iſta in mortem, & de morte in ęternam vitam celerrima commutatione tãquam in ictu oculi tranſeundo mortem non ſentient. Hoc opus ſic incipit: Quamuis in mediis & magnis curarũ æſtibus.

EODEM tempore librum De vnico baptiſmo amicus quidã meus, à neſcio quo Donatiſta presbytero accepit, indicante quòd Petilianus epiſcopus eorũ Conſtantinenſis eum ſcripſerit. Hunc ad me ille attulit, ac vehementer vt ei reſpõderem rogauit: & factum eſt. Librum autem etiam meum in quo reſpondi, eundem titulum habere volui, hoc eſt, De vnico baptiſmo: in quo libro illud quod dixi, Cõſtantinum impe- *Cap.16.* ratorem Donatiſtis criminantibus ordinatorem Cæciliani Felicem Aptungenſem non negaſſe accuſationis locum, quamuis eos in Cæciliani fictis criminibus calumnioſos fuiſſet expertus, in ordine temporũ poſtea conſideratum, aliter inuentum eſt. Nam prius memoratus imperator cauſam Felicis fecit audiri à proconſule, vbi legitur abſolutus, & poſtea ipſe Cæcilianum cum accuſatoribus eius auditum, competit innocentem, vbi eos expertus eſt in eius criminibus calumnioſos: qui ordo temporum per conſules declaratus, multo vehementius in ea cauſa calumnias Donatiſtarum conuincit, penitúſque ſubuertit: quod alibi oſtendimus. Hic liber ſic incipit: Reſpondere diuerſa ſentientibus.

CAPVT XXXIV. *De vnico baptiſmo.*

SCRIPSI etiam librum inter cætera cõtra Donatiſtas, non breuiſſimum ſicut antea, ſed grandẽ multo diligentius, in quo apparet quemadmodum eorum aduerſus eccleſiam catholicam impium ac ſuperbiſſimum errorem ſola funditus Maximianiſtarum cauſa ſubuertat, quod ſchiſma factum eſt ex ipſa parte Donati. Hic liber ſic incipit: Multa iam diximus, multa iam ſcripſimus.

CAPVT XXXV. *De Maximianiſtis contra Donatiſtas.*

EO ipſo tẽpore quo contra Donatiſtas vehementer exercebamur, & contra Pelagianos exerceri iam cœperamus, amicus quidam mihi miſit quinque à Carthagine quæſtiones, & rogauit vt eas illi ſcribẽdo exponerẽ: quæ ſunt, Quid ſibi velit vox illa Domini, *Pſal.21.d.1* Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti? Et *Mat.27.* quid ſit quod ait Apoſtolus, Vt in charitate radicati & *c.46.* fundati, prævaleatis cõprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & lõgitudo & altitudo & profundũ. Et quæ ſint quinque virgines ſtultæ, quæue ſapien- *Mat.25.a.2* tes. Et quæ ſint tenebrę exteriores. Et quomodo intel- *Mat.22.* ligendũ ſit, Verbum caro factum eſt. Ego autẽ intuens *b.13.* ſupradictam hęreſim nouã inimicam gratię Dei, ſextã *Ioan.1.b.14* mihi propoſui quæſtionẽ de Gratia noui Teſtamenti. De qua diſputans, interpoſita expoſitione Pſalmi XXI. in cuius capite ſcriptũ eſt quod Dominus exclamauit in cruce, quod ille amicus in primis mihi propoſuit exponẽdum: omnia illa quinque diſſolui, non hoc ordine quo erant propoſita, ſed ſicut mihi differenti de gratia noui Teſtamenti, tanquã ſuis locis congruẽter occurrere potuerunt. Hic liber ſic incipit: Quinque mihi propoſuiſti tractandas quæſtiones.

CAPVT XXXVI. *De ſpiritu & litera ad Marcellinum.*

AD quem ſcripſeram tres libros, quorũ titulus eſt de Peccatorum meritis & remiſſione, vbi diligẽter diſputatur etiam de baptiſmo paruulorum: reſcripſit mihi ſe fuiſſe permotũ, quod dixerim, fieri poſſe vt ſit homo ſine peccato ſi voluntas eius non deſit, ope adiuuante diuina, quamuis nemo tam perfectæ iuſtitiæ in hac vita vel fuerit vel ſit vel futurus ſit. Quęſiuit enim quomodo dixerim poſſe fieri, cuius rei deſit exemplum. Propter hãc eius inquiſitionem ſcripſi librum cuius eſt titulus de Spiritu & litera, pertractãs Apoſtolicam ſentẽtiam vbi ait: Litera occidit, ſpiritus *2.Cor.3.b.6* autem viuificat. In quo libro quantum Deus adiuuit, acriter diſputaui contra inimicos gratiæ Dei, qua iuſtificatur impius. Cum autem agerem de obſeruationibus Iudæorum, à quibuſdam eſcis ſecundũ veterem *Rom.4.a.4.*

legem

legem abstinentium, dixi: Quarundam escarum ceremoniæ, quod nomen non est in vsu literarum sanctarum: ideo tamen mihi congruens visum est, quod à carendo appellatas ceremonias, quasi caremonias memoria tenebam, eò quod obseruantes careát his rebus à quibus abstinent. Quod si est origo alia huius nominis quæ abhorret à vera religione, secundum hãc ego non sum locutus, sed secũdum istam quam suprà memoraui. Hic liber sic incipit: Lectis opusculis quæ ad te nuper elaboraui.

CAPVT XXXVIII. *De fide & operibus.*

INTEREA missa sunt mihi à quibusdam fratribus laicis quidem, sed diuinorum eloquiorum studiosis scripta nonnulla, quæ ita distinguerent à bonis operibus Christianam fidem, vt sine hac non posse, sine illis autem posse perueniri suaderetur ad æternam vitam. Quibus respondens librum scripsi, cuius nomẽ est De fide & operibus. In quo disputaui nõ solum quemadmodum viuere debeant gratia Dei regenerati, verum etiam quales ad lauacrũ regenerationis admitti. Hic liber sic incipit: Quibusdam videtur.

CAPVT XXXIX. *Breuiculus collationum.*

POSTEAQVAM facta est cum Donatistis nostra collatio, breuiter cõmemoraui quæ gesta sint, literisq; comprehendi secundũ tres dies quibus cum eis contulimus: idq; opus vtile existimaui, quo quisq; cõmonitus, vel sciat sine labore quid actũ sit, vel cõsultis numeris, quos rebus singulis adnotaui, legat in eisdem gestis ad locum quodcunq; voluerit: quoniam fatigãt illa nimia prolixitate lectorem. Huius autem operis titulus est, Breuiculus collationum. Hoc opus sic incipit: Cum catholici episcopi & partis Donati.

CAPVT XL. *Post collationem contra Donatistas.*

LIBRVM etiam scripsi grandem satis quantum existimo diligenter ad ipsos Donatistas post collationem quam cum episcopis eorum habuimus, ne ab eis seducerentur vlterius. Vbi respondi etiam quibusdam vanitatibus eorum quæ ad nos peruenire potuerunt, quas victi vbi potuerant, & quomodo potuerát iactabant, præter illa quæ dixi de gestis collationis, vnde quid actum sit breuiter nosceretur. Multo autem breuius id egi in quadá ad eosdẽ rursus epistola. Sed quia in concilio Numidię omnibus qui ibi eramus hoc fieri placuit, non est in epistolis meis. Sic quippe incipit: Syluanus senex, Valentinus, Innocẽtius, Maximinus, Optatus, Augustinus, Donatus, & cæteri episcopi de concilio Cirtensi ad Donatistas. Hic liber sic incipit: Quid adhuc Donatistæ seducimini?

CAPVT XLI. *De videndo Deo ad Paulinam.*

DE videndo Deo scripsi librũ, vbi de spiritali corpore quod erit in resurrectione sanctorum inquisitionem diligentiorem distuli, vtrum vel quomodo Deus qui spiritus est, etiam per corpus tale videatur, sed eam postea quæstionem sanè difficillimam in nouissimo, id est in vicesimo & secundo libro de Ciuitate Dei, satis quantum arbitror explicaui. Inueni etiam in quodá nostro codice, in quo & iste liber est, quoddam cõmonitorium à me factum de hac re ad episcopum Sicensem Fortunatianum, quod in opusculorum meorum indiculo, nec inter libros, nec inter epistolas est nominatum. Hic liber sic incipit: Memor debiti. Illud autem, Sicut præsens rogaui.

CAPVT XLII. *De natura & gratia contra Pelagianos.*

VENIT etiam tunc in manus meas quidam Pelagij liber, vbi hominis naturam contra Dei gratiã qua iustificatur impius, & qua Christiani sumus, quãta potuit argumentatione defendit. Librum ergo quo huic respondi, defendens gratiam, non contra naturam, sed per quam natura liberatur & regitur, De natura & gratia nuncupaui. In quo verba quædam quæ velut Sixti Romani episcopi & martyris, Pelagius posuit, ita defendi: tanquã re vera eiusdẽ Sixti essent, id enim putaueram, sed postea legi Xysti philosophi esse, non Xysti Christiani. Hic liber sic incipit: Librum quẽ misistis.

CAPVT XLIII. *De ciuitate Dei.*

INTEREA Roma Gothorum irruptione, agẽtium sub rege Alarico, atq; impetu magnæ cladis euersa est, cuius euersionem Deorum falsorum multorúmq; cultores, quos vsitato nomine Paganos vocamus, in Christianam religionem referre conantes, solito acerbius & amarius Deum verum blasphemare cœperũt. Vnde ego exardescens zelo domus Dei, aduersus eorum blasphemias vel errores libros de Ciuitate Dei, scribere instituí. Quod opus per aliquot annos me tenuit, eo quod alia multa intercurrebant, quæ differre non oporteret, & me prius ad soluendum occupabãt. Hoc autem de Ciuitate Dei grande opus tandem vigintiduobus libris est terminatum. Quorum quinque primi eos refellunt, qui res humanas ita prosperari volunt, vt ad hoc multorum Deorum cultum quos Pagani colere consueuerunt, necessarium esse arbitrentur: & quia prohibentur, mala ista exoriri atque abundare contendunt. Sequentes autem quinque aduersus eos loquuntur, qui fatentur hæc mala nec defuisse vnquam nec defutura mortalibus, & ea nũc magna, nũc parua, locis, temporibus, personisq; variari: sed Deorũ multorum cultum, quo eis sacrificatur, propter vitam post mortem futuram esse vtilem disputant. His ergo decem libris duæ istæ vanæ opiniones Christianæ religioni aduersarię refelluntur. Sed ne quisquam nos aliena tantum redarguisse, non autem nostra asseruisse reprehenderet, id agit pars altera operis huius, quæ libris XII. continetur. Quanquam vbi opus est, & in prioribus X. quæ nostra sunt asseramus, & in XII. posterioribus redarguamus aduersa. Duodecim ergo librorum sequẽtium primi quatuor continẽt exortum duarum ciuitatum, quarum est vna Dei, altera huius mundi. Secundi quatuor excursum earũ siue procursum. Tertij verò, qui & postremi, debitos fines. Ita omnes viginti & duo libri cum sint de vtraque ciuitate conscripti, titulum tamen à meliore acceperũt, vt De ciuitate Dei potius vocarentur. In quorum X. libro nõ debuit pro miraculo poni in Abrahæ sacrificio flãmam cælitus factam inter diuisas victimas cucurrisse: quoniá hoc illi in visione monstratum est. In XVII libro, quod dictum est de Samuele: Nõ erat de filiis Aaron, dicẽdum potius fuit, non erat filius sacerdotis. Filios quippe sacerdotum defunctis sacerdotibus succedere magis legitimi moris fuit: nam in filiis Aaron reperitur pater Samuelis, sed sacerdos nõ fuit, nec ita in filiis vt eum ipse genuerit Aarõ, sed sicut omnes illius populi dicuntur filij Israël. Hoc opus sic incipit: Gloriosissimam ciuitatem Dei.

Cap. 8.

Cap. 5. 1. Reg. 2. d. & 3. d.

CAPVT XLIIII. *Ad Orosium contra Priscillianistas & Origenistas.*

INTER hæc Orosij cuiusdá Hispani presbyteri cõsultationi de Priscillianistis, & de quibusdam Origenis sensibus quos catholica fides improbat, quanta potui breuitate ac perspicuitate respondi: cuius opusculi titulus est: Ad Orosium contra Priscillianistas & Origenistas. Et ipsa enim consultatio responsioni meæ à capite adiuncta est. Hic liber sic incipit: Respondere tibi quærenti.

CAP. XLV. *De orig. animæ, & de sententia Iacobi.*

SCRIPSI etiam duos libros ad Hieronymum presbyterum sedentem in Bethleem, vnũ De origine animæ hominis: alterum De sententia Iacobi apostoli, vbi ait: Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus: de vtroque consulens eum. Sed in illo priore quæstionem quam proposui ipse nõ solui, in posteriore autem quod mihi de illa soluenda videretur ipse non tacui. Sed vtrũ hoc approbaret etiam ille, consului. Rescripsit autem, laudans eandem consultationem meam, sibi tamẽ ad rescribendum otium non esse respondit. Ego verò quousque esset in corpore, hos libros edere nolui, ne fortè responderet aliquando, & cum ipsa responsione eius potius ederentur. Illo autem defuncto ad hoc edidi priorem, vt qui legit admoneatur aut non quærere omnino quomodo detur anima nascentibus, aut certè de re obscurissima eam solutionem quæstionis huius

Iac. 2. b. 10.

admittere, quę contraria nō sit apertissimis rebus, quas A de originali peccato fides catholica nouit in paruulis, nisi regenerentur in Christo, sine dubitatione damnādis. Posteriorē verò ad hoc, vt quæstionis de qua ibi agitur, etiá quę nobis visa est solutio ipsa noscatur. Hoc opus sic incipit: Dominum nostrum qui nos vocauit.

CAPVT XLVI. *Ad Emeritū Donatistarū episcopum.*

AD Emeritum Donatistarū episcopū, qui in collatione nostra quam cum illis habuimus, eorum causām maximè agere videbatur, aliquanto post eandem collationem scripsi librum satis vtilem, quoniam res quibus vincuntur, vel victi esse monstrantur commoda breuitate complectitur. Hic liber sic incipit: Si vel nunc frater Emerite.

CAPVT XLVII. *De gestis Pelagij.*

PER idem tempus in Oriente, hoc est in Syria Palęstina, Pelagius à quibusdam catholicis fratribus ad episcopalia gesta perductus, eisque absentibus qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem synodi non potuerunt occurrere, ab episcopis XIIII. auditus est, vbi eum dogmata ipsa damnantem, quæ inimica gratiæ Dei aduersus eum de libello legebantur, catholicum pronunciauerunt. Sed cum in manus nostras eadem gesta veniissent, scripsi de his librum, ne illo velut absoluto, eadem quoque dogmata putarentur iudices approbasse, quæ ille nisi damnasset, nullo modo ab eis nisi dānatus exisset. Hic liber sic incipit. Posteaquàm in manus vestras.

CAPVT XLVIII. *De correctione Donatistarum ad Bonifacium.*

EODEM tempore scripsi etiam librū De correctione Donatistarum, propter eos qui nolebāt illos legibus imperialibus corrigi. Hic liber sic incipit: Laudo & gratulor & admiror fili dilectissime Bonifaci.

CAPVT XXIX. *De præsentia Dei ad Dardanum.*

DE præsentia Dei scripsi librum, vbi nostra intētio contra hæresim Pelagianam maximè vigilat, nō expresse nominatam, sed in eo etiam de præsentia naturæ, quem Deum verum & summum dicimus, & de templo eius operose ac subtiliter disputatur. Hic liber sic incipit: Fateor frater dilectissime Dardane.

CAP. L. *De grat. Christi & pec. ori. contra Pelagium & Cœle.*

POSTEAQVAM Pelagiana hęresis cum suis auC ribus ab episcopis ecclesiæ Romanę, prius Innocētio, deinde Zosimo, cooperantibus conciliorū Aphricanorum literis, cōuicta atq; damnata est: scripsi duos libros aduersus eos, vnum De gratia Christi, alterum de peccato originali. Hoc opus sic incipit: Quantum de vestra corporali, & maximè spiritali salute gaudeamus.

CAP. LI. *De gestis cū Emerito Donatistarum episcopo.*

ALIQVANTO post collationē, quam cum hęreticis Donatistis habuimus, orta est nobis necessitas pergendi in Mauritaniam Cæsariensem. Ibi apud ipsam Cæsaream Emeritum Donatistarū episcopum vidimus, vnum scilicet eorum septem quos pro suæ causæ defensione delegerant, & qui in eadē causa maximè laborauerat. Quæ cū illo egerimus præsentibus episcopis eiusdem prouinciæ, & plebe Cæsariēsis ecclesiæ, in qua ciuitate & ciuis & memoratorum hęreticorum episcopus fuit, ecclesiastica gesta testantur, quæ in meis habentur opusculis. Vbi non inueniens quid responderet, totum sermonem meum quem de D solis Maximianistis in auribus eius & omnium qui aderant explicaui, tanquam mutus audiuit: Hic liber vel hæc gesta sic incipiunt: Glorioſissimis imperatoribus Honorio XII. & Theodosio VIII. coss.

CAP. LII. *Contra sermonem Arrianorum.*

INTER hæc venit in manus meas quidá sermo Arrianorum, sine nomine auctoris sui. Huic petēte atque instante qui eum mihi miserat, quāta potui etiam breuitate ac celeritate respōdi, adiuncto eodē sermone à capite responsionis meæ, & adhibitis ad singula numeris, quibus inspectis, quid cuique loco respondērim, facilè possit aduerti. Hic liber post eorum sermonem qui à capite adiunctus est sic incipit: Eorum præcedenti disputationi, hac disputatione respondeo.

CAPVT LIII. *De nuptiis et concupiscentia ad Valerium comitem.*

SCRIPSI duos libros ad illustrē virum comitem Valerium, cum audissem Pelagianos ei nescio quid scripsisse de nobis, quod scilicet nuptias dānaremus, asserendo originale peccatum: quorum librorum titulus est, De nuptiis & cōcupiscentia. Bonitatē quippe defendimus nuptiarum, ne putaretur earum esse vitium concupiscentia carnis, & lex in membris repugnans legi mentis, quo malo libidinis bene vtitur ad filios procreandos pudicitia coniugalis. Vt autem duo libri essent, primus venit in Iuliani Pelagiani manus, & scripsit aduersus eum libros IIII. ex quibus quidem nonnulla decerpsit, & comiti Valerio misit, ille verò ad nos. Quæ cum accepissem, alio libro ad eadem ipsa respondi. Huius operis primus liber sic incipit: Hæretici noui dilectissime fili Valeri. Secundus autem sic: Inter militiæ tuæ curas.

CAPVT LIIII. *Locutionum libri septem.*

SEPTEM libros de septem libris diuinarū scriptuB rarum, id est Moysi quinq;, & vno Iesu Naue, & altero Iudicū feci, notatis locutionibus singulorum quę minus vsitatæ sunt linguæ nostræ, quas parum aduertendo sensum quærunt, qui legunt diuinorū eloquiorum, cum sit locutionis genus, & nōnunquam exculpunt aliquid quod à veritate quidem non abhorreat, non tamen id sensisse auctor à quo hoc scriptū est inuenitur, sed genere locutionis hoc dixisse credibilius apparet. Multa autem in scripturis sanctis obscura, cognito locutionis genere diluescunt. Propter quod cognoscenda sunt eadem genera locutionum vbi sententiæ patent, vt etiam vbi latent cognitio ipsa succurrat, eásque intentioni legentis aperiat. huius operis titulus est: Locutiones de Genesi atque ita de singulis libris. Quod autem in primo libro posui scriptū esse: Et fecit Noë omnia verba quæcunq; præcepit illi Dominus, sic fecit, eámque locutionem dixi similem esse ei, quod in conditione creaturæ posteaquam dicitur, Et sic est factum: additur, & fecit Deus: nō omni modo simile hoc eidem mihi videtur. Denique ibi etiam sensus latet, hic sola locutio est. Hoc opus sic incipit: Locutiones scripturarum. *Gen. 1. b. 3**

CAP. LV. *Quæstionum libri septem.*

EODEM tēpore scripsi etiam libros quæstionū de libris eisdem diuinis septem, quos ideo appellare sic volui, †qui ea quæ ibi disputantur, magis quærenda proposui, quam quæsita dissolui, Quāuis multo plura in eis mihi videantur ita pertractata, vt possint etiam soluta & exposita non immerito iudicari. Regnorum quoq; libros eodem modo iam considerare cœperamus, sed non multum progressi, in alia quæ magis vrgebant animum intendimus. In primo autē libro, vbi agitur de virgis variatis, quas ponebat Iacob in aqua, vt in conceptu positæ oues eas viderent cū biberent, & varios fœtus parerent: nō bene à nobis exposita est causa, cur iterum concipientibus non ponebat, id est cum alios fœtus conciperent, sed in priore conceptu. Nam quæstionis alterius expositio, vbi quæritur cur dixerit socero suo Iacob, Et decepisti mercedē meam decem agnabus, satis veraciter enodata, demōstrat istā sicut solui debuit non solutam, In III. quoq; libro vbi de summo agitur sacerdote, quomodo creabat filios cum haberet necessitatem bis in die ingredi in sancta sanctorum, vbi erat altare incensi, ad offerendum incensum mane & vespera, quò non posset, sicut lex dicit, immundus intrare: & eadē lex dicat, immundum fieri hominē etiam ex concubitu coniugali, quē iubet quidē lauari aqua, sed & lotū dicit immundū esse vsq; ad vesperam. Vnde dixi consequens fuisse, vt aut continens esset, aut diebus aliquibus intermitteretur incensum: non vidi non fuisse consequens. Potest enim sic intelligi quod scriptum est, Immundus erit vsq; ad vesperam vt per ipsam vesperam iá non esset immundus, sed vsq; ad ipsam, vt vespertino iam tempore incensum mundus offerret, cum propter creandos filios post matutinū incensum mixtus esset vxori. Itémque vbi quæsitum est, quomodo prohibitus esset super

*Quæst. 93. Quæst. 95. Ge. 31. c. 41 Quæst. 82. Leu. 6. b. c. * Leu. 15. c. 16. Quæst. 83.*

funus

Leuit. 21. c. 11. funus patris sacerdos summus intrare, cum eum fieri sacerdotem (quando vnus erat) nisi post mortẽ sacerdotis patris non oporteret: dixi propter hoc necesse fuisse, nondũ sepulto patre statim post eius mortem, filium eius constitui qui succederet patri, propter etiã continuationis incensum, quod bis in die necesse erat Leu. 6. b.* offerri, qui sacerdos super mortem nõdum sepulti patris prohibetur intrare. Sed parum attẽdi, potuisse hoc præcipi magis propter illos qui futuri fuerant summi sacerdotes non patribus summis sacerdotibus succedentes, sed tamen ex filiis, id est ex posteris Aaron, si fortè summus sacerdos, aut filios non haberet, aut ita reprobos haberet vt nullus eorum patri deberet succedere. Sicut Samuel summo sacerdoti Heli succes- 3. Reg. 1 c.* sit: cum sacerdotis filius ipse non esset, sed tamẽ ex filiis, hoc est, ex posteris esset Aaron. De latrone etiam Quæst. 84. cui dictum est, Hodie mecum eris in paradiso: quod non fuerit visibiliter baptizatus, quasi certum posui, cum sit incertum, magisque illum baptizatum fuisse credendum sit, sicut ego quoque alibi postea disputaui. Item quod in v. libro dixi, vbi commemorãtur matres in generationibus euangelicis, non eas positas nisi Quæst. 48. cum patribus: verum est quidem, sed ad rem de qua agebatur non pertinet. Agebatur autem de iis qui ducebant fratrum vel propinquorum coniuges, eorum qui sine filiis defuncti essent, propter duos patres Ioseph, quorum alterum Matthæus commemorat, alterum Lucas. De qua quæstione diligenter in hoc opere disserui, cum retractaremus opus nostrum contra Faustum Manichæum. Hoc opus sic incipit: Cũ scripturas sanctas.

CAPVT LVI. De anima & eius origine.

EODEM tempore quidam Vincentius Victor in Mauritania Cæsariensi inuenit apud Hispanum quendam presbyterum Petrum nonnullum opusculum meum, vbi quodam loco de origine animę hominum singulorum, vtrum ex illa vna primi hominis, ac deinde ex parentibus propagentur, an sicut illi vni, sine vlla propagatione singulæ singulis dentur: me nescire confessus sum. Veruntamen scire, animam non corpus esse, sed spiritum. Et contra ista mea ad eũdem Petrum scripsit ille duos libros, quos mihi de Cæsaria Renatus monachus misit. Quibus ego lectis, responsione mea quatuor libros reddidi. Vnum ad Renatum monachum, alterum ad presbyterum Petrum, & duos ad eũdem Victorem. Sed ad Petrum, quamuis habeat libri prolixitatem, tamen epistola est, quam nolui à tribus cæteris separari. In iis autem omnibus, in quibus multa necessaria disseruntur, defendi de origine animarum, quæ singulis hominibus dantur, cũctationem meam, & multos errores atq; prauitates præsumptionis eius ostendi. Quem tamen iuuenem non præpropere detestandum, sed adhuc docendũ quanta potui lenitate tractaui, & ab eo rescripta correctionis eius accepi. Huius operis liber ad Renatum sic incipit: Sinceritatem tuam erga nos. Ad Petrum autem sic: Domino dilectissimo fratri & compresbytero Petro. Duorum verò nouissimorum ad Vincentium Victorem: Primus sic incipit: Quod mihi ad te scribendum putaui. Secundum autem sic: Accipe nũc iam de meipso.

CAPVT LVII. De adulteriniis coniugiis ad Pollentiũ.

SCRIPSI duos libros de coniugiis adulterinis, quantum potui secundum scripturas, cupiens soluere difficillimam quæstionem. Quod vtrum enodatissime fecerim, nescio, imò vero nõ me peruenisse ad huius rei perfectionem sentio, quamuis multos sinus eius aperuerim, quod iudicare poterit qui quis intelligenter legit. Huius operis primus liber sic incipit: Prima quæstio est frater. Secundus autẽ sic: Ad ea quę mihi scripseras.

CAPVT LVIII. Contra aduersarium legis & prophetarum.

INTEREA liber quidã cuiusdã hæretici siue Marcionistæ, siue cuiuslibet eorum quorũ error opinatur, quod istum mundum Deus non fecerit: nec Deus legis quæ data est per Moysen & prophetarum ad eãdem legem pertinentium verus sit Deus: sed pessimus dæmon: cum apud Carthaginem multis cõfluentibus & attentissime audientibus, in platea maritima legeretur, peruenerunt fratres ad eum studiosissime Christiani, eúmq; mihi redarguendum sine vlla dilatione miserunt, multũ rogantes, vt nec ego respõdere differrem. Refelli eum libris duobus, quos ideo prænotaui, Cõtra aduersarium legis & prophetarum, quia codex ipse qui missus est, nomen auctoris non habebat. Hoc opus sic incipit: Libro quẽ misistis fratres dilectissimi.

CAP. LIX. Contra Gaudentium Donatistarum episcopum.

PER idem tempus Dulcitius tribunus & notarius, hic erat in Aphrica executor imperialium iussionum contra Donatistas datarum. Qui cum dedisset literas ad Gaudentium Tamugadensem Donatistarum episcopum, vnum illorum septem quos in nostra collatione auctores suæ defensionis elegerant, exhortans eum ad vnitatem catholicam, & dissuadẽs incẽdium, quo se ac suos cum ipsa in qua erat ecclesia consumere minabatur, addens etiam vt si se iustos putarent, fugerent potius secundum præceptum Domini Christi, quam nephandis se ignibus concremarent. Ille rescripsit epistolas duas: vnam breuem, festinãte vt asseruit perlatore: aliam prolixam, quasi plenius diligẽtiúsque respondens. Has mihi suprà memoratus tribunus existimauit mittẽdas, vt eas potius ipse refellerem. Quas ambas vno libro redargui. Qui cum in eiusdem Gaudentij peruenisset manus, rescripsit quod ei visum est ad meipsum, nulla ratione respondẽs, sed magis se nec respondere, nec tacere potuisse declarans. Quod cum satis posset intelligenter legentibus, & nostra atque ipsius dicta conferentibus apparere, nolui tamen sine rescripto relinquere quicquid illud fuit. Hinc factum est, vt hi nostri ad illum duo libri essent. Hoc opus sic incipit: Gaudentius Donatistarum Tamugadensis episcopus.

CAP. LX. Contra mendacium.

TVNC & contra mendacium scripsi librum cuius operis ea causa extitit, quod ad Priscillianistas hęreticos inuestigandos, qui hæresin suam non solũ negando atq; mentiendo, verumetiam peierando existimant occulendã, visum est quibusdam catholicis Priscillianistas se debere simulare, vt eorum latebras penetrarent. Quod ego fieri prohibẽs, hunc librum cõdidi. Hic liber sic incipit: Multa mihi legenda misisti.

CAP. LXI. Contra duas epistolas Pelagianorum.

SEQVVNTVR libri quatuor, quos cõtra duas epistolas Pelagianorum ad episcopum Romanę ecclesiæ Bonifacium scripsi: quia cum in manus eius venissent, ipse mihi eas miserat, inueniens in illis calũniose interpositum nomẽ meum. Hoc opus sic incipit: Noueram te quidem fama.

CAPVT LXII. Contra Iulianum.

INTEREA libri quatuor Iuliani Pelagiani, quos suprà commemoraui, venerũt etiam in manus meas, in quibus comperi illa quæ ex eis decerpserat, qui ea comiti Valerio miserat, nõ omnia eo modo quo à Iuliano dicta sunt, ad eundem comitem scripta, sed nonnulla eorum aliquantum fuisse mutata. Scripsi ergo sex libros, aduersus illos quatuor, sed in eorũ duobus primis, testimoniis sanctorum qui fidem catholicam post apostolos defenderunt, Iuliani impudẽtia redarguitur: qui tanquam Manichęorum dogma nobis obiiciendum putauit, quia ex Adam trahi dicimus originale peccatum, quod per lauacrum regenerationis, nõ solum in maioribus, verumetiam in paruulis soluitur. Quantum autem ipse Iulianus quibusdam sententiis suis adiuuet Manichæos, in primi libri mei parte posteriore monstraui. Cæteri autem nostri quatuor redduntur illis libris, singulis singuli. Verum in huius tanti támque elaborati operis v. volumine, vbi commemoraui deformem maritum coniugi suæ, ne deformes pareret, proponere in cõcubitu formosam solere pictu-

Cap. 2.

picturam: nomẽ hominis qui hoc facere ſolebat, quaſi certum poſui, cum ſit incertum, quia memoria me fefellit. Hoc autẽ Soranus medicinæ artis magiſter ſcripſit regem Cyprium facere ſolere, ſed nomẽ eius proprium non expreſſit. Hoc opus ſic incipit: Contumelias tuas. A

CAPVT LXIII. *Enchiridion de fide, ſpe & charitate.*

SCRIPSI etiam librum De fide, ſpe & charitate, cum à me ad quem ſcriptus eſt poſtulaſſet, vt aliquod opuſculum haberet meum de ſuis manibus nõ receſſurum: quod Genus Græci enchiridion vocant. Vbi ſatis diligenter mihi videor eſſe complexus, quomodo ſit colendus Deus, quam ſapientiam eſſe hominis vtique veram diuina ſcriptura definit. Hic liber ſic incipit: Dici non poteſt.

CAPVT LXIIII. *De cura pro mortuis gerenda.*

LIBRVM De cura pro mortuis gerẽda ſcripſi, cum interrogatus literis fuiſſem, vtrũ profit cuiq; poſt mortẽ quòd corpus eius apud ſancti alicuius memoriam ſepeliatur. Hic liber ſic incipit: Diu ſanctitati tuę B coëpiſcopę venerande Pauline.

CAPVT LXV. *De octo Dulcitij quæſtionibus.*

LIBER quem prænotaui de octo Dulcitij quęſtionibus, non eſſet in hoc opere commemorãdus inter libros meos, cũ ſit confectus ex iis quę à me in aliis antea conſcripta ſunt, niſi & diſputationis aliquid à nobis interpoſitum reperiretur in eo, & vni earũ quęſtionum non ex opuſculo alio meo reſponſionem, ſed tunc quæ potuit occurrere, reddidiſſem. Hic liber ſic incipit: Quantum mihi videtur.

CAPVT LXVI. *De gratia & libero arbitrio ad Valentinum.*

PROPTER eos, qui cum defenditur Dei gratia putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum arbitrium, vt negent Dei gratiam, aſſerentes eam ſecundum merita noſtra dari: ſcripſi librũ, cuius titulus eſt De gratia & libero arbitrio. Ad eos autem ſcripſi monachos Adrumetinos, in quorum monaſterio de hac re cœperat eſſe cõtentio, ita vt me cõſulere eorũ aliqui cogerentur. Hic liber ſic incipit: Propter eos qui liberum hominis arbitrium ſic prædicant.

CAPVT LXVII. *De correptione & gratia.*

RVRSVS ad eoſdẽ ſcripſi alterum librum, quem De correptione & gratia, prænotaui: cum mihi nunciatum eſſet, dixiſſe ibi quendam, neminem corripiendum, ſi Dei præcepta non facit, ſed pro illo vt faciat tantummodo orandum. Hic liber ſic incipit: Lectis literis veſtris.

HÆC OPERA nonagintatria in libris ducentis triginta duobus me dictaſſe recolui quando hęc retractaui. vtrum aliquos adhuc eſſem dictaturus ignorans, atque ipſam eorum retractationem in libris duobus edidi vrgentibus fratribus, antequam epiſtolas ac ſermones ad populum, alios dictatos, alios à me dictos retractare cœpiſſem.

RETRACTATIONVM FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI

CONFESSIONVM LIBER PRIMVS.

D. Auguſtinus lib. 2. retract. cap. 6.

CONFESSIONVM mearum libri XIII. & de malis & de bonis meis Deum laudant iuſtũ & bonũ, atque in eum excitant humanum intellectum & affectum, interim quod ad me attinet, hoc in me egerunt cum ſcriberentur, & agunt cum leguntur. Quid de illis alij ſentiant, ipſi viderint, multis tamẽ fratribus eos multum placuiſſe & placere ſcio. A primo vſq; ad decimum de me ſcripti ſunt. In tribus cęteris de ſcripturis ſanctis, ab eo quod ſcriptum eſt: In principio fecit Deus cælum & terram: vſq; ad ſabbathi requiem. In IIII. libro, cum de amici morte animi mei miſeriã cõfiterer, dicens quod anima noſtra vna quodammodo facta fuerat ex duabus, & ideo, inquã, fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur quem multum amaueram: quæ mihi quaſi declamatio leuis quam grauis confeſſio videtur, quamuis vtcunq; temperata ſit hæc ineptia in eo quod additum eſt, fortè. Et illud in libro XIII. quod dixi firmamentum factum inter ſpiritales aquas ſuperiores, & corporales inferiores, nõ ſatis eon D ſiderate dictum eſt, Res autẽ in abdito eſt valde. Hoc opus ſic incipit:

Gen. 1. a. 1. *Cap. 6.* *Cap. 32.*

CAP. I. *Admiratur diuinam maieſtatem, accenſus cupiditate illam laudibus proſequendi.* *a Pſal. 144. a. 3. & Pſal. 146. a. 5.* *b Iac. 4. b. 6.*

MAGNVS es Domine, & laudabilis valde, magna virtus tua, & ſapientiæ tuæ non eſt numerus. Et laudare te vult homo aliqua portio creaturæ tuæ, & homo circumferẽs mortalitatem ſuam, circunferens teſtimonium peccati ſui, & teſtimonium quia [b] ſuperbis Deus reſiſtis, & tamen laudare te vult homo aliqua portio creaturæ tuę. Tu excitas vt laudare te delectet. Quia feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Da mihi Domine ſcire & intelligere, vtrum ſit prius inuocare te, an laudare te. & ſi ſcire te prius ſit, an inuocare te. Sed quis te inuocat, neſciens te? Aliud enim pro alio poteſt inuocare neſciens te. An potius inuocaris, vt ſciaris? Quomodo autem inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ſine prædicante? Et laudabunt Dominum qui requirunt eum. Quærẽtes enim inueniẽt eum, & inuenientes laudabunt eum. Quęram te Domine inuocans te, & inuocem te credens in te, prædicatus es enim nobis. Inuocat te Domine fides mea quam dediſti mihi, quam inſpiraſti mihi per humanitatem filij tui, per miniſterium prædicatoris tui. C

Rom. 10. a. 14. *Pſal. 21. d. 27.*

ET quomodo inuocabo Deum meum, Deum & Dominum meum? Quoniam vtiq; in me ipſum eum vocabo, cum inuocabo eum. Et quis locus eſt in me, quò veniat in me Deus meus? Quò Deus veniat in me, Deus qui fecit cęlum & terram? Itáne Domine Deus meus eſt quicquam in me quod capiat te? An verò cælum & terra quę feciſti, & in quibus me feciſti capiunt te? An quia ſine te non eſſet quicquid eſt, fit vt quicquid eſt capiat te? Quoniam itaq; & ego ſum, quid peto vt venias in me, qui non eſſem, niſi eſſes in me? Non enim ego iam in inferis, & tamen etiam ibi es. Nam & ſi deſcendero in infernum, ades. Non ergo eſſem Deus meus, non omnino eſſem, niſi eſſes in me. An potius non eſſem, niſi eſſem in te, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia? Etiam ſic Domine, etiam ſic. Quò te inuoco cum in te ſim? Aut vnde venias in me? Quò enim recedam extra cælũ & terram, vt inde in me veniat Deus meus, qui dixit, Cælum & terram ego impleo?

CAPVT II. *A Deo habet homo vt ſit, & quod Deus in eo & ipſe in Deo.*

Pſal. 138. b. 8. *Rom. 11. d. 36.* *Hier. 23. e. 24.*

CAPIVNT ne ergo te cælum & terra, quoniam tu imples ea? An imples, & reſtat, quoniam non te capiunt? Et quò refundis quicquid impleto cælo & terra reſtat ex te? An non opus habes, vt à quoquam continearis qui contines omnia, quoniam quę imples continendo imples? Nõ enim vaſa quæ te plena ſunt, ſtabilem te faciunt, quia & ſi frangantur non effunderis. Et cum effunderis ſuper nos, non tu iaces, ſed erigis nos, nec tu diſſiparis, ſed colligis nos. Sed qui imples omnia, te toto imples omnia? An quia te totum non poſſunt capere omnia, partem tui capiunt, & ean-

CAPVT III. *Deus vtique totus, & non per partes à creatura capitur.*

& eandem partem simul omnia capiunt? An singulas singula, maiores maiora, minores minora capiunt? Ergo est aliqua pars tua maior, aliqua minor. An vbique totus es, & res nulla te totum capit?

CAP VT XIII. Deus omnibus donat, nihil amittēs.

QVID es ergo Deus meus? quid rogo, nisi Dominus Deus? [a] Quis enim Dominus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum? Summe, optime, potentissime, omnipotētissime, misericordissime, & iustissime, secretissime & præsentissime, pulcherrime & fortissime, stabilis & incomprehensibilis, immutabilis, mutans omnia, nūquam nouus, nunquā vetus, innouans omnia, & in vetustatem perducēs superbos & nesciunt: semper agens, semper quietus, colligens & non egens, portans & implens & protegens, creans & nutriens & perficiens: quęris cum nihil desit tibi, amas nec æstuas, zelas & securus es, pœnitet te & non doles, iraſceris & tranquillus es, opera mutas, nec mutas consilium, recipis quod inuenis & nunquam amisisti. Nunquam inops, & gaudes lucris. Nunquam auarus, & vsuras exigis. Supererogatur tibi vt debeas, & quis habet quicquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens. Et quid dicimus Deus meus, vita mea, dulcedo mea sancta, aut quid dicit aliquis cum de te dicit? Et væ tacentibus de te, quoniam loquaces muti sunt.

Sap. 7. c. 23.*

CAP. V. Orat veniā admissorum & charitatē Dei.

QVIS mihi dabit acquiescere in te? Quis mihi dabit vt venias in cor meum, & inebries illud, vt obliuiscar mala mea, & vnum bonum meum amplectar te? Quid mihi es, Miserere vt loquar. Quid tibi sum ipse, vt amari te iubeas à me, & nisi faciam iraſcaris mihi, & mineris ingentes miserias? Parua ne ipsa est, si nō amem te? Hei mihi. Dic mihi per miserationes tuas Domine Deus meus quid sis mihi. Dic animę meæ, salus tua ego sum. Sic dic vt audiam. Ecce aures cordis mei ante te Domine: aperi eas, & dic animæ meæ, salus tua ego sum. Curram post vocem hanc, & apprehendam te. Noli abscondere à me faciem tuam: moriar, ne moriar, vt eam videam. Angusta est domus animæ meæ, quo venias ad eam, dilatetur abs te. Ruinosa est, refice eam. Habet quæ offendāt oculos tuos, fateor & scio. Sed quis mundabit eam? Aut cui alteri præter te clamabo? [a] Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. [b] Credo, propter quod & loquor. [c] Domine tu scis. Nónne tibi prolocutus sum aduersum me delicta mea Deus meus, & tu dimisisti impietatem cordis mei? [d] Non iudicio cōtendo tecum, qui veritas es, & ego nolo fallere meipsum, [e] ne mentiatur iniquitas mea sibi. Nō ergo iudicio cōtendo tecum, quia si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?

Psal. 34. a. 3

a Psal. 18. c. 13.
b Psal. 115. a. 10.
c Psal. 31. b. 5.
d Hier. 2. c. 9.
e Psal. 26. d. 12.
f Psal. 129. a. 3.

CAP. VI. Quod omnia beneficia receperit à Deo & in ipso conseruetur ab ipso.

SED tamen sine me loqui apud misericordiā tuam, me terram & cinerem. Sine me tamen loqui, quoniā ecce misericordia tua est, non homo irrisor meus cui loquor. Et tu fortasse irrides me, sed cōuersus misereberis mei. Quid enim est quod volo dicere Domine Deus meus, nisi quia nescio vnde venerim huc, in istam, dicam mortalem vitam, an mortem vitalem, nescio. Et susceperunt me consolationes miserationū tuarum, sicut audiui à parentibus carnis meæ, ex qua & in qua formasti me in tempore. Non enim ego memini. Exceperunt ergo me consolationes lactis humani. Nec mater mea, vel nutrices meę sibi vbera implebant, sed tu mihi Domine per eas dabas alimentum infantię secundum institutionem tuam, & [al.] diuitias vsque ad fundum rerum dispositas. Tu etiam mihi dabas nolle amplius quam dabas, & nutriētibus me dare mihi velle quod eis dabas, Dare enim mihi per ordinatum affectum volebant, quo ex te abundabant. Nam bonum erat eis bonum meum ex eis, quod ex eis non, sed per eas erat. Ex te quippe bona omnia Deus, & ex Deo meo salus mihi vniuersa. Quod animaduerti postmodum clamante te mihi per hæc ipsa quæ tribuis intus & foris. Nam tunc sugere noram & acquiescere delectationibus, flere autem offensiones carnis meæ, nihil amplius. Post hæc & ridere cœpi; dormiens primo, deinde vigilans. Hoc enim de me mihi indicatum est, & credidi, quoniam sic videmus & alios infantes. Nam ista mea non memini. Et ecce paulatim sentiebam vbi essem, & voluntates meas volebam ostendere eis per quos implerentur, & non poteram, quia illæ intus erant, foris autem illi, nec vllo suo sensu valebant introire in animam meam. Itaq; iactabam membra & voces, signa similia voluntatib. meis, pauca quæ poteram qualia poteram. Non enim erant verisimilia. Et cūm mihi non obtemperabatur, vel nō intellecto, vel ne obesset, indignabar non subditis maioribus, & liberis non seruientibus, & me de illis flendo vindicabam. Tales esse infantes didici quos discere potui, & me talem fuisse magis mihi ipsi indicauerunt non scientes quam scientes nutritores mei. Et ecce infantia mea olim mortua est, & ego viuo. Tu autem Domine qui & semper viuis, & nihil moritur in te, quoniam ante primordia seculorum, & ante omne quod vel ante dici potest, tu es, & Deus es Dominúsq; omnium quæ creasti: Et apud te rerum omnium instabilium stant causę, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, & omnium irrationabilium & temporalium sempiternæ viuunt rationes. Dic mihi supplici tuo Deus, & misericors misero tuo, dic mihi vtrum iam alicui ætati meæ mortuæ successerit infantia mea, an illa est quam egi intra viscera matris meæ? Nam & de illa mihi nonnihil indicatum est, & prægnantes ipse vidi fœminas. Quid etiam ante hanc dulcedo mea Deus meus? Fuine alicubi aut aliquis? Nam quis mihi dicat ista, non habeo, nec pater nec mater potuerunt, nec aliorum experimentū, nec memoria mea. An irrides me ista quærentē te, qui de hoc quod noui laudari te à me iubes, & confiteri me tibi: Confiteor tibi Domine cæli & terræ, laudem dicens tibi de primordiis & infantia mea, quæ non memini, & dedisti ea homini ex aliis de se coniicere, & auctoritatibus etiam mulierculārum multa de se credere. Eram enim & viuebam etiam tunc, & signa quibus sensa mea nota aliis facerem, iam in fine infantiæ quærebam. Vnde hoc tale animal, nisi abs te Domine? An quisquam se faciēdi erit artifex, aut vlla vena trahitur aliunde, qua esse & viuere currat in nos, præterquam quod tu facis nos Domine, cui esse & viuere nō aliud atque aliud est, quia summe esse atq; summe viuere idipsum es? Summus enim es & non mutaris, neque peragitur in te hodiernus dies, & tamē in te peragitur, quia in te sunt & ista omnia. Non enim haberent vias transeundi, nisi cōtineres ea. Et quoniā anni tui non deficient, an anni tui hodiernus dies? Et quam multi iam dies nostri & patrū nostrorum per hodiernum tuum transierunt, & ex illo acceperū t modos, & vtcunque extiterunt, & transibunt adhuc alij, & accipient, & vtcunq; existent. Tu autem idem ipse es, & omnia crastina atq; vltra, omniáq; hesterna & retro, hodie facies, hodie fecisti. Quid ad me, si quis non intelligat? Gaudeat & ipse dicēs. Quid est hoc? Gaudeat etiam ſ, & amet non inueniendo inuenire potius, quam inueniendo non inuenire te.

Infantia Augustini.

Psal. 101. d. 28.

CAP VII. Infantiam quoque peccatis esse obnoxiam.

EXAVDI Deus, Væ peccatis hominum. Et homo dicit hæc, & misereris eius, quoniam tu fecisti eum, & peccatum non fecisti in eo. Quis mihi commemorat peccatum infantiæ meæ? [a] Quoniam nemo mūdus à peccato coram te, nec infans cuius est vnius diei vita super terram. Quis mihi commemorat? An quilibet tantillus nunc paruulus, in quo video quod non memini de me? Quid ergo tunc peccabam? An quia vberibus inhiabam plorans? Nam si nūc faciam, non qui-

a Iob 25. a. 4.

non quidem vberibus,sed escę congruenti annis meis ita inhians, deridebor atque reprehendar iustissimè. Tunc ergo reprehendenda faciebam, sed quia reprehendentem intelligere non poteram, nec mos reprehendi me,nec ratio sinebat. Nam extirpamus & eiicimus ista crescentes. Nec vidi quenquam scientẽ,cum aliquid purgat,bona proiicere. An pro tempore etiam illa bona erant,flendo petere,etiam quod noxie daretur, indignari acriter non subiectis hominibus liberis & maioribus, hísque à quibus genitus est, multísque præterea prudentioribus non ad nutum volũtatis obtemperantibus feriendo nocere niti quantum potest, quia non obeditur imperiis quibus pernicioſe obediretur? Ita imbecillitas membrorum infantilium innocens est,non animus infantium . Vidi ego & expertus sum zelantem paruulum, nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum. Quis hoc ignorat? Expiare se dicunt ista matres atque nutrices,nescio quibus remediis: nisi vero & ista innocentia est, in fonte lactis vbertim manante atq; abundante opis egentissimum, & illo adhuc vno alimento vitam ducentem,consortem non pati. Sed blande tolerantur hæc,non quia nulla vel parua, sed quia ętatis accessu peritura sunt. Quod licet probes, tamen ferri æquo animo eadem ipsa non possunt,quãdo in aliquo annosiore deprehenduntur . Tu itaq; Domine Deus meus,qui dedisti vitam infanti, & corpus, quod ita vt videmus instruxisti sensibus , compegisti membris,figura decorasti, próq; eius vniuersitate atq; incolumitate omnes conatus animantis insinuasti,iubes me laudare te in istis & confiteri tibi , & psallere nomini tuo
Psal.91.a.2 altissime:quia Deus es omnipotens & bonus , etiamsi sola ista fecisses quæ nemo alius potest facere , nisi tu vne,à quo est omnis modus , formosissime qui formas omnia,& lege tua ordinas omnia . Hanc ergo ætatem Domine qua me vixisse non memini,de qua aliis credidi,& quam me egisse ex aliis infantibus cõieci,quan quam ista multũ fida cõiectura sit, piget me annumerare huic vitę meę qua ego viuo in hoc seculo. Quantum enim attinet ad obliuionis meæ tenebras, par illi
Psal.50.b.7 est qua vixi in matris vtero. Quod in iniquitate cõceptus sum , & in peccatis me mater mea in vtero aluit, vbi oro te Deus meus , vbi Domine ego seruus tuus, vbi aut quãdo innocẽs fui? Sed ecce omitto illud tempus. Et quid mihi iam cum eo est,cuius nulla vestigia recolo?

CAPVT VIII. *Descriptio pueritiæ.*

NONNE ab infantia huc pergens veni in pueritiã, vel potius ipsa in me venit , & succesſit infantiæ? Nec discessit illa , quò enim abiit ? Et tamen iam non erat. Non enim eram infans qui nõ farer,sed iam puer loquẽs eram,& memini hoc, & vnde loqui didicerim post aduerti. Non enim docebant me maiores homines præbentes mihi verba certo aliquo ordine doctrinæ , sicut paulò pòst literas : sed ego ipse mente quam dedisti mihi Deus meus, cũ gemitibus & vocibus variis variisq; membrorum motibus edere vellem sensa cordis mei,vt voluntati pareretur, nec valerẽ quæ volebam omnia, nec quibus volebã omnibus ꝑrẽsabam memoria, cum ipsi appellabant rem aliquam & cũ secundum eam vocem corpus ad aliquid mouebant,videbam & tenebam hoc ab eis vocari rem illam,quod sonabant,cum eam vellent ostẽdere . Hoc autem eos velle ex motu corporis aperiebatur,tanquã verbis naturalibus omnium gentium , quæ fiunt vultu & nutu oculorum,cęterorúmq; membrorũ actu,& sonitu vocis indicante affectionẽ animi, in petendis, habendis, reiiciendis, fugiendísve rebus . Ita verba in variis sententiis,locis suis posita,& crebro audita, quarũ rerum signa essent,paulatim colligebã,meásq; iam volũtates edomito in eis signis ore,per hæc enunciabã. Sic cum his inter quos eram voluntatem enunciandarũ signa

al. pensabam.

communicaui , & vitæ humanæ procellosam societatem altius ingressus sum,pendens ex parentum auctoritate,nutúque maiorum hominum.

CAP. IX. *Odium literarum & amor lusus in pueris.*

DEVS Deus meus,quas ibi miserias expertus sum & ludificationes , quandoquidem mihi recte viuere puero id proponebatur,obtẽperare monentibus, vt in hoc seculo florerem & excellerem linguosis artibus ad honorem hominum , & falsas diuitias famulantibus. Inde in scholam datus sum vt discerẽ literas, in quibus quid vtilitatis esset, ignorabam miser, & tamen si segnis in discendo essem,vapulabam. Laudabatur enim hoc à maioribus , & multi ante nos vitã istã agentes, præstruxerant ærumnosas vias, per quas trãsire cogebamur,multiplicato labore & dolore filiis Adam. Inuenimus autem Domine homines rogãtes te, & didicimus ab eis,sentiẽtes te vt poteramus esse magnum aliquem,qui posses etiam non apparẽs sensibus nostris,exaudire nos & subuenire nobis. Nã puer cœpi rogare te auxilium & refugium meum,& in tuã inuocationem rumpebã nodos linguæ meę:& rogabam te paruus,non paruo affectu , ne in schola vapularem. Et cum me non exaudiebas,quod non erat ad insipiẽ- *Psal.21.a.3*
tiam mihi,ridebantur à maioribus hominibus,atq; ab ipsis parentibus,qui mihi accidere mali nihil volebãt, plagæ meę,magnum tunc & graue malum meum. Est ne quisquam Domine tam magnus animus prægrandi affectu tibi cohærens, est ne inquam quisquam (facit enim etiam hoc quædam stoliditas) est ergo qui tibi pie cohęrendo ita sit affectus granditer,vt equuleos & vngulas,atq; huiuscemodi varia tormenta pro quibus effugiendis tibi per vniuersas terras cum timore magno supplicatur,ita parui æstimet, irridens eos qui hæc acerbissimè formidant,quemadmodum parentes nostri ridebant tormenta quibus pueri à magistris affligebamur ? Non enim aut minus ea metuebamus, aut minus te de his euadendis deprecabamur , & peccabamus tamen minus scribendo aut legendo aut cogitando de literis quam exigebatur à nobis . Nõ enim deerat Domine memoria vel ingenium, quæ nos habere voluisti pro illa ætate satis,sed delectabat ludere, & vindicabatur in nos ab eis qui talia vtique agebant. Sed maiorum nugæ negotia vocantur , puerorum autem talia cum sint , puniuntur à maioribus , & nemo miseratur pueros vel illos vel vtrosq;: nisi verò approbet quisquam bonus rerũ arbiter vapulasse me , quia ludebam pila puer,& eo ludo impediebar,quo minus celeriter discerem literas,quibus maior deformius luderem . Haud aliud faciebat idem ipse à quo vapulabam : qui si in aliqua quæstiuncula à condoctore suo victus esset,magis bile atq; inuidia torqueretur quam ego cũ in certamine pilæ à collusore meo superabar.

CAP. X. *Ob pilæ lusum neglexit iussa parentum.*

ET tamen peccabam Domine Deus ordinator & creator omnium rerum naturalium, peccatorum autem tantum non ordinator . Domine Deus meus peccabam faciendo contra præcepta parẽtum, & magistrorum illorum . Poteram enim postea bene vti literis , quas volebant vt discerem quocunq; animo illi mei: non enim meliora eligens,inobediẽs eram,sed amore ludendi,amans in certaminibus superbas victorias,& †scalpi aures meas falsis fabellis, quo prurirent *al.* scalpsi.
ardẽtius eadem curiositate magis magísq; per oculos periculosa micante in spectacula ludósque maiorum, quos tamen qui edunt, ea dignitate præditi excellunt, vt hoc penè omnes optent paruulis suis : quos tamen cædi libenter patiuntur , si spectaculis talibus impediantur à studio, quo eos ad talia edenda cupiunt peruenire. Vide ista Domine misericorditer,& libera nos iam inuocantes te , libera etiam eos qui nõdum te inuocant, vt inuocent te,& liberes eos.

CAP. XI. *Puer morbo corripitur, rogat ut baptismum discat.*

AVDIERAM enim ego adhuc puer de vita ęterna nobis promissa per humilitatem Domini Dei nostri

noſtri deſcendentis ad ſuperbiam noſtram, & ſignabar iam ſigno crucis eius, & condiebar eius ſale, iam inde ab vtero matris meæ, quæ multum ſperauit in te. Vidiſti Domine cum adhuc puer eſſem, & quodã die preſſus ſtomachi dolore, repente æſtuarem penè moriturus, vidiſti Deus meus, quoniam cuſtos meus iam eras, quo motu animi & qua fide baptiſmum Chriſti tui, Dei & Domini mei, flagitaui à pietate matris meę, & matris omnium noſtrum Eccleſiæ tuæ. Et conturbata mater carnis meæ, quoniam & ſempiternam ſalutem meam charius parturiebat corde caſto in fide tua, iam curaret feſtinabunda, vt ſacramentis ſalutaribus initiarer & abluerer, te Domine Ieſu confitens in remiſſionem peccatorum, niſi ſtatim recreatus eſſem. Dilata eſt itaq; mundatio mea, quaſi neceſſe eſſet adhuc ſordidari ſi viuerem, quia videlicet poſt lauacrum illud maior & periculoſior in ſordibus delictorũ reatus foret. Ita iam credebam, & illa & omnis domus, niſi pater ſolus qui tamen non euicit in me ius maternæ pietatis, quo minus in Chriſtum crederem, ſicut ille nondum crediderat. Nam illa ſatagebat, vt tu mihi pater eſſes Deus meus potius quã ille, & in hoc adiuuabas eam, vt ſuperaret virum cui melior ſeruiebat, quia & in hoc tibi vtique id iubenti ſeruiebat. Rogo te Deus meus, vellem ſcire ſi tu etiam velles, quo conſilio dilatus ſum ne tunc baptizarer, vtrum bono meo mihi quaſi laxata ſint lora peccandi, an nõ laxata ſint? Vnde ergo etiam nunc de aliis atq; aliis ſonat vndique in auribus noſtris, ſine illum faciat quod vult, nõdum enim baptizatus eſt: & tamen in ſalutem corporis non dicimus, ſine vulneretur amplius, nondum enim ſanatus eſt. Quanto ergo melius & citò ſanarer, & id ageretur mecum meorum meáque diligentia, vt recepta ſalus animæ meæ tuta eſſet tutela tua qui dediſſes eã? Melius verò. Sed quot & quanti fluctus impẽdere tentationum poſt pueritiam videbantur, nouerat eos iam illa mater, & tibi tam eos vnde poſtea formarer, quam ipſam iam effigiem committere volebat.

CAPVT XII. *Ad literas cogebatur, quo tamen Deus vtebatur bene.*

IN ipſa tamen pueritia de qua mihi minus quam de adoleſcentia metuebatur, nõ amabam literas, & me in eas vrgeri oderam, & vrgebar tamen, & mihi bene fiebat, nec faciebam ego bene: non enim diſcerẽ, niſi cogerer. Nemo autem inuitus bene facit, etiam ſi bonum eſt quod facit. Nec qui me vrgebant, benefaciebant, ſed bene mihi fiebat abs te Deus meus. Illi enim non intuebãtur quò referrem quod me diſcere cogebant, præterquam ad ſatiandas inſatiabiles cupiditates
Matth. 10. v. 30. copioſæ inopiæ & ignominioſæ gloriæ. Tu vero cui numerati ſunt capilli capitis noſtri, errore omniũ qui mihi inſtabant vt diſcerem, vtebaris ad vtilitatẽ meã: meo autem qui diſcere nolebam, vtebaris ad pœnam meam, qua plecti non eram indignus tantillus puer & tantus peccator. Ita de non benefacientibus tu benefaciebas mihi, & de peccãte meipſo iuſtè retribuebas mihi. Iuſſiſti enim, & ſic eſt, vt pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus.

CAP. XIII. *Quibus ſtudiis potiſſimum ſit delectatus.*

QVID autem erat cauſæ cur Græcas literas oderam, quibus puerulus imbuebar, ne nũc quidem mihi ſatis exploratum eſt. Adamaueram enim Latinas, non quas primi magiſtri, ſed quas docẽt qui grammatici vocantur. Nam illas primas vbi legere & ſcribere & numerare diſcitur, non minus oneroſas pœnaléſque habebam quam omnes Græcas. Vnde tamen
Pſal. 77. v. 39. & hoc niſi de peccato & vanitate vitæ, quia caro erat & ſpiritus ambulans & non reuertens? Nam vtiq; meliores, quia certiores erant primæ illæ literæ, quibus fiebat in me, & factum eſt, & habeo illud vt & legam ſi quid ſcriptum inuenio, & ſcribam ipſe ſi quid volo, quam illæ quibus tenere cogebar Æneæ neſcio cuius errores, oblitus errorum meorũ, & plorare Didonem mortuam, quia ſe occidit ob amorem, cum interea meipſum in his à tẽ morientem Deus meus vita mea, ſiccis oculis ferrem miſerrimus. Quid enim miſerius miſero non miſerante ſeipſum, & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem ſuam quæ fiebat non amãdo te Deus lumen cordis mei, & panis oris intus animæ meæ, & virtus maritans mentem meam & ſinum cogitationis mentis meæ. Non te amabam, & fornicabar abs te, & fornicanti ſonabat vndique [a] Euge, euge. [b] Amicitia enim mundi huius, fornicatio eſt abs te: & euge, euge dicitur, vt pudeat ſi non ita ſit homo. Et hæc non flebam, ſed flebam Didonem extinctam, ferróq; extrema ſecutam, ſequens ipſe extrema condita tua, relicto te, è terra iens in terrã: & ſi prohiberer ea legere dolerem, quia non legerem quod dolerem. Talis dementia honeſtiores & vberiores literæ putantur, quam illæ quibus legere & ſcribere didici. Sed nũc in animã meam clamet Deus meus, & veritas tua dicat mihi: Non eſt ita, melior eſt prorſus doctrina illa prior. Ná ecce paratior ſum obliuiſci errores Æneæ, atque omnia eiuſmodi, quam ſcribere & legere. At enim vela pendent liminibus grammaticarum ſcholarum, ſed non illa magis honorem ſecreti, quàm tegumentum erroris ſignificant. Non clament aduerſus me quos iam nõ timeo, dum confiteor tibi quæ vult anima mea Deus meus, & acquieſco in reprehẽſione malarum viarum mearum, vt diligam bonas vias tuas. Non clament aduerſum me venditores grãmaticæ vel emptores, quia ſi proponam eis, interrogans vtrũ verum ſit quod Æneam aliquando Carthaginem veniſſe poëta dicit, indoctiores ſe neſcire reſpondebunt, doctiores autem etiam negabunt verum eſſe. At ſi quæram quibus literis ſcribatur Æneæ nomen, omnes mihi qui hæc didicerunt verum reſpondebunt, ſecundum id pactum & placitum, quo inter ſe homines iſta ſigna firmarunt. Item ſi quæram, quid horum maiore vitæ huius incõmodo quiſque obliuiſcatur, legere & ſcribere, an poëtica illa figmenta, quis non videat quid reſpõſurus ſit, qui non eſt penitus oblitus ſui? Peccabam ergo puer cum illa inania iſtis vtilioribus amore præponebã, vel potius iſta oderam, illa amabam. Iam verò vnum & vnum duo, duo & duo quatuor, odioſa cãtio mihi erat, & dulciſſimum ſpectaculum vanitatis, equus ligneus plenus armatis, & Troiæ incendium, atque ipſius vmbra Creuſæ.

[a] *Pſal. 34. d. 21.* [b] *Iac. 4. b. 4.*

CAPVT XIIII. *De literis Græcis & Latinis.*

CVR ergo Græcã etiam grammaticã oderam talia cantãtem? Nam & Homerus peritus texere tales fabellas, & dulciſſime vanus eſt, & mihi tamẽ amarus erat puero. Credo etiã Græcis pueris Virgilius ita fit, cum eũ ſic diſcere coguntur, vt ego illũ: videlicet difficulter, difficultas omnino ediſcendæ peregrinæ linguæ, quaſi felle aſpergebat omnes ſuauitates Græcas fabuloſarũ narrationum. Nulla enim verba illa noueram, & ſæuis terroribus ac pœnis vt noſcerẽ inſtabatur mihi vehementer. Nã & Latina aliquando infans vtiq; nulla nouerã, & tamẽ aduertendo didici ſine vllo metu atq; cruciatu, inter etiã blandimenta nutricũ, & ioca arridentiũ, & lætitias alludentium. Didici verò illa ſine pœnali onere vrgentiũ, cum me vrgeret cor meum ad parienda concepta ſua, [†] quæ nõ poſſem, niſi aliqua verba didiciſſem, non à docẽtibus ſed à loquentibus, in quorum & ego auribus parturiebã quicquid ſentiebam. Hinc ſatis elucet maiorem habere vim ad diſcenda iſta liberam curioſitatem, quã meticuloſam neceſſitatem. Sed illius fluxum hæc reſtringit legibus tuis Deus, legibus tuis à magiſtrorum ferulis vſque ad tentationes martyrum valentibus legibus tuis miſcere ſalubres amaritudines, reuocãtes nos ad te à iocunditate peſtifera qua receſſimus à te.

[†] *al.* & quia non eſſet.

CAP. XV. *Precatio ad Deum.*

EXAVDI Domine deprecationem meam, ne deficiat anima mea ſub diſciplina tua, neque deficiam in con-

in confitẽdo tibi miserationes tuas, quibus eruisti me ab omnibus viis meis pessimis, vt dulcescas mihi super omnes seductiones quas sequebar, & amem te validissime & amplexer manum tuam totis prẽcordiis meis, vt eruas me ab omni tentatione vsq; in finem. Ecce enim tu Domine rex meus & Deus meus, tibi seruiat quicquid vtile puer didici, tibi seruiat quod loquor & scribo & lego & numero, quoniam cum vana discerẽ, tu disciplinam dabas mihi, & in eis vanis, peccata delectationum mearum dimisisti mihi. Didici enim in eis multa verba vtilia, sed & quæ in rebus nõ vanis disci possunt, & ea via tuta est in qua pueri ambularent.

CAP. XVI. *In lascivas fabulas.*

SED væ tibi flumen moris humani, quis resistet tibi? quamdiu non siccaberis? quousque volues Euæ filios in mare magnum & formidolosum, quod vix transeunt qui lignum conscenderint? Nónne ego in te lego & tonantem Iouem & adulterantem? Et vtique non posset hæc duo, sed actum est vt haberet auctoritatem ad imitandum verum adulterium, lenocinante falso tonitruo. Quis autem penulatorum magistrorũ audiat aure sobria, ex eodem puluere hominem clamantem & dicentem: Fingebat hæc Homerus, & humana ad deos transferebat, diuina mallem ad nos. Sed verius dicitur quod fingebat hæc quidem ille, sed hominibus flagitiosis diuina tribuendo, ne flagitia putarentur, & vt quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed cœlestes deos videretur imitatus. Et tamen ô flumen tartareum, iactantur in te filij hominum cum mercedibus vt hæc discant: & magna res agitur, cum hoc agitur publicè in foro, in conspectu legum † super mercedem salaria decernentium: & saxa tua percutis & sonas dicens: Hinc verba discuntur, hinc acquiritur eloquentia rebus persuadendis sententiisque explicãdis maxime necessaria. Ita verò non cognosceremus verba hæc, imbrem aureum & gremium & fucum, & templa cæli, & alia verba quæ in eo loco scripta sunt, nisi Terentius induceret nequam adolescentem proponentem sibi Iouem ad exemplum stupri, dum spectat tabulam quã iam pictam in pariete, vbi inerat pictura hæc, Iouem quo pacto Danaæ misisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum, fucum factum mulieri. Et vide quemadmodum se concitat ad libidinem, quasi cælesti magisterio. At quem Deũ, inquit? Qui templa cæli summo sonitu concutit. Ego homũcio id non facerem? Ego vero illud feci ac libens. Non omnino per hãc turpitudinem verba ista commodius discuntur, sed per hæc verba turpitudo ista confidentius perpetratur. Non accuso verba quasi vasa electa atque pretiosa, sed vinũ erroris quod in eis nobis propinabatur ab ebriis doctoribus: & nisi biberemus cædebamur, nec appellare ad aliquem iudicem sobrium licebat. Et tamen ego Deus meus, in cuius conspectu iam secura est recordatio mea, libenter hæc didici, & eis delectabar miser, & ob hoc bonæ spei puer appellabar.

vt supra.

In Eunucho.

CAPVT XVII. *Modus exercendæ iuuentutis in rectandis & mutandis versibus. Virgil. 1. Æneid.*

SINE me Deus meus dicere aliquid & de ingenio meo munere tuo, in quibus à me deliramentis aterebatur. Proponebatur enim mihi negotium animę meæ satis inquietum præmio laudis & dedecoris, vel plagarum metu, vt dicerem verba Iunonis irascentis & dolentis, quòd non posset Italia Teucrorum auertere regem, quæ nũquam Iunonem dixisse audieram: sed figmentorum poëticorum vestigia errantes sequi cogebamur, & tale aliquid dicere solutis verbis, quale poëta dixisset versibus. Et ille dicebat laudabilius, in quo pro dignitate adumbratæ personæ, iræ ac doloris similior affectus eminebat, verbis sententias congruẽter vestientibus. Vt quid mihi illud? ô vera vita mea Deus meus quid mihi recitãti acclamabatur prę multis coætaneis & conlectoribus meis? Nónne ecce illa omnia fumus & ventus? Itáne aliud non erat vbi exerceretur ingenium & lingua mea? laudes tuæ Domine? Laudes tuæ per scripturas tuas susperderẽt palmitem cordis mei, & non raperetur per inania nugarum turpis præda volatilibus. Non enim vno modo sacrificatur transgressoribus angelis.

CAPVT XVIII. *Quòd homines curant seruare leges grammaticorum, & non diuinorum præceptorum.*

QVID autem mirũ quòd in vanitates ita ferebar, & à te Deus meus ibam foras, quando mihi imitandi proponebantur homines, qui aliqua facta sua non mala, si cum barbarismo aut solœcismo enuntiarent, reprehensi confundebantur? Si autem libidines suas integris & ritè consequentibus verbis copiosè ornatéque narrarent, laudati gloriabantur? Vides hæc Domine & taces, longanimis & multum misericors & verax. Nunquid semper tacebis, & nõ eruis de hoc immanissimo profundo quærentem te animam, & sitientẽ delectationes tuas, & cuius cor dicit tibi: Quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram? Nam longè à vultu tuo in affectu tenebroso cesseram. Non enim pedibus aut spatiis locorum itur abs te, aut reditur ad te. Aut verò filius ille tuus minor equos aut currus vel naues quæsiuit, aut auolauit penna visibili, aut moto poplite iter egit, vt in longinqua regione viuens prodigè dissiparet quod dederas proficiscẽti, dulcis pater quia dederas, & egeno redeunti dulcior? In affectu ergo libidinoso, id enim est tenebroso, atque id est longè à vultu tuo. Vide Domine Deus, & patienter vt vides, vide quomodo diligenter obseruent filij hominum pacta literarum, & syllabarum accepta à prioribus locutoribus, & à te accepta æterna pacta perpetuæ salutis negligant: vt qui illa sonorum vetera placita teneat aut doceat, si contra disciplinam grammaticam, sine aspiratione primæ syllabæ ominem dixerit, displiceat magis hominibus, quàm si contra tua præcepta hominem oderit cum sit homo. Quasi verò quemlibet inimicum hominem pernitiosius sentiat, quàm ipsum odium, quo in eum irritatur, aut vastet quisquam persequendo alium grauius, quàm cor suum vastat inimicando. Et certè non est interior literarum scientia, quàm scripta conscientia, id se alteri non facere quod nolit pati. Quàm tu secretus es, habitans in excelsis in silentio Deus solus magnus, lege infatigabili spargẽs pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. Cum homo eloquentiæ famam quærit astans ante hominem iudicem, circunstãte hominum multitudine, inimicum suum odio immanissimo insectans, vigilantissimè cauet, ne per linguæ errorem dicat, inter homines, & ne per mẽtis furorẽ hominem auferat ex hominibus, non cauet.

Luc. 15. c. 13.

Tob. 4. c. 16 Mat. 7. b. 12.

CAP. XIX. *Quod plus emanuit vitare barbarismum quã vitia morũ.*

HORVM ego puer morum in limine iacebam miser, & huius arenæ palæstra erat illa, vbi magis timebam barbarismum facere, quã cauebam si facerẽ, non facientibus hæc inuidere. Dico enim & cõfiteor tibi Deus meus, in quibus laudabar ab eis, quibus placere tunc mihi erat honeste viuere. Non enim videbam voraginem turpitudinis, in quam proiectus eram ab oculis tuis. Nam in illis iam quid me fœdius fuit, vbi etiam talibus displicebam, fallendo innumerabilibus mendaciis & pædagogum & magistros & parentes amore ludendi, studio spectandi nugatoria, & imitandi ludicra inquietudine? Furta etiam faciebam de cellario parentum & de mensa vel gula imperitante, vel vt haberem quod darem pueris, ludum suum mihi quo pariter vtique delectabantur, tamen vendentibus. In quo etiam ludo fraudulẽtas victorias, ipse vanę excellentiæ cupiditate victus, sæpe aucupabar. Quid autem tam nolebam pati, atque atrociter si deprehẽderem arguebam, quam id quod aliis faciebã, & si deprehensus arguerer, sæuire magis quã cedere libebat? Istáne est innocentia puerilis? Nõ est Domine, nõ est, oro te Deus meus. Ná hæc ipsa sunt quæ à pædagogis & magistris, à nucibus & pilulis & passeribus, ad præfectos

fectos & reges,aurũ,prædia,mancipia, hæc ipſa omnino quæ ſuccedentibus maioribus ætatibus tranſeunt, ſicuti ferulis maiora ſupplicia ſuccedunt.Humilitatis ergo ſignum in ſtatura pueritiæ rex noſter probaſti, cùm aiſti: Talium eſt regnum cælorum.

Matth.19.b.14.

CAP. XX. Pro bonis ſibi collatis Deo gratias agit. al. & viuebam,

SED tamen domine tibi excellentiſſimo atq; optimo conditori & rectori vniuerſitatis Deo noſtro gratias, etiam ſi me puerum tantum eſſe voluiſſes. Eram enim, & iam tunc † videbam atque ſentiebam, meamq́ue incolumitatem veſtigiũ ſecretiſſimæ vnitatis ex qua eram,curæ habebam, cuſtodiebam interiore ſenſu integritatem ſenſuum meorum, inq́; ipſis paruis paruarumq́ue rerum cogitationibus veritate delectabat. Falli nolebam, memoria vigebam, locutione inſtruebar, amicitia mulcebar, fugiebam dolorem,abiectionem,ignorantiam. Quid in tali animãte non mirabile atque laudabile? At iſta omnia Dei mei dona ſunt,non mihi ego dedi hęc,& bona ſunt,& hęc omnia ego. Bonus ergo eſt qui fecit me,& ipſe eſt bonum meum, & illi exulto bonis omnibus quibus etiã puer eram.Hoc enim peccabam, quod nõ in ipſo,ſed in creaturis eius me atq; cæteras voluptates, ſublimitates, veritates quærebam, atque ita irruebam in dolores,cõfuſiones & errores. Gratias tibi dulcedo mea & honor meus & fiducia mea Deus meus. Gratias tibi de donis tuis, ſed tu mihi ea ſerua. Ita enim ſeruabis me, & augebuntur & perficientur quæ dediſti mihi, & ero ipſe tecum,quia & vt ſim tu dediſti mihi.

D. AVRELII AVGVSTINI
CONFESSIONVM, LIB. II.

CAP. I. Adoleſcentiæ ætatem & vitia ingreditur. al. voluptates *al.*quo

RECORDARI volo tranſactas fœditates meas,& carnales † corruptiones animæ meæ, non † quod eas amem, ſed vt amem te Deus meus. Amore amoris tui facio iſtud, recolens vias meas nequiſſimas in amaritudine recogitationis meæ, vt tú dulceſcas mihi dulcedo nõ fallax,dulcedo felix & ſecura & colligens me à diſperſione in qua fruſtatim diſciſſus ſum, dum ab vno te auerſus in multa euanui. Exarſi enim aliquando ſatiari in inferis in adoleſcentia,& ſyl ueſcere auſus ſum variis & vmbroſis amoribus,& cõtabuit ſpecies mea, & computrui coram oculis tuis placens mihi,& placere cupiens oculis hominum.

CAP. II. Accuſat adoleſcentiam in ardore libidinoſo conſumptam.

ET quid erat quod me delectabat, niſi amare & amari? Sed non tenebatur modus ab animo vſque ad animum, quatenus eſt luminoſus limes amicitiæ, ſed exhalabant nebulæ de limoſa concupiſcentia carnis & ſcatebra pubertatis, & obnubilabant atq; obfuſcabant cor meum, vt non diſcerneretur ſerenitas dilectionis à caligine libidinis. Vtrumque in confuſo æſtuabat, & rapiebat imbecillem ætatem per abrupta cupiditatum,atque merſabat gurgite flagitiorum. Inualuerat ſuper me ira tua, & neſciebã. Obſordueram ſtridore catenæ mortalitatis meæ,pœna ſuperbię animæ meæ, & ibam longius à te, & ſinebas, & iactabar, & effundebar, & diffluebam, & ebulliebam per fornicationes meas, & tacebas. O tardũ gaudiũ meum. Tacebas tunc, & ego ibam porrò longè à te in † plurima & plura ſterilia ſemina dolorũ, ſuperba deiectione & inquieta laſſitudine. Quis mihi moderaretur ærumnam meam,& nouiſſimarum rerum fugaces pulchritudines in vſum verteret, earumq́ue ſuauitatibus metas præfigeret, vt vſque ad cõiugale littus exæſtuarent fluctus ætatis meæ, ſi tranquillitas in eis non poterat eſſe fine procreandorum liberorum contenta, ſicut præſcribit lex tua Domine, qui formas etiã propaginem mortalitatis noſtræ, potẽs imponere lenem manum ad temperamentum ſpinarum à paradiſo tuo ſecluſarum? Non enim longè eſt à nobis omnipotentia tua,etiam cùm lõgè ſumus à te: aut certè ſonitum nubium tuarum vigilantius aduerterem: Tribulationem autem carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco: &; Bonum eſt homini mulierem nõ tangere: & ; Qui ſine vxore eſt, cogitat ea quæ ſunt Dei, quomodo placeat Deo: qui autem matrimonio iunctus eſt, cogitat ea quæ ſunt mundi,quomodo placeat vxori.Has ergo voces exaudirem vigilantior,& abſciſus propter regnum cælorum, felicior expectarẽ amplexus tuos. Sed efferbui miſer ſequẽs impetũ fluxus mei relicto te,& exceſſi omnia legitima tua,nec euaſi flagella tua: quis enim hoc mortalium? Nam tu ſemper aderas miſericorditer ſæuiẽs,& amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas iocũditates meas, vt ita quærerem ſine offenſione iocundari, & vbi hoc poſſem non inuenirem quicquam,prẽter te Domine, præter te qui fingis dolorem in præcepto, & percutis vt ſanes,& occidis nos ne moriamur abs te. Vbi eram & quàm longè exulabam à deliciis domus tuæ, anno illo XVI. ætatis carnis meæ,cùm accepit in me luxuria ſceptrum,& totas manus ei dedi veſaniæ libidinis, licentioſæ per dedecus humanum, illicitæ autem per leges tuas? Non fuit cura meorum ruentem excipere me matrimonio,ſed cura fuit tantum vt diſcerem ſer monẽ facere quàm optimum, & perſuadere dictione.

1.Cor.7.c.28. *Ibid.a.1.* *Ibid.f.2.* *Pſal 93.d.20.* *Deut.32.f.39.*

CAP. III. De peregrinatione ſtudiorũ cauſa & parentum propoſito.

ET anno quidem illo intermiſſa erant ſtudia mea, dum mihi reducto à Madauris,in qua vicina vrbe iam cœperam literaturæ atque oratoriæ percipiendæ gratia peregrinari, longinquioris apud Carthaginem peregrinationis ſumptus præparabantur animoſitate magis quàm opibus patris municipis Thagaſtenſis admodum tenuis. Cui narro hæc? Neq; enim tibi Deus meus, ſed apud te narro hæc generi meo generi humano, quantulacunque ex particula incidere poteſt in iſtas meas literas. Et vt quid hoc? Vt videlicet ego & quiſquis hæc legit, cogitemus de quàm profundo clamãdum ſit ad te.Et quid propius auribus tuis,ſi cor confitens & vita ex fide eſt? Quis enim non extollebat laudibus tunc hominem patrẽ meum quòd vltra vires rei familiaris ſuæ impenderet filio quicquid etiã longè peregrinanti ſtudiorum cauſa opus eſſet? Multorum enim ciuium longè opulẽtiorum nullum tale negocium pro liberis erat, cùm interea non ſatageret idem pater qualis creſcerem tibi, aut quàm caſtus eſſem, dummodo eſſem diſertus, vel deſertus potius à cultura tua Deus,qui es vnus, verus & bonus Dominus agri tui cordis mei. Sed vbi ſexto illo decimo anno interpoſito ocio ex neceſſitate domeſtica feriatus ab omni ſchola cum parentibus eſſe cœpi, exceſſerũt caput meum vepres libidinum, & nulla erat eradicãs manus. Quinimò vbi me ille pater in balneis vidit puberſcentem, & inquieta indutum adoleſcentia, quaſi iam ex hoc in nepotes geſtiret, gaudens matri indicauit, gaudens vinolentia in qua te iſte mundus oblitus eſt creatorem ſuum, & creaturam tuam pro te amauit de vino inuiſibili peruerſæ atque inclinatæ in ima † voluntatis ſuæ. ſed matris in pectore iam inchoaueras templum tuum, & exordium ſanctæ habitationis tuæ.Nam ille adhuc catechumenus, & hoc recens erat. Itaque illa exiliuit pia trepidatione ac tremore, & quamuis mihi nondum fideli, timuit tamen vias diſtortas, in quibus ambulant qui ponunt ad te tergum, & non faciem. Heu mihi, & audeo dicere tacuiſſe te Deus meus cùm irem abs te longius? Itáne tunc tacebas mihi? Et cuius erãt niſi tua verba illa per matrẽ meam fidelem tuam quæ cantaſti in aures meas? Nec inde quicquam deſcendit in cor meum,vt facerem illud. Volebat enim illa, & ſecretò memini vt monuerit cum ſolicitudine ingenti ne fornicarer, maximeq́; ne adulterarem cuiuſquam vxorem. Qui mihi monitus

al. voluptatis

nitus muliebres videbãtur, quibus obtemperare erubescerem. Illi autem tui erant, & nesciebam, & te tacere putabam, atq; illam loqui: per quã mihi tu non tacebas, & in illa contemnebaris à me filio eius, filio ancillæ tuę seruo tuo. Sed nesciebam, & præceps ibam tanta cæcitate, vt inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quàm audiebam eos iactantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent, & libebat facere non solùm libidine facti, verumetiam laudis. Quid dignum est vituperatione nisi vitium? Ego ne vituperarer vitiosior fiebam, & vbi nõ suberat quo admisso æquarer perditis, fingebam me feciſſe quæ non feceram, ne viderer abiectior quo eram innocentior, & ne vilior haberer quo eram castior. Ecce cum quibus comitibus iter agebã plateárum Babyloniæ, & volutabar in cœno eius, tanquam in cinamomis & vnguentis preciosis. Et in vmbilico eius quo tenacius hærerem, calcabat me inimicus inuisibilis, & seducebat me, quia ego seductilis eram.
Hier. 51.n.6. Non enim & illa quæ iam de medio Babylonis fugerat, sed ibat in cæteris eius tardior mater carnis meæ, sicut monuit me, pudicitiam ita curauit quod de me à viro suo audierat, iamque pestilentiosum & in posterum periculosum sentiebat, coercere termino cõiugalis affectus, si resecari ad viuum non poterat. Non curauit hoc, quia metus erat ne impediretur spes mea compede vxoria, non spes illa quam in te futuri seculi habebat mater, sed spes literarum quas vt nossem nimis volebat parens vterq;. Ille quia de te propè nihil cogitabat, de me autem inania: illa autẽ quia non solùm nullo detrimento, sed etiã nonnullo adiumento ad te adipiscendum profutura existimabat vsitata illa studia doctrinæ. Ita enim conijcio, recolẽs vt possum mores parentum meorum. Relaxabantur etiam mihi ad ludendum habenæ vltra temperamẽtum seueritatis in dissolutionem affectionum variarum, & in omnibus erat caligo intercludens mihi Deus meus serenitatem veritatis tuæ, & prodibat tanquam ex adipe iniquitas mea.
Psal.72.n.7.

CAP. IIII. *Furtum Augustini.*

FVRTVM certè punit lex tua Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur? Nec copiosus adactum inopia. Et ego furtũ facere volui & feci, nulla cõpulsus egestate † nec penuria, sed fastidio iustitiæ, & sagina iniquitatis. Nam id furatus sum quod mihi abundabat, & multo melius. Nec ea re volebam frui quam furto appetebam, sed ipso furto & peccato. Arbor erat pirus in vicinia vineę nostræ pomis onusta, nec forma nec sapore illecebrosis. Ad hanc excutiendam atque exportãdam, nequissimi adolescentuli perreximus nocte intempesta, quousque ludum de pestilentiæ more in areis produxeramus, & abstulimus inde onera ingentia, nõ ad nostras epulas, sed vel proijcienda porcis, etiam si aliquid inde comedimus, dum tamen fieret à nobis quod eò liberet quo non liceret. Ecce cor meum Deus meus, ecce cor meum, quod miseratus es in imo abyssi. Dicat tibi nunc ecce cor meum, quid ibi quærebat vt essem gratis malus, & malitiæ meæ causa nulla esset nisi malitia. Fœda erat, & amaui eam. Amaui perire, amaui defectum meum, non illud ad quod deficiebam, sed defectum meum ipsum amaui, turpis anima & dissiliens à firmamento tuo in exterminium, non de decore aliquid, sed dedecus appetens.

al. nisi penuria & fastidio

CAP. V. *Neminem peccare sine causa.*

ET enim species est pulchris corporibus & auro & argento & omnibus, & in contactu carnis congruentia valet plurimum, cæterisque sensibus est sua cuique accommodata modificatio corporum. Habet etiam honor temporalis, & imperitandi atq; superandi potentia suum decus, vnde etiam vindictæ auiditas oritur, & tamen in cuncta hæc adipiscenda non est egrediendum abs te Domine, neque deuiandum à lege tua. Et vita qua hic viuimus habet illecebrã suam propter quendam modum decoris sui & conuenientiã, cum his omnibus infimis pulchris. Amicitia quoque hominum charo nodo dulcis est propter vnitatem de multis animis: propter vniuersa hæc atq; huiusmodi peccatum admittitur, dum immoderata in ista inclinatione, cum extrema bona sint, meliora & summa deserũtur, tu Domine Deus noster, & veritas tua & lex tua. Habent enim & hęc ima delectationes, sed non sicut Deus meus qui fecit omnia, quia in ipso delectatur iustus, & ipse est deliciæ rectorum corde. Cùm itaque de facinore quæritur qua causa factũ sit, credi non solet nisi cùm appetitus adipiscendi alicuius illorum bonorũ quæ infima diximus, esse potuisse apparuerit, aut metus amittendi. Pulchra sunt enim & decora, quanquam præ bonis superioribus & beatificis abiecta & iacentia. Homicidium fecit. Cur fecit? Adamauit eius coniugem aut prædium, aut voluit deprædari vnde viueret, aut timuit ab illo tale aliquid amittere, aut læsus vlcisci se exarsit. Num homicidiũ sine causa faceret ipso homicidio delectatus? Quis crediderit? Nam & de quo dictum est vecordi & nimis crudeli homine, quod gratuitò potius malus atq; crudelis erat, prædicta tamen est causa, ne per ocium, inquit, torpesceret manus aut animus? Quare id quoq;? Cur ita? Vt scilicet illa exercitatione scelerum capta vrbe, honores, imperia, diuitias assequeretur, & careret metu legũ, & difficultate rerum, propter inopiam rei familiaris, & conscientiam scelerum. Nec ipse igitur Catilina amauit facinora sua, sed vtique aliud cuius causa illa faciebat.

CAP. VI. *Omnia quæ boni specie nos ad vitia inuitant, in solo Deo esse vere & perfecta.*

QVID ergo miser in te amaui ô furtum meum, ô facinus illud meum nocturnum sextidecimi anni ætatis meę? Non enim pulchrum eras cùm furtum esses, aut verò aliquid es vt loquar ad te? Pulchra erãt poma illa quæ furati sumus, quoniam creatura tua erant, pulcherrime omnium, creator omnium, Deus bone, Deus summum bonum, & bonum verũ meum. Pulchra erant illa poma, sed non ipsa concupiuit anima mea miserabilis. Erat enim mihi meliorum copia, illa autem decerpsi tantum vt furarer. Nam decerpta proieci, epulatus inde, sola iniquitate qua lætabar fruens. Nam etsi quid illorum pomorum intrauit in os meum, condimẽtum ibi facinus erat. Et nunc Domine Deus meus, quæro quid me in furto delectauerit, & ecce species nulla est. Non dico sicut in æquitate atque prudentia, sed neque sicut in mente hominis atque memoria & sensibus & vegetante † vita, neque sicut speciosa sunt sidera & decora locis suis, & terra & mare plena fœtibus, qui succedunt nascendo decedentibus, non saltem vt est quædam defectiua species & vmbratica vitiis fallentibus. Nam & superbia celsitudinem imitatur, cùm tu sis vnus super omnia Deus excelsus. Et ambitio quid nisi honores quærit & gloriam, cùm tu sis præ cunctis honorandus vnus & glorioſus in æternum? Et sæuitia potestatũ timeri vult. Quis autem timẽdus nisi vnus Deus? Cuius potestati eripi aut subtrahi quid, quando, aut vbi aut quò vel à quo potest? Et blandiciæ lasciuientium amari volunt: sed neque blandius est aliquid tua charitate, nec amatur quicquam salubrius quàm illa præ cunctis formosa & luminosa veritas tua. Et curiositas affectare videtur studium scientiæ, cùm tu omnia summè noueris. Ignorantia quoque ipsa atq; stultitia, simplicitatis & innocentiæ nomine tegitur: quia te simplicius quicquam non reperitur. Quid te autem innocentius, quandoquidem opera tua malis inimica sunt? Et ignauia quasi quietem appetit. Quæ verò quies certa præter Dominum? Luxuria satietatem atque abundantiam se cupit vocari, tu autem es plenitudo & indefi-

al. anima,

ciens

ciens copia incorruptibilis suauitatis. Effusio liberalitatis obtendit vmbram, sed bonorum omnium largitor affluétissimus tu es. Auaritia multa possidere vult, & tu possides omnia. Inuidia de excellentia litigat, quid te excellentius? Ira vindictam quærit, te iustius quis vindicat? Timor insolita & repentina exhorrescit, rebus quæ amantur aduersantia, dum præcauet securitati: tibi enim quid insolitum, quid repẽtinum? Aut quis à te separat quod diligis? aut vbi nisi apud te firma securitas? Tristitia rebus amissis contabescit, quibus se oblectabat cupiditas, quia ita sibi nollet, sicut tibi auferri nihil potest. Ita fornicatur anima cùm auertitur abs te & quærit extra te ea quæ pura & liquida non inuenit, nisi cùm redit ad te. Peruersè te imitantur omnes qui longè se à te faciunt, & extollunt se aduersum te. Sed etiam sic te imitando indicant creatorem te esse omnis naturæ, & ideo non esse quò à te omnimodo recedatur. Quid ergo in illo furto ego dilexi, & in quo Dominum meum vel vitiosè B atque peruersè imitatus sum? An libuit facere contra legem, saltem fallacia, quia potentatu non poteram, vt mancam libertatem captiuus imitarer faciendo impunè quod non liceret, tenebrosa omnipotentiæ similitudine?

CAP. VII. *Gratias agit Deo pro remissione peccatorũ, quodq; à multis seruatus sit.* *al* Inde diligam.

ECCE ille seruus fugiẽs Dominum suum, & consecutus vmbram. O putredo, ô monstrum vitæ & mortis profunditas. Potuitne libere quod non licebat, non ob aliud, nisi quia non licebat? Quid retribuam Domino, quod recolit hæc memoria mea, & anima mea non metuit † inde? Diligam te Domine & gratias agam, & confitear nomini tuo, quoniã tanta dimisisti mihi mala & nefaria opera mea. Gratiæ tuæ deputo & misericordiæ tuæ, quod peccata mea tanquam glaciem soluisti, gratiæ tuæ deputo, & quæcunque non feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amaui? Et omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea spõte feci mala, & quę C te duce non feci. Quis est hominum qui suam cogitans infirmitatem, audet vitibus suis tribuere castitatem atque innocentiam suam, vt minus amet te, quasi minus ei necessaria fuerit misericordia tua, qua donas peccata cõuersis ad te? Qui enim vocatus à te secutus est vocem tuam, & vitauit ea quæ me de meipso recordantem & fatentem legit, non me derideat ab eo medico ægrum sanari, à quo sibi præstitum est vt non ægrotaret, vel potius vt minus ægrotaret. Et ideo te tantundem, imò verò amplius diligat, quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum languoribus non implicari.

CAPVT VIII. *Quid amauerit in furto.*

QVEM fructum habui miser aliquando in iis quę nunc recolens erubesco, maximè in illo furto in quo ipsum furtum amaui nihil aliud, cùm & ipsum esset nihil, & eo ipso ego miserior? Et tamen solus id non feciſſem, sic recordor animum tunc meum, solus D omnimodo id non feciſſem. Ergo amaui ibi etiã consortium eorum cum quibus id feci? Non ergo nihil aliud quàm furtum amaui, imò verò nihil aliud, quia & illud nihil est. Quid est reuera? Quis est qui doceat me, nisi qui illuminat cor meum, & discernit vmbras eius, quid est quod mihi venit in mentem quærere & discutere & considerare? Quia si tunc amarem poma illa quæ furatus sum, & eis frui cuperẽ, possem etiam solus, si satis esset committere illam iniquitatem, qua peruenirem ad voluptatem meam, nec confricatione conscíorum animorum accenderem † pruritum cupiditatis meę. Sed quoniam in illis pomis voluptas mihi non erat, ea erat in ipso facinore, quam

CAP. IX. *Contagiosa res sodales mali.* faciebat consortium simul peccantium.

QVID erat ille affectus animi? Certè enim planè turpis erat nimis, & væ mihi erat qui habebam illum. Sed tamen quid erat? Delicta quis intelligit? Ri- *Psal. 18.* 13. sus erat, quasi titillato corde, quod fallebamus eos qui hæc à nobis fieri non putabant, & vehementer nolebant. Cur ergo eo me delectabat, quo id nõ faciebam solus? An quia etiam nemo facilè solus ridet? Nemo quidem facilè, sed tamen etiam solos & singulos homines, cũ alius nemo præsens est, vincit risus aliquando, si aliquid nimiè ridiculum, vel sensibus occurrerit, vel animo. At ego illud solus non facerem, non facerem omnino solus. Ecce est coram te Deus meus viuà recordatio animæ meæ. Solus non facerem furtum illud, in quo me non libebat id quod furabar, sed quia furabar quod me sõlum facere prorsus nõ liberet, nec facerem. O nimis inimica amicitia, seductio mentis inuestigabilis ex ludo & ioco nocẽdi auiditas, & alieni damni appetitus, nulla lucri mei, nulla vlciscendi libidine: sed cùm dicitur, Eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem.

CAP. X. *In Deo omnia bonum.*

QVIS aperit tortuosissimam istam & implicatissimam nodositatem? Fœda est, nolo in eam intendere, nolo eam videre. Te volo iustitia & innocentia, pulchra & decora honestis luminibus & insatiabili satietate. Quies est apud te valde, & vita imperturbabilis. Qui intrat in te, intrat in gaudium Domini *Matth. 25. b.* 21. sui, & nõ timebit, & habebit se optimè in optimo. Defluxi abs te ego & erraui Deus meus, nimis deuius à stabilitate tua in adolescentia, & factus sum mihi regio egestatis.

D. AVRELII AVGVSTINI CONFESSIONVM, LIB. III.

CAP. I. *Amore quem venabatur capitur.*

VENI Carthaginem, & circumstrepebat me vndique sartago flagitiosorum amorum. Nondum amabam & amari amabam, & secretiore indigentia oderam me minus indigentem. Quærebam quod amarem, amans amari, & oderam securitatem, & viam sine muscipulis. Quoniam fames mihi erat intus ab interiori cibo teipso Deus meus, & ea famè non esuriebam, sed eram sine desiderio alimentorum incorruptibilium: non quia plenus eis eram, sed quo inanior, eo fastidiosior: & ideo non bene valebat anima mea, & vlcerosa proijciebat se foras miserabiliter scalpi auida contactu sensibilium. Sed si non haberẽt animam, non vtique amarentur. Amare & amari dulce mihi erat, magis si etiam amantis corpore fruerer. Venam igitur amicitiæ coinquinabam sordibus concupiscentiæ, candoremq́ue eius obnubilabam tartarea libidine, & tamen fœdus atq; inhonestus, elegans & vrbanus esse gestiebam abundanti vanitate. Rui etiam in amorem quo cupiebam capi: Deus meus misericordia mea, quãto felle mihi suauitatem illam, & quàm bonus aspersisti, quia & amatus sum, & perueni occultè ad vinculum fruendi, & colligabar lætus ærumnosis nexibus, vt cæderer virgis ferreis ardẽtibus, zeli, & suspicionum & timorum & irarum atq; rixarum. Rapiebant me spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum mearum, & fomitibus ignis mei.

CAP. II. *Spectacula tragica.*

QVID est quod homo ibi vult dolere, cùm spectat luctuosa atque tragica: quæ tamen pati ipse nollet? Et tamen pati vult ex eis dolorem spectator, & dolor ipse est voluptas eius. Quid est nisi miserabilis insania? Nam eo magis eis mouetur quisque, quo minus à talibus affectibus sanus est, quanquam cùm ipse patitur miseria, cum aliis cõpatitur, misericordia dici solet. Sed qualis tandem misericordia in rebus fictis & scenicis? Non enim ad subueniendum prouocatur auditor, sed tantum ad dolendum inuitatur. Et † autori *al.* actori earum imaginum amplius fauet, cùm amplius dolet. Et si calamitates illæ hominum vel antiquæ vel falsæ

sic agantur, vt qui spectat nõ doleat, abscedit inde fastidiens & reprehendens. Si autem doleat, manet intentus, & gaudens lachrymatur. Lachrymæ ergo amantur & dolores? Certè omnis homo gaudere vult. An cùm miserum neminem esse libeat, libet tamen esse misericordem? Quod quia non sine dolore est, hac vna causa amantur dolores. Et hoc de illa vena amicitiæ est. Sed quò vadit? quo fluit? Vt quid decurrit in torrentem picis bulliẽtis, æstus immanes tetrarum libidinũ, in quos ipsa mutatur & vertitur per nutum proprium de cælesti serenitate detorta atque deiecta? Repudietur ergo misericordia? Nequaquam. Ergo amentur dolores aliquando. Sed caue immundiciam
Dan.3.c.52. anima mea sub tutore Deo meo, Deo patrum nostrorum, & laudabili & superexaltato in omnia secula: caue immundiciam. Neque enim nunc non misereor, sed tunc in theatris congaudebam amantibus, cùm sese fruebantur per flagitia, quamuis hæc imaginariè gererentur in ludo spectaculi. Cùm autem sese amittebant, quasi misericors contristabar, & vtrumque delectabat tamen. Nunc verò magis misereor gaudentem in flagitio, quàm velut dura perpessum detrimẽto pernicioſæ voluptatis, & amissione miseræ felicitatis. Hæc certè verior misericordia, sed non in ea† delectatur cor. Nam etsi approbatur officio charitatis, qui dolet miserum, mallet tamen vtique non esse quod doleret, qui germanitus misericors est. Si enim est maleuola beneuolentia, quod fieri non potest: potest & ille qui veraciter sinceriterque miseretur, cupere esse miseros vt misereatur. Nonnullus itaq; dolor approbandus, nullus amandus est. Hoc enim tu Domine Deus qui animas amas, longè† lateque purius quàm nos & incorruptibilius misereris, quòd nullo dolore sauciaris. Et ad hæc quis idoneus? At ego tunc miser dolere amabam, & quærebam vt esset quod dolerem, quãdo mihi in ærumna aliena & falsa & saltatoria, ea magis placebat actio histrionis, meque alliciebat vehementius, qua mihi lachrymæ excutiebantur. Quid autem mirum cùm infelix pecus aberrãs à grege tuo, & impatiens custodiæ tuæ turpi scabie fœdarer? Et indè erant dolorum amores, non quibus altius penetrarer, non enim amabam talia perpeti, qualia† spectarem: sed quibus auditis & fictis, tanquam in superficie raderer: quos tamen quasi vngues scalpentium, feruidus tumor & tabes & sanies horrida consequebatur. Talis vita mea, nunquid vita erat Deus meus?

CAP. III. *In foro versatur inter causidicos.*

ET circumuolabat super me fidelis à longè misericordia tua. In quantas iniquitates distabui, & sacrilegam curiositatem secutus sum, vt† deserentem te, deduceret me ad ima infida & circũuentoria obsequia dæmoniorum, quibus immolabam facta mea mala, & in omnibus flagellabas me. Ausus sum etiam in celebritate solennitatum tuarum, intra parietes ecclesiæ tuæ cõcupiscere & agere negocium procurandi fructus mortis. Vnde me verberasti grauibus pœnis, sed nihil ad culpã meam, ô tu prægrandis misericordia mea Deus meus, refugiũ meum à terribilibus nocẽtibus in quibus vagatus sum præfidẽti collo ad lõgè recedendũ à te, amans vias meas & non tuas, amans fugitiuam libertatem. Habebant & illa studia quæ honesta vocabantur, ductum suum intuentem fora litigiosa, vt excellerem in eis, hoc laudabilior, quo fraudulentior. Tanta est cæcitas hominum de cæcitate etiam gloriantium. Et maior iam eram in schola rhetoris, & gaudebam superbe, & tumebam typho, quanquam longè sedatior, Domine tu scis, & remotus omnino ab euersionibus quas faciebant euersores (hoc enim nomen sæuum & diabolicum, velut insigne vrbanitatis est) inter quos viuebam pudore impudenti, quia talis non eram: & cum eis eram, & amicitiis eorum delectabar aliquãdo à quorum semper factis abhorrebam, hoc est, ab euersionibus quibus proteruè insectabantur ignotorum verecundiam, quam perturbarent gratis illudendo atque inde pascendo maleuolas lætitias suas. Nihil est illo actu similius actibus dæmoniorum. Quid itaque verius quàm euersores vocantur? Euersi planè prius ipsi atque peruersi, deridentibus eos & seducentibus fallacibus occultè spiritibus, in eo ipso quo alios irridere amant & fallere.

CAP. IIII. *Hortensius Ciceronis excitauit illum ad ardorem philosophiæ.*

INTER hos ego imbecilla tunc ætate discebam libros eloquentiæ, in qua eminere cupiebam fine damnabili & ventoso per gaudia vanitatis humanæ, & vsitato iam discendi ordine perueneram in librum quendam cuiusdam Ciceronis, cuius linguam ferè omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber ille ipsius exhortationem continet ad philosophiam, & vocatur Hortensius. Ille verò liber mutauit affectum meum, & ad teipsum Domine mutauit preces meas & vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repentè omnis vana spes, & immortalitatem sapientiæ concupiscebam æstu cordis incredibili, & surgere iam cœperam vt ad te redirem. Non enim ad acuendam linguam, quod videbar emere maternis mercedibus, cùm agerem annum ætatis vndeuigesimum, iam defuncto patre ante biennium. Non ergo ad acuendam linguam referebam illum librum, neque mihi locutionem, sed quod loquebatur persuaserat. Quomodo ardebam Deus meus, quomodo ardebam euolare à terrenis ad te, & nesciebam quid ageres mecum. Apud te est enim sapientia. Amor autem sapientiæ nomen Græcum habet φιλοσοφίαν, quo me accendebant illæ literæ. Sunt qui seducant per philosophiam, magno & blando & honesto nomine colorantes & fucantes errores suos: & prope omnes qui ex illis & suprà temporibus tales erant, notantur in eo libro & demonstrantur, & manifestatur ibi salutifera illa admonitio spiritus tui per seruum tuum bonũ & pium;
Coloss.2.v.8. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem seductionem secũdum traditionem hominum, secundum elementa huius mundi, & non secundum Christum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et ego illo tempore, scis tu lumen cordis mei, quoniam nondum mihi hæc apostolica nota erant, hoc tamen solo delectabar in illa exhortatione, quod non illam aut illam sectã, sed ipsam quæcunque esset sapientiam, vt diligerem, & quærerem, & assequerer, & tenerem atque amplexarer fortiter, excitabar sermone illo, & accendebar, & ardebam, & hoc solo in me tanta flagrantia refrigebat, quod nomen Christi non erat ibi, quoniam hoc nomen secundum misericordiam tuam Domine, hoc nomen saluatoris mei filij tui, in ipso adhuc lacte matris, tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat, & quicquid sine hoc nomine fuisset, quamuis literatum & expolitum & veridicum, non me totum rapiebat.

CAP. V. *Fastidiit sacras literas propter simplicitatem stili.*

ITAQVE institui animum intendere in scripturas sanctas, vt viderem quales essent: & ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam & velatam mysteriis: & non eram ego talis vt intrare in eam possem, aut inclinare ceruicem ad eius† gressus. Non enim sicut modò loquor, ita sensi cùm attendi ad illam scripturam, sed visa est mihi indigna quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum eius, & acies mea non penetrabat interiora eius. Verum tamen illa erat quæ crescceret cum paruulis, sed ego dedignabar esse paruulus, & turgidus fastu mihi grandis videbar.

CAP. VI. *A Manichæis quomodo captus.*

INCIDI itaque in homines superbè delirantes, & carnales nimis & loquaces, in quorum ore laquei diaboli, & viscum confectum cõmixtione syllabarum nomi-

dol. delectat

al. spectare:

al. alteque

al. ingressus.

nominis tui,& Domini Iesu Christi,& paracleti consolatoris nostri spiritus sancti. Hæc enim † omnia non recedebant de ore eorum, sed sonotenus & strepitu linguæ, cæterum cor inane veri. Et dicebant Veritas & veritas,& † multi eam dicebant mihi, & nusquam erat in eis, sed falsa loquebatur, non de te tantum qui verè veritas es, sed etiam de istis elementis huius mundi creaturis tuis, de quibus etiam vera dicentes philosophos trãsgredi, debui præ amore tuo, mi pater summe bone, pulchritudo pulchrorum omnium. O veritas, veritas, quàm intime etiam tunc medullæ animi mei suspirabant tibi, cũ te illi sonarent mihi frequenter & multipliciter voce sola & libris multis & ingentibus. Et illa erant fercula in quibus mihi esurienti te, inferebantur pro te sol & luna pulchra opera tua, sed tamen opera tua, non tu, nec ipsa prima. Priora enim spiritalia opera tua, quàm ista corporea, quamuis lucida & cælestia. At ego nec priora illa, sed te ipsam, te veritas, in qua non est commutatio nec momenti obumbratio, esuriebam & sitiebam, & apponebãtur adhuc mihi in illis ferculis phantasmata splendida, quibus iam melius erat amare istum solem, saltem istis oculis verum, quàm illa falsa animo decepto per oculos. Et tamen quia te putabam, manducabam, nõ auide quidem, quia nec sapiebas in ore meo sicuti es, neque enim tu eras figmenta illa inania, nec nutriebar eis, sed exhauriebar magis: Cibus enim in somnis simillimus est cibis vigilantium, quo tamen dormientes non aluntur, dormiunt enim. At illa nec similia erant vllo modo tibi, sicut nunc mihi locuta es: quia illa erant corporalia phantasmata, falsa corpora, quibus certiora sunt vera corpora ista quæ videmus visu carneo, siue cælestia, siue terrestria: cum pecudibus & volatilibus videmus hæc, & certiora sunt quàm cùm imaginamur ea. Et rursus certius imaginamur ea, quã ex eis suspicamur alia grãdiora, & infinita, quæ omnino nulla sunt, qualibus ego tunc pascebar inanibus, & non pascebar. At tu amor meus in quem deficio vt fortis sim, nec ista corpora es quæ videmus, quãquam in cælo, nec ea es quæ non videmus ibi: quia tu ista condidisti, nec in summis tuis conditionibus † habes. Quanto ergo longè es à phantasmatibus illis meis, phantasmatibus corporum quæ omnino non sunt: quibus certiores sunt phantasiæ corporum eorũ quæ sunt, & eis certiora corpora, quæ tamen non es: sed nec anima es, quæ vita est corporum, ideo melior vita corporum, certiorque quàm corpora. Sed tu vita es animarum, vita vitarum viuens teipsa, & non mutaris vita animæ meæ. Vbi ergo mihi tunc eras, & quàm longè? & longè peregrinabar abs te, exclusus & à siliquis porcorum quos de siliquis pascebam? Quanto enim meliores grammaticorum & poëtarum fabellæ quàm illa decipula? Nam versus & carmen, & Medea volans, vtiliores certè quàm quinque elementa variè fucata, propter quinque antra tenebrarum: quę omnino nulla sunt, & occidunt credentem. Nam versus & carmen etiam ad vera elementa transfero. Volantem autem Medeam & si cantabam, non asserebam, & si cantari audiebam, non credebam: illa autem credidi. Væ, væ, quibus gradibus deductus sum in profunda inferi? quippe laborans & æstuans inopia veri, cùm te Deus meus (tibi enim confiteor qui me miseratus es & nondum confitentem) cùm te non secundum intellectum mentis, quo me præstare voluisti beluis, sed secundum sensum carnis quærerem: tu autem eras interior intimo meo, & superior summo meo: offendi in illam mulierẽ audacem, inopem prudẽtiæ, ænigma Salomonis, sedentem super sellam in foribus, & dicentem: Panes occultos libenter edite, & aquam dulcem furtiuam bibite. Quæ me seduxit, quia inuenit foris habitantem in oculo carnis meæ, & talia rumi-

nantem apud me, qualia per illum voraßem.

NESCIEBAM enim aliud vere quod est, & quasi acutulè mouebar, vt suffragarer stultis deceptoribus, cùm à me quęrerent vnde malum, & vtrum forma corporea Deus finiretur, & haberet capillos & vngues: & vtrum iusti existimandi essent qui haberent vxores multas simul, & occiderent homines, & sacrificarent de animalibus. Quibus rebus ignarus perturbabar: & recedens à veritate, ire in eam mihi videbar, quia non noueram malum non esse nisi priuationem boni, vsque ad quod omnino non est. Quod vnde viderem, cuius videre vsq; ad corpus erat oculis, & animo vsque ad phantasma. Et non noueram Deum esse spiritum, non cui membra essent per lõgum & latum, nec cui moles esset: quia moles in parte minor est quàm in toto suo, & si infinita sit, minor est in aliqua parte certo spacio definita, quàm per infinitum, & nõ est tota vbiq;, sicut spiritus, sicut Deus. Et quid in nobis esset, secundum quod essemus similes Deo, & si rectè in scripturis diceremur ad imaginem Dei, prorsus ignorabam. Et non noueram iustitiam veram interiorem, non ex consuetudine iudicantem, sed ex lege rectissima Dei omnipotentis, qua formarentur mores regionum & dierum pro regionibus & diebus, cùm ipsa vbiq; ac semper esset, non alibi alia, nec alias aliter, secundum quam iusti essent Abraham & Isaac & Iacob & Moyses & Dauid, & illi omnes laudati ore Dei, sed eos ab imperitis iudicari iniquos, iudicantib. ex humano die, & vniuersos mores humani generis ex parte moris sui metientibus tãquam si quis nescius in arma mentis, quid cuique membro accõmodatum sit, ocrea velit caput contegi, & galea calceari, & murmuret quod non aptè conueniat: aut in vno die indicto à pomeridianis horis iustitio, quisquam stomachetur non sibi concedi quid vænale proponere, quia mane concessum est: aut in vna domo videat aliquid tractari manibus à quoquam seruo, quod facere non sinatur qui pocula ministrat, aut aliquid post præsepia fieri, quod ante mensam prohibeatur, & indignetur, cùm sit vnum habitaculum & vna familia, non vbiq; atque omnibus idem tribui. Sic sunt isti qui indignantur, cùm audierint illo seculo licuisse iustis aliquid, quod isto non licet iustis, & quia illis aliud præcepit Deus, istis aliud pro temporalibus causis, cùm eidem iustitiæ vtrique seruierint: cùm in vno homine, & in vno die, & in vnis ædibus videant aliud alij membro congruere, & aliud iamdudum licuisse, & post horam non licere quiddam in illo angulo permitti aut iuberi quod in isto iustè vetetur & vindicetur. Nunquid iustitia varia est & mutabilis? Sed tempora quibus præsidet, non pariter eunt, tempora enim sunt. Homines autem quorum vita super terram breuis est, quia sensu non valent causas contexere seculorum priorum, aliarumq; gentiũ quas experti non sunt, cum his quas experti sunt, in vno autem corpore vel die vel domo, facilè possunt videre, quid cui membro, quibus momentis, quibus partibus personisve congruat, in illis offenduntur, his seruiunt. Hæc ego tunc nesciebam, & non aduertebam, & feriebant vndique ista oculos meos, & non videbam. Et cantabam carmina, & non mihi licebat ponere pedem quemlibet vbilibet, sed in alio atque alio metro, aliter atque aliter, & in vno aliquo versu, non omnibus locis eundem pedẽ. Et ars ipsa qua canebam, non habebat aliud alibi, sed omnia simul. Et non intuebar iustitiam cui seruirent boni & sancti homines. longè excellentius atque sublimius habere simul omnia quæ præcepit Deus, & nulla ex parte variari, & tamen variis temporibus non omnia simul, sed propria distribuentem ac præcipientem. Et reprehendebam cæcus pios patres, non solum sicut Deus iuberet atque inspiraret vtentes præsentibus,

CAP. VIII. *Doctrina Manichæorum absurda.*

Leges pro ratione temporum mutari posse.

verum quoque ſicut Deus reuelaret futura prænunciantes.

CAP. VIII. Flagitia quæ & quomodo punienda.

SED nunquid aliquando aut alicubi iniuſtum eſt diligere Deum, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & diligere proximum tanquam ſeipſum? Itaq; flagitia quæ ſunt contra naturam, vbiq; ac ſemper deteſtanda atque punienda ſunt, qualia [b] Sodomitarum fuerunt. Quę ſi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu diuina lege tenerentur, quæ nõ ſic fecit homines, vt ſe illo vterentur modo. Violatur quippe ipſa ſocietas, quæ cum Deo nobis eſſe debet, cum eadem natura cuius ille autor eſt, libidinis peruerſitate polluitur. Quæ autem contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diuerſitate vitanda ſunt, vt pactũ inter ſe ciuitatis aut gentis conſuetudine vel lege firmatũ, nulla ciuis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars eſt ſuo vniuerſo non congruens. Cùm autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet iubet, & ſi nunquam ibi factum eſt, faciendum eſt: & ſi omiſſum, inſtaurandum eſt: & ſi inſtitutum non erat, inſtituendum eſt. Si enim regi licet in ciuitate cui regnat iubere aliquid, quod neq; ante illum quiſquam nec ipſe vnquam iuſſerat, & nõ contra ſocietatem ciuitatis eius obtemperatur, imò cõtra ſocietatem non obtemperatur: generale quippe pactũ eſt ſocietatis humanæ obedire regibus ſuis: quanto magis Deo regnatori vniuerſæ creaturæ ſuæ, ad ea quæ iuſſerit, ſine dubitatione ſeruiendum eſt? Sicut enim in poteſtatibus ſocietatis humanæ, maior poteſtas minori ad obediendũ præponitur, ita Deus omnibus. Item in facinoribus, vbi libido eſt nocendi, ſiue per contumeliam, ſiue per iniuriam: & vtrumque vel vlciſcendi cauſa, ſicut inimico inimicus: vel adipiſcẽdi alicuius extra commodi, ſicut latro viatori: vel euitãdi mali, ſicut ei qui timetur: vel inuidendo, ſicut feliciori miſerior, aut in aliquo proſperatus, ei quem ſibi æquari timet, aut æqualem dolet: vel ſola voluptate alieni mali, ſicut ſpectatores gladiatorum, aut irriſores, aut illuſores quorumlibet. Hæc ſunt capita iniquitatis, quæ pullulant principandi & ſpectandi & ſentiendi libidine, aut vna, aut duabus earum, aut ſimul omnibus. Et viuitur male aduerſus tria & ſeptem, pſalterium decem chordarum decalogũ tuum, Deus altiſſime & dulciſſime. Sed quæ flagitia in te qui nõ corrũperis? Aut quæ aduerſus te facinora, cui noceri non poteſt? Sed hoc vindicas quod in ſe homines perpetrant, quia etiam cùm in te peccant, impiè faciunt in animas ſuas, & mentitur iniquitas ſibi, ſiue corrumpendo aut peruertendo naturam ſuam quam tu feciſti & ordinaſti, vel immoderatè vtendo conceſſis rebus, vel in non conceſſa flagrando in eum vſum qui eſt contra naturam: aut rei tenentur, animo & verbis ſæuientes aduerſus te, & aduerſus ſtimulum calcitrãtes: aut cum diſruptis limitibus humanæ ſocietatis, lætantur audaces priuatis conciliationibus aut diremptionibus, prout [†] quiſque delectauerit aut offenderit. Et ea fiunt cùm tu derelinqueris fons vitę, qui es vnus & verus creator & rector vniuerſitatis, & priuata ſuperbia, diligitur in parte vnum falſum. Itaque pietate humili reditur in te, & purgas nos à conſuetudine mala, & propitius es peccatis confitentium, & exaudis gemitus compeditorum, & ſoluis à vinculis quæ nobis fecimus, ſi iam non erigamus aduerſus te cornua falſæ libertatis, auaritia plus habendi, & damno totum amittendi, amplius amando proprium noſtrum, quàm te omnium bonum.

a Deut. 6. 4. 5. Matth. 22. d. 37. b Geneſ. 19. c. 24.

Diſt. 8. cap. quæ contra.

al. quidque

CAP. IX. Diſcrimen inter peccata & inter Dei iudicium & hominum.

SED inter flagitia & facinora, & tam multas iniquitates, ſunt peccata proficientium, quæ à bene iudicantibus & vituperantur ex regula perfectionis, & laudãtur ſpe frugis, ſicut herba ſegetis. Et ſunt quædam ſimilia vel flagitio vel facinori, & non ſunt peccata, quia nec te offendunt Dominũ Deum noſtrum, nec ſociale conſortium: cùm conciliantur aliqua in vſum vitæ congrua tempori, & incertum eſt an libidine habendi, aut puniuntur corrigendi ſtudio poteſtate ordinata, & incertum eſt an libidine † nocendi. Multa itaque facta quæ hominibus improbanda viderẽtur, teſtimonio tuo approbata ſunt: & multa laudata ab hominibus, te teſte damnantur: cùm ſæpe ſe aliter habet ſpecies facti, & aliter facientis animus, atque articulus occulti temporis. Cùm verò tu aliquid repentè inuſitatum & improuiſum imperas, etiam ſi hoc aliquando vetuiſti, quamuis cauſam imperij tui pro tempore occultes, & quamuis contra pactum ſit aliquorum hominum ſocietatis, quis dubitat eſſe faciendum, quando ea iuſta eſt ſocietas hominum quæ ſeruit tibi? Sed beati qui te imperaſſe ſciunt. Fiunt enim omnia à ſeruientibus tibi, vel ad exhibendum quod ad præſens opus eſt, vel ad futura prænunciãda.

al. vlciſcendi.

CAP. X. Irriſio Manichæorum.

HÆC ego neſciens, irridebam illos ſanctos ſeruos & prophetas tuos. Et quid agebam cùm irridebam eos, niſi vt irriderer abs te, ſenſim atq; paulatim perductus ad eas nugas vt crederem ficum plorare cũ decerpitur, & matrem eius arborẽ lachrymis lacteis? Quam tamen ficum ſi comediſſet aliquis ſanctus alieno ſanè non ſuo ſcelere decerptam, miſceret viſceribus & anhelaret de illa angelos, imò verò particulas Dei gemendo in oratione atque ructando, quæ particulæ ſummi & veri Dei ligatæ fuiſſent in illo pomo, niſi electi ſancti dente ac ventre ſoluerentur. Et credidi miſer magis eſſe miſericordiam præſtandam fructibus terrę, quàm hominibus, propter quos naſcerentur. Si quis enim eſuriens peteret qui Manichæus non eſſet, quaſi capitali ſupplicio damnanda buccella videretur, ſi ei daretur.

CAP. XI. Somnium matris de filio.

ET miſiſti manum tuam ex alto, & de hac profunda caligine eruiſti animam meam, cùm pro me ploraret ad te mater mea fidelis tua, amplius quàm flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam ex fide & ſpiritu quem ex te habebat, & exaudiſti eam Domine. Exaudiſti eam, nec deſpexiſti lachrymas eius, cùm profluentes rigarent terram ſub oculis eius, in omni loco orationis eius, & exaudiſti eam. Nam vnde illud ſomnium, quo eam conſolatus es, vt viuere me ſecum crederet, & habere ſecum eandem menſam in domo, quod nolle cœperat auerſans & deteſtans blaſphemias erroris mei? Vidit enim ſtãtem ſe in quadam regula lignea, & aduenientem ad ſe iuuenem ſplendidum, hilarem atque arridentem ſibi, cùm illa eſſet mœrens & mœrore confecta. Qui cùm cauſas quæſiſſet ab ea mœſtitiæ ſuæ quotidianarumq; lachrymarum, docendi vt aſſolet non diſcendi gratia, atque illa reſpondiſſet perditionem meam ſe plangere: iuſſiſſe illum quo ſecura eſſet, atque admoniſſe vt attẽderet & videret, vbi eſſet illa, ibi eſſe & me. Quod illa vbi attendit, vidit me iuxta ſe in eadẽ regula ſtantem. Vnde hoc, niſi quia erant aures tuæ ad cor eius? O tu bone omnipotens, qui ſic curas vnumquenque noſtrum tanquam ſolum cures, & ſic omnes tãquam ſingulos. Vnde illud etiam, quod cùm mihi narraſſet ipſum viſum, & ego ad id trahere conarer, vt illa ſe potius non deſperaret futuram eſſe quod eram, cõtinuò ſine aliqua hæſitatione, Non, inquit, non enim mihi dictum eſt, vbi ille, ibi & tu: ſed, vbi tu, ibi & ille. Confiteor tibi Domine recordationem mea quantum recolo, quod ſæpe non tacui, amplius me iſto per matrem vigilantem reſponſo tuo, quod tam vicina interpretationis falſitate turbata non eſt, & tam cito vidit quod videndum fuit, quod ego certè ante quàm dixiſſet non videram, etiam tum commotum fuiſſe quàm ipſo ſomnio, quo fœminæ pię gaudium tanto pòſt futurum, ad conſolationem tunc preſentis ſolicitudinis,

tanto

tanto ante prædictum est. Nam nouem fermè anni secuti sunt, quibus ego in illo limo profundi ac tenebris falsitatis, cùm sæpe surgere conarer, & grauius alliderer, volutatus sum: cùm tamen illa vidua casta, pia & sobria, quales amas, iam quidem spe alacrior, sed fletu & gemitu non segnior, non desineret horis omnibus orationum suarum de me plangere ad te, & intrabant in conspectum tuum preces eius, & me tamen dimittebas adhuc volui & inuolui illa caligine.

De vtilitate credendi. ca. 1.

CAP. XII. *Quale responsum mater Augustini accepit à quodam episcopo de ipsius conuersione.*

ET dedisti alterum responsum interim quod recolo. Nam & multa prætereo, propter quod propero ad ea quæ me magis vrgent confiteri tibi, & multa non memini. Dedisti ergo alterum per sacerdotem tuum quendam episcopum nutritum in Ecclesia, & exercitatum in libris tuis. Quem cum illa femina rogasset, vt dignaretur mecum colloqui, & refellere errores meos, & dedocere me mala, ac docere bona (faciebat enim hoc, si quos fortè idoneos inueniisset) noluit ille, prudenter sanè, quãtum sensi postea. Respondit enim me adhuc esse indocilem, eò quòd inflatus essem nouitate hæresis illius, & nonnullis quęstiunculis iam multos imperitos exagitassem, sicut illa indicauerat ei. Sed sine, inquit, illum ibi, & tantum roga pro eo Dominum, ipse legendo reperiet, quis ille sit error & quanta impietas. Simul etiam narrauit se quoque paruulum à seducta matre sua datum fuisse Manichæis, & omnes penè non legisse tantum, verumetiam scriptitasse libros eorum, sibique apparuisse nullo contrà disputante & conuincente, quàm esset illa secta fugienda, itaque fugisse. Quæ cum ille dixisset, atq; illa nollet acquiescere, sed instaret magis deprecando, & vbertim flendo, vt me videret & mecum dissereret, ille iam substomachans tædio, Vade (inquit) à me, ita viuas: fieri enim non potest, vt filius istarum lachrymarum pereat. Quod illa ita se accepisse inter colloquia sua mecum sæpe recordabatur, ac si de cælo sonuisset.

D. AVRELII AVGVSTINI CONFESSIONVM, LIB. IIII.

CAP. I. *Quamdiu & quomodo alios seduxerit.*

PER idem tempus annorum nouem, ab vndeuicesimo anno ætatis meæ, vsque ad duodetricesimum, seducebamur & seducebamus, falsi atque fallentes in variis cupiditatibus, & palã per doctrinas quas liberales vocant, occultè autem falso nomine religionis, hic superbi, ibi superstitiosi, vbique vani ac popularis gloriæ sectantes inanitatem, vsque ad theatricos plausus & contentiosa † certamina, & agonem coronarum fœnearum & spectaculorum nugas, & intemperantiam libidinum. Illac autem purgari nos ab istis sordibus expetentes cum eis qui appellantur electi & sancti, afferebamus escas, de quibus nobis in officina aqualiculi sui fabricarent angelos & deos per quos liberaremur, & sectabar ista atque faciebã cum amicis meis, per me ac mecum deceptis. Irrideant mẽ arrogantes, & nondum salubriter prostrati & elisi à te Deus meus: ego tamen confitear tibi dedecora mea in laude tua. Sine me obsecro, & da mihi circumire præsenti memoria præteritos circumitus erroris mei, & immolare tibi hostiã iubilationis. Quid enim sum ego mihi sine te, nisi dux in præceps? Aut quid sum cum mihi bene est, nisi sugens lac tuum, aut fruens te cibo qui non corrumpitur? Et quis homo est quilibet homo, cùm sit homo? Sed irrideant nos fortes & potentes, nos autem infirmi & inopes confiteamur tibi.

al. carmina;

Psal. 26. b. 6.

CAP. II. *Rhetoricam docet, & aruspicem qui victoriam promittebat, contemnit.*

DOcebam in illis annis artem rhetoricam, & victoriosam loquacitatem victus cupiditate vẽdebam. Malebam tamen Domine, tu scis, bonos habere discipulos, sicut appellantur boni: & eos sine dolo docebam dolos, non quibus contra caput innocẽtis agerent, sed aliquando pro capite nocentis. Et Deus vidisti de longinquo lapsantem in lubrico, & in multo fumo scintillantem fidem meam, quam exhibebam in illo magisterio diligentibus vanitatem, & quærẽtibus mendacium, socius eorum. In illis annis vnam habebam, non eo quod legitimum vocatur cõiugio cognitam, sed quam indagauerat vagus ardor inops prudentiæ, sed vnam tamen, ei quoque seruãs thori fidem, in qua sanè experiret exemplo meo, quid distaret inter coniugalis placiti modum quod fœderatum esset generandi gratia, & pactum libidinosi amoris, vbi proles etiam contra votum nascitur, quamuis iam nata cogat se diligi. Recolo etiam cùm mihi theatrici carminis certamen inire placuisset, mandasse mihi nescio quem aruspicem, quid ei dare mercedis vellem vt vincerem, me autem fœda illa sacramenta detestatum & abominatum respondisse, nec si corona illa esset immortaliter aurea, muscam pro victoria mea neeari sinerem. Necaturus enim erat ille in sacrificiis suis animantia, & illis honoribus inuitaturus mihi suffragatura dæmonia videbatur. Sed hoc quoque malum nõ ex tua castitate repudiaui Deus cordis mei. Non enim amare te noueram, qui nisi fulgores corporeos cogitare non noueram. Talibus enim figmentis suspirans anima, nonne [a] fornicatur abs te, & fidit in falsis, & [b] pascit ventos? Sed videlicet sacrificari pro me nollem dæmonibus, quibus me illa superstitione ipse sacrificabam. Quid est enim aliud ventos pascere, quàm ipsos pascere, hoc est errando eis esse voluptati atque derisui?

[a] *Psal. 72. d. 27.* [b] *Osea 12. à. 1.*

CAP. III. *Astrologia deditus, a sene medicina & rerum perito reuocatur.*

IDEOQVE illos † planetarios, quos mathematicos vocãt, planè consulere non desistebam, quòd quasi nullum eis esset sacrificium, & nullæ preces ad aliquẽ spiritum ob diuinationem dirigerentur, quod tamen Christiana & vera pietas consequenter repellit & damnat. Bonum est enim confiteri tibi Domine, & dicere, Miserere mei, cura animam meam, quoniã peccaui tibi. Neque ad licentiam peccandi abuti indulgentia tua, sed meminisse dominicæ vocis, Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat. Quam totam illi salubritatem interficere conantur, cùm dicunt: De cælo tibi est ineuitabilis causa peccãdi, & Venus hoc fecit, aut Saturnus, aut Mars: scilicet vt homo sine culpa sit, caro & sanguis & superba putredo, culpandus sit autem cæli ac siderum creator & ordinator. Et quis est hic, nisi Deus noster, suauitas & origo iustitiæ, qui reddis vnicuique secundum opera eius, & cor contritum & humiliatum non spernis? Erat eo tempore vir sagax, medicinæ artis peritissimus, atque in eã nobilissimus, qui proconsul è manu sua coronam illam agonisticam imposuerat nõ sano capiti meo, sed non vt medicus. Nam illius morbi tu sanator, qui resistis superbis, humilibus autẽ das gratiam. Nunquid tamen etiam per illum senem defuisti mihi, aut destitisti mederi animæ meæ? Quia enim factus ei erã familiarior, & eius sermonibus, erãt enim sine verborum cultu viuacitate sentẽtiarum iocundi & graues, assiduus & fixus inhærebam, vbi cognouit ex colloquio meo libris genethliacorum esse me deditum, benigne ac paterne monuit, vt eos abijcerem, neque curam & operam rebus vtilibus necessariam illi vanitati frustra impenderem: dicens ita se illam didicisse, vt eius professionem primis annis ætatis suæ deferre voluisset, qua vitam degeret, & si Hippocratem intellexisset, & illas vtique literas potuisset intelligere: & tamen non ob aliam causam se postea illis relictis medicinam assecutum, nisi quod eas falsissimas comperisset, & nollet vir grauis decipiendis hominibus victum quærere. At tu, inquit, quo te in

al. planos; *al. phanos;* *Psal. 91. a. 2.* *Psal. 40. a. 5.* *Matth. 18. d. 27.* *Psal. 50. d. 19* *Iac. 4. b. 6.* *1. Pet. 5. b. 5.* *Ioan. 5. c. 14.*

hominibus ſuſtentes rhetoricam tenes, hanc autem fallaciam libero ſtudio, non neceſſitate rei familiaris ſectaris: quo magis mihi te oportet de illa credere, qui eam tam perfectè diſcere elaboraui, quàm ex ea ſola viuere volui. A quo ego cùm quæſiſſem qua ex cauſa hoc fieret, vt multa indè vera pronunciarétur, reſpõdit ille vt potuit, vim ſortis hoc facere in rerum natura vſquequaque diffuſam. Si enim de Paganis poëtæ cuiuſpiam longè aliud canentis atque intendentis, cùm fortè quis conſuluit, mirabiliter conſonus negocio ſæpe verſus exiret: mirandum non eſſe dicebat, ſi ex anima humana ſuperiore aliquo inſtinctu neſciente quid in ſe fieret, non arte ſed ſorte ſonaret aliquid quod interrogantis rebus factisque conciniret. Et hoc quidem ab illo vel per illum procuraſti mihi, & quid ipſe poſtea per meipſum quærerem in memoria mea delineaſti. Tunc autẽ nec ipſe, nec chariſſimus meus Nebridius adoleſcens valde bonus & valde cautus, irridens totum illud diuinationis genus, perſuadere mihi potuerunt vt hæc abijcerem, quoniam me amplius ipſorum autorum mouebat autoritas, & nullum certum quale quærebam documentum adhuc inueneram, quo mihi ſine ambiguitate appareret, quæ ab eis conſultis vera dicerentur, ſorte non arte inſpectorum ſiderum dici.

CAP. IIII. *Morbum & baptiſmum amici narrat, quem etiam ſuis erroribus inuoluerat, eo, morte ſublato, dolet grauiſſimè.*

IN illis annis quo primo tẽpore in municipio quo natus ſum, docere cœperam, comparaueram amicum ſocietate ſtudiorum nimis charum, coæuũ mihi & conflorentem flore adoleſcentiæ. Mecum puer creuerat, & pariter in ſcholam ieramus, pariterque luſeramus. Sed nondum ſic erat amicus, quanquam ne tunc quidem ſicuti eſt vera amicitia, quia non eſt vera, niſi cùm eam tu adglutinas inter inhærentes tibi charitate diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Sed tamẽ dulcis erat nimis, Rom. 5. a. 5. †cocta feruore parilium ſtudiorum. Nam & à fide vera, quam non germanitus & penitus adoleſcens tenebat, deflexeram eũ in ſuperſtitioſas fabellas & pernicioſas, propter quas me plãgebat mater. Mecũ iam errabat in animo homo ille, & nõ poterat anima mea ſine illo. Et eccè tu imminens dorſo fugitiuorum tuorum, Deus vltionum & fons miſericordiarũ, ſimulq; conuertẽs nos ad te miris modis: ecce abſtuliſti hominem de hac vita, cùm vix annum expleuiſſet in amicitia mea, ſuauis mihi ſuper omnes ciuitates illius vitæ meæ. Quis laudes tuas enumerat vnus, in ſe vno quas expertus eſt? Quid tunc feciſti Deus meus, & quàm inueſtigabilis abyſſus iudiciorum tuorũ? Cùm enim laboraret ille febribus, iacuit diu ſine ſenſu in ſudore letali. Et cùm deſperaretur, baptizatus eſt neſciens, me non curante, & præſumente id retinere potius animam eius quod à me acceperat, non quod in neſcientis corpore fiebat. Longè autem aliter erat, nam recreatus eſt & ſaluus factus. Statimque vt primum cum eo loqui potui, potui autem mox vt ille potuit, quoniam non diſcedebam, & nimis pendebamus ex inuicem, tentaui apud illum irridere, tãquam & illo irriſuro mecum baptiſmum quem acceperat mente atque ſenſu abſentiſſimus, ſed tamẽ ſe iam accepiſſe didicerat. At ille ita me exhorruit vt inimicũ, admonuitque mirabili & repentina libertate, vt ſi amicus eſſe vellem talia ſibi dicere deſinerem. Ego autem ſtupefactus atque turbatus, diſtuli omnes motus meos, vt conualeſceret prius, eſſetque idoneus viribus valetudinis cum quo agere poſſem quod vellem. Sed ille abreptus demẽtiæ meæ, vt apud te ſeruaretur conſolationi meæ, poſt paucos dies me abſente repetitur febribus & defungitur. Quo dolore contenebratum eſt cor meum, & quicquid aſpiciebam mors erat. Et erat mihi patria ſupplicium, & paterna domus mira infelicitas, & quicquid cum illo communicaueram, ſine illo in cruciatum immanem vertebatur. Expetebant eum vndique oculi mei, & non dabatur mihi, & oderam omnia, quia non haberent eum. Nec mihi iam dicere poterant, Ecce veniet, ſicut cùm viueret quando abſens erat. Et factus eram ipſe mihi magna quæſtio, & interrogabam animam meam, quare triſtis eſſet, & quare conturbaret me valde, & nihil nouerat reſpondere mihi. Et ſi dicebam: Spera in Deum, iuſtè nõ obtemperabat, quia verior erat & melior homo quẽ chariſſimum amiſerat, quàm phantaſma in quod ſperare iubebatur. Solus fletus erat dulcis mihi & ſucceſſerat amico in deliciis animi mei. Pſal. 41. b. 6.

CAP. V. *Lachrymæ in precibus & dolore rei charæ amiſſæ.*

ET nunc Domine iam illa tranſierunt, & tempore lenitum eſt vulnus meum. Poſſúmne audire abs te qui veritas es, & admouere aurem cordis mei ori tuo, vt dicas mihi, cur fletus dulcis ſit miſeris? An tu quamuis vbique aſſis, longè abieciſti à te miſeriam noſtram? Et tu in te manes, nos autem in experimentis voluimur, & tamen niſi ad aures tuas ploraremus, nihil reſidui de ſpe noſtra fieret. Vnde igitur ſuauis fructus de amaritudine vitæ carpitur, gemere & flere & ſuſpirari & conqueri? An hoc tibi dulce eſt quod ſperamus exaudire te? Rectè iſtud in precibus, quia deſiderium perueniendi habẽt. Nunquid in dolore amiſſæ rei & luctu quo tunc operiebar? Neque enim ſperabam reuiuiſcere illum, aut hoc petebam lachrymis, ſed tantum dolebam & flebam. Miſer eram enim, & amiſeram gaudium meum. An & fletus res amara eſt præ faſtidio rerum quibus prius fruebamur, & tunc dum ab eis abhorremus, delectat?

CAP. VI. *Explicat magnũ affectum quo diligebat amicum.*

QVID autem iſta loquor? Non enim tẽpus quærendi nunc eſt, ſed confitendi tibi. Miſer eram, & miſer eſt omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium, & dilaniatur cùm eas amittit, & tũc ſentit miſeriam, qua miſer eſt & antequã amittat eas. Sic enim ego eram illo tempore, & flebã amariſſimè, & requieſcebam in amaritudine. Ita miſer eram, & habebam chariorem illo amico meo vitam ipſam miſerã. Nam quamuis eam mutare vellem, nollem tamen amittere magis quàm illum. Et neſcio an vellẽ vel pro illo: ſicut de Oreſte & Pylade traditur, ſi non fingitur, qui vellẽt pro inuicem vel ſimul mori, quia morte peius eis erat non ſimul viuere. Sed in me neſcio quis affectus nimis huic contrarius ortus erat, & tædium viuendi erat in me grauiſſimum, & moriendi metus. Credo quo magis illum amabam, hoc magis mortem quæ mihi eum abſtulerat tanquam atrociſſimam inimicam oderam & timebam, & eam repentè conſumpturã omnes homines putabam, quia illum potuit. Sic eram omnino, memini. Ecce cor meum Deus meus, ecce intus vide quia memini, ſpes mea qui me mundas à talium affectionum immundicia dirigens oculos meos ad te, & euellens de laqueo pedes meos. Mirabar enim cæteros mortales viuere, quia ille quem quaſi non moriturum dilexeram, mortuus erat, & me magis quia ille alter eram, viuere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico ſuo, dimidium animæ meæ. Nam ego ſenſi animam meam & animã illius vnam fuiſſe animam in duobus corporibus, & ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius viuere, & ideo fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaueram. Pſal. 24. a. 15.

CAP. VII. *Impatientiæ doloris mutãdo locum.*

ODementiam neſcientem diligere homines humaniter, ô ſtultum hominem immoderate humana patientem, quod ego tunc eram. Itaque æſtuabam, ſuſpirabam, flebam, turbabar, nec requies erat nec conſilium. Portabam enim conſciſſam & cruentam animam meam, impatientem portari à me, & vbi eam ponerem non inueniebam: nõ in amœnis nemoribus, non in ludis atque cantibus, nec in ſuaue olentibus locis, nec in conuiuiis apparatis, neque in volupta-

Mirabilis efficacia ſacramẽti baptiſmi.

al. coacta

luptate cubilis & lecti, non denique in libris atq; carminibus acquiescebat. Horrebant omnia, & ipsa lux; & quicquid non erat quod ille erat, improbum & odiosum erat, præter gemitum & lachrymas. Nam in eis solis aliquantula requies. Vbi autem inde auferebatur anima mea, onerabat me grandis sarcina miseriæ, quæ à te Domine leuanda erat & curanda, sciebã: sed nec volebam, nec valebam eo magis, quia non mihi eras aliquid solidum & firmum, cùm de te cogitabam. Non enim tu eras, sed vanum phantasma & error meus, erat Deus meus. Si conabar eam ibi ponere vt requiesceret, per inane labebatur, & iterum ruebat super me, & ego mihi remanseram infelix locus, vbi nec esse possem, nec inde recedere. Quò enim cor meum fugeret à corde meo? Quò à meipso fugerem? quò me non sequerer? Et tamen fugi de patria. Minus enim eum quærebant oculi mei, vbi videre non solebant, atque à Tagastensi oppido veni Carthaginem.

CAP. VIII. *Tempus dolorẽ medetur.*

NON vacant tempora, nec ociosè voluuntur per sensus nostros, faciunt in animo mira opera. Ecce veniebant & præteribant de die in diem, & veniẽdo & prætereundo inferebant mihi species alias & alias memorias, & paulatim resarciebant me pristinis generibus delectationum, quibus cedebat dolor meus ille, sed succedebant non quidem dolores alij, causæ tamen aliorum dolorum. Nam vnde me facillimè & in intima dolor ille penetrauerat, nisi quia fuderam in arenam animam meam, diligendo moriturum ac si non moriturum? Maximè quippe me reparabant atq; recreabant aliorum amicorum solatia, cum quibus amabam quod pro te amabam, & hoc erat ingens fabula & longum mendacium, cuius adulterina confricatione corrumpebatur mens nostra pruriens in auribus. Sed illa mihi fabula non moriebatur, si quis amicorum meorum moreretur. Alia erant quæ in eis amplius capiebant animum, colloqui & corridere, & vicissim beneuolè obsequi, simul legere libros dulciloquos, simul nugari, & simul honestari, dissentire interdum sine odio, tanquam ipse homo secum, atque ipsa rarissima dissensione condire consensiones plurimas, docere aliquid inuicem, aut discere aliquid ab inuicem: desiderare absentes cum molestia, suscipere venientes cum lætitia. His atque huiusmodi signis, à corde amãtium & redamantiũ procedentibus per os, per linguã, per oculos, & mille motꝰ gratissimos quasi fomitibus conflare animos, & ex pluribus vnũ facere,

CAP. IX. *Humanæ amicitiæ cum diuina comparatio.*

HOC est quod diligitur in amicis, & sic diligitur, vt rea sibi sit humana conscientia, si non amauerit redamantem, aut si amantem non redamauerit, nihil quærens ex eius corpore præter indicia beneuolẽtiæ. Hinc ille luctus si quis moriatur, & tenebræ dolorum, & versa dulcedine in amaritudinem cor madidum, & ex amissa vita morientium mors viuentium. Beatus qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt qui non amittitur. Et quis est iste nisi Deus noster, Deus qui fecit cælum & terram, & implet ea, quia implendo ea fecit ea? Te nemo amittit, nisi qui dimittit: & qui dimittit quò it aut quò fugit, nisi à te placido ad te iratum? nam vbi non inuenit legem tuam in pœna sua? Et [a] lex tua veritas, & [b] veritas tu.

[a] Psal. 118. Sade. 142. [b] Ioan. 14. a. 6.

DEVS virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam & salui erimus. Nam † quaquauersum se vertit anima hominis, ad dolores figitur, alibi præterquá in te. Tametsi figitur in pulchris extra te & extra se, quæ tamen nulla essent nisi essent abs te, quæ oriũtur & occidunt, & oriendo quasi esse incipiũt, & crescunt vt perficiantur, & perfecta senescũt & intereũt: etenim omnia senescunt, & omnia intereunt. Ergo cùm oriuntur & tendunt esse, quo magis celeriter

[c] Psal. 79. a. 4.

CAP. X. *Omnis pulchritudo ex Deo est, qui & in omnibus laudandus.*

† al. quoquouersum

crescunt, vt sint, eo magis festinant, vt non sint. Sic est modus eorum. Tãtum dedisti eis, quia partes sunt rerum, quæ non sunt omnes simul, sed decedẽdo ac succedendo agunt omnes vniuersum; cuius partes sunt. Ecce sic peragitur vt sermo noster per signa sonantia. Non enim erit totus sermo, si vnum verbum non decedãt cũ sonuerit partes suas, vt succedat aliud. Laudet te ex illis anima mea Deus creator omnium, sed non infigatur in eis glutino amoris per sensus corporis. Eunt enim quò ibant vt non sint, & conscindunt eãm desideriis pestilentiosis: quoniam ipsã esse vult, & requiescere amat in eis quæ amat: in illis autẽ non est, vbi quia non stant, fugiunt, & quis ea sequitur sensu carnis, aut quis ea comprehendit, vel cùm præstò sunt? Tardus est enim sensus carnis, quoniam sensus carnis est, & ipse est modus eius. Sufficit ad aliud ad quod factus est, ad illud autem non sufficit vt teneat transcurrentia ab initio debito vsque ad finem debitum. In verbo enim tuo per quod creantur, ibi audiunt hinc & hucusque.

CAP. XI. *Omnia creata sunt mutabilia in se, in Deo stabilia.*

NOLI esse vana anima mea, & obsurdescere in aure cordis, tumultu vanitatis tuæ. Audi & tu. Verbum ipsum clamat vt redeas, & ibi est locus quietis imperturbabilis, vbi non deseritur amor, si ipse non deserat. Ecce illa discedunt vt alia succedant, & omnibus suis partibus constet infima vniuersitas. Nunquid ego aliquò discedo, ait verbum Dei? Ibi fige mansionem tuam, ibi commẽdã quicquid inde habes anima mea, saltem fatigata fallaciis. Veritati cõmenda quicquid tibi est à veritate, & non perdes aliquid, & reflorescent putrida tua, & sanabuntur omnes languores tui, & fluxa tua reformabuntur, & renouabuntur & restringentur ad te, & non te deponent quò † descendunt, sed stabunt tecum, & permanebunt ad semper stantem ac permanentem Deum. Vt quid peruersa sequeris carnem tuam? Ipsa te sequatur conuersa, quicquid per illã sentis in parte est, & ignoras totum cuius hæ partes sunt, & delectat te tamen. Sed si ad totum comprehendendum esset idoneus sensus carnis tuæ, ac non & ipse in parte vniuersi accepisset pro pœna tua iustum modum, velles vt transiret quicquid exist it in præsenti, vt magis tibi omnia placerẽt. Nam & quod loquimur per eundem sensum carnis audis, & non vis vtique stare syllabas, sed trãsuolare vt aliæ veniãt, & totum audias. Ita semper omnia quibus vnum aliquid constat, & non simul sunt omnia ea quibus constat, plus delectant omnia quàm singula, si possint sentiri omnia. Sed longè his melior qui fecit omnia, & ipse est Deus noster, & non discedit, quia nec succeditur ei. Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, ne in his quæ tibi placent, tu ei displiceas.

† al. discedũt

CAPVT XII. *Aliter hõ improbatur, modo in his quæ placent, amentius Deum.*

SI placent animæ, in Deo amentur, quia & ipsæ mutabiles sunt, & in illo fixæ stabiliuntur, alioquin irent & perirent. In illo ergo amentur, & rape ad eũ tecũ quas potes: & dic eis, Hunc amemus, hunc amemus: ipse fecit hæc, & non est longè. Nõ enim fecit atq; abiit: sed ex illo in illo sunt. Ecce vbi est, vbi sapit veritas. Intimus cordi est, sed cor errauit ab eo. Redite prævaricatores ad cor, & inhærete illi qui fecit vos. State cum eo, & stabitis. Requiescite in eo, & quieti eritis. Quò itis in aspera? quò itis? Bonũ quod amatis ab illo est, sed quãtum est ad illum, bonum est & suaue. Sed amarum erit iustè, quia iniustè amatur deserto illo, quicquid ab illo est. Quò vobis adhuc & adhuc ambulare vias difficiles & laboriosas? Non est requies vbi quæritis eam. Quærite quod quæritis, sed ibi non est vbi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis: non est illic. Quomodo enim beata vita, vbi nec vita? Et descendit huc ipsa vita nostra, & tulit mortem nostram, & occidit eam de abun-

Esaiæ 46. c. 8

dantia vitæ ſuæ,& tonuit clamans, vt redeamus hinc ad eum in illud ſecretum vnde proceſſit ad nos, in ipſum primum virginalem vterum, vbi ei nupſit humana creatura caro mortalis, ne ſemper eſſet mortalis, & inde velut ſponſus procedens de thalamo ſuo, Pſal.18. exultauit vt gigas ad currendam viam. Non enim tardauit, ſed cucurrit clamans dictis, factis, morte, vita, deſcenſu, aſcenſu, clamans vt redeamus ad eum. Et diſceſſit ab oculis, vt redeamus ad cor, & inueniamus eum. Abſceſſit enim, & ecce hic eſt. Noluit nobiſcum diu eſſe, & non reliquit nos. Illuc enim abſceſſit, vnde Ioan.1.a.10. nunquam receſſit, quia mundus per eum factus eſt, & 1.Tim.1.c.15 in hoc mundo erat, & venit in hunc mundum peccaPſal.40.a.5. tores ſaluos facere, cui confitetur anima mea vt ſanet Pſal.4.a.3. eam, quia peccauit illi. Filij hominum vſquequo graues corde? Nunquid & poſt deſcenſum vitæ non vultis aſcendere & viuere? Sed quò aſcenditis quando in Pſal.72.b.9. alto eſtis, & poſuiſtis in cælum os veſtrum? Deſcendite vt aſcendatis, & aſcendatis ad Deum. Cecidiſtis enim aſcendendo contra eum. Dic eis iſta vt plorent in conualle plorationis, & ſic eos rape tecum ad Deum, quia de ſpiritu eius hæc dicis eis, ſi dicis ardens igne charitatis.

CAP. XIII. *Amor vnde proueniat.*

HÆc tunc non noueram, & amabam pulchra inferiora, & ibam in profundum, & dicebam amicis meis: num amamus aliquid niſi pulchrum? Quid eſt ergo pulchrum? & quid eſt pulchritudo? Quid eſt quod nos allicit & conciliat rebus quas amamus? Niſi enim eſſet in eis decus & ſpecies, nullo modo nos ad ſe mouerent. Etenim animaduertebam & videbam in ipſis corporibus aliud eſſe quaſi totum, & ideo pulchrum: aliud autem quod ideo deceret, quoniam aptè accõmodaretur alicui, ſicut pars corporis ad vniuerſum ſuum, aut calceamentum ad pedem, & ſimilia. Et iſta conſideratio ſcaturiuit in animo meo ex intimo corde meo, & ſcripſi libros de pulchro & apto, puto duos aut tres: Tu ſcis Deus. Nam excidit mihi. C Non enim habemus eos, ſed aberrauerunt à nobis, neſcio quomodo.

CAPVT XIIII. *Liber de apto & pulchro. al. Icherii*

QVID eſt autem quod me mouit Domine Deus meus, vt ad †Hierium Romanæ vrbis oratorem ſcriberem illos libros, quem non noueram facie, ſed amaueram hominem ex doctrinæ fama quæ illi clara erat, & quædam verba eius audieram, & placuerant mihi? Sed magis quia placebant aliis, & efferebãt eum laudibus ſtupentes, quòd ex homine Syro docto *al.* dictator prius Græcę facundiæ, poſtea in Latina etiam †doctor mirabilis extitiſſet, & eſſet ſcientiſſimus rerum ad ſtudium ſapientiæ pertinentium, mihi placebat. Laudatur homo & amatur abſens. Vtrum nam ab ore laudantis intrat in cor audientis amor ille? Abſit. Sed ex amante alio accenditur alius. Hinc enim amatur qui laudatur, dum non fallaci corde laudatoris prædicari creditur, id eſt cùm amans eum laudat. Sic enim tunc amabam homines ex hominum iudicio, non enim D. ex tuo Deus meus, in quo nemo fallitur. Sed tamen non ſicut auriga nobilis, ſicut venator ſtudiis popularibus diffamatus, ſed longè aliter & grauiter, & ita quemadmodum & me laudari vellem? Non autem vellem ita laudari & amari me vt hiſtriones, quãquam eos & ipſe laudarem & amarem, ſed eligens latere quàm ita notus eſſe, & velle haberi odio quàm ſic amari. Vbi diſtribuuntur iſta pondera variorum & diuerſorum amorum in anima vna? Quid eſt quod amo in alio, quod rurſus niſi odiſſem, non à me deteſtarer & repellerem, cùm ſit vterque noſtrum homo? Non enim ſicut equus bonus amatur ab eo qui nollet hoc eſſe, etiam ſi poſſet, hoc & de hiſtrione dicendum eſt, qui naturæ noſtræ ſocius eſt. Ergóne amo in homine quod odi eſſe, cùm ſim homo? Grande profun- *Matth.10.d.30.* dum eſt ipſe homo, cuius etiam capillos tu Domine A numeratos habes, & non minuuntur in te, & tamen capilli eius magis numerabiles ſunt quàm affectus eius, & motus cordis eius. At ille rhetor ex eo erat genere, quem ſic amabam, vt vellem me eſſe talem, & errabam typho, & circumferebar omni vento, & nimis occultè gubernabar abs te. Et vnde ſcio, & vnde certus confiteor tibi, quòd illum in amore laudantium magis amaueram, quàm in rebus ipſis de quibus laubabatur. Quia ſi non laudatum eum vituperarẽt, cùm iidem ipſi & vituperando atque ſpernendo ea ipſa narrarent, non accenderer in eum & non excitarer: & certè res non aliæ forent, nec homo ipſe alius, ſed tantummodo alius affectus narrantium. Ecce vbi iacet anima infirma, nõdum hærens ſoliditati veritatis. Sicut auræ linguarum flauerint à pectoribus opinantium, ita fertur & vertitur, torquetur, ac retorquetur, & obnubilatur ei lumen, & non cernitur veritas. Et ecce eſt ante nos. Et magnũ quiddã mihi erat, B ſi ſermo meus & ſtudia mea illi viro innoteſcerent. Quæ ſi probaret, flagrarem magis, ſi autem improbaret, ſauciaretur cor vanum & inane ſoliditatis tuæ. Et tamen pulchrum illud atque aptum, vnde ad eum ſcripſeram, libenter animo verſabam, †ob os contem- *al.* modos plationis meæ, & nullo collaudatore mirabar.

CAP. XV. *Quod corporalibus imaginibus contenebratus, nõ potuit capere ſpiritualia. Pſal.71.d.18.*

SED tantæ rei cardinem in arte tua nondum videbam omnipotens, qui facis mirabilia ſolus, & ibat animus meus per formas corporeas, & pulchrũ quod per ſeipſum, aptum autem quod ad aliquid accommodatum deceret, definiebam & diſtinguebam, & exemplis corporeis aſtruebam. Et cõuerti me ad animi naturam, & non me ſinebat falſa opinio, quam de ſpiritalibus habebam, verum cernere. Et irruebat in oculos meos ipſa vis veri, & auertebam palpitantem mentem ab incorporea re ad liniamenta & colores, & tumentes magnitudines. Et quia non poteram ea videre in animo, putabã me non poſſe videre animum meum. Et cùm in virtute pacem amarem, in vitioſitate autem odiſſem diſcordiam, in illa vnitatẽ, in iſta quandam diuiſionem notabam. Inq; illa vnitate mẽs rationalis & natura veritatis ac ſummi boni mihi eſſe videbatur: in iſta verò diuiſione rationalis vitæ, neſcio quam ſubſtantiam & naturam ſummi mali, quæ non ſolum eſſet ſubſtantia, ſed omnino vita eſſet, & tamen abs te non eſſet Deus meus ex quo ſunt omnia, miſer opinabar. Et tamen illam monadem appellabam, tan- *μόνας, δύας.* quam ſine vllo ſexu mentem: hanc verò dyadem iram in facinoribus, libidinem in flagitiis, neſciens quid loqueret. Non enim noueram neq; didicerã, nec vllam ſubſtantiã malum eſſe, nec ipſam mentẽ noſtrã ſummum atq; incommutabile bonum. Sicut enim facinora ſunt, ſi vitioſus eſt ille animi motus, in quo eſt impetus, & ſe iactat inſolenter ac turbidè: & flagitia, ſi eſt immoderata illa animæ affectio, qua carnales hauriuntur voluptates: ita errores & falſæ opiniones vitam contaminant, ſi rationalis mens ipſa vitioſa eſt: qualis in me tunc erat neſciente alio lumine illam illuſtrãdam eſſe, vt ſit particeps veritatis, quia non eſt ipſa natura veritatis: Quoniam tu illumina- *Pſal.17.a.29* bis lucernam meam, Domine Deus meus, illumina- bis tenebras meas: Et de plenitudine tua nos omnes *Ioan.1.b.* accepimus. Es enim tu lumen verum quod illuminat omnem hominẽ venientẽ in hunc mũdum, quia in te *Iac.1.c.17.* non eſt tranſmutatio, nec momenti obumbratio. Sed ego conabar ad te, & repellebar abs te, vt ſaperem mortem, quoniam ſuperbis reſiſtis. Quid autem ſu- *1.Pet.5.b.16* perbius, quàm vt aſſererẽ mira demẽtia me id eſſe naturaliter quod tu es? Cùm enim ego eſſem mutabilis, & eo mihi manifeſtũ eſſet, quòd ideo vtiq; ſapiens eſſe cupiebam, vt ex deteriore melior fierem, malebam tamen etiam te opinari mutabilem, quàm me nõ hoc eſſe quod tu es. Itaque repelleb ar, & reſiſtebas vento-

ſæ cer-

sæ ceruici meæ, & imaginabar formas corporeas, & A
Psal.77.d.39. caro carnem accusabam, & spiritus ambulans nõdum reuertebar ad te, & ambulando ambulabam in ea quę non sunt neque in te neque in me neque in corpore, neque mihi creabantur à veritate tua, sed à mea vanitate fingebantur ex corpore: & dicebam paruulis fidelibus tuis ciuibus meis, à quibus nescięs exulabam, dicebam illis garrulus & ineptus, Cur ergo errat anima mea quam fecit Deus? Et mihi nolebam dici cur ergo errat Deus? Et contendebam magis incommutabilẽ tuam substãtiam coactam errare, quàm meam mutabilem sponte deuiasse, & penè errare confitebar. Et eram ætate annorum fortasse vigintisex aut septẽ, cùm illa volumina scripsi, voluens apud me corporalia figmenta, obstrepentia cordis mei auribus, quas intendebam dulcis veritas in interiorem melodiã tuam,
Gen.3.d.19. cogitans de pulchro & apto, & stare cupiens & audire te, & gaudio gaudere propter vocem sponsi, & non poteram, quia vocibus erroris mei rapiebar foras, & pon- B
Psal.50.b.10 dere superbiæ meæ in ima decidebam. Non enim dabas auditui meo gaudium & lætitiam, aut exultabant ossa mea quæ humiliata non erant.

CAP. XVI. Prædicamenta per se intellexit.

ET quid mihi proderat quòd annos natus fermè viginti, cùm in manus meas veniissent Aristotelica quædam, quas apellant decem categorias, quarũ nomini cùm eas rhetor Carthaginiensis magister meus buccis typho crepantibus commemoraret, & alij qui docti habebantur, tanquam in nescio quid magnum & diuinum suspẽsus inhiabam, legi eas solus & intellexi? Quas cùm contulissem cum eis qui se dicebant vix eas magistris eruditissimis, non loquentibus tantum, sed multa in puluere depingentibus intellexisse: nihil inde aliud mihi dicere potuerunt quàm ego solus apud meipsum legens cognoueram. Et satis apertè mihi videbantur loquentes de substantiis, sicuti est homo, & quæ in illis essent, sicuti est figura hominis, qualis sit & statura, quot pedum sit, & cognatio, cuius C
frater sit, aut vbi sit constitutus, aut quando natus, aut stet aut sedeat, aut calceatus vel armatus sit, aut aliquid faciat, aut patiatur aliquid: & quæcunque in his nouem generibus, quorum exempli gratia quædam posui, vel in ipso substantiæ genere innumerabilia reperiuntur. Quid hoc mihi proderat, quando & oberat: cùm etiam te Deus meus mirabiliter simplicem atque incommutabilem, illis decem prædicamentis putans quicquid esset omnino comprehensum, sic intelligere conarer, quasi & tu subiectus esses magnitudini tuæ aut pulchritudini, vt illa essent in te quasi in subiecto, sicut in corpore: cùm tua magnitudo & tua pulchritudo tu ipse sis: corpus autem non eo sit magnum & pulchrum quo corpus est, quia etsi minus magnum & minus pulchrum, nihilominus corpus esset. Falsitas enim erat quam de te cogitabam non veritas: & figmenta miseriæ meæ, non firmamenta beaGen.3.d.18. titudinis tuæ. Iusseras enim & ita fiebat in me, vt terra D
spinas & tribulos pareret mihi, & cum labore peruenirem ad panem meum. Et quid mihi proderat quod omnes libros artium quas liberales vocant, tunc nequissimus malarum cupiditatum seruus per meipsum legi, & intellexi quoscunque legere potui, & gaudebam in eis, & nesciebam vnde esset quicquid ibi verum & certum esset? Dorsum enim habebam ad lumen, & ad ea quæ illuminantur faciem, vnde ipsa facies mea qua illuminata cernebam, non illuminabatur. Quicquid de arte loquendi & disserendi, quicquid de dimensionibus figurarum, & de musicis, & de numeris sine magna difficultate, nullo hominum tradente intellexi, scis tu Domine Deus meus: quia & celeritas intelligendi & † disputandi acumen, donum
al. discutiẽdi al. dispiciẽdi tuum est, sed non inde sacrificabam tibi. Itaque mihi nõ ad vsum sed ad perniciem magis valebat, quia tam bonam partem substantiæ meæ sategi habere in potestate: & fortitudinem meam non ad te custodiebam, Psal.58.b.10 Luca 15.c.13 sed profectus sum abs te in longinquam regionem, vt eam dissiparem in meretricias cupiditates. Nam quid mihi proderat bona res, non vtenti bene? Non enim sentiebam illas artes etiam ab studiosis & ingeniosis difficillimè intelligi, nisi cum eis eadem conabar exponere, & erat ille excellentissimus in eis, qui me exponentem nõ tardius sequeretur. Sed quid mihi hoc proderat, putanti quòd tu Domine Deus meus veritas corpus esses lucidum & immẽsum, & ego frustum de illo corpore? Nimia peruersitas. Sed sic eram, nec erubesco Deus meus confiteri tibi in me misericordias tuas, & inuocare te, qui non erubui tunc profiteri hominibus blasphemias meas, & latrare aduersum te. Quid ergo mihi tunc proderat ingenium per illas doctrinas agile, & nullo adminiculo humani magisterij tot nodosissimi libri enodati, cũ deformiter & sacrilega turpitudine in doctrina pietatis errarem. Aut quid tantum oberat paruulis tuis longè tardius ingenium, cùm à te longè non recederẽt, vt in nido ecclesiæ tuæ tuti plumescerent, & alas charitatis alimento sanæ fidei nutrirent? O Domine Deus noster, in velamento Psal.62.a.8. alarum tuarum speremus, & protege nos & porta nos, Tu portabis & paruulos, & vsque ad canos tu porta- Esa.46.b.4. bis: quoniam firmitas nostra quando tu es, tunc est firmitas: cùm autem nostra est, infirmitas est. Viuit apud te semper bonum nostrum, & quia inde auersi sumus, peruersi sumus. Reuertamur iam Domine vt non euertamur, quia viuit apud te sine vllo defectu bonum nostrum quod tu ipse es, & non timebimus ne non sit quò redeamus, quia nos inde ruimus, nobis autem absentibus non ruit domus nostra æternitas tua.

D. AVRELII AVGVSTINI CONFESSIONVM, LIB. V.

CAP. 1. Excitat mentem ad Deum laudandum.

ACCIPE sacrificium confessionũ meatum de manu linguæ meæ, quam formasti & excitasti, vt confiteatur nomini tuo, & sana omnia ossa mea & dicant: Psal.40. Psal.82. Domine quis similis tibi? Neque enim docet te quid in se agatur qui tibi confitetur, quia oculum tuum non excludit cor clausum, nec manum tuam repellit duritia hominum, sed soluis eam cũ voles, aut miserans aut vindicans, & non est qui se abscõdat à calore tuo. Sed te laudet anima mea vt amet te, & confiteatur tibi miserationes tuas vt laudet te. Non cessat nec tacet laudes tuas vniuersa creatura tua, nec spiritus omnis hominis per os conuersum ad te, nec animalia nec corporalia per os considerantium ea, vt exurgat in te à lassitudine anima nostra, innitens eis quæ fecisti, & transiens ad te qui fecisti hæc mirabiliter, & ibi refectio & vera fortitudo. Psal.102.d.5.

CAP. II. Dei præsentiã nemintem effugere, cùm sit vbique.

EANT & fugiant à te inquieti & iniqui, & tu vides eos, & distinguis vmbras, & ecce pulchra sunt cum eis omnia, & ipsi turpes sunt. Et quid nocuerunt tibi, aut in quo imperium tuum dehonestauerunt, à cælis vsque in nouissima iustum & integrum? Quò enim fugerunt cùm fugerent à fa- Psal.138.b.7. cie tua, aut vbi tu non inuenis eos? Sed fugerunt vt non viderent te videntem se, atq; excęcati in te offenderent, quia non deseris aliquid eorum quæ fecisti. Sap.11.d.25 In te offenderent iniusti, & iustè vexarentur, subtrahentes se lenitati tuæ, & offendentes in rectitudinem tuam, & cadentes in asperitatem tuam: videlicet nesciunt quòd vbique sis, quem nullus circumscribit locus, & solus es præsens, etiam iis qui longè fiunt à te. Conuertantur ergo & quærant te, quia non sicut ipsi deseruerunt te creatorem suum, ita & tu deseruisti creaturam tuã. Ipsi conuertantur & quærant te, & ecce

& ecce ibi es in corde eorum, in corde confitentium tibi, & proijcientium se in te, & plorãtium in sinu tuo post vias suas difficiles, & tu facilis terges lachrymas eorum, vt magis plorent & gaudeant in fletibus: quoniam tu Domine, non aliquis homo caro & sanguis, sed tu Domine qui fecisti, reficis & consolaris eos. Et vbi ego eram quãdo te quærebam? Et tu eras ante me, ego autem & à me discesseram, nec me inueniebam, quanto minus te.

CAP. III. De Fausto Manichæo & de astrologia.

PROLOQVAR in conspectu Dei mei annum illum vndetricesimũ ætatis meæ. Iam venerat Carthaginem quidam Manichæorum episcopus Faustus nomine, magnus laqueus diaboli, & multi implicabãtur in eo per illecebram suauiloquentię, quã ego tametsi laudabam, discernebam tamen à veritate rerum, quarum discendarum auidus eram, nec quali vasculo sermonis, sed quid mihi scientiæ comedendum apponeret nominatus apud eos ille Faustus intuebar. Fama enim de illo prælocuta mihi erat, quod esset honestatum omnium doctrinarũ peritissimus, & apprimè disciplinis liberalibus eruditus. Et quoniam multa philosophorum legeram, memoriæque mandata retinebam, ex eis quædã comparabam illis Manichæorum longis fabulis, & mihi probabiliora ista videbantur, quæ dixerunt illi, qui tantum potuerunt valere, vt possent æstimare seculũ, quanquã eius Dominum minimè inuenerint. Quoniã magnus es Domine, & humilia respicis, excelsa autẽ à longè cognoscis. Nec propinquas nisi obtritis corde, nec inueniris à superbis, nec si illi curiosa peritia numerẽt stellas & arenam, & dimetiantur sydereas plagas, & vestigent vias astrorũ. Mente enim sua quærunt ista, & ingenio quod tu dedisti eis: & multa inuenerunt, & prænunciauerũt ante multos annos defectus luminarium solis & lunæ, quo die, qua hora, quanta ex parte futuri essent, & non eos fefellit numerus, & ita factum est vt prænunciauerũt: & scripserunt regulas indagatas, & leguntur hodie, atque ex eis prænunciatur quo anno, & quo mẽse annii, & quo die mensis, & qua hora diei, & quota parte luminis sui defectura sit luna vel sol, & ita fit vt prænunciatur. Et mirantur hæc homines & stupẽt qui nesciũt ea, & exultant atq; extolluntur qui sciunt, & per impiam superbiam recedentes & deficientes à lumine tuo, tanto antè solis defectum futurum præuident, & in præsentia suũ non vident. Non enim religiosè quærunt vnde habeant ingenium quo ista quærunt. Et inuenientes quia tu fecisti eos, nõ ipsi dant tibi se vt serues quod fecisti, & quales se ipsi fecerant, occidunt se tibi, & trucidant exaltationes suas sicut volatilia, & curiositates suas sicut pisces maris, quibus perambulant secretas semitas abyssi, & luxurias suas sicut pecora campi, vt tu Deus ignis edax consumas mortuas curas eorum recreans eos immortaliter. Sed non nouerunt viam, verbum tuum, per quod fecisti ea quæ numerant, & ipsos qui numerant, & sensum quo cernunt quæ numerant, & mentem de qua nnmerant, & sapientiæ tuæ non est numerus. Ipse autem vnigenitus factus est nobis sapiẽtia & iustitia & sanctificatio, & numeratus est inter nos, & soluit tributum Cæsari. Non nouerunt hanc viam, qua descendant ad illum à se, & per eum ascendant ad eum. Non nouerunt hanc viam, & putant se excelsos esse cum syderibus & lucidos, & ecce ruerunt in terram, & obscuratum est insipiens cor eorum. Et multa vera de creatura dicunt, & veritatem creaturæ artificem non piè quęrunt, & ideo non inueniunt: aut si inueniunt, cognoscentes Deum non sicut Deum honorant, aut gratias agunt: sed euanescunt in cogitationibus suis, & dicunt se esse sapiẽtes, sibi tribuendo quæ tua sunt, ac per hoc studẽt peruersissima cæcitate etiam tibi tribuere quæ sua sunt, mendacia scilicet in te conferentes qui veritas es, & immutãtes gloriam incorrupti Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentũ, & conuertunt veritatẽ tuam in mendacium, & colunt & seruiunt creaturæ potius quàm creatori. Multa tamen ab eis ex ipsa creatura verà dicta retinebã, & occurrebat mihi ratio per numeros & ordinem temporum, & visibiles attestationes syderum, & conferebam cum dictis Manichæi, qui de his rebus multa scripsit copiosissimè delirans, & non mihi occurrebat ratio nec solstitiorũ & æquinoctiorum, nec defectuum † luminarium, nec quicquid tale in libris secularis sapientiæ didiceram. Ibi autem credere iubebar, & ad illas rationes numeris & oculis meis exploratas non occurrebat, & longè diuersum erat.

† al. lunarii.

CAP. IIII. Sola Dei cognitio beat.

NVNQVID Domine Deus veritatis quisquis nouit ista, iam placet tibi? Infelix enim homo qui scit illa omnia, te autem nescit: Beatus autem qui te scit, etiam si illa nesciat. Qui verò & te & illa nouit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est, si cognoscens te sicut Deum glorificet & gratias agit, & non euanescat in cogitationibus suis. Sicut enim melior est qui nouit possidere arborem, & de vsu eius tibi gratias agit, quamuis nesciat vel quot cubitis alta sit, vel quãta latitudine diffusa, quàm ille qui eam metitur, & omnes ramos eius numerat, & neque possidet eam, neque creatorem eius nouit aut diligit. Sic fidelis homo, cuius totus mundus diuitiarum est, & [a] quasi nihil habens, omnia possidet, inhærẽdo tibi cui seruiunt omnia, quamuis nec saltem [b] Septentrionum gyros nouerit, dubitare stultum est quin vtiq; melior sit quàm mensor cæli, & numerator syderum, & pensor elementorum, & negligens tui, qui omnia in mensura & numero & pondere disposuisti.

Rom. 1. c. 21.

a 1. Cor. 6. b. 10.

b Iob 28. d. 31.

Sap. 11. d. 21.

CAP. V. Temeritas Fausti, docentis quod nescierat.

SED tamen quis quærebat Manichæum nescio quem etiam ista scribere, sine quorum peritia pietas disci poterat? Dixisti enim homini, Ecce pietas est sapientia, quam ille ignorare posset, etiam si ista perfectè nosset: ista verò quia non nouerat, impudentissimè audens docere, prorsus illam nosse non posset. Vanitas est enim mundana ista etiam nota profiteri, pietas autem tibi confiteri. Vnde ille deuius ad hæc ista multum locutus est, vt conuictus ab eis qui ista verè didicissent, quis esset eius sensus in cæteris quæ abditiora sunt, manifestè cognosceretur. Non enim parui existimari se voluit, sed spiritũ sanctum consolatorem & ditatorem fidelium tuorum, autoritate plenaria personaliter in se esse persuadere conatus est. Itaque cùm de cælo ac stellis, & de solis ac lunæ motibus falsa dixisse deprehenderetur, quamuis ad doctrinam religionis ista non pertineant, tamen ausus eius sacrilegos fuisse satis emineret, cum ea non solum ignorata, sed etiam falsata, vesana superbiæ vanitate diceret, vt ea tanquam diuinæ personæ tribuere sibi niteretur. Cùm enim audio † Christianum aliquem fratrẽ illum aut illum ista nescientem, & aliud pro alio sentiẽtem, patienter intueor opinantem hominẽ, nec illi obesse video, cùm de te Domine creator omnium nõ credat indigna, si fortè situs & habitus creaturæ corporalis ignoret. Obest autem si hoc ad ipsam doctrinæ pietatis formã pertinere arbitretur, & pertinacius affirmare audeat quod ignorat. Sed etiã talis infirmitas in fidei cunabulis à charitate matre sustinetur, donec assurgat nouus homo in virũ perfectum, & circũferri non possit omni vento doctrinæ. In illo autem qui doctor, qui autor, qui dux & princeps eorum quibus illa suaderet ita fieri ausus est, vt qui eũ sequerẽtur nõ quemlibet hominem, sed spiritũ tuum sanctũ se sequi arbitrarentur, quis tantam dementiam sicubi falsa dixisse conuinceretur, non detestandam longeq; abijciẽdam esse iudicaret? Sed tamẽ nondum liquidò cõpereram

† al. Christianorum aliquem fratrum

Ephes. 4. e. 13.

vtrum

vtrum etiam ſecundum eius verba viciſſitudines longiorum & breuiorum dierum atq; noctium, & ipſius noctis & diei, & deliquia luminum, & ſi quid eiuſmodi in aliis libris legeram, poſſet exponi: vt ſi fortè poſſet, incertum quidem mihi fieret vtrum ſe res ita haberet, an nõ ita, ſed ad fidem meam illius autoritatem propter creditam ſanctitatem proponerem.

CAP. VI. *Fauſtus natura nõ arte facundus.*

ET per annos fermè ipſos nouem, quibus eos animo vagabundus audiui, nimis extento deſiderio venturum expectabam iſtum Fauſtum. Cæteri enim eorum, in quos fortè incurriſſem, qui talium rerum quæſtionibus à me obiectis deficiebant, illũ mihi promittebant: cuius aduentu collatoque colloquio facillimè mihi hæc & ſi qua fortè maiora quærerem, enodatiſſimè expedirentur. Ergo vbi venit, expertus ſum hominem gratum & iocundum verbis, & ea ipſa quæ illi ſolent dicere, multo ſuauius garrientem. Sed quid ad meam ſitim precioſiorum poculorum decentiſſimus miniſtrator? Iam rebus talibus ſatiatæ erant aures meæ, nec ideo mihi meliora videbantur, quia melius dicebantur: nec ideo vera quia diſerta: nec ideo ſapiens anima, quia vultus congruus & decorum eloquium. Illi autem qui eum mihi promittebant, non boni rerum exiſtimatores erant, & ideo illis videbatur prudens & ſapiens, quia delectabat eos loquens. Senſi autem aliud genus hominum etiam veritatem habere ſuſpectã, & ei nolle acquieſcere ſi cõpto atq; vberi ſermone promeretur. Me autem iam docueras Deus meus miris & occultis modis: & propterea credo quòd tu me docueris, quoniã verum eſt, nec quiſquam præter te alius eſt doctor veri, vbicunque & vndecunq; claruerit. Iam ergo abs te didiceram, nec eo debere videri aliquid verum dici, quia eloquenter dicitur: nec eo falſum, quia incompoſitè ſonant ſigna labiorum. Rurſus nec ideo verum, quia impolitè enunciatur: nec ideo falſum, quia ſplendidus ſermo eſt: ſed perinde eſſe ſapientiã & ſtultitiã, ſicut ſunt cibi vtiles & inutiles: verbis autẽ ornatis & inornatis ſicut vaſis vrbanis & ruſticanis vtroſque cibos poſſe miniſtrari. Igitur auiditas mea qua illum tãto tempore expectaueram hominem, delectabatur quidẽ motu affectuq; diſputantis, & verbis congruentibus, atq; ad veſtiendas ſententias facilè occurrẽtibus. Delectabar autem & cum multis, vel etiam præ multis laudabam ac efferebam, ſed moleſtè habebam quòd in cœtu audientiũ non ſinerer illi ingerere, & partiri cũ eo curas quæſtionum mearum, conferendo familiariter, & accipiẽdo ac reddendo ſermonem. Quod vbi potui, & aures eius cum familiaribus meis eo quoque tempore occupare cœpi, quo nõ dedeceret alternis differere, & protuli quædam quæ me mouebant, expertus ſum prius hominem expertẽ liberalium diſciplinarũ niſi grammaticæ, atque eius ipſius vſitato modo: & quia legerat aliquas Tullianas orationes, & pauciſſimos Senecæ libros, & nonnulla poëtarum, & ſuæ ſectę, ſi qua volumina Latinè atque compoſitè conſcripta erant: & quia aderat quotidiana ſermocinandi exercitatio, inde ſuppetebat eloquium, quod fiebat acceptius magisque ſeductorium moderamine ingenij, & quodam lepore naturali. Itáne eſt vt recolo Domine Deus meus arbiter conſcientiæ meæ? Coram te cor meum & recordatio mea, qui me tunc agebas abdito ſecreto prouidentiæ tuę, & inhoneſtos errores meos iam conuertebas ante faciem meam, vt viderem & odiſſem.

CAPVT VII. *Alienatur à ſecta Manichæorum.*

NAM poſteaquam ille mihi imperitus earum artium, quibus eum excellere putaueram, ſatis apparuit, deſperare cœpi poſſe eũ mihi illa quæ me mouebant aperire atque diſſoluere, quorum quidẽ ignarus poſſet veritatem tenere pietatis, ſed ſi Manichæus non eſſet. Libri quippe eorum pleni ſunt longiſſimis fabulis, de cælo & ſyderibus & ſole & luna: quæ mihi eum, quod vtique cupiebam, collatis numerorum rationibus, quos alibi ego legeram, vtrum potius ita eſſent vt Manichæi libris continebãtur, an certè vel par etiam inde ratio redderetur, ſubtiliter explicare poſſe iam non arbitrabar: quæ tamen vbi conſideranda & diſcutiẽda protuli, modeſtè ſanè ille nec auſus eſt ſubire ipſam ſarcinam. Nouerat enim ſe iſta nõ noſſe, nec eum puduit confiteri. Non erat de talibus quales multos loquaces paſſus eram, conantes ea me docere, & dicentes nihil. Iſte verò cor habebat, & ſi non rectum ad te, nec tamen nimis incautum ad ſeipſum. Non vſquequaque imperitus erat imperitiæ ſuæ, & noluit ſe temerè diſputando in ea coarctari, vnde nec exitus ei vllus, nec facilis eſſet reditus: & iam hinc mihi amplius placuit. Pulchrior eſt enim temperantia confitentis animi, quàm illa quæ noſſe cupiebam, & eum in omnibus difficilioribus & ſubtilioribus quæſtionibus talem inueniebam. Refracto itaque ſtudio quo intenderam in Manichæi literas, magisque deſperans de cæteris eorum doctoribus quando in multis quæ me mouebant ita ille nominatus apparuit, cœpi cum eo pro ſtudio eius agere vitam, quo ipſe flagrabat in eas literas, quas tunc iam rhetor Carthaginis adoleſcentes docebam, & legere cum eo, ſiue quę ille audita deſideraret, ſiue quę ipſe tali ingenio apta exiſtimarem. Cæterum omnis conatus meus, quo proficere in illa ſecta ſtatueram, illo homine cognito prorſus intercidit, non vt ab eis omnino ſepararer, ſed quaſi melius quicquã non inueniens eo, quo iam quoquo modo irrueram, contentus interim eſſe decreueram, niſi aliquid fortè quod magis eligendum eſſet eluceret. Ita ille Fauſtus, qui multis laqueis mortis extitit, meũ quo captus eram relaxare iam cœperat, nec volẽs nec ſciens. Manus enim tuæ Deus meus in abdito prouidentiæ tuę, non deſerebant animam meam, & de ſanguine cordis matris meæ per lachrymas eius diebus ac noctibus pro me ſacrificabatur tibi, & egiſti mecum miris & occultis modis. Tu illud egiſti Deus meus. Nam à Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet. Aut quæ procuratio ſalutis præter manum tuam reficientem quæ feciſti? *Pſal. 36. c. 23.*

CAPVT VIII. *Proficiſcitur Romam contra matris voluntatem.*

EGISTI ergo mecum vt mihi perſuaderetur Romam pergere, & potius ibi docere quod docebam Carthagine. Et hoc vnde mihi perſuaſum ſit non præteribo confiteri tibi: quoniam & in his altiſſimi tui receſſus, & præſentiſſima in nos miſericordia tua cogitanda & prædicanda eſt. Non ideo Romam pergere volui, quòd maiores quæſtus, maiorque mihi dignitas ab amicis, qui hoc ſuadebant, promittebatur, quanquam & iſta ducebant animum tunc meum: ſed illa erat tunc cauſa maxima & penè ſola, quod audiebam quietius ibi ſtudere adoleſcentes, & ordinatiore diſciplinæ coertione ſedari, ne in eius ſcholam quo magiſtro non vtuntur, paſſim & proteruè irruant, nec eos admitti omnino niſi ille permiſerit. Contrà apud Carthaginem fœda eſt & intemperans licentia ſcholaſticorum: irrumpunt impudenter, & propè furioſa fronte perturbant ordinem, quem quiſque diſcipulis ad proficiendum inſtituerit. Multa iniurioſa faciunt mira hebetudine, & punienda legibus, niſi conſuetudo patrona ſit, hoc miſeriores eos oſtendens, quo iam quaſi liceat faciunt quod per tuam æternam legem nũquam licebit, & impunè ſe facere arbitrantur, cum ipſa faciendi cæcitate puniantur, & incomparabiliter patiantur peiora, quàm faciũt. Ergo quos mores cùm ſtuderem meos eſſe nolui, eos cùm docerem cogebar perpeti alienos: & ideo placebat ire vbi talia non fieri omnes qui nouerant indicabãt. Verum autem tu ſpes mea & portio mea in terra viuentium, ad mutandum terrarum locũ pro ſalute animæ meæ, & Carthagini ſtimulos quibus inde auellerer, admouebas, & Romæ illece- *Pſal. 141. b. 6.*

illecebras quibus attraherer, proponebas mihi per homines qui diligebant vitam mortuam, hinc insana facientes, inde vana pollicentes, & ad corrigẽdos gressus meos vtebaris occultè & illorum & mea peruersitate. Nam & qui perturbabãt ocium meũ, fœda rabie cæci erant: & qui inuitabant ad aliud, terram sapiebant. Ego autem qui detestabar hic veram miseriam, illic falsam felicitatem appetebam. Sed quare hinc abirem, & illuc irem, tu sciebas Deus, nec indicabas mihi nec matri, quæ me profectũ atrociter planxit, & vsque ad mare secuta est, sed fefelli eam violenter me tenentẽ, vt aut reuocaret aut mecum pergeret: & finxi me amicum nolle deserere, donec vento facto nauigaret. Et mentitus sum matri, & illi matri, & euasi. Quia & hoc tu dimisisti mihi misericorditer, seruans me ab aquis maris, plenum execrandis sordibus vsque ad aquam gratiæ tuę, qua me abluto siccarẽtur flumina maternorum oculorum, quibus pro me quotidie tibi rigabat terram sub vultu suo: & tamen recusanti sine me redire vix persuasi, vt in loco qui proximus nostræ naui erat memoria beati Cypriani, maneret ea nocte. Sed ea nocte clãculo ego profectus sum: illa autem remansit orando & flendo. Et quid à te petebat Deus meus tantis lachrymis, nisi vt nauigare me non sineres? Sed tu altè consulens & exaudiens cardinem desiderij eius, non curasti quod tunc petebat, vt in me faceres quod semper petebat. Flauit ventus, & impleuit vela nostra, & littus subtraxit aspectibus nostris: in quo mane illa insaniebat, dolore & querelis, ac gemitu implebat aures tuas contemnentes ista, cùm & me cupiditatibus meis raperes ad finiendas ipsas cupiditates, & illius carnale desiderium iusto dolorum flagello vapularet. Amabat enim secum præsentiam meã more matrũ, sed multis multo amplius, & nesciebat quid tu illi gaudiorum facturus esses de absentia mea. Nesciebat, ideo flebat & eiulabat, atque illis cruciatibus arguebatur rea reliquiarum Euæ, cum gemitu quærés quod cum gemitu pepererat. Et tamen post accusationem fallaciarum & crudelitatis meæ conuersa rursus ad deprecandum te pro me, abiit ad solita, & ego Romam.

CAP. IX. Febri correptus periculosè laborat.

ET ecce excipior ibi flagello ægritudinis corporalis, & ibã iam ad inferos, portans omnia mala quæ commiseram & in te & in me & in alios multa & grauia super originalis peccati vinculum, quo omnes in Adam morimur. Non enim quicquam eorum mihi donaueras in Christo, nec soluerat ille in carne sua inimicitias, quas tecum contraxeram peccatis meis. Quomodo enim eas soluere in cruce phantasmatis: quod de illo credideram? Quàm ergo falsa mihi videbatur mors carnis eius, tam vera erat animæ meæ: & quàm vera erat mors carnis eius, tam falsa vita animæ meæ quæ id non credebat. Et ingraueſcentibus febribus iam ibam & peribã. Quò enim irem, si tunc hinc abirem, nisi in ignem atq; tormenta digna factis meis in veritate ordinis tui? Et illa hoc nesciebat, & tamen pro me orabat absens. Tu autem vbiq; præsens, vbi erat exaudiebas eam, & vbi eram miserebaris mei, vt recuperarem salutẽ corporis mei, adhuc insanus corde sacrilego. Neque enim desiderabã in illo tanto periculo baptismum tuum, & melior eram puer, quando illum de materna pietate flagitaui, sicut iam recordatus atque confessus sum: sed in dedecus meũ creueram, & consilia medicinæ tuæ demens irridebam, qui me non siuisti talem bis mori. Quo vulnere si feriretur cor matris, nunquam sanaretur. Non enim satis eloquor quid erga me habebat animi, & quanto maiore solicitudine me parturiebat spiritu, quàm carne pepererat. Non itaque video quomodo sanaretur, si mea talis illa mors transuerberasset viscera dilectionis eius. Et vbi essent tantæ preces & tam crebræ sine intermissione? Nusquam, nisi ad te. An verò tu Deus misericordiarum sperneres cor cõtritum & humiliatum viduæ castæ ac sobrię, frequentantis eleemosynas, obsequentis atque seruientis sanctis tuis, nullum diẽ prętermittentis oblationem ad altare tuum: bis in die, mane & vespere ad Ecclesiã tuam sine vlla intermissione venientis, non ad vanas fabulas & aniles loquacitates, sed vt te audiret in tuis sermonibus, & tu illam in suis orationibus? Huiúsne tu lachrymas, quibus nõ à te aurum & argentum petebat, nec aliquid mutabile aut volubile bonum, sed salutem animæ filij sui, tu cuius munere talis erat, contemneres & repelleres ab auxilio tuo? Nequaquã Dñe: imò verò aderas, & exaudiebas & faciebas ordine quo prædestinaueras esse faciendum. Absit vt tu falleres eam in illis visionibus & responsis tuis, & quæ iam cõmemoraui & quæ non cõmemoraui, quæ illa fideli pectore tenebat, & semper orans tanquã chirographa tua ingerebat tibi. Dignaris enim, quoniam in seculum misericordia tua, eis quibus omnia debita dimittis, etiam promissionibus tuis debitor fieri.

Psal. 50. d. 19.

CAP. X. Errores ante susceptam Euangelij doctrinam.

RECREASTI ergo me ab illa ægritudine, & saluum fecisti filium ancillæ tuæ, tunc interim corpore, vt esset cui salutem meliorem atque certiorem dares. Et iungebat etiam tunc Romæ falsis illis atque fallentibus sanctis: non enim tantum auditoribus eorum, quorũ è numero erat etiam is in cuius domo ægrotaueram & cõualueram, sed eis etiam quos electos vocant. Adhuc enim mihi videbatur non esse nos qui peccamus, sed nescio quã aliam in nobis peccare naturam, & delectabat superbiam meam extra culpam esse. Et cùm aliquid mali feciſsem, non cõfiteri me feciſse, vt sanares animam meam, quoniã peccaui tibi: sed excusare me amabã, & accusare nescio quid aliud quod mecum esset & ego non essem. Verum autẽ totum ego eram, & aduersum me impietas mea me diuiserat: & id erat peccatum insanabilius, quo me peccatorem nõ esse arbitrabar, & execrabilis iniquitas te Deus omnipotẽs te à me ad perniciem meã, quàm me à te ad salutem malle superari. Nondum ergo posueras custodiam ori meo, & ostium † continentiæ circa labia mea, vt non declinaret cor meum in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis cũ hominibus operãtibus iniquitatem, & ideo adhuc combinabar cum electis eorum. Sed tamen iam desperans in ea falsa doctrina me posse proficere, eaque ipsa quibus si nihil melius reperirem, contentus esse decreueram, iam remissius negligentiusq; retinebam. Etenim suborta est etiam mihi cogitatio, prudentiores cæteris fuisse illos philosophos, quos Academicos appellant, quod de omnibus dubitandum esse censuerant, nec aliquid veri ab homine comprehendi posse decreuerant. Ita enim & mihi liquido sensisse videbantur, vt vulgò habentur, etiam illorum intentionem nõdum intelligenti. Nec dissimulaui eũdem hospitem meum reprimere à nimia fiducia, quam sensi eum habere de rebus fabulosis, quibus Manichæi libri pleni sunt. Amicitia tamen eorum familiarius vtebar quàm cæterorum hominum, qui in illa hæresi non fuissent. Nec eam defendebam pristina animositate, sed tamen familiaritas eorum, plures enim eos Roma † occultat, pigrius me faciebat aliud quærere, præsertim desperantem in Ecclesia tua Domine cæli & terræ, creator omnium visibilium & inuisibilium, posse inueniri verum, vnde me illi auerterant. Multumq; mihi turpe videbatur, credere figurã te habere humanæ carnis, & membrorũ nostrorum lineamentis corporalibus terminari. Et quoniã cùm de Deo meo cogitare vellem, cogitare nisi moles corporũ non noueram: neq; enim videbatur mihi esse quicquã quod tale nõ esset, ea maxima & propè sola causa erat ineuitabilis erroris mei.

Psal. 38. a. 2. al. circunstantiæ

Psal. 140. a. 4. al. occultabat.

Hinc

Hinc enim & mali ſubſtantiã quãdam credebã eſſe talem, & habere ſuam molem tetram & deformem, ſiue craſſam, quam terrã dicebant, ſiue tenuẽ atq; ſubtilem, ſicut eſt aëris corpus, quã malignam mentẽ per terram repentẽ imaginantur. Et quia Deum bonum, nullam malam naturam creaſſe qualiſcunque pietas me credere cogebat, conſtituebã ex aduerſo ſibi duas moles, vtranq; infinitam, ſed malã anguſtius, bonam grandius, & ex hoc initio peſtilentioſo me cætera ſacrilegia ſequebantur. Cùm enim conaretur animus meus recurrere in catholicam fidem, repercutiebar, quia non erat catholica fides quam eſſe arbitrabar. Et magis pius mihi videbar, ſi te Deus meus, cui cõfitentur ex me miſerationes tuę, vel ex cæteris partibus infinitum crederẽ, quamuis ex vna quã tibi moles mali opponebatur, cogerer finitũ fateri, quàm ſi ex omnibus partibus in corporis humani forma te opinarer finiri. Et melius mihi videbar credere nullum malum te creaſſe, quod mihi neſcienti non ſolum aliqua ſubſtantia, ſed etiam corporea videbatur, quia & mẽtem cogitare non noueram, niſi eam ſubtile corpus eſſe, quod tamen per loci ſpatia diffunderetur quàm crederẽ abs te eſſe, qualem putabam naturã mali. Ipſum quoque Saluatorem noſtrum vnigenitum tuum, tanquam de maſſa lucidiſſima molis tuæ porrectum ad noſtram ſalutem, ita putabam, vt aliud de illo nõ crederem, niſi quod poſſem vanitate imaginari. Talem itaq; naturam eius naſci non poſſe de Maria virgine arbitrabar, niſi carni concerneretur. Concerni autem & non inquinari non videbam, quod mihi tale figurabam. Metuebam itaq; credere in carne natum, ne crederẽ cogerer ex carne inquinatum. Nunc ſpiritales tui blandè & amanter ridebunt me, ſi has confeſſiones meas legerint: ſed tamen talis eram.

al. tetram repente

CAP. XI. Qualiter Auguſtinus conſulerit cũ catholicis.

DEINDE quæ illi in ſcripturis tuis reprehenderant, defendi poſſe nõ exiſtimabam: ſed aliquando ſanè cupiebam cum aliquo illorum librorum doctiſſimo conferre ſingula, & experiri quid inde ſentiret. Iam enim Helpidij cuiuſdam aduerſus eoſdẽ Manichæos coram loquentis & differentis ſermones, etiam apud Carthaginem mouere me cœperant, cùm talia de ſcripturis proferret, quibus reſiſti facilè non poſſet, & imbecilla mihi reſpõſio videbatur iſtorum. Quam quidem non facilè palàm promebant, ſed nobis ſecretius, cùm dicerent ſcripturas noui teſtamenti falſatas fuiſſe à neſcio quibus, qui Iudæorum legẽ inſerere Chriſtianæ fidei voluerunt, atque ipſi incorrupta exemplaria nulla proferrent. Sed me maximè captum & offocatum quodammodo deprimebant corporalia cogitantem, moles illę ſub quibus anhelans in auram tuæ veritatis liquidam & ſimplicem reſpirare non poteram.

CAP. XII. Fraus diſcipulorum Romæ in præceptores.

SEDVLO ergo agere cœperam propter quod veneram, vt docerem Romæ artem rhetoricam, & prius domi congregare aliquos, quibus & per quos innoteſcere cœperam, & ecce cognoſco alia Romæ fieri, quæ non patiebar in Aphrica. Nam reuera illas euerſiones à perditis adoleſcentibus ibi non fieri manifeſtatum eſt mihi. Sed ſubitò ne mercedẽ magiſtro reddant, conſpirant multi adoleſcentes, & transferũt ſe ad aliũ deſertores fidei, & quibus præ pecuniæ charitate iuſtitia vilis eſt. Oderat etiam iſtos cor meum, quamuis non perfecto odio. Quod enim ab eis paſſurus eram, magis oderam fortaſſe, quàm eo quod cuilibet illicita faciebant. Certè tamen turpes ſunt tales, & fornicantur abs te, amando volatica ludibria temporum & lucrum luteum, quod cùm apprehenditur, manum inquinat, & amplectendo mundum fugientem, & contemnendo te manentem & reuocantem, & ignoſcentem redeunti ad te meretrici animæ humanæ. Et nunc tales odi prauos & diſtortos, quamuis

Pſal. 138. d. 21.

eos corrigendos diligam, vt pecuniæ doctrinam ipſam quam diſcũt præferant, ei verò te Deum veritatem & vbertatem certi boni & pacem caſtiſſimam. Sed tunc eos magis pati nolebam malos propter me, quàm fieri propter te bonos volebam.

CAP. XIII. Docturus rhetoricã it Mediolanum, ab Ambroſio ſuſcipitur.

ITAQVE poſteaquã miſſum eſt à Mediolano Romã ad præfectũ vrbis, vt illi ciuitati rhetoricæ magiſter prouideretur, impertita etiã euectione publica, ego ipſe ambiui per eoſdem ipſos Manichæis vanitatibus ebrios, quibus vt carerem ibam, ſed vtrique neſciebamus, vt dictione propoſita me probatum præfectus tunc Symmachus mitteret. Et veni Mediolanum ad Ambroſium epiſcopum in optimis notũ orbi terræ, pium cultorem tuum, cuius tũc eloquia ſtrenuè miniſtrabant adipem frumenti tui, & lætitiã olei, & ſobriam vini ebrietatẽ populo tuo. Ad eum autem ducebar abs te neſciens, vt per eum ad te ſciens ducerer. Suſcepit me paterne ille homo Dei, & peregrinationem meam ſatis epiſcopaliter dilexit. Et eum amare cœpi, primo quidem non tanquam doctorem veri, quod in Eccleſia tua prorſus deſperabam, ſed tãquam hominem benignum in me. Et ſtudioſè audiebã diſputantem in populo, non intentione qua debui, ſed quaſi explorans eius facundiam vtrum conueniret famæ ſuæ, an maior minórve proflueret quàm prædicabatur, & verbis eius ſuſpendebar intentus. Rerum autem incurioſus & contemptor aſtabam, & delectabar ſuauitate ſermonis, quanquam eruditioris, minus tamen hilareſcentis atque mulcentis quàm Fauſti erat, quod attinet ad dicendi modum. Cæterum rerũ ipſarum nulla comparatio: nam ille per Manichæas fallacias aberrabat, iſte autem ſaluberrimè docebat ſalutem. Sed longè eſt à peccatoribus ſalus, qualis ego tũc aderam, & tamen propinquabã ſenſim & neſciui.

Pſal. 118. Res. 155.

Symmachus. Ambroſius.

Pſal. 4. b. 8.

CVM enim non ſatagerem diſcere quæ dicebat, ſed tantum quemadmodum dicebat audire (ea mihi quippe iam deſperanti ad te viam patere homini, inanis cura remãſerat) veniebant in animũ meum ſimul cum verbis quæ diligebam, res etiã quas negligebam. Neque enim ea dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad decipiendum quàm diſertè diceret, pariter intrabat & quàm verè diceret, gradatim quidem. Nam primo etiam ipſa defendi poſſe mihi iam cœperant videri, & fidem catholicam, pro qua nihil poſſe dici aduerſus oppugnantes Manichæos putaueram, iam non impudenter aſſeri exiſtimabam, maximè audito vno atque altero, & ſæpius ænigmate ſoluto de ſcripturis veteribus: vbi cùm ad literam acciperem, occidebar ſpiritaliter. Itaque pleriſque illorum librorum expoſitis locis, iam reprehendebam deſperationem meam, illam duntaxat qua credideram legem & prophetas deteſtantibus atque irridẽtibus reſiſti omnino non poſſe: nec tamen iam ideo mihi catholicam viam tenendam eſſe ſentiebam, quia & ipſa poterat habere †doctos aſſertores ſuos qui copiosè & non abſurdè obiecta refellerent, nec ideo iam damnandum illud quod tenebam, quia defenſionis partes æquabantur. Ita enim catholica non mihi victa videbatur, vt nondum etiam victrix appareret. Tunc verò fortiter intendi animum, ſi quo modo poſſem certis aliquibus documentis Manichæos conuincere falſitatis. Quod ſi poſſem ſpiritalem ſubſtantiam cogitare, ſtatim machinamenta illa omnia ſoluerentur & abijcerentur ex animo meo, ſed non poteram. Veruntamen de ipſo mundi huius corpore omniq́ue natura quam ſenſus carnis attingeret, multò probabiliora pleroſque ſenſiſſe philoſophos, magis magisq́ue conſiderans atq; comparãs iudicabam. Itaque Academicorum more, ſicut †exiſtimant, dubitans de omnibus atque inter omnia fluctuans, Manichæos quidem relinquendos eſſe decreui, non arbi-

2. Cor. 3. b. 6.

al. doctores aſſertoreſq́ue

al. exiſtimãtur,

CAPVT XIIII. Audito Ambroſio paulatim ab erroribus reſpiſcit.

trans

trans eoipso tempore dubitationis meæ in illa secta mihi permanendum esse, cui iam nonnullos philosophos præponebam, quibus tamen philosophus quod sine nomine salutari Christi essent, curationem languoris animæ meæ committere omnino recusabam. Statui ergo tamdiu esse catechumenus in catholica Ecclesia mihi à parentibus commendata, donec aliquid certi eluceret quò cursum dirigerem.

D. AVRELII AVGVSTINI CONFESSIONVM, LIB. VI.

CAP. I. *Augustinus nec Manichæus nec catholicus.*

SPES mea à iuuentute mea vbi mihi eras, & quò receſſeras? An verò † non tu feceras me, & diſcreueras me à quadrupedibus & volatilibus cæli? Sapientiorem me feceras, & ambulabam per tenebras & lubricum, & quærebam te foris à me, & nõ inueniebam Deum cordis mei, & veneram in profundum maris, & diffidebam & deſperabam de inuentione veri. Iam venerat ad me mater pietate fortis, terra mariq́ me ſequẽs, & in periculis omnibus de te ſecura. Nam & per marina diſcrimina ipſos nautas conſolabatur, à quibus rudes abyſſi viatores cùm perturbantur conſolari ſolent, pollicens eis peruentionem cum ſalute, quia hoc ei tu per viſum pollicitus eras. Et inuenit me periclitantem quidẽ grauiter deſperatione indagandæ veritatis. Sed tamẽ ei cùm indicaſſem, non me quidem iam eſſe Manichæum, ſed neque catholicum Chriſtianum, nõ quaſi inopinatum aliquid audierit, exiliuit lætitia, cũ iam ſecura fieret ex ea parte miſeriæ meæ, in qua me tanquam mortuum ſed reſuſcitandum tibi flebat, & feretro cogitationis efferebat, vt diceres filio viduæ: Iuuenis, tibi dico, Surge: & reuiuiſceret & inciperet loqui, & redderes illum matri ſuæ. Nulla ergo turbulenta exultatione trepidauit cor eius, cùm audiſſet ex tãta parte iam factum, quod tibi quotidie plangebat vt fieret, veritatem me nondum adeptum, ſed falſitati iam ereptũ: imo verò quia certa erat, & quod reſtabat te daturum, qui totũ promiſeras placidiſſimè & pectore pleno fiduciæ reſpondit mihi, credere ſe in Chriſtum, quod prius quàm de hac vita emigraret, me viſura eſſet fidelẽ catholicum: & hoc quidem mihi, tibi autẽ fons miſericordiarum preces & lachrymas denſiores, vt accelerares adiutorium tuum, & illuminares tenebras meas, & ſtudioſius ad Eccleſiam currerẽ, & in Ambroſij ora ſuſpendi ad fontem ſalientis aquæ in vitam æternam. Diligebat autem illum virum ſicut angelum Dei, quod per illum cognouerat me interim ad illam ancipitem fluctuationem iam eſſe perductum, per quam tranſiturum me ab ægritudine ad ſanitatem intercurrente acriore periculo quaſi per acceſſionem quam criticam medici vocant certa præſumebat.

† al. tu feceras me, & non diſcre.

Luca 7. c. 15.

Ioan. 4. c. 14.

CAP. II. *Epulæ & ſynaxis apud ſepulchra martyrum.*

ITAQVE cùm ad memorias ſanctorum, ſicut in Aphrica ſolebat, pultes & panem & merũ attuliſſet, atque ab oſtiario prohiberetur, vbi hoc epiſcopũ vetuiſſe cognouit, tam piè atque obedienter amplexa eſt, vt ipſe miraretur quod tã facile accuſatrix potius cõſuetudinis ſuæ, quàm diſceptatrix illius prohibitionis effecta ſit. Non enim obſidebat ſpiritum eius vinolentia, eamq́ ſtimulabat in odium veri amor vini, ſicut pleroſque mares & fœminas, qui ad cãticum ſobrietatis, ſicut ad potionem aquatam madidi nauſeant. Sed illa cùm attuliſſet caniſtrum cum ſolennibus epulis præguſtandis atque largiendis, plus etiam quàm vnũ pocillum pro ſuo palato ſatis ſobrio tẽperatum, vnde dignationẽ ſumeret non ponebat. Et ſi multæ eſſent quæ illo modo videbantur honorandæ memoriæ defunctorum, idem ipſum vnũ quod vbiq; A poneret circumferebat, quo iam non ſolum aquatiſſimo, ſed etiam tepidiſſimo cum ſuis præſentibus perſorbitiones exiguas partiretur, quia pietatem ibi quærebat non voluptatem. Itaque vbi comperit à præclaro prædicatore atq; antiſtite pietatis præceptum eſſe, iſta non fieri, nec ab eis qui ſobriè facerent, ne vlla occaſio ſe ingurgitandi daretur ebrioſis, & quia illa quaſi † parentalia ſuperſtitioni gentilium eſſent ſimillima, abſtinuit ſe libẽtiſſimè, & pro caniſtro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias martyrũ afferre didicerat, vt & quod poſſet daret egentibus, & † ſi communicatio Dominici corporis illic celebraretur, cuius paſſionis imitatione immolati & coronati ſunt martyres. Sed tamen videtur mihi Domine Deus meus, & ita eſt in conſpectu tuo de hac re cor meum, non facile fortaſſe de hac amputanda cõſuetudine matrem meam fuiſſe † ceſſuram, ſi ab alio prohiberetur, quẽ non ſicut Ambroſiũ diligeB bat, quem propter ſalutem meam maximè diligebat, eam verò ille propter eius religioſiſſimam conuerſationem, qua in bonis operibus tam feruens ſpiritu frequentabat Eccleſiam, ita vt ſæpe erumperet cùm me videret in eius prædicatione, gratulans mihi quòd talem matrem haberem, neſciens qualem illa me filium, qui dubitabam de illis omnibus, & inueniri poſſe viam vitæ minimè putabam.

al. parentalia

al. ſic

al. ceſſaturam.

NEC iam ingemiſcebam orando vt ſubuenires mihi, ſed ad quærendum intẽtus, & ad diſſerendum inquietus erat animus meus. Ipſumque Ambroſium felicem quendam hominem ſecũdum ſæculum opinabar, quem ſic tantæ poteſtates honorarent, cælibatus tantum eius mihi laborioſus videbatur. Quid autem ille ſpei gereret, & aduerſus ipſius excellentiæ tentamenta quid luctaminis haberet, quidve ſolaminis in aduerſis, & occultũ os eius quod erat in corde eius, quàm ſapida gaudia de pane tuo ruminaret, nec conijcere noueram, nec expertus eram, nec ille ſciebat æſtus meos, nec foueã periculi mei. Non enim quærere ab eo poteram quod volebã ſicut volebam, ſecludentibus me ab eius aure atq; ore cateruis negocioſorum hominum, quorum infirmitatibus ſeruiebat. Cum quibus quãdo non erat, quod per exiguum temporis erat, aut corpus reficiebat neceſſariis ſuſtentaculis, aut lectione animum. Sed cùm legebat, oculi ducebãtur per paginas, & cor intellectum rimabatur, vox autem & lingua quieſcebant. Sæpe cùm adeſſemus, non enim vetabatur qui ſquam ingredi, aut ei venientem nunciari mos erat, ſic eum legentẽ vidimus tacitè, & aliter nunquam: ſedentesq́ue in diuturno ſilentio (quis enim tam intento eſſe oneri auderet?) diſcedebamus: & coniectabamus eum paruo illo tempore, quod reparandæ menti ſuæ nanciſcebatur feriatum ab ſtrepitu cauſarum alienarum, nolle in aliud auocari, & cauere fortaſſe ne auditore ſuſpenſo & intento, ſi qua obſcurius poſuiſſet ille quem legeret, etiã exponere neceſſe eſſet, aut de aliquibus difficilioribus C CAP. III. *Occupationes & ſtudia Ambroſij.*

C

D

†diſceptare quæſtionibus, atque huic operi temporibus impenſis, minus quàm vellet voluminum euolueret, quanquam & cauſa ſeruandæ vocis, quæ illi facillimè obtũdebatur, poterat eſſe iuſtior tacite legendi. Quolibet tamen animo id ageret, bono vtique ille vir agebat. Sed certè mihi nulla dabatur copia ſciſcitandi quæ cupiebam de tam ſancto oraculo tuo pectore illius, niſi cùm aliquid breuiter eſſet audiẽdum. Æſtus autem illi mei ocioſum eum valde cui refunderentur requirebant, nec vnquam inueniebant. Et eum quidem in populo verbũ veritatis rectè tractantem omni die dominico audiebam, & magis magisq́; mihi cõfirmabatur, omnes verſutarum calumniarum nodos, quos illi deceptores noſtri aduerſus diuinos libros † innectebant, poſſe diſſolui. Vbi verò etiam comperi,

al. differtare

al. inuectabant.

Gen.1.d.27. comperi,ad imaginem tuam hominem à te factum, à spiritalibus filiis tuis quos de matre catholica per gratiam regenerasti, non sic intelligi vt humani corporis forma te terminatũ crederent atq; cogitarent, quanquam quomodo se haberet spiritalis substãtia,ne quidem tenuiter atq; in ænigmate suspicabar, tamẽ gaudens erubui non me tot annos aduersus catholicam fidem, sed contra carnalium cogitationum figmenta latrasse.Eo quippe temerarius & impius fueram,quod ea quæ debebam quærendo discere, accusando dixerã. Tu enim altissime & proxime,secretissime & præsentissime,cui mẽbra non sunt alia maiora & alia minora,sed vbique totus es,& nusquam locorum es,non es vtique forma ista corporea, tamen fecisti hominem ad imaginem tuam, & ecce ipse à capite vsque ad pedes in loco est.

CAPVT XIII. De litera & spiritu.

CVM ergo nescirẽ quomodo hæc subsisteret imago tua,pulsansq; proponerem quomodo credendum esset,nõ insultans opponerem quasi ita creditum esset: tãto igitur acrior cura rodebat intima mea quid certi retinerem,quanto me magis pudebat tam diu illusum & deceptum promissione certorum,puerili errore & animositate tam multa incerta quasi certa garrisse.Quod enim falsa essent,postea mihi claruit.Certum tamen erat quod incerta essent, & à me aliquando pro certis habita fuissent, cùm catholicam tuã cæcis contentionibus accusarem,& si nondum compertam vera docentem,non tamen ea docẽtem quæ grauiter accusabam. Itaque confundebar,& cõuertebar, & gaudebã Deus meus, quòd ecclesia tua vnica corpus vnici tui, in qua mihi nomen Christi infanti est inditum,non saperet infantiles nugas, neque hoc haberet in doctrina sua sana, quod te creatorẽ omnium in spatium loci quamuis summum & amplum, tamẽ vndiq; terminatum membrorum humanorum figura contruderet.Gaudebam etiam quòd vetera scripta legis & prophetarum iam non illo oculo mihi legenda proponerentur,quo antea videbãtur absurda,cùm arguebam tanquam ita sentiẽtes sanctos tuos, verum autem non ita sentiebant: & tanquam regulam diligentissime commẽdaret, sæpe in popularibus sermo-
2.Cor.3.b.6. nibus suis dicentem Ambrosium lętus audiebam;Litera occidit, spiritus autem viuificat: cùm ea quæ ad literam peruersitatem docere videbãtur,remoto mystico velamento spiritaliter aperiret,non dicens quod me offenderet, quamuis ea diceret, quæ vtrum vera essent adhuc ignorarem. Tenebam enim cor meum ab omni assensione,timens præcipitium,& suspendio magis necabar. Volebam enim eorum quæ non viderem ita me certum fieri, vt certus essem quòd septem & tria decem sint. Neque enim tam insanus eram, vt ne hoc quidem putarem posse comprehendi,sed sicut hoc, ita cætera cupiebam, siue corporalia, quæ coram sensibus meis non adessent, siue spiritalia, de quibus cogitare nisi corporaliter nescieb̃.Et sanari credendo poteram, vt purgatior acies mentis meæ dirigeretur aliquo modo in veritatem tuam semper manentem, & ex nullo deficientem. Sed sicut euenire assolet, vt malum medicum expertus etiã bono timeat se committere: ita erat valetudo animæ meæ, quæ vtiq; nisi credẽdo sanari non poterat,& ne falsa crederet,curari recusabar,resistens manibus tuis,qui medicamenta fidei confecisti, & aspersisti super morbos orbis terrarum,& tantam illis autoritatem tribuisti.

CAP. V. De sacrorum librorum autoritate & necessario vsu.

EX hoc tamen quoque iam præponens doctrinam catholicam, modestius ibi minimeq́ fallaciter sentiebam iuberi vt crederetur quod non demonstrabatur, siue esset quid, sed cui fortè non esset, siue nec quid esset, quàm illic temeraria pollicitatione scientiæ credulitatem irrideri, & postea tam multa fabulosissima & absurdissima,quia demonstrari non poterant,credẽda imperari. Deinde paulatim tu Domine manu mitissima & misericordissima pertractans & componens cor meum, consideranti quàm innumerabilia crederem quæ non viderem, neque cùm gererentur adfuissem, sicut tam multa in historia gẽtium, tam multa de locis atque vrbibus quæ non videram, tam multa amicis,tam multa medicis,tam multa hominibus aliis atque aliis, quæ nisi crederentur omnino in hac vita nihil ageremus. Postremo quàm incõcusse fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus essem,quod scire non possem,nisi audiendo credidissem. Persuasisti mihi non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus ferè gentibus autoritate fundasti,sed qui non crederent esse culpãdos:nec audiendos esse, si qui fortè mihi dicerent: vnde scis illos libros vnius veri & veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos? Idipsum enim maximè credẽdum erat, quoniam nulla pugnacitas calumniosarum quæstionum per tam multa quę legeram inter se confligentium philosophorum extorquere mihi potuit, vt aliquando non crederẽ te esse quicquid esses quod ego nescirem,aut administrationem rerum humanarum ad te pertinere. Sed id credebam aliquando robustius, aliquando exilius, semper tamen credidi & esse te,& curam nostri gerere, etiam si ignorabam vel quid sentiendum esset de substantia tua, vel quæ via duceret aut reduceret ad te. Ideoq́ cùm essemus infirmi ad inueniẽdam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset autoritate sanctarum literarum, iam credere cœperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellẽtem illi scripturæ per omnes iam terras autoritatẽ, nisi & per ipsam tibi credi & per ipsam te quæri voluisses. Iam enim absurditatem quæ me in illis literis solebat offendere,cùm multa ex eis probabiliter expositа audissem,ad sacramentorum altitudinem referebam: eoq́; mihi illa venerabilior & sacrosancta fide dignior apparebat autoritas, quo & omnibus ad legendum esset in promptu, & secreti sui dignitatem in intellectu profundiore seruaret, verbis apertissimis & humillimo genere loquendi se cunctis præbens, & exercens intentionem eorum, qui non sunt leues corde: vt exciperet omnes populari sinu, & per angusta foramina paucos ad te traijceret, multo tamẽ plures, quàm si nec tanto apice autoritatis emineret,nec turbas gremio sanctæ humilitatis hauriret. Cogitabam hæc,& aderas mihi:suspirabam,& audiebas me:fluctuabam,& gubernabas me:ibam per viam seculi latam,nec deserebas me.

Matth.7.b.13.

CAP. VI. De miseria ambitiosorum adducto exẽplo mendici lętantis.

INHIABAM honoribus, lucris, coniugio,& tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus finebas mihi dulcescere quod non eras tu. Vide cor meum Domine, qui voluisti vt hoc recordarer & confiterer tibi: Nunc tibi inhæreat anima mea, quam de visco tam tenaci mortis exuisti. Quàm misera erat,& sensum vulneris tu pungebas, vt relictis omnibus cõuerteretur ad te qui es super omnia, & sine quo nulla essent omnia,conuerteretur & sanaretur. Quàm ergo miser eram, & quomodo egisti vt sentirem miseriam meam, die illo quo cum pararem recitare imperatori laudes,quibus plura mentirer,& mentienti faueretur ab scientibus,easq́; curas anhelaret cor meum, & cogitationum tabificarum febribus æstuaret, transiens per quendam vicum Mediolanensem, animaduerti pauperem mendicum, iam credo saturum, iocantem atque lætantem: & ingemui,& locutus sum cum amicis qui mecum erant, multos dolores insaniarum nostrarum: quia omnibus talibus conatibus nostris,qualibus tunc laborabã,sub stimulis cupiditatum trahens infelicitatis meæ sarcinam, & trahendo exaggerans, nihil vellemus aliud nisi ad securam lætitiam peruenire,

nire,quò nos mendicus ille iam præcessisset,nũquam fortasse illuc venturos. Quod enim iam ille pauculis & emẽdicatis nummulis adeptus erat,ad hoc ego tam ærumnosis anfractibus & circuitibus ambiebam, ad lętitiam scilicet tẽporalis felicitatis. Non enim verum gaudium habebat, sed & ego illis ambitionibus multo falsius quærebã. Et certe ille lætabatur, ego anxius eram, securus ille,ego trepidus. Et si quisqua percontaretur me, vtrum mallẽ exultare an metuere,responderem,exultare. Rursus si interrogaret, vtrum me talem mallem qualis ille,an qualis ego tunc essem, meipsum curis timoribusq; confectum eligerẽ, sed peruersitate: nunquid veritate? Neque enim eo me præponere illi debebam,quo doctior eram,quoniam non inde gaudẽbam, sed placere inde quærebam hominibus,non vt eos docerem, sed tantũ vt placerem. Propterea & tu baculo disciplinæ tũæ confringebas ossa mea. Recedant ergo ab anima mea qui dicunt ei: Interest vnde quis gaudeat. Gaudebat mendicus ille vinolentia,tu gaudere cupiebas gloria. Qua gloria Domine? Quæ non est in te. Nam sicut illud verum gaudium non erat,ita nec illa vera gloria, & amplius vertebat mẽtem meam. Et ille ipsa nocte digesturus erat ebrietatem suam,ego autem cum mea dormieram & surrexeram,& dormiturus & resurrecturus eram,vide quot diebus. Interest vero vnde quis gaudeat, scio, & gaudium spei fidelis incomparabiliter distat ab illa vanitate,sed & tunc distabat inter nos. Nimirum quippe ille felicior erat, non tantum quod hilaritate perfundebatur, cùm ego curis euiscerarer, verumetiam quod ille bene optando acquisiuerat vinum, ego autem mentiendo quærebam typhum: dixi tunc multa in hac sententia charis meis, & sæpe aduertebam in his quomodo mihi esset, & inueniebam male mihi esse,& dolebam, & conduplicabam ipsum male. Et si quid arrisisset prosperum,tędebat apprehendere,quia penè prius quàm teneretur auolabat.

CAP. VII. *Alipium à Circensium insania conuertit.*

CONGEMISCEBAMVS in iis qui simul amicè viuebamus,& maximè ac familiarissimè cum Alipio & Nebridio ista colloquebar, quorum Alipius ex eodem quo ego ortus eram municipio, parentibus primatibus municipalibus me minor natu. Nam & studuerat apud me, cùm in nostro docere cœpi oppido,& postea Carthagini,& diligebat me multũ,quod ei bonus & doctus viderer, & ego illum propter magnam virtutis indolem, quæ non in magna ætate satis eminebat. Gurges tamen morum Carthaginiẽsium, quibus nugatoria feruẽt spectacula,absorbuerat eum insania Circensium. Sed cùm in eo miserabiliter volueretur, ego autem rhetoricam ibi professus publica schola vterer,nondum me audiebat vt magistrũ, propter quandam simultatẽ quæ inter me & patrem eius erat exorta,& compereram quod circum exitiabiliter amaret,& grauiter angebar,quod tantam spem perditurus,vel etiam perdidisse mihi videbatur. Sed monẽdi eum & aliqua coercitione reuocandi nulla erat copia,vel amicitię beneuolentia,vel iure magisterij. Putabam enim eum de me cum patre sentire, ille verò non sic erat. Itaque postposita in hac re patris voluntate,salutare me cœperat, veniẽs in auditoriũ meum, & audire aliquid atque abire. Sic enim de memoria mihi lapsum erat, agere cum illo ne vanorũ ludorum †cæco & præcipiti studio tam bonum interimeret ingenium. Verumtamen tu Domine qui præsides gubernaculis omnium quæ creasti,non eum oblitus eras futurum inter filios tuos antistitem sacramenti tui,& vt apertè tibi tribueretur eius correctio, per me quidẽ illam,sed nescientem operatus es. Nam quodam die cùm sederem loco solito, & coram me adessent discipuli,venit,salutauit,sedit, atq; in ea quæ agebantur animum intendit: & fortè lectio in manibus erat, quam dum exponerem, & opportune mihi videretur adhibenda similitudo Circensium,quo illud quod insinuabam & iocundius & planius fieret,cum irrisione mordaci eorum quos illa captiuasset insania, tu scis Deus noster, quod tunc de Alipio ab illa peste sanando non cogitauerim. At ille in se rapuit, meque illud non nisi propter se dixisse credidit. Et quod alius acciperet ad succensendum mihi,accepit honestus adolescens ad succensendum sibi, & ad me ardentius diligendum. Dixeras enim tu iam olim, & innexueras literis tuis: Corripe sapientẽ,& amabit te. At ego illum iam non corripueram, sed vtens tu omnibus & scientibus & nescientibus ordine quo nosti,& ille ordo iustus est, de corde & lingua mea carbones ardentes operatus es, quibus mentẽ spei bonæ adureres tabescẽtem,ac sanares. Taceat laudes tuas qui miserationes tuas non considerat, quæ tibi de medullis meis confitentur. Etenim ille post illa verba proripuit se ex fouea tam alta,qua libenter demergebatur,& cum †miserabili voluptate cæcabatur, & excussit animum forti temperantia, & resiluerunt omnes Circensium sordes ab eo, ampliusque illuc non accessit. Sed deinde patrem reluctantem euicit, vt me magistro vteretur. Cessit ille atq; concessit. Et audire me rursus incipiẽs, illa mecum superstitione inuolutus est,amans in Manichæis ostentationem continentiæ, quam veram & germanam putabat. Erat autẽ illa vecors & seductoria,precios as animas captans,nondum virtutis altitudinem scientes tangere,& superficie decipi faciles,sed tamen adumbratæ simulatæque virtutis.

Prouerb. 9. b. 8.

al. mira al. mirabili

Prouerb. 6. a. 26.

CAPVT VIII. *Alipius capitur insaniæ ludorum gladiatoriorum, à quibus antea abhorruerat. al. peruium*

NON sanè relinquens incantatam sibi à parentibus terrenam viam, Romam præcesserat vt ius disceret, & ibi gladiatorij spectaculi hiatu incredibili & incredibiliter abreptus est. Cùm enim auersaretur & detestaretur talia, quidam eius amici, & condiscipuli,cùm fortè de prandio redeuntibus †obuius esset, recusantẽ vehementer & resistẽtem,familiari violentia duxerunt in amphitheatrum crudelium, & funestorum ludorum diebus,hęc dicentem: Si corpus meũ in illum locum trahitis,& ibi constituitis, nunquid & animum & oculos meos in illa spectacula potestis intendere? Adero itaque absens,ac sic & vos & illa superabo. Quibus auditis,illi nihilo segnius eum adduxerunt secum,idipsum fortè explorare cupientes,vtrum posset efficere. Quò vbi ventum est,& sedibus quibus potuerunt locati sunt, feruebãt omnia immanissimis voluptatibus. Ille clausis foribus oculorum,interdixit animo,ne in tanta mala procederet, atque vtinam & aures obturauisset. Nam quodam pugnæ casu,cũ clamor ingens totius populi vehementer eum pulsasset, curiositate victus, & quasi paratus quicquid illud esset, etiam visum contemnere & vincere,aperuit oculos, & percussus est grauiore vulnere in anima quàm ille in corpore, quem cernere concupiuit, ceciditque miserabilius quàm ille, quo cadẽte factus est clamor: qui per eius aures intrauit, & reserauit eius lumina, vt esset qua feriretur & deijceretur audax adhuc potius quàm fortis animus,& eo infirmior quo de se prę sumpserat, qui debuit de te. Vt enim vidit illum sanguinem, †immanitatem simul ebibit,& non se auertit, sed fixit aspectũ, & hauriebat furias, & nescie bat, & delectabatur scelere certaminis, & cruẽta voluptate inebriabatur. Et non erat iam ille qui venerat, sed vnus de turba ad quam venerat, & verus eorum socius, à quibus adductus erat. Quid plura? Spectauit, clamauit, exarsit, abstulit inde secum insaniam qua stimularetur redire, non tantum cum illis à quibus prius abstractus est,sed etiam præ illis & alios trahens. Et inde tamen manu validissima & misericordissima eruisti eum tu,& docuisti non sui habere,sed tui fiduciam,sed longè postea.

al. immanitate

VERVN-

CAP. IX. *Alipius vt fur apprehenditur.*

VERVNTAMEN iam hoc ad medicinam futuram in eius memoria reponebatur. Nam & illud quod cùm adhuc ſtuderet, iam me audiens apud Carthaginem, & medio die cogitaret in foro quod recitaturus erat, ſicut exerceri ſcholaſtici ſolent, ſiuiſti eum comprehendi ab ædituis fori tanquam furem, non arbitror aliam ob cauſam te permiſiſſe Deus noſter, niſi vt ille vir tantus futurus iam inciperet diſcere, quàm non facile in cognoſcendis cauſis homo ab homine damnandus eſſet temeraria credulitate. Quippe ante tribunal deambulabat ſolus cũ tabulis ac ſtylo, cùm ecce adoleſcens quidam ex numero ſcholaſticorum fur verus, ſecurim clanculo apportans, illo non ſentiente ingreſſus eſt ad cãcellos plumbeos, qui vico argentario deſuper præminent, & præcidere plumbum cœpit. Sono autem ſecuris audito, ſubmurmurauerũt argentarij qui ſubter erant, & miſerunt qui apprehenderent quem fortè inueniſſent. Quorum vocibus auditis, relicto inſtrumento ille diſceſſit, timens ne cum eo teneretur. Alipius autẽ qui non viderat intrantem, exeuntem ſenſit, & celeriter vidit abeuntem, & cauſam ſcire cupiens ingreſſus eſt locum, & inuentam ſecurim ſtans atque admirans conſiderabat. Cùm ecce illi qui miſſi fuerant, reperiunt eum ſolum ferentem ferrum, cuius ſonitu excitati venerant, tenent, attrahunt congregatis inquilinis fori, tanquam furem manifeſtum ſe comprehendiſſe gloriabantur, & inde offerendus iudiciis ducebatur, ſed hactenus docendus fuit. Statim enim Domine ſubueniſti innocentiæ, cuius teſtis eras tu ſolus. Cùm enim duceretur vel ad cuſtodiam vel ad ſupplicium, fit eis obuiam quidam architectus, cuius maxima erat cura publicarum fabricarum. Gaudent illi eum potiſſimum occurriſſe, cui ſolebant in ſuſpicionem venire ablatarum rerum quę periſſent de foro, vt quaſi tandem iam ille cognoſceret à quibus hæc fierent. Verum autem viderat homo ſæpe Alipium in domo cuiuſdam ſenatoris, ad quem ſalutandum ventitabat, ſtatimq; cognitum manu apprehenſa ſemouit à turbis, & tanti mali cauſam quærens, quid geſtum eſſet audiuit, omnesq; tumultuantes qui aderant & minaciter frementes, iuſſit venire ſecum. Et venerunt ad domum illius adoleſcentis qui rem commiſerat. Puer verò erat ante oſtium, & tam paruus erat vt nihil exinde Domino ſuo metuens, †facile poſſet totũ indicare. Cum eo quippe in foro fuit pediſſequus. Quem poſtea quàm recoluit Alipius architecto intimauit. At ille ſecurim demonſtrauit puero, quærens ab eo cuius eſſet. Qui confeſtim noſtra, inquit. Deinde interrogatus aperuit cætera. Sic in illam domum tranſlata cauſa, confuſisque turbis quæ de illo triumphare iam cœperant, futurus diſpenſator verbi tui, & multarum in Eccleſia tua cauſarum examinator experientior inſtructiorque diſceſſit.

al. cùm facilè poſſet, totum indicaret.

CAP. X. *De integritate Alipij & aduentu Nebridij.*

HVNC ergo Romæ inueneram, & adhæſit mihi fortiſſimo vinculo, mecumq; Mediolanum profectus eſt, vt nec me deſereret, & de iure quod didicerat aliquid ageret, ſecundum votum parentum magis quàm ſuum. Et inter hæc iam aſſederat mirabili continentia cæteris, cùm ille magis miraretur eos qui aurum innocentiæ præponerent. Tentata eſt quoque eius indoles, non ſolum illecebra cupiditatis, ſed etiam ſtimulo timoris. Romæ aſſidebat Comiti largitionum Italicarum. Erat eo tempore quidam potentiſſimus ſenator, cuius & beneficiis obſtricti multi, & terrori ſubditi erant: voluit ſibi licere neſcio quid ex more potentię ſuæ, quod eſſet per leges illicitum. Reſtitit Alipius: promiſſum eſt præmium, irriſit animo, prætentæ minæ, calcauit: mirantibus omnibus inuſitatam animam, quæ hominem tantum & innumerabilibus præſtandi nocendiq́ue modis ingenti fama celebratum, vel amicum non optaret, vel non formidaret inimicum. Ipſe autem iudex cui conſiliarius erat, quamuis & ipſe fieri nollet, non tamen apertè recuſabat: ſed in iſtum cauſam transferens, ab eo ſe non permitti aſſerebat, quia & reuera ſi ipſe faceret, iſte diſcederet. Hoc ſolo autem penè iam illectus erat ſtudio literario, vt preciis prætorianis codices ſibi conficiendos curaret. Sed conſulta iuſtitia deliberationem in melius vertit, vtiliorem iudicans æquitatem qua prohibebatur, quàm poteſtatem qua ſinebatur. Paruum eſt hoc, ſed qui in paruo fidelis eſt, & in magno fidelis eſt. Nec vllo modo erit inane, quod de tuæ veritatis ore proceſſit. Si in iniuſto mammona fideles nõ fuiſtis, quod verum eſt quis credet vobis? Et ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis dabit vobis? Talis ille tunc inhærebat mihi, mecumq́ue nutabat in conſilio, quiſnam eſſet tenendus vitæ modus. Nebridius etiam qui relicta patria vicina Carthagini atque ipſa Carthagine vbi frequentiſſimus erat, relicto rure paterno optimo, relicta domo, & non ſecutura matre, nullam ob aliam cauſam Mediolanum venerat, niſi vt mecum viueret in flagrantiſſimo ſtudio veritatis atque ſapientiæ, pariter ſuſpirabat, pariterque fluctuabat, beatæ vitæ inquiſitor ardẽs, & quæſtionum difficillimarum ſcrutator acerrimus. Et erant ora trium egentium, & inopiam ſuam ſibimet inuicem anhelantium, & à te expectantium, vt dares eis eſcam in tempore opportuno: & in omni amaritudine quæ noſtros ſeculares actus de miſericordia tua ſequebatur, intuentibus nobis finem cur ea pateremur, occurrebant tenebræ, & auerſabamur gementes, & dicebamus: Quamdiu hæc? Et hoc crebrò dicebamus, & dicentes non relinquebamus ea, quia non elucebat certum aliquid, quod illis relictis apprehenderemus.

Luc. 16. c. 10.

Pſal. 144. v. 15.

CAP. XI. *Deliberat Auguſtinus de inſtituenda vita.*

ET ego maximè mirabar ſatagens & recolẽs quàm longum tempus eſſet ab vndeuigeſimo anno ætatis meæ quo feruere cœperam ſtudio ſapientiæ, diſponens ea inuenta relinquere omnes vanarum cupiditatum ſpes inanes & inſanias mendaces. Et ecce iam tricenariam ætatem gerebam in eodem luto hæſitans auiditate fruendi præſentibus, fugientibus & diſſipantibus me, dum dico, Cras inueniam: ecce manifeſtum apparebit & tenebo, & ecce Fauſtus veniet & exponet omnia. O magni viri Academici, nihil ad agẽdam vitam certi comprehendi poteſt. Imò quæramus diligentius & non deſperemus. Ecce iam non ſunt abſurda in libris eccleſiaſticis quæ abſurda videbantur, & poſſunt aliter atque honeſtè intelligi. Figam pedes meos in eo gradu in quo puer à parentibus poſitus eram, donec inueniatur perſpicua veritas. Sed vbi quęretur? quando quæretur? Non vacat Ambroſio, non vacat legere. Vbi ipſos codices quærimus? vnde, aut quando comparamus, à quibus ſumimus? Deputentur tempora, diſtribuantur horæ pro ſalute animæ. Magna ſpes oborta eſt, nõ docet catholica fides quod putabamus, & vani accuſabamus. Nefas habent docti eius credere Deum figura humani corporis terminatum, & dubitamus pulſare quo aperiantur cætera? † Ante meridianas horas diſcipuli occupant, cæteris quid facimus? Cur nõ id agimus? ſed quãdo ſalutamus amicos maiores, quorum ſuffragiis opus habemus? Quando pręparamus quod emant ſcholaſtici? Quando reparamus nos ipſos, animum relaxando ab intentione curarum? Pereant omnia, & dimittamus hæc vana & inania, conferamus nos ad ſolam inquiſitionem veritatis. Vita hæc miſera eſt, mors incerta. Si ſubitò obrepat, quomodo hinc exibimus? Et vbi nobis diſcenda ſunt quæ hic negleximus? An non potius huius negligentiæ ſupplicia luenda ſunt? Quid ſi mors ipſa omnem curam cum ſenſu amputabit & finiet? Ergo & hoc quærẽdum. Sed abſit vt ita ſit. Non vacat, non eſt inane quod tam eminens culmen auto-

al. meridianis horis

ritatis Christianæ fidei toto orbe diffunditur. Nunquam tanta & talia pro nobis diuinitus agerentur, si morte corporis etiam vita animæ cõsumeretur. Quid cunctamur igitur relicta spe seculi, conferre nos totos ad quærendum Deum & vitam beatam? Sed expecta, iucunda sunt etiam ista, habent non paruam dulcedinem suam, non facilè ab eis præcidenda est intentio, quia turpe est ad ea rursum redire. Ecce iam quantum est vt impetretur aliquis honor? Et quid amplius in his desiderandum? Suppetit amicorum maiorum copia, vt nihil aliud & multum festinemus, vel præsidatus dari potest: & ducenda vxor cum aliqua pecunia, ne sumptum nostrum grauet, & ille erit modus cupiditatis. Multi magni viri & imitatione dignissimi, sapientiæ studio cum coniugibus dediti fuerunt. Cum hæc dicebam, & alternabant hi venti, & impellebant huc atque illuc cor meum, transibant tempora, & tardabam conuerti ad Dominum Deum, & differebam de die in diem viuere in te, & non differebam quotidie in memetipso mori, amans beatam vitam, timebam illam in sede sua, & ab ea fugiens quærebam eam. Putabam enim me miserum fore nimis, si fœminæ priuarer amplexibus, & medicinam misericordiæ tuæ ad eandem infirmitatem sanãdam non cogitabam: quia expertus non eram, & propriarũ virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram cõscius, cùm tam stultus essem vt nescirem, sicut scriptum est: Neminem posse esse continentem, nisi tu dederis. Vtique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida in te iactarem curam meam.

Sapien. 8. d. 21.

CAP. XII. Contentio inter Alipium & Augustinum de matrimonio & cælibatu.

PROHIBEBAT me sanè Alipius ab vxore ducenda, † causans nullo modo nos posse securo ocio simul in amore sapientiæ viuere, sicut iam diu † desideraremus, si id fecissem. Erat enim ipse in ea re etiam tunc castissimus, ita vt mirum esset, quia vel experientiam concubitus cœperat in ingressu adolescentiæ suæ, sed non hæserat, magisque doluerat, & spreuerat, & deinde iam continentissimè viuebat. Ego autem resistebam illi exemplis eorum qui coniugati coluissent sapientiam, & promeruissent Deum, & habuissent fideliter ac dilexissent amicos. A quorum ego quidem granditate animi longè aberam, & delicatus morbo carnis mortifera suauitate trahebam catenam meam, solui timens, & quasi concusso vulnere repellens verba bene suadentis tanquam manum soluentis. Insuper etiam per me ipsi quoq; Alipio loquebatur serpens, & innectebat atque spargebat per linguam meam dulces laqueos in via eius, quibus illi honesti & expediti pedes implicarentur. Cùm enim me ille miraretur quem non paruipenderet ita hærere visco illius voluptatis, vt me affirmarem quotiescunque inde inter nos quæreremus cœlibem vitam nullo modo posse degere, atque ita me defenderem cùm illum mirantem viderem, vt dicerem multum interesse inter illud quod ipse raptim & furtim expertus esset, quod penè iam ne meminisset quidem, atque ideo nulla molestia facilè contemneret, & delectationes consuetudinis meæ, ad quas si accessisset honestum nomen matrimonij, non eum mirari oportere, cur ego illam vitam nequirem spernere: cœperat & ipse desiderare coniugium, nequaquam victus libidine talis voluptatis sed curiositatis. Dicebat enim scire se cupere quidnam esset illud, sine quo vita mea quæ illi sic placebat, non mihi vita sed pœna videretur. Stupebat enim liber ab illo vinculo animus seruitutem meam, & stupendo ibat in experiendi cupidinem, venturus in ipsam experientiam, atque inde fortasse lapsurus in eam quam stupebat seruitutem, quoniam sponsionem volebat facere cum morte. Et qui amat periculum, incidet in illud. Neutrum enim nostrum, † si quod est cõiugale decus in officio regendi matrimonij & suscipiendorum liberorum, ducebat nisi tenuiter. Magna autem ex parte atque vehementer consuetudo satiandæ insatiabilis concupiscentiæ me captum excruciabat, illum autem admiratio capiendum trahebat. Sic eramus, donec tu altissime non deserens humum nostram, miseratus miseros subuenires miris & occultis modis.

Eccl. 3. d 27.

al. desideraueramus,

al. cantans

al. sicut cõ.

CAPVT XIII. Vxor quæritur Augustino.

ET instabatur impigrè vt ducerem vxorem. Iam petebam, iam promittebatur, maximè matre dante operam, quo me iam coniugatum baptismus salutaris ablueret, quo me indies gaudebat aptari, & vota sua ac promissa tua in mea fide compleri animaduertebat. Cùm sanè & rogatu meo & desiderio suo forti clamore cordis abs te deprecaretur quotidie, vt ei per visum ostenderes aliquid de futuro matrimonio meo, nunquam voluisti. Et videbat quædam vana & phantastica, quo cogebat impetus de hac re fatagentis humani spiritus, & narrabat mihi, non cum fiducia qua solebat, cùm tu demonstrares ei, sed contemnens ea. Dicebat enim discernere se nescio quo sapore quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter reuelantẽ te & animam suam somniantem. Instabatur tamen, & puella petebatur, cuius ætas fermè biennio minor quam nubilis erat, & quia ea placebat, expectabatur.

CAPVT XIIII. Vita communis.

ET multi amici agitaueramus animo, & colloquentes ac detestantes turbulentas humanæ vitæ molestias, penè iam firmaueramus remoti à turbis ociosè viuere: id ocium sic moliti, vt si quid habere possemus, conferremus in medium, vnamque rem familiarem conflaremus ex omnibus: vt per amicitiæ synceritatem non esset aliud huius & aliud illius, sed quod ex cunctis fieret vnum, & vniuersum singulorum esset, & omnia omnium: cùm videremur nobis esse posse decem fermè homines in eadem societate, essentque inter nos prædiuites, Romanianus maximè communiceps noster, quem tunc graues æstus negociorum suorum ad comitatum attraxerant, ab ineunte ætate mihi familiarissimus: qui maximè instabat huic rei, & magnam in suadendo habebat autoritatem, quod ampla res eius multum cæteris anteibat: & placuerat nobis vt bini annui tanquam magistratus omnia necessaria curarent cæteris quietis. Sed posteaquam cœpit cogitari, vtrum hoc mulierculæ finerent, quas & alij nostrum iam habebant, & nos habere volebamus, totum illud placitum quod bene formabamus, dissiluit in manibus atque confractum & abiectum est. Inde ad suspiria & gemitus, & gressus ad sequendas latas & tritas vias seculi, quoniam multæ cogitationes erant in corde nostro, consilium autem tuum manet in æternum. Ex quo consilio deridebas nostra, & tua præparabas, nobis daturus escam in opportunitate, & aperturus manum tuam atque impleturus animas nostras benedictione.

Matth. 7. e.

Psal. 32.

Psal. 144. d.

CAP. XV. In locũ discedentis concubinæ alia succedit.

INTEREA peccata mea multiplicabantur, & auulsa à latere meo tanquam impedimento coniugij, cum qua cubare solitus eram, cor vbi adhærebat, concisum & vulneratum mihi erat, & trahebat sanguinem. Et illa in Aphricam redierat, vouens tibi alium se virum nescituram, relicto apud me naturali ex illa filio meo. At ego infelix nec feminæ imitator, dilationis impatiens, tanquam post biennium acceptura eam quam petebam, quia non amator coniugij sed libidinis seruus eram, procuraui aliam, non vtiq; coniugem, qua tanquam sustentaretur & perduceretur vel integer vel auctior morbus animæ meæ satellitio perdurantis consuetudinis in regnũ vxorium. Nec sanabatur vulnus illud meum quod prioris præcisione factum fuerat, sed post feruorem doloremq; acerrimum putrescebat, & quasi frigidius, sed desperatius dolebat.

TIBI

CAPVT XVI. *De immortalitate animæ.*

TIBI laus, tibi gloria fons misericordiarum, ego fiebam miserior, & tu propinquior. Aderat iam iamque dextera tua ereptura me de cœno & ablutura me, & ignorabam. Nec me reuocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis & futuri iudicij tui, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de pectore meo. Et disputabam cum amicis meis Alipio & Nebridio de finibus bonorum & malorum. Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit. Et quærebam si essemus immortales & in perpetua corporis voluptate sine vllo amissionis terrore viueremus, cur non essemus beati, aut quid aliud quæreremus, nescien̄s idipsum ad magnam miseriam pertinere, quod ita demersus & cęcus cogitare non possem lumen honestatis, & gratis amplectendæ pulchritudinis, quam non vidit oculus carnis, & videtur ex intimo. Nec considerabam miser, ex B qua vena mihi manaret, quod ista ipsa fœda tamen cum amicis dulciter conferebam, nec esse sine amicis poteram beatus, etiam secundum sensum quem tunc habebam in quantalibet affluentia carnalium voluptatum. Quos vtique amicos gratis diligebam, vicissimque ab eis me diligi gratis sentiebam. O tortuosas vias. Væ animæ audaci quæ sperauit si à te recessisset, se aliquid melius habituram. Versa & reuersa in tergum & in latera & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies. Et ecce ades & liberas à miserabilibus erroribus, & constituis nos in via tua, & consolaris, & dicis: Currite, ego feram, & ego perducam, & ego ibi feram.

D. AVRELII AVGVSTINI CONFESSIONVM, LIB. VII.

CAP. I. *Quòd imaginibus corporeis reiectis, Deū cœperit agnoscere incorporeum.*

IAM mortua erat adolescentia mea mala & nephanda, & ibam in iuuentutem, C quanto ætate maior, tãto vanitate turpior, qui cogitare aliquid substantiæ nisi tale non poterã, quale per hos oculos videri solet. Nec te cogitabã Deus in figura corporis humani, ex quo audire aliquid de sapientia cœpi, semper hoc fugi, & gaudebã me hoc reperisse in fide spiritalis matris nostræ catholicæ tuæ. Sed quid te aliud cogitarem non occurrebat. Et cogitare te conabar homo, & talis homo summum & solum & verũ Deum: & te incorruptibilem & inuiolabilem & incommutabilem totis medullis credebam: quia nescien̄s vnde & quomodo, planè tamen videbam & certus eram, id quod corrumpi potest deterius esse quàm id quod non potest: & quod violari non potest, incunctanter præponebam violabili: & quod nullam patitur mutationem, melius esse quàm id quod mutari potest: clamabat violenter cor meum aduersus omnia phan- D tasmata mea, & hoc vno ictu conabar abigere circumuolantem turbam immunditiæ ab acie mentis meæ, & vix dimota in ictu oculi, ecce conglobata rursus aderat, & irruebat in aspectum meum, & obnubilabat eum: vt quamuis non forma humani corporis, corporeum tamen aliquid cogitare cogerer per spacia locorum, siue infusum mundo, siue etiam extra mundum per infinita diffusum, etiam ipsum incorruptibile & inuiolabile & incommutabile, quod corruptibili & violabili & commutabili præponebam: quoniam quicquid priuabam spaciis talibus, nihil mihi esse videbatur. Sed prorsus nihil, ne inane quidem, tanquam si corpus auferatur loco, & maneat locus omni corpore vacuatus, & terreno & humido & aereo & cælesti, sed tamen sit locus inanis tanquam spacioſum nihil. Ego itaque incrassatus corde, nec mihimetipsi vel ipse A consp̄icuus, quicquid non per aliquanta spacia tenderetur, vel diffunderetur, vel conglobaretur, vel tumeret, vel tale aliquid caperet, aut capere posset, nihil prorsus esse arbitrabar. Per quales enim formas ire solent oculi mei, per tales imagines ibat cor meum, nec videbam hanc eandem intentionem, qua illas ipsas imagines formabam, non esse tale aliquid, quæ tamen ipsas non formaret, nisi esset magnum aliquid. Ita † etiam te vita vitæ meæ grandem per infinita spacia vndique cogitabam penetrare totam mundi molem, & extra eam quaquauersum per immensa sine termino, vt haberet te terra, haberet cælum, haberent omnia, & illa finirẽtur in te, tu autem nusquam. Sicut autem luci solis non obsisteret aeris corpus, aeris huius qui supra terram est, quo minus per eum traijceretur penetrans eum, non dirumpendo aut concidendo, sed implendo eum totum: sic tibi putabam nõ solum cæli & aeris & maris, sed etiam terræ corpus peruium, & ex omnibus maximis minimisque partibus penetrabile ad capiendam præsentiam tuam, occulta inspiratione intrinsecus & extrinsecus administrantem omnia quæ creasti. Ita suspicabar, quia cogitare aliud non poteram, nam falsum erat. Illo enim modo maior pars terræ maiorem tui partem haberet, & minorem minor, atq; ita te plena essent omnia, vt amplius tui caperet elephanti corpus quàm passeris, quo esset isto grandius, grandioremque occuparet locum, atq; ita frustatim partibus mundi, magnis magnas, breuibus breues partes tuas præsentes faceres. Non es autem ita. Sed nondum illuminaueras tenebras meas.

† *al.* enim

SAT erat mihi Domine aduersus deceptos illos & deceptores & loquaces mutos, quoniam non ex eis sonabat verbum tuum: sat erat ergo illud quod iamdiu ab vsque Carthagine à Nebridio proponi solebat, & omnes qui audieramus cõcussi sumus. Quid erat tibi factura nescio quæ gens tenebratum, quam ex aduersa mole solent opponere, si tu cum ea pugnare noluisses? Si enim responderetur, aliquid fuisse nocituram, violabilis tu & corruptibilis fores. Si autẽ nihil ea nocere potuisse diceretur, nulla afferretur causa pugnandi, & ita pugnandi, vt quædam portio tua & membrum tuum vel proles de ipsa substantia tua misceretur aduersis potestatibus, & non à te creatis naturis, atque intantum ab eis corrumperetur & commutaretur in deterius, vt à beatitudine in miseriam verteretur, & indigeret auxilio quo erui purgarique posset: & hanc esse animam, cui tuus sermo seruienti liber, & cõtaminatæ purus, & corruptæ integer subueniret: sed & ipse corruptibilis, quia ex vna eademq; substantia. Itaque si te quicquid es, id est, substantiam tuam qua es, incorruptibilem dicerent: falsa esse illa omnia & execrabilia. Si autẽ corruptibilem: idipsum iam falsum & prima voce abominandum. Sat ergo erat istud aduersus eos omnino euomendos à pressura pectoris, quia non habebant quà exirent sine horribili sacrilegio cordis & linguæ, sentiendo de te ista & loquendo.

CAP. II. *Nebridius cõfutat Manichæos.*

SED & ego adhuc, quamuis incontaminabilem & inconuertibilem, & nulla ex parte mutabilem dicerem, firmeq; sentirem Dominum nostrum Deum verum, qui fecisti nõ solum animas nostras, sed etiam corpora, nec tantum animas nostras & corpora, sed omnes & omnia, non tenebam explicitam & enodatam causam mali: quæcunque tamen esset sic eam quærendam † videbam, vt non per illam constringerer Deum incommutabilem mutabilem credere, ne ipse fierem quod quærebam. Itaque securus eam quęrebam, & certus non esse verum quod illi dicerent, quos toto animo fugiebam: quia videbam quærendo vnde malum, repletos malitia, qua opinarentur tuam potius substantiam etiam male pati quàm suam male

CAP. III. *Liberum arbitrium causa peccati.*

† *al.* putabam

facere. Et intendebam vt cernerem quod audiebam, liberum voluntatis arbitrium cauſam eſſe vt malum faceremus, & rectum iudicium tuum vt pateremur, & eam liquidè cernere non valebam. Itaque aciem mentis de profundo educere conatus, mergebar iterum, & ſæpe conatus mergebar iterum atque iterum. Subleuabat enim me in lucem tuã quod tam me ſciebam habere voluntatem quàm viuere. Itaque cùm aliquid vellem aut nollem, non aliud quàm me velle ac nolle certiſſimus eram, & ibi eſſe cauſam peccati mei iam iamque animaduertebam. Quod autem inuitus facerem, pati me potius quàm facere videbam, & id nõ culpam, ſed pœnam eſſe iudicabam, qua me non iniuſtè plecti te iuſtum cogitãs citò fatebar. Sed rurſus dicebam: Quis fecit me? Nónne Deus meus? non tantum bonus, ſed ipſum bonum? Vnde igitur mihi male velle & bene nolle, vt eſſet cur iuſtè pœnas luerẽ? Quis in me hoc poſuit, & inſeruit mihi plantarium amaritudinis, cùm totus fierẽ à dulciſſimo Deo meo? Si diabolus autor, vnde ipſe diabolus? Quòd ſi & ipſe peruerſa voluntate ex bono angelo diabolus factus eſt, vnde & in ipſo voluntas mala qua diabolus fieret, quando totus angelus à conditore optimo factus eſſet bonus? His cogitationibus deprimebar iterum & ſuffocabar: ſed non vſque ad illum infernum ſubdu-
Pſal. 6. a. 6. cebar erroris, vbi nemo confitetur tibi, dum tu potius mala pati, quàm homo facere putatur.

CAPVT IIII. *Deus cogi non poteſt.*

SIc enim nitebar cætera inuenire, vt iam inueneram melius eſſe incorruptibile, quam corruptibile, & ideo te quicquid eſſes, eſſe incorruptibilem confitebar. Neque enim vlla anima vnquam potuit, poteritve cogitare aliquid quod ſit te melius, qui ſummum & optimum bonum es. Cùm autem veriſſimè, atque certiſſimè incorruptibile corruptibili præponatur, ſicut iam ego præponebam, poteram iam cogitatione aliquid attingere quod eſſet melius Deo meo, niſi tu eſſes incorruptibilis. Vbi igitur videbam incorruptibile corruptibili eſſe præferendum, ibi te quærere debebam, atque inde aduertere vbi ſit malum, id eſt, vnde ſit ipſa corruptio, qua violari ſubſtantia tua nullo modo poteſt. Nullo enim prorſus modo violat corruptio Deum noſtrum, nulla volũtate, nulla neceſſitate, nullo improuiſo caſu, quoniam ipſe eſt Deus, & quod ſibi vult bonum eſt, & ipſe eſt idẽ bonum. Corrumpi autem non eſt bonum. Nec cogeris inuitus ad aliquid, quia voluntas tua non eſt maior potentia tua. Eſſet autem maior ſi teipſo tu ipſe maior eſſes: voluntas enim & potentia Dei, Deus ipſe eſt. Et quid improuiſum tibi qui noſti omnia, & nulla natura eſt, niſi quia noſti eam? Et vt quid multa dicimus, cur non ſit corruptibilis ſubſtantia quæ Deus eſt, quando ſi hoc eſſet, non eſſet Deus?

CAP. V. *De ſeparatione creatoris à creatura, & de vniuerſitate ſomnium.* *al. alia*

ET quærebam, vnde malum: & male quærebam: & in ipſa inquiſitione mea non videbam malum. Et conſtituebam in conſpectu ſpiritus mei vniuerſam creaturam, quicquid in ea cernere poſſumus, ſicuti eſt terra, & mare, & aër, & ſydera, & arbores, & † animalia mortalia: & quicquid in ea non videmus ſicut firmamentum cæli, inſuper & omnes angelos & cuncta ſpiritalia eius: ſed etiam ipſa quaſi corpora eſſent, locis & locis ordinauit imaginatio mea: & feci vnam maſſam grãdem diſtinctam generibus corporũ † creaturam tuam, ſiue quæ vera corpora erant, ſiue quæ ipſe pro ſpiritibus finxeram: & eam feci grãdem, non quantum erat quod ſcire non poteram, ſed quantum libuit vndiq; verſum ſanè finitam. Te autem Domine ex omni parte ambientem eam & penetrantẽ, ſed vſquequaque infinitum: tanquam ſi mare eſſet vbiq;, & vndique per immenſa ſpacia infinitum ſolum mare, & haberet intra ſe ſpongiam quamlibet magnam, ſed finitam tamen, plena eſſet vndique ſpongia illa ex omni ſua parte ex immẽſo mari: ſic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam & dicebam: Ecce Deus, & ecce quæ creauit Deus, & bonus eſt Deus, atque his validiſſimè longiſſimeque præſtantior, ſed tamen bonus bona creauit, & ecce quomodo ambit atque implet ea. Vbi ergo malum, & vnde, & quà huc irrepſit? Quæ radix eius, & quod ſemen eius? An omnino non eſt? Cur ergo timemus & cauemus quod non eſt? Aut ſi inaniter timemus, certè vel timor ipſe malum eſt, quo incaſſum ſtimulatur, & excruciatur cor. Et tanto grauius malum, quanto non eſt quod timeamus & timemus. Idcirco aut eſt malum quod timemus, aut hoc malum eſt quia timemus. Vnde eſt igitur? Quoniam Deus fecit hæc omnia, bonus bona. Maius quidem & ſummum bonum minora fecit bona, ſed tamen & creans & creata bona ſunt omnia. Vnde eſt malum? Aut vnde fecit ea? Materies aliqua mala erat, & formauit atque ordinauit eam, ſed reliquit aliquid in illa, quod in bonum non conuerteret? Cur & hoc? An impotens erat totam vertere & commutare, vt nihil mali remaneret, cùm ſit omnia potens? Poſtremo cur inde aliquid facere voluit, ac cur non potius eadem omnipotentia fecit, vt nulla eſſet omnino? Aut verò exiſtere poterat contra eius voluntatem? Aut ſi æterna erat, cur tam diu per infinita retro ſpacia temporum, ſic eam ſiuit eſſe, ac tanto pòſt placuit aliquid ex ea facere? Aut iam ſi aliquid ſubitò voluit agere, hoc potius ageret omnipotẽs, vt illa non eſſet, atque ipſe ſolus eſſet totum, verum & ſummum & infinitum bonum. Aut ſi non erat bene, vt non aliquid boni etiam fabricaretur, & conderet qui bonus erat, illa ſublata & ad nihilum redacta materia quæ mala erat, bonam ipſe inſtitueret vnde omnia crearet. Non enim eſſet omnipotens, ſi condere non poſſet aliquid boni, niſi ea quam ipſe non condiderat, adiuaretur materia. Talia voluebam pectore meo miſero ingrauidato curis mordaciſſimis de timore mortis, & non inuenta veritate: ſtabiliter tamen hærebat in corde meo, in catholica Eccleſia fides Chriſti tui Domini & Saluatoris noſtri, in multis quidem adhuc informis, & præter doctrinæ normam † fluctuans, ſed tamen eam non relinquebat animus, imò indies magis magisque imbibebat.

al. creaturarum tuarũ, ſiue quæ reuera

al. fluitans.

CAP. VI. *Variæ Mathematicorum diuinationes.*

IAM etiam Mathematicorum fallaces diuinationes, & impia deliramenta reieceram. Confiteantur etiam hinc tibi de intimis viſceribus animæ meæ miſerationes tuæ Deus meus. Tu enim, tu omnino, nam quis alius à morte omnis erroris reuocat nos, niſi vita quæ mori neſcit, & ſapientia mentes indigentes illuminans, nullo indigens lumine, qua mundus adminiſtratur vſque ad arborum volatica folia? Tu procuraſti peruicaciæ meæ qua obluctatus ſum † Vindiciano ac uto ſeni, & Nebridio adoleſcenti mirabili animæ: illi veheměter affirmanti, huic cum dubitatione quidem aliqua, ſed tamen crebro dicenti, non eſſe vllam artem futura præuidendi, coniecturas autem hominum habere ſæpe vim ſortis, & multa dicendo dici pleraque ventura, neſcientibus eis qui dicerent, ſed in ea non tacendo incurrentibus. Procuraſti ergo tu hominem amicum, non quidem ſegnem conſultorem mathematicorum, nec eas literas bene callentem, ſed (vt dixi) conſultorem curioſum, & tamen ſcientem aliquid quod à patre ſuo ſe audiſſe dicebat, quantum valeret ad illius artis opinionem euertendam ignorabat. Is ergo vir nomine Firminus liberaliter inſtitutus & excultus eloquio, cùm me tanquam chariſſimum de quibuſdam ſuis rebus in quas ſecularis ſpes eius intumuerat, conſuleret quid mihi ſecundum ſuas quas conſtellationes appellant, videretur: ego autem qui iam de hac re in Nebridij ſententiam flecti cœperam, non quidem abnuerem conijcere ac dicere quod nutanti

al. Vendiciano

tanti occurrebat: sed tamen subijcerem, prope iam esse mihi persuasum ridicula esse illa & inania. Tum ille mihi narrauit patrem suũ fuisse librorum talium curiosissimum,& habuisse amicum æquè illa simulq; sectantem, qui pari studio & collatione flagrabant in eas nugas igne cordis sui,ita vt mutorum quoque animalium,si quæ domi párerent,obseruarent momenta nascentium, atque ad ea positionem cæli notarent, vnde illius artis quasi experimenta colligerent. Itaque dicebat audisse se à patre suo,quod cùm eundem Firminum prægnans mater esset, etiam illius paterni amici famula quædam pariter vtero grãdescebat,quod latere non potuit dominum, qui etiam canum suarum partus examinatissima diligentia nosse curabat. Atque ita factum esse,vt cùm iste coniugis,ille autem ancillæ dies & horas, minutioresque horarum articulos cautissima obseruatione numerarent,enixæ essent ambæ simul, ita vt easdem constellationes vsque ad easdem minutias vtrique nascenti facere cogerentur, iste filio,ille seruulo. Nam cũ mulieres parturire cœpissent, indicauerunt sibi ambo quid in sua cuiusque domo ageretur,& parauerunt quos ad se inuicem mitterent, simul vt natum quod parturiebatur esset, cuique nunciatum, quod tamen vt continuò nunciaretur,tanquam in regno suo facilè effecerant. Atque ita qui ab alterutro missi sunt, tam ex paribus domorum interuallis sibi obuiam factos esse dicebat,vt aliam positionem siderum, aliasque particulas momentorum, neuter eorum notare sineretur: & tamen Firminus amplo apud suos loco natus, dealbatiores vias seculi cursitabat, augebaturque diuitiis, sublimabatur honoribus: seruus autem ille conditionis iugo nullatenus relaxato dominis seruiebat,ipso indicãte qui nouerat eum. His itaque auditis & creditis, talis quippe narrauerat,omnis illa reluctatio mea resoluta concidit: & primo Firminum ipsum conatus sum ab illa curiositate reuocare, cùm dicerem constellationibus eius inspectis vt vera pronunciarem, debuisse me vtique videre ibi, parentes inter suos esse primarios, nobilem familiam propriæ ciuitatis, natales ingenuos, honestam educationem, liberalesque doctrinas. At si me ille seruus ex eisdem constellationibus, quia & illius ipsæ essent consuluisset, vt eidem quoq; vera proferrem, debuisse me rursum ibi videre abiectissimam familiam, conditionem seruilem, & cætera longè à prioribus aliena,longeque distantia. Vnde autem fieret vt eadem inspiciens diuersa dicerem, si vera dicerem: si autem eadem dicerem,falsa dicerem. Inde certissimè collegi ea quæ vera considerateis constellationibus dicerentur, non arte dici, sed sorte: quæ autem falsa, non artis imperitia, sed sortis mendacio. Hinc autem accepto aditu, ipse mecum talia ruminando, ne quis eorundem delirorum qui talem quæstum sequerentur, quos iam iamq; inuadere, atque irrisos refellere cupiebam, mihi ita resisteret quasi aut Firminus mihi aut illi pater falsa narrauerit, intendi considerationem in eos qui gemini nascuntur: quorũ plerique ita post inuicem funduntur ex vtero,vt paruum ipsum temporis interuallum quantamlibet vim in rerum natura habere contendant, colligi tamen humana obseruatione non possit,literisque signari omnino non valeat, quas mathematicus inspecturus est vt vera pronunciet. Et non erunt vera, quia easdem literas inspiciens, eadem debuit dicere de Esau & Iacob, sed non eadem vtrique acciderunt. Falsa ergo diceret. Aut si vera diceret,non eadem diceret si eadem inspiceret. Non ergo arte, sed sorte vera diceret. Tu enim Domine iustissime moderator vniuersitatis, cõsulentibus consultisq; nescientibus occulto instinctu agis, vt dum quisque consulit, hoc audiat quod eum oportet audire occultis meritis animarum ex abysso iusti

al. de eodem Firmino

Gen.25.t.d.

iudicij tui, cui non dicat homo: quid est hoc? aut vt quid hoc? Non dicat,non dicat: Homo est enim.

CAP. VIII. *Miserè torquetur inquirens vnde sit malum.*

IAM itaque me adiutor meus illis vinculis solueras,& quærebam vnde malum, & non erat exitus. Sed me non sinebas vllis fluctibus cogitationis auferri ab ea fide qua credebã & esse te & esse incõmutabilem substãtiam tuam, & esse de hominibus curam & iudiciũ tuum,& in Christo filio tuo Domino nostro, atque in scripturis sanctis quas ecclesiæ tuæ catholicæ commendaret autoritas, viam te posuisse salutis humanæ, ad eam vitam quæ post hanc mortem futura est. His itaque saluis, atque inconcusse roboratis in animo meo,quærebã æstuans vnde sit malum: quæ illa tormenta parturientis cordis mei, qui gemitus Deus meus? Et ibi erant aures tuæ nesciente me. Et cùm in silentio fortiter quærerem,magnæ voces erant ad misericordiam tuam,tacitæ contritiones animi mei. Tu sciebas quid patiebar,& nullus hominum. Quantum enim erat quod inde digerebatur per linguam meam in aures familiarissimorum meorum? Nunquid totus tumultus animæ meæ,cui nec tempora nec os meum sufficiebat, sonabat eis? Totũ tamen ibat in auditum tuum,quod rugiebam à gemitu cordis mei, & ante te erat desiderium meum, & lumen oculorum meorum non erat mecum. Intus enim erat,ego autẽ foris. Nec in loco illud: at ego intendebam in ea quæ locis continentur,& non ibi inueniebam locum ad requiescẽdum: nec recipiebant me ista vt dicerem: Sat est, & bene est: nec dimittebant redire, vbi mihi satis esset bene. Superior enim eram istis, te verò inferior, & tu gaudium verum mihi subdito tibi, & tu mihi subiceras quę infra me creasti. Et hoc erat rectum temperamentum, & media regio salutis meæ, vt manerem ad imaginem tuam,& tibi seruiens dominarer corpori. Sed cùm superbè contra te surgerem, & currerem aduersus Dominum in ceruice crassa scuti mei,etiam ista infima supra me facta sunt & premebant, & nusquam erat laxamentum & respiramentum. Ipsa occurrebant vndique aceruatim & conglobatim cernenti, cogitanti autem imagines corporum, ipsæ opponebantur redeunti,quasi diceretur: Quò is indigne & sordide? Et hęc de vulnere meo creuerant,quia humiliasti tanquam vulneratum superbum, & tumore meo separabar abs te,& nimis inflata facies claudebat oculos meos.

Psal.88.b. 11. *Iob* 15.c.26

CAP. VIIII. *Quomodo diuina misericordia subuenerit Augustino.*

TV verò Domine in æternum manes,& non in æternum irascéris nobis, quoniam miseratus es terram & cinerem, & placuit in conspectu tuo reformare deformia mea, & stimulis internis agitabas me, vt impatiẽs essem, donec mihi per interiorem aspectum certus esses. †Et residebat tumor meus ex occulta manu medicinæ tuæ aciesque conturbata & contenebrata mentis meæ acri collirio salubrium dolorum meorum de die in diem sanabatur.

al. Et sic residebat

Iac.4.b.6.

CAP. IX. *Quæ in libris Platonicorum quorundã inuenerit consentanea doctrinæ Christianæ.*

ET primo volens ostendere mihi,quàm resistas superbis, humilibus autem des gratiam, & quanta misericordia tua demonstrata sit hominibus via humilitatis,quòd verbum tuum caro factum est, & habitauit inter homines: procurasti mihi per quendam hominem immanissimo typho turgidum, quosdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Latinã versos: & ibi legi: non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis & multiplicibus suaderi rationibus, quòd in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum,& Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: quod factum est in eo,vita est,& vita erat lux hominum,& lux in tenebris lucet,& tenebrę eam non comprehenderunt. Et quia hominis anima quamuis testimonium perhibeat de lumine, non est tamen ipsa lumen, sed verbum Dei Deus est, lumen

a Ioan.1.b. 14.

Ioan.1.d.1.

verum quod illuminat omnem hominem venientem A in hunc mundum. Et quia in hoc mundo erat, & mũdus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Quia verò in sua propria venit & sui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credẽtibus in nomine eius: non ibi legi. Item ibi legi: Quia Deus verbum, non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neq; ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est. Sed quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis: non ibi le-
Phil.2.a.7. gi. Indagaui quippe in illis literis variè dictũ, & multis modis, quod sit filius in forma patris, non rapinam arbitratus esse æqualis Deo, quia naturaliter idipsum est. Sed quia semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit se factus obediens vsq; ad mortem, mortem autẽ crucis, propter quod Deus eum exaltauit à mortuis, & donauit ei nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu B flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris: non habẽt illi libri. Quod enim ante omnia tempora, & supra omnia tempora incommutabiliter manet vnigenitus filius tuus coæ-
Ioan.1.b.16. ternus tibi, & quia de plenitudine eius accipiunt animæ vt beatæ sint, & quia participatione manentis in se sapientiæ renouantur vt sapiẽtes sint: est ibi. Quod
Rom.5.b.8. autem secundum tempus pro impiis mortuus est; &
Rom.8.f.32. filio vnico tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus
Matth.11.d.25. tradidisti eum: non est ibi. Abscondisti enim hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis: vt venirent ad eum laborantes & onerati, & reficeret eos: quoniam mitis
Psal.24.b.9. est & humilis corde, & dirigit mites in iudicio, & docet mansuetos vias suas, videns humilitatem nostram, & laborem nostrum, & dimittens omnia peccata nostra. Qui autem cothurno tanquam doctrinæ sublimioris elati non audiunt, dicentem: Discite à me quia C
Matth.11.d.29. mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: & si cognoscunt Deum, non sicut
Rom.1.c.21. Deum glorificant aut gratias agunt, sed euanescũt in cogitationibus suis, & obscuratur insipiẽs cor eorum, dicentes se esse sapientes stulti fiunt. Et ideo legebam ibi etiam immutatam gloriam incorruptionis tuæ in idola & varia simulachra, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum
Gen.25.d.33. & serpentum, videlicet Ægyptium cibum quo Esau perdidit primogenita sua, quoniam caput quadrupedis pro te honorauit populus primogenitus, conuer-
Exodi 32.a.5 Psal.105.c.20. sus corde in Ægyptum, & curuans imaginem tuam, animam suam ante imaginem vituli manducantis fœnum. Inueni hæc ibi, & non manducaui. Placuit enim tibi Domine auferre opprobrium diminutionis ab Iacob, vt maior seruiret minori, & vocasti gentes in hæreditatem tuam. Et ego ad te veneram ex gẽtibus,
Exodi 3.g.22. & cap. 11.d.2.cap. 12.f.36. Act.17.f.28. & intendi in aurum quod ab Ægypto voluisti vt au- D ferret populus tuus, quoniam tuum erat vbicunque erat. Et dixisti Athenien sibus per Apostolum tuum, quod in te viuimus & mouemur & sumus: sicut & quidam secundum eos dixerunt. Et vtique inde erant illi libri. Et non attendi in idola Ægyptiorum, quibus de auro tuo ministrabant, qui transmutauerunt veri-
Rom.1.c.25. tatem Dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quàm creatori.

CAP. X. *Clarius innotescunt iam Augustino diuina.*

ET inde admonitus redire ad memetipsum, intraui in intimã meã duce te, & potui, quoniam factus es adiutor meus. Intraui & vidi qualicunque oculo animæ meæ, supra eundem oculum animæ meæ, supra mentem meam lucem Domini incommutabilẽ, non hanc vulgarem & conspicuam omni carni, nec quasi ex eodem genere grandior erat, tanquam si ista multo multoque clarius clarescceret, totumque occuparet magnitudine. Non hoc illa erat, sed aliud, aliud valdè ab istis omnibus. Nec ita erat supra mentem meam sicut oleum super aquam, nec sicut cælum super terram, sed superior, quia ipsa fecit me, & ego inferior, quia factus sum ab ea. Qui nouit veritatẽ, nouit eam: & qui nouit eam, nouit æternitatem. Charitas nouit eam. O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas. Tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte. Et cum te primum cognoui, tu assumpsisti me vt viderem esse quod viderem, & nondum me esse qui viderem. Et reuerberasti infirmitatem aspectus mei, rãdians in me vehementer & contremui amore & horrore, & inueni longè me esse à te in regione dissimilitudinis, tanquam audirem vocem tuam de excelso: Cibus sum grandium, cresce & manducabis me. Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Et cognoui quoniam pro iniquitate e- *Psal.38.d.12.*
rudisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam ánimam meã: & dixi, Nunquid nihil est veritas, quoniam neque per finita, neq; per infinita locorum spacia diffusa est? Et clamasti de longinquo: imò verò e- *Exodi 3.d.14.*
go sum qui sum. Et audiui sicut auditur in corde, & non erat prorsus vnde dubitarem. Faciliusque dubitarem viuere me, quàm non esse veritatem quæ per *Rom.1.c.20.*
ea quæ facta sunt intellecta conspicitur.

CAP. XI. *Quomodo creaturæ sunt & non sunt.*

ET inspexi cætera infra te, & vidi nec omnino esse, nec omnino non esse. Esse quidem, quoniam abs te sunt: non esse autem, quoniam id quod es nõ sunt. Id enim verè est, quod incommutabiliter manet. Mi- *Psal.72.d.28.*
hi autem inhærere Deo bonum est, quia si non manebo in illo, nec in me potero. Ille autem in se manẽs innouat omnia. Et Dominus Deus meus es, quoniam *Sap.7.d.27.*
bonorum meorum non eges.

CAP. XII. *Omnia bona quæ sunt.*

ET manifestatum est mihi, quoniam bona sunt quæ corrumpuntur, quæ neque corrumpi possent si summa bona essent, neque nisi bona essent, corrumpi possent: quia si summa bona essent, incorruptibilia essent: si autem nulla bona essent, quod in eis corrumperetur non esset. Nocet enim corruptio, & nisi bonum minueret, non noceret. Aut igitur nihil nocet corruptio, quod fieri nõ potest: aut, quod certissimum est, omnia quæ corrumpuntur, priuantur bono. Si autem omni bono priuabuntur, omnino non erunt. Si enim erunt, & corrumpi iam non poterunt, meliora erunt, quia incorruptibiliter permanebunt. Et quid monstrosius quàm ea dicere omni bono amisso facta meliora? Ergo si omni bono priuabuntur, omnino nulla erunt. Ergo quamdiu sunt, bona sunt. Ergo quęcunque sunt, bona sunt. Malumque illud quod quærebam vnde esset, non est substantia: quia si substantia esset, bonum esset. Aut enim esset incorruptibilis substantia, magnum vtiq; bonum: aut substantia corruptibilis esset, quæ nisi bona esset, corrumpi non posset. Itaque vidi & manifestatum est mihi, quia omnia bona tu fecisti, & prorsus nullæ substantiæ sunt quas tu non fecisti. Et quoniam non æqualia omnia fecisti, ideo sunt omnia, quia singula bona sunt, & simul omnia valde bona: quoniam fecisti Deus noster omnia bona valde.

CAP. XIII. *Omnia condita laudant Deum.*

ET tibi omnino non est malum, non solum tibi, sed nec vniuersæ creaturæ tuæ, quia extra te non est aliquid quod irrumpat & corrumpat ordinẽ quem posuisti ei. In partibus autem eius quædã quibusdam quia non conueniunt, mala putantur: & eadem ipsa conueniunt aliis & bona sunt, & in semetipsis bona sunt. Et omnia hæc quæ sibi inuicem non conueniũt, conueniunt inferiori parti rerum, quam terram dicimus, habentem cælum suum nubilosum atque ventosum congruum sibi. Et absit iam vt dicerem nõ esse ista: quia & si sola ista cernerem, desiderarem quidem meliora, sed iam etiam de solis istis laudare te deberem:

berem: quouiam laudandum te oſtendunt de terra
Pſal. 148. b. 8. dracones & omnes abyſſi: ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus tempeſtatis: quæ faciunt verbum tuũ. Montes & omnes colles, ligna fructifera & omnes cedri: beſtiæ & omnia pecora, reptilia & volatilia pennata: reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudices terræ: iuuenes & virgines, ſeniores cum iunioribus laudent nomen tuum. Cùm verò etiam de cælis te laudent, laudent te Deus noſter in excelſis omnes angeli tui, omnes virtutes tuæ, ſol & luna, omnes ſtellæ & lumen, cæli cælorum & aquæ quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen tuum: non iam deſiderabã meliorã, quia omnia cogitabam, & meliora quidem ſuperiora quàm inferiora, ſed meliora omnia quàm ſolã ſuperiora iudicio ſaniore pendebam.

CAPVT XIIII. *Sana mentis homini nihil diſplicet inter creaturas Dei.*

NON eſt ſanitas eis quibus diſplicet aliquid creaturæ tuæ, ſicut mihi non erat cùm diſplicerent multa quæ feciſti. Et quia non audebat anima mea vt ei diſpliceret Deus meus, nolebat eſſe tuum quicquid B ei diſplicebat, & inde ierat in opinionẽ duarum ſubſtantiarum, & non requieſcebat, & aliena loquebatur: & inde rediẽs fecerat ſibi Deum per infinita ſpacia locorum omniũ, & eum putauerat te eſſe, & eum collocauerat in corde ſuo & facta erat rurſus templum idoli ſui abominandum tibi. Sed poſteaquam
Pſal. 118. He. 37. fouiſti caput neſcientis, & clauſiſti oculos meos ne viderent vanitatem, ceſſaui de me paululum, & conſopita eſt inſania mea: & euigilaui in te, & vidi te infinitum aliter, & viſus iſte non à carne trahebatur.

CAP. XV. *Quomodo veritas & falſitas in creaturis.*

ET reſpexi alia, & vidi tibi debere, quia ſunt, & in te cuncta finita: ſed aliter, non quaſi in loco, ſed quia tu es omnitenens manu veritate, & omnia vera ſunt inquantum ſunt: nec quicquam eſt falſitas, niſi cùm putatur eſſe quod non eſt. Et vidi quia non ſolum locis ſua quæque ſuis conueniunt, ſed etiam temporibus: & quia tu, qui ſolus æternus es, non poſt innumerabilia ſpacia temporum cœpiſti operari: quia C omnia ſpacia temporum, & quæ præterierunt, & quæ præteribunt, nec abirent nec venirent, niſi te operante & manente.

CAP. XVI. *Omnia bona, licet quibuſdã non apta.*

ET ſenſi & expertus ſum non eſſe mirum, quòd palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano ſuauis eſt: & oculis ægris odioſa lux, quæ puris amabilis eſt. Et iuſtitia tua diſplicet iniquis: nedum vipera & vermiculus quæ bona creaſti, apta inferioribus creaturę tuæ partibus; quibus & ipſi iniqui apti ſunt quanto diſſimiliores ſunt tibi: apti autem ſuperioribus quanto ſimiliores fiunt tibi. Et quæſiui quid eſſet iniquitas, & non inueni ſubſtantiam, ſed à ſumma ſubſtantia te Deo detortam in infimam voluntatis peruerſitatem, proijcientis intima ſua, & tumeſcentis foras.

CAP. XVII. *Quæ retardent à cognitione diuinorum.*

ET mirabar quòd iam te amabã, non pro te phantaſma. Et non ſtabam frui Deo meo, ſed rapiebar ad te decore tuo, moxque deripiebar abs te pondere meo, & ruebam in iſta cum gemitu, & pondus hoc D conſuetudo carnalis. Sed mecum erat memoria tui, neque vllo modo dubitabam eſſe cui cohærerem, ſed nondum eſſe me qui cohærerem: quoniam corpus
Sap. 9. b. 15. quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Eramque certiſſimus quòd inuiſibilia tua à conſtitutione mun-
Rom. 1. c. 20. di per ea quę facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus & diuinitas tua. Quærẽs enim vnde approbarem pulchritudinem corporum ſiue cęleſtium ſiue terreſtrium, & quid mihi præſto eſſet integrè de mutabilibus iudicanti & dicenti, hoc ita eſſe debet, illud non ita. Hoc ergo quærens vnde iudicarem cũ ita iudicarem, inueneram incommutabilem & veram veritatis æternitatem ſupra mentem meam commutabilem: atque ita gradatim à corporibus adſentientem per corpus animam, atq; inde ad eius interiorem vim, cui ſenſus corporis exteriora annunciaret, & quouſque poſſunt beſtiæ, atque inde rurſus ad ratiocinantem potentiam, ad quam refertur iudicandum quod ſumitur à ſenſibus corporis. Quæ ſe quoque in me comperiens mutabilem, erexit ſe ad intelligentiam ſuam, & abduxit cogitationem à conſuetudine, ſubtrahens ſe à contradicentibus turbis phantaſmatũ, vt inueniret quo lumine aſpergeretur, cùm ſine vlla dubitatione clamaret, incommutabile præferendum eſſe mutabili: vnde noſſet ipſum incõmutabile, quod niſi aliquo modo noſſet, nullo modo illud mutabili certo præponeret, & perueniret ad id quod † eſt in ictu trepidatis aſpectus. Tum verò inuiſi- † al. non eſt in ictu
bilia tua per ea quæ facta ſunt intellecta conſpexi; ſed aciem figere non valui: & repercuſſa infirmitate redditus ſolitis, non mecum ferebam niſi amantem memoriam, & quaſi olfacta deſiderantem, quæ comedere nondum poſſem.

CAPVT XVIII. *Solus Chriſtus via ad ſalutem.* 1. Tim. 2. b. 5. Rom. 9. b. 5. Ioan. 14. a. 6. Ioan. 1. b. 14.

ET quærebam viam comparandi roboris quod eſſet idoneum ad fruendum te, nec inueniebam donec amplecterer mediatorẽ Dei & hominũ, hominẽ Chriſtum Ieſum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, vocantẽ & dicentẽ: Ego ſum via, veritas & vita. Et cibũ cui capiẽdo inualidus eram, miſcẽtem carni: quoniam verbũ caro factum eſt, vt infantiæ noſtræ lacteſceret ſapientia tua, per quam creaſti omnia. Non enim tenebam Dominum meũ Ieſum Chriſtũ, humilis humilẽ, nec cuius rei magiſtra eſſet eius infirmitas, noueram. Verbũ enim tuum æterna veritas, ſuperioribus creaturæ tuæ partibus ſupereminens, ſubditos erigit ad ſeipſam: in inferioribus autem ædificauit ſibi humilem domũ de limo noſtro: per quã ſubdendos deprimeret à ſeipſis, & ad ſe traijceret ſanans tumorem, & nutriens amorem: ne fiducia ſui progrederentur longius, ſed potius infirmarentur, videntes ante pedes ſuos infirmam diuinitatem ex participatione tunicæ pelliceæ noſtræ, & laſſi proſternerentur in eam, illa autem ſurgens leuaret eos.

CAPVT XIX. *Quid ſenſerit de Chriſti incarnatione.*

EGO verò aliud putabã, tantumq; ſentiebã de Domino Chriſto meo, quantũ de excellẽtis ſapientię viro, cui nullus poſſet æquari: præſertim quia mirabiliter natus ex virgine, ad exẽplum contemnendorum tẽporalium pro adipiſcẽda immortalitate, diuina pro nobis cura tantã autoritatẽ magiſterij meruiſſe videbatur. Quid autẽ ſacramenti haberet, Verbũ caro fa- Ioan. 1. b. 14.
ctũ, ne ſuſpicari quidẽ poteram. Tantũ cognouerã ex iis quæ de illo ſcripta traderentur, quia manducauit, bibit, dormiuit, ambulauit, exhilaratus eſt, cõtriſtatus eſt, ſermocinatus eſt, nõ hęſiſſe carnẽ illam verbo tuo, niſi cũ anima & mẽte humana. Nouit hoc omnis qui nouit incõmutabilitatem verbi tui, quã ego iam noueram quantũ poteram, nec omnino quicquam inde dubitabam. Etenim nũc mouere mẽbra corporis per voluntatẽ, nunc nõ mouere, nũc aliquo affectu affici, nunc non affici, nunc proferre per ſigna ſapientes ſententias, nunc eſſe in ſilentio: propria ſunt mutabilitatis animæ & menris. Quę ſi falſa de illo ſcripta eſſent: etiam omnia periclitarentur mendacio, neque in illis literis vlla fidei ſalus generi humano remaneret: quia itaque vera ſcripta ſunt, totum hominem in Chriſto agnoſcebam, non corpus tantũ hominis, aut cũ corpore ſine mente animum, ſed ipſum hominẽ non perſona veritatis, ſed magna quadam naturæ humanæ excellentia, & perfectiore participatione ſapientiæ præferri cæteris arbitrabar. Alipius autem Deum car- Alipius.
ne indutum, ita putabat credi à catholicis, vt præter Deum & carnem non eſſet in Chriſto anima, mentemq; hominis non exiſtimabat in eo prædicari. Et Tertullianus de carne Chriſti libro iſtã confutat.
quoniam bene perſuaſum tenebat, ea quæ de illo memoriæ mandata ſunt ſine vitali & rationali creatura non fieri, ad ipſam Chriſtianam fidem pigrius moue-

batur. Sed postea hæreticorum Apollinaristarum hũc errorem esse cognoscens, catholicę fidei collætatus & contemperatus est. Ego autem aliquanto posterius didicisse me fateor, in eo quod verbum caro factum est, quomodo catholica veritas à Photini falsitate dirimatur. Improbatio quippe hæreticorum facit eminere quid ecclesia tua sentiat, & quid habeat sana doctrina. Oportuit enim & hæreses esse, vt probati manifesti fierent inter infirmos. 1. Cor. 11. d. 19.

CAP. XX. *Platonici libri varij.*

SED tunc lectis Platonicorum illis libris, postea quàm inde admonitus quærerem incorpoream veritatẽ, [a] inuisibilia tua per ea quæ facta sunt intellecta cõspexi, & repulsus sensi quid per tenebras animę meę contemplari non sinerer certus esse, te & infinitũ esse, nec tamẽ per locos finitos infinitósve diffundi, & verè te esse qui semper idem ipse esses, ex nulla parte nulloque motu aliter aut aliter: cætera verò ex te esse omnia, hoc solo firmissimo documento, quia sunt. Certus quidem in istis erã, nimis tamen infirmus ad fruendum te. Garriebã planè quasi peritus, & nisi in Christo saluatore nostro viam tuam quærerem, non peritus sed periturus essem. Iam enim cœperam velle videri sapiens, plenus pœna mea, & non flebam, insuper inflabar scientia. Vbi enim erat illa ædificans charitas à fundamento humilitatis, quod est Christus Iesus? Aut quando illi libri me docerent eam, in quos me propterea prius quàm scripturas tuas considerarem, credo voluisti incurrere, vt imprimeretur memoriæ meæ quomodo ex eis affectus essem, & cùm postea in libris tuis mansuefactus essem, & curantibus digitis tuis contrectarentur vulnera mea, discernerem atque distinguerem quid interesset inter præsumptionem & confessionem, inter videntes quò eundum sit, nec videntes quà, & viam ducentem ad beatificam patriam, non tantum cernendam, sed & inhabitandam? Nam si primò sanctis tuis literis informatus essem, & in earum familiaritate obdulcuisses mihi, & postea in illa volumina incidissem, fortasse aut abripuissent me à solidamento pietatis: aut si in affectu quem salubrem imbiberam perstitissem, putarem etiam ex illis libris eum posse concipi, si eos solos quisquam didicisset. a Rom. 1. c. 20.

CAP. XXI. *Quid in sacris libris inuenerit, non inuẽtum in Platonicis.*

ITAQVE auidissimè arripui venerabilem stylum spiritus tui, & præ cæteris apostolum Paulum, & perierunt illæ quæstiones, in quibus mihi aliquando visus est aduersari sibi, & non congruere testimoniis legis & prophetarum textus sermonis eius. Et apparuit mihi vna facies eloquiorum castorum, & exultare cum tremore didici. Et cepi, & inueni quicquid in illa verum legeram, ac cum commendatione gratiæ tuę dici, vt qui videt non sic glorietur quasi non acceperit, nõ solum id quod videt, sed etiam vt videat. Quid enim habet quod non accepit? Et vt te qui es semper idem, non solùm admoneatur vt videat, sed etiam sanetur vt teneat. Et qui de longinquo videre non potest, viam tamen ambulet quà veniat & videat & teneat, quia & si condelectetur homo Dei legi secundum interiorem hominem, quid faciet de alia lege in membris suis, repugnante legi mentis suæ, & se captiuum ducente in lege peccati, qui est in membris eius? Quoniam iustus es Domine, nos autem peccauimus, iniquè fecimus, impiè gessimus, & grauata est super nos manus tua, & iustè traditi sumus antiquo peccatori præposito mortis, quia persuasit voluntati nostræ similitudinem voluntatis suæ, qua in veritate tua non stetit. Quid faciet miser homo? Quis eum liberabit de corpore mortis huius, nisi gratia tua per Iesum Christum Dominum nostrum, quem genuisti coæternum, & [a] creasti in principio viarum tuarum, [b] in quo princeps huius mundi non inuenit quicquam morte dignum, & occidit eum, & euacuatum est chirographum quod erat contrarium nobis? Hoc illæ literæ

2. Cor. 4. b. 7.
Rom. 7. d. 23.
Dan. 3. c. 29.
Ioan. 8. f. 44.
Rom. 7. d.
a Prou. 8. c. 22.
b Ioan. 14. d. 30.
Coloss. 2. c. 14

non habent. Non habent illæ paginæ vultum pietatis huius, lachrymas confessionis, sacrificium tuum, spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum, populi salutem, sponsam, ciuitatem, arram spiritus sancti, poculum precij nostri. Nemo ibi cantat: Nónne Deo subdita erit anima mea? Ab ipso enim salutare meum. Etenim ipse est Deus meus & salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius. Nemo ibi audit vocantẽ: Venite ad me qui laboratis. Et dedignantur ab eo discere, quoniam mitis est & humilis corde. Abscondisti enim hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et aliud est de syluestri cacumine videre patriam pacis, & iter ad eam non inuenire, & frustra conari per inuia, circum obsidentibus & insidiantibus fugitiuis desertoribus cum principe suo leone & dracone: & aliud tenere viam illuc ducẽtem cura cælestis imperatoris munitam, vbi non latrocinantur qui cælestem militiam deseruerunt. Vitant enim eam sicut supplicium. Hæc mihi inuiscerabantur miris modis, cùm minimum apostolorum tuorum legerem, & considerabam opera tua & expaueram. Psal. 50. d. 19. Psal. 61. d. 2. Matth. 11. d. 28. Abacuc 3. c. 1

D. AVRELII AVGVSTINI
CONFESSIONVM, LIB. VIII.

CAP. 1. *Accensus amore diuinorũ ad Simplicianum ire statuit.*

DEVS meus recorder in gratiarum actione tibi, & confitear misericordias tuas super me. Perfundantur ossa mea dilectione tua, & dicant; [a] Domine quis similis tibi? [b] Dirupisti vincula mea, sacrificẽ tibi sacrificium laudis. Quomodo dirupisti ea narrabo, & dicent omnes qui adorant te, cùm audiunt hæc: Benedictus Dominus in cælo & in terra, magnum & mirabile nomen eius. Inhæserant præcordiis meis verba tua, & vndique circumuallabar abs te. De vita tua æterna certus eram, quáuis eam in ænigmate & quasi per speculum videram. Dubitatio tamẽ omnis de incorruptibili substantia, quod ab illa esset omnis substantia, ablata mihi erat: nec certior de te, sed stabilior in te esse cupiebam. De mea verò temporali vita nutabant omnia, & mundandum erat cor à fermẽto veteri, & placebat via ipse saluator, & ire per eius angustias adhuc pigebat. Et immisisti in mentem meam, visumque est bonum in conspectu meo pergere ad Simplicianum qui mihi bonus apparebat seruus tuus, & lucebat in eo gratia tua. Audieram etiam, quod à iuuentute sua deuotissimè tibi viueret: iam verò tunc senuerat, & longa ætate in tam bono studio sectandæ viæ tuæ, multa expertus, multa edoctus mihi videbatur, & verè sic erat. Vnde mihi vt proferret volebam conferenti secum æstus meos, quis esset aptus modus sic affecto vt ego eram ad ambulandum in via tu. Videbam enim plenam ecclesiam, & alius sic ibat, alius autem sic. Mihi autem displicebat quod agebam in seculo, & oneri mihi erat valde, non iam inflammantibus cupiditabus, vt solebant, spe honoris & pecunię, ad tolerandam illam seruitutem tam grauem. Iam enim me illa non delectabant præ dulcedine tua & decore domus tuæ quam dilexi, sed adhuc tenaciter colligabar ex femina: nec me prohibebat Apostolus cõiugari, quamuis exhortaretur ad melius, maximè volens omnes homines sic esse vt ipse erat. Sed ego infirmior eligebam molliorem locum: & propter hoc vnum voluebar in cæteris languidus, & tabescens curis marcidis, quod & in aliis rebus quas nolebam pati, congruere cogebar vitæ coniugali, cui deditus constringebar. Audieram ex ore veritatis, esse spadones qui seipsos absciderunt propter regnum cælorum, sed qui potest (inquit) capere, capiat. Vani sunt

a Psal. 82. a. 2.
b Psal. 115. a. 17.
1. Cor. 13. d. 12.
Psal. 25. b. 8.
1. Cor. 7. a. 7.
Matth. 19. b. 12.

certè

Sap.13.a.1. certè omnes homines quibus nõ ineſt Dei ſciẽtia, nec de iis quæ videntur bona, potuerũt inuenire eum qui eſt. At ego iam non eram in illa vanitate: tranſcenderam eam, & conteſtante vniuerſa creatura tua, inueneram te creatorem noſtrum, & verbum tuum apud
Ioan.1.a.1. te Deum, tecumq; cum ſpiritu ſancto vnum Deum, per quod creaſti omnia. Eſt & aliud genus impiorum,
Rom.1.c.21. qui cognoſcentes Deum non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. In hoc quoq; incideram,
Pſal.17.c.36 & dextera tua Deus ſuſcepit me, & inde ablatum po-
Iob 28.d.28. ſuiſti vbi conualeſcerem, quia dixiſti homini: Ecce
Prou.3.a.7. pietas eſt ſapiẽtia. &, Noli velle videri ſapiẽs, quoniam
Rom.1.c.22. & Matth.13.f. dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et inueneram iam bonam margaritam, & venditis omnibus quæ haberem emenda erat, & dubitabam.

CAP. II. De Victorino rhetore conuerſo.

PERREXI ergo ad Simplicianum patrem in accipienda gratia tua tũc epiſcopi Ambroſij, & quem vere vt patrem diligebat. Narraui ei circumitus erroris mei. Vbi autem commemoraui legiſſe me quoſdã
Victorinus. libros Platonicorum, quos Victorinus quondam rhetor vrbis Romæ, quem Chriſtianum defunctum eſſe audieram, in Latinam linguam tranſtuliſſet, gratulatus eſt mihi quòd nõ in aliorum philoſophorum ſcripta incidiſſem, plena fallaciarum & deceptionum ſe-
Coloſſ.2.b.8. cundum elementa huius mundi, in iſtis autem omnibus modis inſinuari Deum & eius verbum. Deinde vt
Matth.11.d. 26. me exhortaretur ad humilitatem Chriſti, ſapientibus abſconditam, & reuelatam paruulis, Victorinũ ipſum recordatus eſt, quem Romæ cùm eſſet familiariſſimè nouerat, deq; illo mihi narrauit, quod non ſilebo. Habet enim magnam laudem gratiæ tuæ confitẽdam tibi, quemadmodũ ille doctiſſimus ſenex, & omnium liberalium doctrinarum peritiſſimus, quiq; philoſophorum tam multa legerat, & diiudicauerat & dilucidauerat, doctor tot nobilium ſenatorum, qui etiam ob inſigne pręclari magiſterij, quod ciues huius mundi eximium putant, ſtatuam in Romano foro meruerat & acceperat, vſque ad illam ætatẽ venerator idolorum, ſacrorumq; ſacrilegorum particeps, quibus
al.populi vſiam & tunc tota ferè Romana nobilitas inflata ſpirabat, † populusq; etiam omnigenum deum mõſtra, & Anubem latratorem, quæ aliquando contra Neptunum & Venerem, contraq; Mineruam tela tenuerant, & à ſe
Victorinus. victis iam Roma ſupplicabat, quæ iſte ſenex Victorinus tot annos ore terricrepo defenſitauerat, non erubuerit eſſe puer Chriſti tui, & infans fontis tui, ſubiecto collo ad humilitatis iugum, & edomita fronte ad
Pſal.143.b. 5. crucis opprobrium. O Domine Domine qui inclinaſti cælos & deſcendiſti, tetigiſti montes & fumigauerunt, quibus modis te inſinuaſti illi pectori? Legebat,
Simplicianus. ſicut ait Simplicianus, ſanctam Scripturam, omnesq; Chriſtianas literas inueſtigabat ſtudioſiſſimè & perſcrutabatur, & dicebat Simpliciano, nõ palàm ſed ſecretius & familiarius: noueris me iam eſſe Chriſtianum. Et reſpondebat ille: Non credam, nec deputabo te inter Chriſtianos, niſi in Eccleſia Chriſti te videro. Ille autem irridebat eum dicens; Ergóne parietes faciunt Chriſtianos? Et hoc ſæpe dicebat iã ſe eſſe Chriſtianum, & Simplicianus illud ſæpe reſpondebat, & ſæpe ab illo parietum irriſio repetebatur. Amicos enim ſuos verebatur offendere ſuperbos dęmonicolas, quorum ex culmine Babylonicę dignitatis, quaſi ex cedris
Pſal.28.b.5. Libani quas nondum contriuerat Dominus, grauiter ruituras in ſe inimicitias arbitrabatur. Sed poſteaquã legendo & inhiando hauſit firmitatem, timuitq; ne-
Matth.10.d. 32.* gari à Chriſto coram angelis ſanctis, ſi eum timeret coram hominibus confiteri, reusq; ſibi magni criminis apparuit, erubeſcendo de ſacramentis humilitatis verbi tui, & non erubeſcendo de ſacris ſacrilegis ſuperborum dæmoniorum, quę imitator ſuperbus acceperat: depuduit vanitati & erubuit veritati, ſubitoque & inopinatus ait Simpliciano, vt ipſe narrabat; Eamus in Eccleſiam, Chriſtianus volo fieri. At ille non capiens ſe lætitia perrexit cum eo. Vbi autem imbutus eſt primis inſtructionum ſacramentis, non multo pòſt etiam nomen dedit, vt per baptiſmum regeneraretur, mirante Roma, gaudente Eccleſia. Superbi videbant & iraſcebantur, dentibus ſuis ſtridebant & tabeſcebant, ſeruo autẽ † tuo Dominus Deus erat ſpes eius, & non reſpiciebat in vanitates & inſanias mendaces. Deniq; vt ventum eſt ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis retentisq; memoriter de loco eminentiore in conſpectu populi fidelis Romæ reddi ſolet ab eis qui acceſſuri ſunt ad gratiam tuam, oblatũ eſſe dicebat Victorino à presbyteris, vt ſecretius redderet, ſicut nonnullis qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat: illum autem maluiſſe ſalutem ſuam in conſpectu ſanctæ multitudinis profiteri: non enim erat ſalus quam docebat in rhetorica, & tamen eam publicè profeſſus erat. Quanto minus ergo vereri debuit manſuetũ gregem tuum pronuncians verbum tuum, qui non verebatur in verbis ſuis turbas inſanorum? Itaque vbi aſcendit vt redderet, omnes ſibimet inuicem quiſque vt eum nouerat, inſtrepuerunt nomen eius ſtrepitu congratulationis. Quis autem ibi non eum nouerat? Et ſonuit preſſo ſonitu per ora cunctorum collætantium: Victorinus, Victorinus. Citò ſonuerunt exultatione, quia videbant eum: & citò ſiluerunt intentione, vt audirent eum. Pronunciauit ille fidem veracem præclara fiducia, & volebant eum omnes rapere intro in cor ſuum, & rapiebant amando & gaudendo. Hæ rapientium manus erant.

Pſal.111.b. 10. al.ſuo Pſal.39.a.5.

CAP. III. Quod Deus & angeli magis gaudent in peccatorum conuerſione. Lucæ 15.b.7.

DEVS bone quid agitur in homine, vt plus gaudeat de ſalute deſperatæ animę, & de maiore periculo liberatę, quàm ſi ſpes ei ſemper affuiſſet, aut periculum minus fuiſſet? Etenim tu quoque miſericors pater, plus gaudes de vno pœnitente, quàm de XCIX. iuſtis quibus non eſt opus pœnitentia. Et nos cum magna iucunditate audimus cùm audimus, quàm exultantis paſtoris humeris reportetur ouis quæ erraue-
Ibidem a. 4. rat: & drachma referatur in theſauros tuos collætan-
Ibidem b 8. tibus vicinis mulieri quæ inuenit: & lachrymas excutit gaudium ſolennitatis domus tuæ, cùm legitur in domo tua de minore filio, quoniam mortuus erat
Lucæ 15.g. 32. & reuixit, perierat & inuentus eſt. Gaudes quippe in nobis & in angelis tuis ſancta charitate ſanctis. Nam tu ſemper idem, qui ea quæ non ſemper nec eodem modo ſunt, eodem modo ſemper noſti omnia. Quid ergo agitur in anima, cùm amplius delectatur inuentis aut redditis rebus quas diligit, quàm ſi eas ſemper habuiſſet? Conteſtantur enim & cætera, & plena ſunt omnia teſtimoniis clamantibus, ita eſt. Triumphat Victor imperator, & non viciſſet niſi pugnauiſſet. Et quanto maius periculum fuit in prælio, tanto maius gaudium eſt in triumpho. Iactat tempeſtas nauigantes, minaturq; naufragium, omnes futura morte palleſcunt. Tranquillatur cælum & mare, & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger eſt charus, & vena eius malum renunciat: omnes qui eum ſaluum cupiunt, ægrotant ſimul animo. Fit ei rectè, & nondũ ambulat priſtinis viribus, & fit iam tale gaudium, quale non fuit cùm antea ſaluus & fortis ambularet. Easq; ipſas voluptates humanæ vitæ etiam non inopinatis & præter voluntatem irruentibus, ſed inſtitutis & voluntariis moleſtiis homines acquirunt. Edendi & bibendi voluptas nulla eſt, niſi præcedat eſuriendi & ſitiendi moleſtia. Et ebrioſi quædam ſaliua ſcula comedunt, quo fiat moleſtus ardor, quẽ dum extinguit potatio, ſit delectatio. Et inſtitutum eſt vt iam pactæ ſponſæ non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpirauerit ſponſus dilatam.

dilatam. Hoc in turpi & execranda lætitia, hoc in ea quæ conceſſa & licita eſt, hoc in ipſa ſynceriſſima honeſtate amicitiæ, hoc in eo qui mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus eſt. Vbique maius gaudium, moleſtia maiori præceditur. Quid eſt hoc Domine Deus meus, cùm tu æternum tibi tu ipſe ſis gaudium, & quædam de te circa te ſemper gaudeant? Quid eſt quod hæc rerum pars alternat defectu & profectu, offenſionibus & conciliationibus? An is eſt modus earum, & tantum dediſti eis cùm à ſummis cælorum, vſque ad ima terrarum, ab initio vſque in finem ſeculorum, ab angelo vſque ad vermiculum, à motu primo vſque ad extremum, omnia genera bonorum, & omnia iuſta opera tua ſuis quæque ſedibus locares, & ſuis quæque temporibus ageres? Heu mihi quàm excelſus es in excelſis, & quàm profundus es in profundis, & nuſquàm recedis, & vix redimus ad te.

Luc. 15. g. 32.

CAPVT IIII. *Quare plus lætandum ſit in magni peccatoris conuerſione.*

AGE Domine & fac, excita & reuoca nos, accende & rape, flagra, dulceſce, iam amemus & curramus. Nónne multi ex profundiore tartaro cæcitatis, quàm Victorinus redeunt ad te, & accedunt & illuminantur recipientes lumen? Quòd ſi qui recipiũt, accipiunt à te poteſtatem vt filij tui fiant. Sed ſi minus noti ſint populis, minus de illis gaudent, etiam qui nouerunt eos. Quando enim cum multis gaudetur, & in ſingulis vberius eſt gaudium, quia feruefaciunt ſe & inflammantur ex alterutro. Deinde quod multis noti, multis ſunt autoritati ad ſalutem, & multis præeunt ſecuturis, ideoque multum de illis & qui eos præceſſerunt lætantur, quia non de ſolis lætantur. Abſit enim vt in tabernaculo tuo præ pauperibus accipiantur perſonæ diuitum; aut præ ignobilibus nobiles; quando potius infirma mundi elegiſti vt cõfunderes fortia, & ignobilia huius mundi elegiſti & contemptibilia, & ea quæ non ſunt tanquam quæ ſunt, vt ea quæ ſunt euacuares. Et tamen idem ipſe minimus apoſtolorum tuorum, per cuius linguam tu iſta verba ſonuiſti, cùm Paulus proconſul per eius militiã debellata ſuperbia, ſub leni iugo Chriſti tui miſſus eſſet, regis magni prouincialis effectus, ipſe quoque ex priore Saulo, Paulus vocari amauit, ob tam magnum inſigne victoriæ. Plus enim hoſtis vincitur in eo quem plus tenet, & de quo plures tenet. Plus autem ſuperbos tenet nomine nobilitatis, & de his plures nomine autoritatis. Quanto igitur gratius† cogitabatur Victorini pectus, quod tanquam inexpugnabile receptaculum diabolus obtinuerat. Victorini lingua, quo telo grandi & acuto multos peremerat: tanto abundantius exultare oportuit filios tuos, quia rex noſter alligauit fortem, & videbant vaſa eius erepta mundari & aptari in honorem tuum, & fieri vtilia Domino ad omne opus bonum.

1. Cor. 1. d. 28.

nota.

1. Cor. 15. b. 9.

al. cogebatur

Matth. 22. b.

CAP. V. *Quæ remorabantur eum à conuerſione.*

SED vbi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino iſta narrauit, exarſi ad imitãdum. Ad hoc enim & ille narrauerat. Poſteaquam verò & illud addidit, quòd imperatoris Iuliani temporibus lege data prohibiti ſunt Chriſtiani docere literaturam & oratoriam, quam legem ille amplexus, loquacem ſcholam deſerere maluit, quàm verbum tuum, quo linguas infantium facis diſertas, non mihi fortior quàm felicior viſus eſt, quia inuenit occaſionem vacandi tibi. Cui rei ego ſuſpirabam ligatus, non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis, vnde catenam appellaui, tenebat me obſtrictum dura ſeruitus: voluntas autem noua, quæ mihi eſſe cœperat vt te gratis colerem, fruiq; te vellem Deus ſola certa iocunditas, non-

Sap. 10. d. 21.

A B C D

dum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, vna vetus, alia noua: illa carnalis, illa ſpiritalis confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam. Sic intelligebam † meo ipſo experimento id quod legeram, quomodo * caro concupiſceret aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Ego quidem in vtroque, ſed magis ego in eo quod in me approbabam, quàm in eo quod in me improbabam. Ibi enim magis iam non ego, quia ex magna parte id patiebar inuitus, quod faciebam volens. Sed tamen cõſuetudo aduerſus me pugnacior ex me facta erat, quoniam volens quò nollem perueneram. Et quis iure contradiceret, cùm pec cantem iuſta pœna ſequeretur? Et non erat iam vlla excuſatio, qua videri mihi ſolebam, propterea nõdum me contempto ſeculo ſeruire tibi, quia incerta mihi eſſet perceptio veritatis. Iam enim & ipſa certa erat, ego autem adhuc terra obligatus, militare tibi recuſabam, & impedimentis omnibus ſic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum eſt. Ita ſarcina ſeculi, velut ſomno aſſolet, dulciter premebar: & cogitationes quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remergũtur. Et ſicut nemo eſt qui dormire ſemper velit, omniumque ſano iudicio vigilare præſtat, differt tamen plerunq; homo ſomnum excutere, cũ grauis torpor in mẽbris eſt, eumq; iam diſplicentem carpit libentius, quamuis ſurgẽdi tempus aduenerit: ita certum habebam eſſe melius tuæ charitati me † dedere, quàm meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat & vincebat, hoc libebat & vinciebat. Non enim erat quod tibi reſponderem dicenti mihi; Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus: & vndique oſtendenti vera te dicere, nõ erat omnino quod reſponderẽ veritate conuictus, niſi tantum verba lenta & ſomnolenta: Modo, ecce modo, ſine paululum. Sed modo & modo non habebant modum: &, ſine paululum, in longum ibat. Fruſtra condelectabar legi tuæ ſecundum interiorem hominem, cùm lex alia in membris meis repugnaret legi mentis meæ, & captiuum me duceret in lege peccati quæ in membris meis erat. Lex enim peccati eſt violentia conſuetudinis, qua trahitur & tenetur etiam inuitus animus, eo merito quo in eam volens illabitur. Miſerum ergo me quis liberaret de corpore mortis huius, niſi gratia tua per Ieſum Chriſtũ Dominũ noſtrum?

al. in me ipſo

a Galat. 5. c. 17.

al. reddere

Epheſ. 5. c. 14

Rom. 7. d. 22.

CAP. VI. *Potitianus narrat Antonij vitam.*

ET de vinculo quidem deſiderij concubitus quo arctiſſimo tenebar, & ſecularium negociorum ſeruitute, quemadmodum me exemeris narrabo, & confitebor nomini tuo Domine adiutor meus & redemptor meus. Agebam ſolita creſcente anxietudine, & quotidie ſuſpirabam tibi: frequentabam eccleſiam tuam quantum vacabat ab eis negociis ſub quorum pondere degebam, Mecum erat Alipius ocioſus ab opere iuriſperitorum poſt † aſſeſſionem tertiam, expectans quibus iterum conſilia venderet, ſicut ego vendebam dicendi facultatem, ſi qua docendo præſtari poteſt. Nebridius autem amicitiæ noſtræ ceſſerat, vt omnium noſtrum familiariſſimo Verecundo Mediolanenſi & ciui & grammatico ſubdoceret, vehementer & deſideranti & familiaritatis iure flagitanti, de numero noſtro fidele adiutorium quo indigebat nimis. Non itaq; Nebridium cupiditas commodorum eo traxit: maiora enim poſſet ſi vellet de literis agere, ſed officio beneuolentiæ petitionem noſtram contemnere noluit amicus dulciſſimus & mitiſſimus. Agebat autem illud prudentiſſimè, cauens innoteſcere perſonis ſecundum hoc ſeculum maioribus, deuitans in eis omnẽ inquietudinem animi, quem volebat habere liberum, & quàm multis poſſet horis feriatum ad quærendũ aliquid, vel legendum, vel audiendũ de

al. aſcenſionem

ſapien-

ſapientia. Quodam igitur die, non recolo cauſam qua erat abſens Nebridius, cùm ecce ad nos domum venit & ad me & Alipium Potitianus quidam ciuis noſter inquantum Afer, præclarè in palatio militans, neſcio quid à nobis volebat. Et conſedimus vt colloqueremur, & fortè ſupra menſam luſoriam quæ ante nos erat, attendit codicem, tulit, aperuit, inuenit apoſtolum Paulum, inopinatè ſanè: putauerat enim aliquid de libris quorum profeſſio me conterebat. Tum verò arridens meque intuens, gratulatoriè miratus eſt, quòd eas & ſolas præ oculis meis literas repentè comperiſſet. Chriſtianus quippe & fidelis erat, & ſæpe tibi Deo noſtro proſternebatur in eccleſia crebris & diuturnis orationibus. Cui ego cùm indicaſſem illis me ſcripturis curam maximam impendere, ortus eſt ſermo ipſo narrante de Antonio Ægyptio monacho, cuius nomen excellenter clarebat apud ſeruos tuos, nos autem vſque in illam horam latebat. Quod ille vbi comperit, immoratus eſt in eo ſermone, inſinuans tantum virum ignorantibus, & admirans eandem noſtram ignorantiam. Stupebamus autem audiētes tam recenti memoria, & propè noſtris temporibus teſtatiſſima mirabilia tua in fide recta & catholica Eccleſia. Omnes mirabamur, & nos, quia tam magna erant, & ille, quia inaudita nobis erant Inde ſermo eius deuolutus eſt ad monaſteriorum greges, & mores ſuaueolentiæ tuæ, & vbera deſerta eremi, quorum nos nihil ſciebamus. Et erat monaſterium Mediolani plenum bonis fratribus extra vrbis mœnia ſub Ambroſio nutritore, & non noueramus. Pertendebat ille & loquebatur adhuc, & nos intēti tacebamus. Vnde incidit vt diceret neſcio quando ſe & tres alios contubernales ſuos nimirum apud Treuiros, cùm imperator pomeridiano Circenſium ſpectaculo teneretur, exiſſe deambulatum in hortos muris contiguos, atq; illic vt fortè combinati ſpaciabantur, vnum ſecum ſeorſum, & alios duos itidem ſeorſum pariterq; digreſſos: ſed illos vagabundos irruiſſe in quandam caſam, vbi habitabāt quidam ſerui tui, ſpiritu pauperes, qualium eſt regnum cęlorum, & inueniſſe ibi codicem in quo ſcripta erat vita Antonij. Quam legere cœpit vnus eorum, & mirari & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relicta militia ſeculari ſeruire tibi. Erat autem ex eis quos dicunt Agentes in rebus. Tunc ſubito repletus amore ſancto & ſobrio pudore, iratus ſibi coniecit oculos in amicum, & ait illi; Dic quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quo ambimus peruenire? quid quærimus? cuius rei cauſa militamus? Maiórne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quàm vt amici imperatoris ſimus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quamdiu iſtud erit? Amicus autem Dei ſi voluero, †ecce nunc fio. Dixit hoc, & turbidus parturitione nouæ vitæ, reddidit oculos paginis, & legebat & mutabatur intus vbi tu videbas, & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit. Namque dum legit & voluit fluctus cordis ſui, infremuit aliquādo & diſcreuit, decreuitq; meliora: iamque tuus ait amico ſuo, Ego iam abrupi me ab illa ſpe noſtra, & Deo ſeruire ſtatui, & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior. Te ſi piget imitari, noli aduerſari. Reſpondit ille, adhærere ſe ſocio tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo iam tui ædificabant turrim ſumptu idoneo relinquendi omnia ſua & ſequendi te. Tum Potitianus, & qui cum eo per alias horti partes deambulabant, quærentes eos deuenerunt in eundem locum, & inuenientes admonuerunt vt redirent, quoniam declinaſſet dies. At illi narrato placito & propoſito ſuo, quoque modo in eis talis voluntas orta eſſet atque firmata, petiuerunt ne ſibi moleſti eſſent, ſi adiungi recuſarent.

Monaſterium apud Mediolanum.

Matth. 5. 4. 3.

Agentes.

al. eſſe

Iſti autem nihilo mutati à priſtinis, fleuerūt ſe tamen vt dicebat, atque illis piè congratulati ſunt, & commendauerunt ſe orationibus eorum, & trahentes cor in terra abierunt in palatium, illi autem affigentes cor cælo, manſerunt in caſa. Et ambo habebant ſponſas. Quæ poſteaquàm hoc audierunt, dicauerunt etiam ipſæ virginitatem tibi.

CAP. VI. Diſplicuit ſi audito Potitiano.

NARRABAT hæc Potitianus: Tu autem Domine inter verba eius retorquebas me ad meipſum auferens me à dorſo meo vbi me poſuerā, dum nollem me attendere, & cōſtituebas me ante faciem meam, vt viderem quàm turpis eſſem, quàm diſtortus & ſordidus, maculoſus & vlceroſus. Et videbā & horrebam, & quò à me fugerem non erat. Et ſi conabar à me auertere aſpectum, narrabat ille quod narrabat, & tu me rurſus opponebas mihi, & impingebas me in oculos meos, vt inuenirem iniquitatem meam & odiſſem. Noueram eam, ſed diſſimulabam & conniuebā & obliuiſcebar. Tunc verò quanto ardentius amabam illos de quibus audiebam ſalubres affectus, quòd ſe totos tibi ſanandos dederant, tanto execrabilius me comparatum eis oderam. Quoniam multi mei anni mecum effluxerant, fortè duodecim anni, ex quo ab vndeuiceſimo anno ætatis meæ, lecto Ciceronis Hortenſio, excitatus eram ſtudio ſapientiæ, & differebam contempta felicitate terrena ad eam inueſtigandam vacare, cuius non inuentio, ſed vel ſola inquiſitio iam præponenda erat, etiam inuentis theſauris regniſque gentium, & ad nutum circumfluentibus corporis voluptatibus. At ego adoleſcens miſer valde, miſer in exordio ipſius adoleſcentiæ etiam petieram à te caſtitatem, & dixeram: Dā mihi caſtitatem & continētiam, ſed noli modo. Timebam enim ne me citò exaudires, & citò ſanares à morbo concupiſcentiæ, quam malebam expleri quàm extingui. Et ieram per vias prauas ſuperſtitione ſacrilega, non quidem certus in ea, ſed quaſi præponens eam cæteris, quæ nō piè quærebam, ſed inimicè oppugnabam. Et putaueram me propterea differre de die in diem contempta ſpe ſeculi te ſolum ſequi, quia non mihi apparebat certum aliquid quo dirigerem curſum meum. Et venerat dies quo nudarer mihi, & increparet me conſcientia mea: Vbi es lingua? Nempe tu dicebas propter incertū verum nolle te abijcere ſarcinam vanitatis. Ecce iam certum eſt, & illa te adhuc premit, humeriſque liberioribus pennas recipiunt, qui neq; ita inquirendo attriti ſunt, nec decennio & amplius iſta meditati. Ita rodebar intus, & confundebar pudore horribili vehementer, cùm Potitianus talia loqueretur. Terminato autem ſermone & cauſa qua venerat, abiit ille. Et ego ad me, quæ non in me dixi? Quibus ſententiarum verberibus non flagellaui animam meam, vt ſequeretur me conantem poſt te ire? Et renitebatur, recuſabat, & non ſe excuſabat. Conſumpta erant & conuicta argumenta omnia, remanſerat muta trepidatio, & quaſi mortem reformidabat reſtringi à fluxu conſuetudinis quo tabeſcebat in mortem.

CAP. VIII. In horto quid fecerit.

TVM in illa grandi rixa interioris domus meæ, quam fortiter excitaueram cum anima mea in cubiculo noſtro corde meo, tam vultu quàm mente turbatus, inuado Alipium, & exclamo, Quid patimur? quid eſt hoc? quid audiſti? Surgunt indocti & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce vbi volutamur in carne & ſanguine? An quia præceſſerunt, pudet ſequi, & non pudet nec ſaltem ſequi? Dixi neſcio quæ talia, & abripuit me ab illo æſtus meus, cùm taceret attonitus intuens me. Neque enim ſolita ſonabam, pluſque loquebantur animum meum frons, genæ, oculi, color, modus vocis, quàm verba quæ promebam. Hortulus quidā erat hoſpitij noſtri, quo nos vtebamur ſicut tota domo.

Nam

Nam hoſpes ibi non habitabat dominus domus. Illuc me abſtulerat tumultus pectoris, vbi nemo impediret ardentem litem quam mecum aggreſſus eram, donec exiret quà tu ſciebas. Ego autem non, ſed tantum inſaniebam ſalubriter, & moriebar vitaliter, gnarus quid mali eſſem, & ignarus quid boni poſt paululum futurus eſſem. Abſceſſi ergo in hortum, & Alipius pedem poſt pedem. Neque enim ſecretū meum non erat, vbi ille aderat. Aut quando me ſic affectum deſereret? Sedimus quantum potuimus remoti ab ædibus: Ego fremebam ſpiritu indignans turbulentiſſima indignatione, quòd non irem in placitum & pactum tecum Deus meus, in quod eundum eſſe omnia oſſa mea clamabant, & in cælum tollebant laudibus, & non illuc ibatur nauibus aut quadrigis aut pedibus, quantum ſaltem de domo in eum locum ieram vbi ſedebamus. Nam non ſolum ire, verumetiam peruenire illuc, nihil erat aliud quàm velle ire, ſed velle fortiter & integrè, non ſemiſauciam hac atque hac verſare & iactare voluntatem, parte aſſurgente cum alia parte cadente luctantem. Deniq; tam multa faciebam corpore in ipſis cunctationis æſtibus, quæ aliquando volunt homines, & non valent, ſi aut ipſa membra non habeant, aut ea vel colligata vinculis, vel reſoluta languore, vel quoquo modo impedita ſint. Si vulſi capillum, ſi percuſſi frontem, ſi conſertis digitis amplexatus ſum genu, quia volui feci. Potui autem velle & non facere, ſi mobilitas membrorum non obſequeretur. Tam multa ergo feci, vbi non hoc erat velle quod poſſe: & non faciebam, quod & incomparabili affectu amplius mihi placebat, & mox vt vellem poſſem, quia mox vt vellem vtique
al. poſſem. † vellem. Ibi enim facultas ea quæ voluntas, & ipſum velle iam facere erat, & tamen non fiebat: faciliusque obtemperabat corpus tenuiſſimæ voluntati animæ, vt ad nutum mentis membra mouerentur, quàm ipſa
al. ſua ſibi anima ad voluptatem ſuam magnam in † ſola voluntate perficiendam.

CAP. IX. *Animus quare ad bonum tardus.*

VNDE hoc mõſtrum? & quare iſtud? Luceat miſericordia tua, & interrogem ſi fortè mihi reſpõdere poſſint latebræ pœnarum hominum, & tenebroſiſſimæ contritiones filiorum Adam. Vnde hoc monſtrum, & quare iſtud? Imperat animus corpori, & paretur ſtatim, imperat animus ſibi & reſiſtitur. Imperat animus vt moueatur manus, & tanta eſt facilitas vt vix à ſeruitio diſcernatur imperium: & animus animus eſt, manus autem corpus eſt. Imperat animus vt
al. & animus eſt velit † animus, nec alter eſt, nec facit tamen. Vnde hoc monſtrum, & quare iſtud? Imperat, inquam, vt velit, qui non imperaret niſi vellet, & non fit quod imperat. Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat. Nam intantum imperat, inquantum vult, & intantum non fit quod imperat, inquantum non vult. Quoniam voluntas imperat vt ſit voluntas, nec alia ſed ipſa. Non vtique plena imperat, ideo non eſt quod imperat. Nam ſi plena eſſet, nec imperaret vt eſſet, quia iam eſſet. Non igitur monſtrum partim velle, partim nolle, ſed ægritudo animi eſt, quia non totus aſſurgit veritate ſubleuatus, conſuetudine prægrauatus. Et ideo ſunt duæ voluntates, quia vna earum tota non eſt, & hoc adeſt alteri quod deeſt alteri.

CAP. X. *Varia hominis voluntas.*

PEREANT à facie tua Deus, ſicuti pereunt vaniloqui & mentis ſeductores, qui cùm duas voluntates in deliberando animaduerterint, duas naturas duarum mentium eſſe aſſeuerant, vnam bonam, alteram malam. Ipſi verè mali ſunt, cùm iſta mala ſentiunt, & ijdem ipſi boni erunt ſi † vera ſenſerint, verisque conſenſerint, vt dicat eis Apoſtolus tuus, Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Iſti enim dum volunt eſſe lux, non in Domino, ſed in
al. bona
Eph. 5. b. 8.

A ſeipſis, putando animæ naturam hoc eſſe quod Deus eſt, ita facti ſunt denſiores tenebræ: quoniam longius à te receſſerunt horrenda arrogantia, à te verò lumine illuminante omnem hominem venientem in hunc mundum. Attendite quid dicatis, & erubeſcite, & accedite ad eum & illuminamini, & vultus veſtri non erubeſcent. Ego cùm deliberabam vt iam ſeruirem Domino Deo meo, ſicut diu diſpoſueram, ego eram qui volebam, ego qui nolebam, ego ego eram. Nec plenè volebam, nec plenè nolebam. Ideo mecum contendebam, & diſſipabar à meipſo. Et ipſa diſſipatio me inuito quidem fiebat, nec tamẽ oſtendebat naturam mentis alienæ, ſed pœnam meæ. Et ideo non iam ego operabar illam, ſed quod habitabat in me peccatum de ſupplicio liberioris peccati, quia eram filius Adam. Nam ſi tot ſunt contrariæ naturæ, quot voluntates ſibi reſiſtunt: non iam duæ, ſed plures erunt. Si deliberet quiſquam vtrum ad conuenticulum eo-
B rum pergat, an ad theatrum: clamant iſti, Ecce duæ naturæ, vna bona hac ad conuenticulum ducit, altera mala illac ad theatrum reducit. Nam vnde iſta cunctatio ſibimet aduerſantium voluntatum? Ego autem dico ambas malas, & quæ ad illos ducit, & quæ ad theatrum reducit. Sed non credunt niſi bonam eſſe quà itur ad eos. Quid ſi ergo quiſquam noſtrum deliberet, & ſecum altercantibus duabus voluntatibus fluctuet, vtrum ad theatrum pergat, an ad eccleſiam noſtram, nónne & iſti quid reſpondeant fluctuabunt? Aut enim fatebuntur, quod nolunt, bona voluntate pergi in Eccleſiam noſtram, ſicut in eam pergunt qui ſacramentis eius imbuti ſunt atque detinentur: aut duas malas naturas, & duas malas mentes in vno homine confligere putabunt, & non erit verum quod ſolent dicere, vnam bonam & alteram malam: aut conuertentur ad verum & non negabunt, cùm quiſq; deliberat animam vnam diuerſis voluntatibus æſtuare. Iam ergo non dicant, cùm duas voluntates in homine vno aduerſari ſibi ſentiũt, duas contrarias mentes de duabus contrariis ſubſtantiis, & de duobus contrariis principiis contendere: vnam bonam, alteram malam. Nam tu Deus verax improbas eos & redarguis atque conuincis eos, ſicut in vtraq; mala voluntate, cùm quiſque deliberat vtrum hominem veneno interimat an ferro: vtrum fundum alienum illum, an illum inuadat, quando vtrunq; non poteſt: vtrum emat voluptatem luxuria, an pecuniam ſeruet auaritia: vtrum ad circũ pergat, an ad theatrum, ſi vno die vtrumque exhibeatur: addo etiam tertium, an ad furtum de domo aliena ſi ſubeſt occaſio: addo & quartum, an ad committendum adulterium, ſi & inde ſimul facultas aperitur, ſi omnia concurrant in vnũ articulum temporis, pariterque cupiantur omnia quæ ſimul agi nequeunt. Diſcerpunt enim animum ſibimet aduerſantibus quatuor volũtatibus, vel etiá plu-
D ribus in tanta copia rerum quæ appetuntur, nec tamen tãtam multitudinem diuerſarum ſubſtantiarum ſolent dicere: ita & in bonis voluntatibus. Nam quæro ab eis, vtrum bonum ſit delectari lectione Apoſtoli, & vtrum bonum ſit delectari pſalmo ſobrio, & vtrum bonum ſit euangelium diſſerere: Reſpondebunt ad ſingula: Bonum. Quid ſi ergo pariter delectent omnia ſimulque vno tempore? Nónne diuerſæ voluntates diſtendunt cor hominis cùm deliberatur quid potiſſimùm arripiamus? Et omnes bonæ ſunt, & certant ſecum donec eligatur vnum quò feratur tota voluntas vna, quæ in plures diuidebatur. ita etiam cùm æternitas delectat ſuperius, & temporalis boni voluptas retentat inferius, eadem anima eſt non tota voluntate illud aut hoc volens, & ideo diſcerpitur graui moleſtia, dum illud veritate præponit, hoc familiaritate non ponit.

Rom. 7. c. 15.
Ioan. 1. b. 10.
Pſal. 33. a. 6.

SIC

CAP. XI. *Lucta spiritus & carnis in Aug.*

SIc ægrotabam & excruciabar accusans memet- A ipsum solito acerbius nimis, ac voluens & versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum quo iam exiguo tenebar, sed tenebar tamen: & instabas tu in occultis meis Domine seuera misericordia, flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rursus cessarem, & non abrumperetur idipsum exiguum & tenue quod remãserat, & reualesceret iterum, & me robustius alligaret. Dicebã enim apud me intus: Ecce modo fiat, modo fiat. Et cum verbo iam ibam in placitum, iam penè faciebã & non faciebam: nec relabebar tamẽ in pristina, sed de proximo stabam & respirabã, & item conabar & paulò minus ibi eram, & paulò minus iam iamque attingebam & tenebam, & non ibi eram, nec attingebam nec tenebam, hæsitans mori morti, & vitæ viuere: plusque in me valebat deterius molitum quàm melius insolitum: punctumque ipsum temporis quo aliud futurus eram, quanto propius admouebatur, tãto ampliorem incutiebat horrorem, sed non B recutiebat retro, nec auertebat, sed suspendebat. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatũ antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam & submurmurabant: Dimittisne nos? Et à momento isto non erimus tecum vltra in æternum, & à momento isto non tibi licebit hoc & illud vltra in æternum? Et quę suggerebant in eo quod dixi hoc & illud, quæ suggerebant Deus meus, auertat ab anima serui tui misericordia tua: Quas sordes suggerebant? quæ dedecora? Et audiebã eas iam longè minus quàm dimidius, non tanquam liberè contradicentes eundo in obuiam, sed veluti à dorso mussitantes, & discedentem quasi furtim vellicantes vt respicerem: retardabant tamen me cunctantem abripere atque excutere ab eis & transilire quò vocabar, cùm diceret mihi cõsuetudo violẽta. Putásne sine istis poteris? Sed iam tepidissimè hoc dicebat. Aperiebatur enim ab ea parte qua intenderam faciem, & quò transire trepidabam, C casta dignitas continentiæ, serena & non dissolutè hilaris, honestè blandiens vt venirem neq; dubitarem, & extendens ad me suscipiendum & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu non poteris quod isti & istæ? An verò isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorũ me dedit eis. Quid in te stas & nõ stas? Proijce te securus in eũ, noli metuere, nõ se subtrahet vt cadas. Proijce te securus, excipiet te & sanabit te. Et erubescebã nimis, quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, & cunctabũdus pendebam. Et rur- *Coloss. 3. a. 5.* sus illa, quasi diceret; Obsurdesce aduersus immunda illa membra tua super terram, vt mortificentur. Nar- D *Psal. 118. Caph. 85.* rant tibi delectationes, sed non sicut lex Domini Dei tui. Ista controuersia in corde meo, nõ nisi de meipso aduersus meipsum. At Alipius affixus lateri meo, inusitati motus mei exitum tacitus operiebatur.

CAP. XII. *Vocis admonitu quomodo totus conuersus.*

VBI verò à fundo arcano alta consideratio cõtraxit & congessit totam miseriam meam in conspectum cordis mei, oborta est procella ingens ferens ingentem imbrem lachrymarum. Et vt totum effunderem cum vocibus suis, surrexi ab Alipio. Solitudo mihi ad negocium flendi aptior suggerebatur. Et secessi remotius quàm vt posset mihi onerosa esse etiã eius præsentia. Sic tum eram, & ille sensit nescio quid. Aliquid enim puto dixeram, in quo apparebat sonus vocis meæ iam fletu grauidus, & sic surrexeram. Mansit ergo ille vbi sedebamus, nimiè stupẽs. Ego sub quadam fici arbore straui me, nescio quomodo, & dimisi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: [a] Et tu Domine vsquequo? [b] Vsquequo Domine *a Psal. 6. d. 4.* irasceris in finem? [c] Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sẽtiebam enim me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles. Quamdiu, quãdiu, *b Psal. 12. d. 1.* cras & cras? Quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc & flebã amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de *c Psal. 78. c. 8. Isaiæ 64. c. 9.* vicina domo cum cantu dicentis & crebro repetentis quasi pueri an puellæ, nescio: Tolle lege, tolle lege. Statimque mutato vultu intentissimus cogitare cœpi, vtrum nam solerent pueri in aliquo genere ludendi cãtitare tale aliquid, nec occurrebat omnino audiuisse me vspiam. Repressoque impetu lachrymarum surrexi, nihil aliud interpretans diuinitùs mihi iuberi, nisi vt aperirem codicem & legerem quod primum caput inuenissem. Audieram enim de Antonio, quod ex euangelica lectione, cui fortè superuenerat, admonitus fuerit tanquam sibi diceretur quod legebatur; Vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & ha- *Matth. 19. c. 21.* bebis thesaurum in cælis, & veni sequere me, & tali oraculo confestim ad te esse conuersum. Itaque concitus redij ad eum locum, vbi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostoli cùm inde surrexeram. Arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quod primum coniecti sunt oculi mei. Non in comessatio- *Rom. 13. d. 13* nibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis. Nec vltra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo omnis dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum interiecto aut digito, aut nescio quo alio signo, codicem clausi, & C tranquillo iam vultu indicaui Alipio. At ille quid in se ageretur, quod ego nesciebam, sic indicauit: Petit videre quid legissem, ostendi, & attendit etiam vltra quàm ego legeram, & ignorabam quid sequeretur. Sequebatur verò, Infirmum autem in fide assumite. Quod ille ad se retulit, mihique aperuit. Et tali admo- *Rom. 14. a. 1.* nitione firmatus est, placitoque ac proposito bono & congruentissimo suis moribus quibus à me in melius iam olim valde longeque distabat, sine vlla turbulenta cunctatione coniunctus est. Inde ad matrem ingredimur, indicamus, gaudet, narramus quemadmodum gestum sit, exultat & triumphat & benedicit tibi qui potens es vltra quàm petimus aut intelligimus facere, *Ephes. 3. d. 20.* quia tanto amplius sibi à te cõcessum de me videbat, quàm petere solebat miserabilibus eius flebilibusque gemitibus. Conuertisti enim ita me ad te, vt nec vxorem quærerem, nec aliquam spem seculi huius, stans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei reuelaueras. Et conuertisti luctum eius in gaudium multo *Psal. 29. d. 12.* vberius quàm voluerat, & multo charius atque castius quàm de nepotibus carnis meæ requirebat.

D. AVRELII AVGVSTINI CONFESSIONVM, LIB. IX.

CAP. I. *Laudat Dei bonitatem, & agnoscẽs suam miseriam.*

DOMINE ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ: Diripuisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiã laudis. Laudet te cor meum & lingua mea, & omnia ossa mea dicant; Domine [a] quis *a Psal. 115. a. 16.* similis tibi? Dicát, & respõde mihi: & [b] dic animę meæ, *a Psal. 82. a. 2.* salus tua ego sum. Quis ego, & qualis ego? Quid non *b Psal. 34. a. 3.* mali ego? An facta mea: aut si non facta, dicta mea: aut si nõ dicta, volũtas mea fuit? Tu autẽ Dñe bonus & misericors, & dextera tua respiciens profunditatẽ mortis meæ,

meæ,& à fundo cordis mei exhauriens abyſſum corruptionis.Et hoc erat totũ nolle quod volebas,& velle quod nolebas.Sed vbi erat tam annoſo tempore,& de quo imo altoq; ſecreto euocatum eſt in momento liberum arbitrium meum, quo ſubderem ceruicẽ leni iugo tuo,& humeros leui ſarcinę tuæ,Chriſte Ieſu, adiutor meus & redemptor meus? Quàm ſuaue mihi ſubito factum eſt carere ſuauitatibus nugarũ, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me,vera tu & ſumma ſuauitas,eijciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini: omni luce clarior,ſed omni ſecreto interior: omni honore ſublimior, ſed nõ ſublimibus in ſe. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi & acquirendi & volutandi atque ſcalpendi ſcabiem libidinum, & garriebam tibi claritati meæ,& diuitiis meis, & ſaluti meæ Domino Deo meo.

Matth.11.d. 29.

CAP. II. *Deſerit rhetoricæ profeſſionem.*

ET placuit mihi in conſpectu tuo non tumultuosè abripere, ſed leniter ſubtrahere miniſterĩu linguæ meæ nundinis loquacitatis,ne vlterius pueri meditantes non legem tuam,non pacem tuam, ſed inſanias mendaces, & bella forenſia mercarentur ex ore meo arma furori ſuo. Et opportunè iã pauciſſimi dies ſupererant ad vindemiales ferias, & ſtatui tolerare illos vt ſolenniter abſcederem, & redemptus à te iam non redirem venalis. Conſilium ergo noſtrũ erat coram te,coram hominibus autem niſi noſtris non erat. Et conuenerat inter nos ne paſſim cuiquam effunderetur,quanquam tu nobis à conualle plorationis aſcẽdentibus & cantantibus canticum graduum, dederas ſagittas acutas, & carbones vaſtatores aduerſus linguam ſubdolam, velut conſulendo contradicentem, & ſicut cibum aſſolet amando conſumẽtem.Sagittaueras tu cor noſtrũ charitate tua,& geſtabamus verba tua trãsfixa viſceribus,& exempla ſeruorum tuorum, quos de nigris lucidos,& de mortuis viuos feceras,cõgeſta in ſinum cogitationis noſtræ vrebãt & abſumebãt grauem torporem,ne in ima † vergeremus, & accendebãt nos validè,vt omnis ex lingua ſubdola contradictionis flatus inflammare nos acrius poſſet, non extinguere. Veruntamen quia propter nomen tuum quod ſanctificaſti per terras, etiam laudatores vtique haberet votum & propoſitum noſtrum,iactãtiæ ſimile videbatur,nõ operiri tam proximum feriarũ tẽpus, ſed de publica profeſſione atq; ante oculos omniũ ſita antè diſcedere,vt conuerſa in factũ meum ora cunctorum intuẽtium, quàm vicinum vindemialiũ diem præuenire voluerim,multa dicerent,quòd quaſi appetiſſem magnus videri.Et quo mihi erat iſtud, vt putaretur & diſputaretur de animo meo, & blaſphemaretur bonum noſtrum? Quinetiam quod ipſa æſtate literario labori nimio pulmo meus cedere cœperat, & difficulter trahere ſuſpiria, doloribusque pectoris teſtari ſe ſaucium, vocemq; clariorem productioremve recuſare, primò perturbauerat me, quia magiſterij illius ſarcinam penèiam neceſſitate deponere cogebat, aut ſi curari & cõualeſcere potuiſſem, certè intermittere. Sed vbi plena voluntas vacandi & vidẽdi quoniã tu es Dominus oborta mihi eſt atque firmata, noſti Deus meus,etiã gaudere cœpi, quod hæc quoq; ſuberat non mendax excuſatio, quæ offenſionem hominum tẽperaret, qui propter liberos ſuos me liberum eſſe nunquam volebant. Plenus igitur tali gaudio tolerabam illud interuallum tẽporis, donec decurreret, neſcio vtrum vel viginti dies erant,ſed tamen fortiter tolerabantur, quia receſſerat cupiditas quæ mecum ſolebat ferre graue negocium, & ego premendus remanſeram, niſi patientia ſuccederet. Peccaſſe me in hoc quiſquam ſeruorum tuorum fratrum meorũ dixerit, quòd iã pleno corde militia tua paſſus me fuerim,vel vna hora ſedere in cathedra mendacij. At ego non contendo. Sed tu Domine miſericordiſſime, nónne & hoc peccatum cum cæteris horrendis & funereis in aqua ſancta ignouiſti & remiſiſti mihi?

Pſal.83. b.7.

Pſal.119.a. 4.

al mergeremur,

Rom. 14. c. 16.

MACERABATVR anxietudine Verecũdus de iſto noſtro bono,quòd propter vincula ſua quibus tenaciſſimè tenebatur, deſeri ſe noſtro conſortio videbat, nondum Chriſtianus coniuge fideli, ea ipſa tamen arctiore præ cæteris compede ab itinere quod aggreſſi eramus retardabatur. Nec Chriſtianum eſſe alio modo ſe velle dicebat, quàm illo quo nõ poterat. Benignè ſanè obtulit,vt quamdiu ibi eſſemus, in rure eius eſſemus. Retribues illi Domine in reſurrectione iuſtorum, quia iam ipſam ſortẽ retribuiſti ei. Quamuis enim abſentibus nobis, cùm Romæ iam eſſemus, corporali ægritudine correptus, & in ea Chriſtianus & fidelis factus, ex hac vita emigrauit: ita miſertus es non ſolum eius, ſed etiam noſtri, ne cogitantes egregiam erga nos amici humanitatem,nec eum in grege tuo numerãtes,dolore intolerabili cruciaremur. Gratias tibi Domine Deus noſter,tui ſumus,indicant hortationes & conſolationes tuæ, fidelis promiſſor, reddes Verecũdo pro rure illo eius Caſſiciaco,vbi ab ęſtu ſeculi requieuimus in te,amœnitatem ſempiternè virentis paradiſi tui, quoniam dimiſiſti ei peccata ſuper terram,in monte incaſeato,monte tuo, monte vberi. Angebatur ergo tunc ipſe, Nebridius autem collætabatur. Quamuis enim & ipſe nondum Chriſtianus in illam foueam pernicioſiſſimi erroris inciderat, vt veritatis filij tui carnem phantaſma crederet, tamen inde emergens ſic ſibi erat, nondum vllis Eccleſiæ tuæ ſacramentis imbutus,ſed inquiſitor ardentiſſimus veritatis. Quem non multo poſt cõuerſionem noſtram & regenerationem per baptiſmum tuũ, ipſum etiam fidelem catholicum caſtitate perfecta atque cõtinentia tibi ſeruiẽtem in Aphrica apud ſuos, cùm tota domus eius per eum Chriſtiana facta eſſet, carne ſoluiſti, & nunc ille viuit in ſinu Abraham. Quicquid illud eſt quod illo ſignificatur ſinu,ibi Nebridius meus viuit, dulcis amicus meus, tuus autem domine adoptiuus ex liberto filius, ibi viuit. Nam quis alius tali animæ locus? Ibi viuit, vnde me multa interrogabat homuncionem inexpertum. Iam non ponit aurem ad os meum,ſed ſpiritale os ad fontẽ tuum,& bibit quantum poteſt ſapiẽtiam pro auiditate ſua ſine fine felix. Nec ſic eum arbitror inebriari ex ea, vt obliuiſcatur mei,cùm tu Domine † quem potat ille, noſtri ſis memor. Sic ergo eramus Verecundum conſolantes triſtem, ſalua amicitia, de tali † conuerſatione noſtra, & exhortantes ad fidem gradus ſui, vitæ ſcilicet coniugalis. Nebridium autem operientes quando ſequeretur,quod de tam proximo poterat, & erat iam iamq; facturus. Cùm ecce euoluti ſunt dies illi tandem,nam longi & multi videbantur præ amore libertatis ocioſæ, ad cantandum de medullis omnibus; Tibi dixit cor meum, quæſiui vultum tuum,vultum tuum Domine requiram.

CAP. I I. *Verecundus concedit illo tus ſuum.*

al. quo potatur

al. conuerſione

Pſal. 26. c. 8.

ET venit dies in quo etiam actu ſoluerer à profeſſione rhetorica, vnde iam cogitatu ſolutus eram. Et factum eſt. Et eruiſti linguã meam,vnde iam erueras cor meum, & benedicebam tibi gaudens, profectus in villam cum meis omnibus. Ibi quid egerim in literis,iam quidem ſeruientibus tibi, ſed adhuc in ſuperbiæ ſcholam, tanquam in pauſatione anhelãtibus, teſtantur libri diſputati cum præſentibus,& cum ipſo me ſolo coram te:quę autem cum abſente Nebridio, teſtantur epiſtolæ. Et quando mihi ſufficiat tempus commemorandi omnia magna erga nos beneficia tua in illo tempore, præſertim ad alia maiora properãti?Reuocat enim me recordatio mea,& dulce mihi fit Domine cõfiteri tibi, quibus internis me ſtimulis perdo-

Luc. 16. c. 22.

CAPVT IIII. *Quid in literis egerit cum præſentibus amicis, & cum abſente Nebridio, & de pſalmis ac dolore dentium.*

perdomueris, & quemadmodum me complanaueris humiliatis montibus & collibus cogitationum mearum,& tortuosa mea direxeris,& aspera lenieris,quoquo modo ipsum etiam Alipium fratrem cordis mei subegeris nomini vnigeniti tui Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, quod primò dedignabatur inseri literis nostris. Magis enim eas volebat redolere gymnasiorum cedros,quas iam contriuit Dominus,quã salubres herbas ecclesiasticas aduersas serpentibus. Quas tibi Deus meus voces dedi cùm legerem psalmos Dauid,cantica fidelia & sonos pietatis excludentes turgidum spiritum, rudis in germano amore tuo catechumenus in villa,cum catechumeno Alipio feriatus, matre adhærente nobis muliebri habitu,virili fide, anili securitate, materna charitate, Christiana pietate? Quas tibi voces dabã in psalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis,& accendebàr eos recitare si possem toto orbe terrarum aduersus typhum generis humani?Et tamen toto orbe cantantur,& nõ est qui se abscondit à calore tuo. Quàm vehementi & acri dolore indignabar Manichæis, & miserabar eos rursus,quòd illa sacramenta, illa medicamẽta nescirent, & insani essent aduersus antidotum quo sani esse potuissent? Vellem vt alicubi iuxta essent tunc ignorante me, vtrum audirent, & me nesciente quòd ibi essent, intuerentur faciem meam & audirent voces meas,quando legi quartum Psalmum,in illo tunc otio, quid de me fecerit ille Psalmus, Cùm inuocarẽ te,exaudisti me Deus iustitiæ meæ,in tribulatione dilatasti mihi; miserere mei Domine, & exaudi orationem meam; audirent ignorante me,vtrum audirent, ne me propter se illa dicere putarent, quæ inter hæc verba dixerim; quia & reuera nec ea dicerem, nec sic ea dicerem,si me ab eis audiri videriq́ue sentirem;nec si dicerem sic acciperent, quomodo mecum & mihi coram te de familiari affectu animi mei, inhorrui timendo, ibidemq́; inferbui sperando & exultando in tua misericordia pater. Et hæc omnia exibant per oculos meos & vocem meam, cùm conuersus ad nos spiritus tuus bonus,ait nobis: Filij hominum quousq; graues corde? vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Dilexeram enim vanitatem, & quæsieram mendacium, & tu Domine iam magnificaueras sanctum tuum,suscitans eum à mortuis, & collocans ad dexteram tuam, vnde mitteret ex alto promissionem suam paracletum spiritum veritatis; & miserat eum iam, sed ego nesciebam. Miserat eum, quia iam magnificatus erat,resurgens à mortuis, & ascẽdens in cælum. Antè autem spiritus nondum erat datus,quia Iesus nondum erat clarificatus. Et clamat Propheta: Quousque graues corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mẽdacium? & scitote quoniam Dominus mirificauit sanctum suum. Clamat quousque,clamat scitote, & ego tamdiu nesciens vanitatem dilexi, & mendaciũ quæsiui; & ideo audiui & contremui,quoniam talibus dicitur, qualem me fuisse reminiscebar. In phãtasmatibus enim quas pro veritate tenueram, vanitas erat & mendacium; & insonui multa grauiter & fortiter in dolore recordationis meæ. Quæ vtinam audissent, qui*adhuc diligunt vanitatem & quærunt mendacium; fortè conturbarentur & euomuissent illud, & exaudires eos cùm clamarent ad te; quoniam vera morte carnis mortuus est pro nobis,qui te interpellat pro nobis. Legebam, Irascimini & nolite peccare, & quomodo mouebar Deus meus, qui iam dicerã irasci mihi de præteritis, vt de cætero non peccarem? Et meritò irasci, quia non alia natura gentis tenebrarum de me peccabat, sicut dicunt qui sibi nõ irascuntur,& thesaurizant sibi irã in die iræ & reuelationis iusti iudicij tui. Nec iã bona mea foris erãt,nec oculis carneis in isto sole quærebãtur. Volentes enim gaudere forinsecùs,facilè euanescunt,& effunduntur in ea quæ vidẽtur & temporalia sunt,& imagines eorum famelica cogitatione lambunt. Et ô si fatigentur inedia, & dicant: Quis ostendet nobis bona? Et dicamus, & audiant, Signatum est in nobis lumen vultus tui Domine. Non enim lumen nos sumus quod illuminat omnẽ hominem; sed illuminamur à te, vt qui fuimus aliquãdo tenebræ,simus lux in te. O si viderẽt internum lumen æternum,quod ego quia gustauerã, frendebam, quoniam non eis poteram ostendere, si afferrẽt ad me cor in oculis suis foris à te, & dicerent: Quis ostẽdet nobis bona? Ibi enim ibi mihi iratus erã intus in cubili vbi compunctus eram, vbi sacrificaueram mactans vetustatem meam, & inchoata meditatione renouationis meæ sperans in te, † ibi mihi dulcescere cœperas & dederas lętitiam in corde meo. Et exclamabam legens hæc foris, & agnoscens intus. Nec volebam multiplicari terrenis bonis deuorans tempora, & deuoratus temporalibus, cùm haberem in æternã simplicitate aliud frumentum & vinum & oleum. Et clamabam in consequenti versu clamore alto cordis mei: O in pace, ô in idipsum, ô quid dixit, Obdormiam & somnum capiam? Quoniam quis resistet nobis, cùm fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam? Et tu es idipsum valde,qui non mutaris,& in te requies obliuiscens laborum omniũ; quoniam nullus alius tecum nec ad alia multa adipiscenda quæ non sunt quod tu, sed tu Domine singulariter in spe constituisti me. Legebam & ardebam, nec inueniebam quid facerem surdis mortuis,ex quibus fueram pestis latrator amarus & cæcus aduersus literas de melle cæli melleas, & de lumine tuo luminosas, & super inimicis scripturis Scripturæ huius tabescebam, quãdo recordabar omnia dierum illorum feriatorũ. Sed nec oblitus sum, nec silebo flagelli tui asperitatem, & misericordiæ tuæ mirabilem celeritatem. Dolore dentium tũc excruciabas me,& cùm in tantum ingraueſceret vt non valerem loqui,ascendit in cor meum admonere omnes meos qui aderant, vt deprecarentur te pro me Deum salutis omnimodæ, & scripsi hoc in cera, & dedi eis vt legeretur. Mox vt genua supplici affectu fiximus, fugit dolor ille. Sed quis dolor? aut quomodo fugit? Expaui fateor Domine meus, Deus meus,nihil enim tale ab ineunte ætate expertus fueram. Et insinuati sunt mihi in profundo nutus tui,& gaudens in fide laudaui nomen tuum, & ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptismum tuum remissa nondum erant.

Explicatio Psalmi quarti, Cùm inuocarem.

Matt. 16. d. 19. Act. 2. d. 2.

Dan. 7. f. 39.

Rom. 8. f. 34.

Rom. 2. d. 5.

CAPVT V. *Ambrosium consulit quid legendum.*

RENVNCIAVI peractis vindemialibus,vt scholasticis suis Mediolanenses venditorem verborum alium prouiderent, quod & tibi ego seruire delegissem, & illi professioni præ difficultate spirandi ac dolore pectoris non sufficerem. Et insinuaui per literas antistiti tuo,viro sancto Ambrosio pristinos errores meos, & præsens votum meum, vt moneret quid potissimum mihi de libris tuis legendum esset, quo præcipiendæ tantæ gratiæ paratior aptiorque fierem. At ille iussit Esaiam prophetam, credo quòd præ cæteris Euangelij vocationisque gentium sit prænunciator apertior. Verumtamen ego primam huius lectionem non intelligens, totumq́; talem arbitrans, distuli repetendũ exercitatior in Dominico eloquio.

CAPVT VI. *Mediolani baptizatur.*

INDE vbi tempus aduenit, quo me nomen dare oporteret,relicto rure Mediolanum remeauimus. Placuit & Alipio renasci in te mecũ, iam induto humilitate sacramẽtis tuis congrua,& fortissimo domitore corporis,vsque ad Italicum solum glaciale nudo pede obterendum insolito ausu. Adiunximus etiam nobis puerum Adeodatum ex me natũ carnaliter de peccato meo. Tu bene feceras eum. Annorum erat

fermè quindecim, & ingenio præueniebat multos graues & doctos viros. Munera tua tibi cõfiteor Domine Deus meus, creator omnium, & multum potens reformare noſtra deformia; nam ego in illo puero præter delictum nihil habebam. Quod enim enutriebatur à nobis in diſciplina tua, tu inſpiraueras nobis, nullus alius. Munera tua tibi confiteor. Eſt liber noſter qui inſcribitur De magiſtro. Ipſe ibi mecum loquitur. Tu ſcis illius eſſe ſenſa omnia quæ inſeruntur ibi ex perſona collocutoris mei, cùm eſſet in annis ſedecim. Multa eius alia mirabiliora expertus ſum. Horrori mihi erat illud ingenium, & quis præter te talium miraculorum opifex? Citò de terra abſtuliſti vitam eius, & ſecurior eum recordor, non timens quicquam pueritiæ, nec adoleſcentiæ, nec omnino homini illi. Sociauimus eum coæuum nobis in gratia tua, educandum in diſciplina tua, & baptizati ſumus, & fugit à nobis ſolicitudo vitæ præteritæ. Nec ſatiabar illis diebus dulcedine mirabili, conſiderare altitudinem conſilij tui ſuper ſalutem generis humani. Quantum fleui in hymnis & canticis tuis, ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.

CAPVT VII. *Quæ Mediolani viderit.*

NON longè cœperat Mediolanenſis Eccleſia genus hoc conſolationis & exhortationis celebrare, magno ſtudio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cùm Iuſtina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuę cauſa, qua fuerat ſeducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cum epiſcopo ſuo, ſeruo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, ſolicitudinis & vigiliarum primas partes tenens, orationibus viuebat. Nos adhuc frigidi à calore ſpiritus tui, excitabamur tamen ciuitate attonita atque turbata. Tunc hymni & pſalmi vt canerentur ſecundùm morem Orientalium partium, ne populus mæroris tædio cõtabeſceret, inſtitutum eſt; & ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac penè omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus. Tunc memorato antiſtiti tuo per viſum aperuiſti, quo loco laterent martyrum corpora Protaſij & Geruaſij, quæ per tot annos incorrupta in theſauro ſecreti tui recondideras, vnde opportunè promeres ad coërcẽdam rabiem femineam, ſed regiam. Cùm enim propalata & effoſſa digno cum honore transferrentur ad Ambroſianam baſilicam, non ſolùm quos immundi vexabant ſpiritus, confeſſis eiſdem dæmonibus ſanabantur, verumetiam quidam plures annos cæcus ciuis ciuitatiq́ notiſſimus, cùm populi tumultuãtis lætitiæ cauſam quæſiſſet atque audiſſet, exiliuit, eoq́; ſe vt duceret, ſuum ducem rogauit. Quò perductus, impetrauit admitti, vt ſudario tangeret feretrum pretioſæ in cõſpectu tuo mortis ſanctorum tuorum. Quod vbi fecit atque admouit oculis, confeſtim aperti ſunt. Inde fama diſcurrens, inde laudes tuæ feruentes lucẽtes, inde illius inimicæ animus etſi ad credendi ſanitatem non applicitus, à perſequendi tamẽ furore compreſſus eſt. Gratias tibi Deus meus. Vnde & quò eduxiſti recordationem meam, vt hæc etiam confiterer tibi quæ magna oblitus prętereieram? Et tamen tunc cùm ita fragraret odor vnguẽtorum tuorum, non currebamus poſt te, & ideo plus flebam inter cãtica hymnorum tuorum, olim ſuſpirans tibi, & tandem reſpirans, quantum patet aura in domo fœnea.

Pſal.115.a.15.

Cant.1.a.4.

Cantus eccleſiaſticus.

CAPVT VIII. *Euodij conuerſio.*

QVI habitare facis vnanimes in domo, conſociaſti nobis & Euodium iuuenem ex noſtro municipio. Qui cùm agens in rebus militaret, prior nobis ad te conuerſus eſt & baptizatus, & relicta militia ſeculari, accinctus eſt in tua. Simul eramus, ſimul habitabamus placito ſancto. Quærebamus quiſnam locus nos vtilius haberet, ſeruientes tibi, pariter remeabamus in Africam. Et cùm apud oſtia Tiberina eſſem, mater defuncta eſt. Multa prætereo, quia multum feſtino. Accipe confeſſiones meas & gratiarum actiones Deus meus, de rebus innumerabilibus etiam in ſilentio. Sed nõ præteribo quicquid mihi anima parturit de illa famula tua, quæ me parturiuit; & carne vt in hanc temporalem, & corde vt in æternam lucem renaſcerer. Non eius, ſed tua dicam dona in ea; neque enim ſeipſam fecerat aut educauerat ſeipſam. Tu creaſti eam, nec pater nec mater ſciebat qualis ex eis fieret illa. Et erudiuit eam in timore tuo virga Chriſti tui regimen vnici filij tui in domo fideli, bono mẽbro Eccleſiæ tuæ. Nec tantam erga ſuam diſciplinam diligentiam matris prædicabat, quantam famulæ cuiuſdam decrepitæ, quæ patrem eius infantem portauerat, ſicut dorſo grãdiuſcularum puellarum paruuli portari ſolent. Cuius rei gratia & propter ſenectam ac mores optimos in domo Chriſtiana ſatis à dominis honorabatur. Vnde etiam curam dominicarum filiarum commiſſam ſibi diligenter gerebat, & erat in eis coërcendis, cùm opus eſſet, ſancta ſeueritate vehemens, atque in docendis ſobria prudentia. Nam eas præter illas horas quibus ad menſam parentum moderatiſſimè alebantur, etiamſi exardeſcerent ſiti, nec aquam bibere ſinebat, præcauens cõſuetudinem malam, & addens verbum ſanum: Modò aquam bibitis, quia in poteſtate vinum non habetis; cùm autem ad maritos veneritis, factæ dominæ apothecarum & cellariorum, aqua ſordebit, ſed mos potandi præualebit. Hac ratione præcipiendi & authoritate imperandi frenabat auiditatem tenerioris ætatis, & ipſam puellarum ſitim formabat ad honeſtum modum, vt iam nec liberet quod non deceret. Et ſurrepſerat tamẽ ſicut mihi filio famula tua narrabat, ſurrepſerat ei vinolentia. Nam cùm de more tanquam puella ſobria iuberetur à parẽtibus de cuppa vinum depromere, ſubmiſſo poculo qua deſuper patet, prius quàm in lagunculam funderet merum, primoribus labris ſorbebat exiguum, quia non poterat amplius ſenſu recuſante. Non enim vlla temulenta cupidine faciebat hoc, ſed quibuſdam ſuperfluentibus ætatis exceſſibus, qui ludicris motibus ebulliunt, & in puerilibus animis maiorum pondere premi ſolent. Itaq; ad illud modicum quotidiana modica addendo, quoniam qui modica ſpernit, paulatim decidit, in eam cõſuetudinem lapſa erat, vt propè iam plenos mero caliculos inhianter hauriret. Vbi tunc ſagax anus, & vehemens illa prohibitio? Nunquid valebat aliquid aduerſus latentem morbum, niſi tua medicina Domine vigilaret ſuper nos? Abſente patre & matre & nutritoribus tu prẽſens qui creaſti, qui vocas, qui etiam per præpoſitos homines boni aliquid agis ad animarum ſalutem, quid tũc egiſti Deus meus? Vnde curaſti? Vnde ſanaſti? Nónne protuliſti durum & acutum ex altera anima conuicium tanquam medicinale ferrum ex occultis prouiſionibus tuis, & vno ictu putredinem illam prẽciduiſti? Ancilla enim cum qua ſolebat accedere ad cuppam, litigans cum domina minore, vt fit, ſola cum ſola, obiecit hoc crimen amariſſima inſultatione, vocãs meribibulam. Quo illa ſtimulo percuſſa, reſpexit fœditatem ſuam, confeſtimq́ue damnauit atque exuit. Sicut amici adulantes peruertunt, ſic inimici litigantes plerunque corrigunt. Nec tu quod per eos agis, ſed quod ipſi voluerunt retribuis eis. Illa enim irata, exagitare appetiuit minorem dominam non ſanare, & ideo clãculo; aut quia ita eas inuenerat locus & tempus litis; aut ne fortè & ipſa periclitaretur quòd tam ſero prodidiſſet. At tu Domine rector cęlitum & terrenorum, ad vſus

Eccl.19.a.1.

ad vſus tuos contorquens profunda torrentis, fluxum
al. ordinatè turbulenta. † ſeculorum ordinans turbulentum, etiam de alterius
animæ inſania ſanaſti alteram, ne quiſquam cùm hoc
aduertit, potentiæ ſuæ tribuat, ſi verbo eius alius cor-
rigatur quem vult corrigi.

CAPVT IX. Monica qualis erga maritũ.

EDVCATA itaque pudicè ac ſobriè, potiusq; à te ſubdita parentibus, quàm à parẽtibus tibi, vbi plenis annis nubilis facta eſt, tradita viro ſeruiuit veluti Domino, & ſategit eũ lucrari tibi, loquens te illi moribus ſuis, quibus eam pulchram faciebas, & reuerenter amabilem atq; mirabilem viro. Ita autem tolerauit cubilis iniurias, vt nullam de hac re cum marito haberet vnquam ſimultatem. Expectabat enim miſericordiam tuam ſuper eum, vt in te credens caſtificaretur. Erat verò ille præterea ſicut beneuolẽtia præcipuus, ita ira feruidus. Sed nouerat hæc non reſiſtere irato viro, non tantũ facto, ſed ne verbo quidem. Iam verò refracto & quieto cùm oportunum videret, rationem facti ſui reddebat, ſi fortè ille inconſideratiùs commotus fuerat. Deniq; cùm matronæ multæ quarum viri mãſuetiores erant, plagarum veſtigia, etiam dehoneſtata facie gererent, inter amica colloquia illę arguebãt maritorum vitam, hæc earum linguam, veluti per iocum grauiter admonens, ex quo illas tabulas quæ matrimoniales vocantur, recitari audiſſent, tanquam inſtrumenta, quibus ancillæ factæ eſſent, deputare debuiſſent; proinde memores conditionis, ſuperbire aduerſus dominos non oportere. Cumq; mirarẽtur illę, ſcientes quàm ferocem coniugem ſuſtineret, nũquam fuiſſe auditum, aut aliquo indicio claruiſſe,
Patricius Auguſtini pater. quòd Patricius ceciderit vxorem, aut quòd à ſe inuicem vel vnũ diem domeſtica lite diſſenſerint, & cauſam familiariter quęrerent, docebat illa inſtitutũ ſuũ, quod ſuprà memoraui. Quę obſeruabãt, expertæ gratulabãtur; quæ non obſeruabant, ſubiectæ vexabãtur. Socrum etiam ſuam primò ſuſurriis malarum ancillarum aduerſus ſe irritatam, ſic vicit obſequiis, perſeuerans tolerantia & manſuetudine, vt illa vltrò filio ſuo medias linguas famularum proderet, quibus inter ſe & nurum pax domeſtica turbabatur, expeteretque vindictam. Itaq; poſteaquàm ille & matri obtemperans, & curans familiæ diſciplinam, & cõcordiæ ſuorum conſulens, proditas ad prodentis arbitrium verberibus coërcuit, promiſit illa talia de ſe præmia ſperare debere, quæcũque de ſua nuru ſibi, quo placeret, mali aliquid loqueretur; nullaq; iam audente, memorabili inter ſe beneuolentiæ ſuauitate vixerunt. Hoc quoq; illi bono mãcipio tuo, in cuius vtero me creaſti, Deus meus, miſericordia mea munus grande donaueras, quod inter diſſidentes atque diſcordes quaſlibet animas, vbi poterat tam ſe præbebat pacificam, vt cùm ab vtraque multa de inuicem audiret amariſſima, qualia ſolet eructare turgẽs atque indigeſta diſcordia, quãdo præſenti amicæ de abſente inimica per acida colloquia cruditas exhalatur odiorum, nihil tamen alteri de altera proderet, niſi quod ad eas reconciliãdas valeret. Paruum hoc bonum mihi videretur, niſi turbas innumerabiles triſtis experirer, neſcio qua horrenda peſtilentia peccatorum latiſſimè peruagante, nõ ſolum iratorum inimicorum iratis inimicis dicta prodere, ſed etiam quæ nõ dicta ſunt addere, cùm contrà animo humano parum eſſe debeat inimicitias hominum nec excitare nec augere malè loquendo, niſi eas etiam extinguere bene loquendo ſtuduerit, qualis illa erat docente te magiſtro intimo in ſchola pectoris. Deniq; etiã virum ſuum iam in extrema vita temporali eius lucrata eſt tibi, nec in eo iã fideli planxit, quod in nondum fideli tolerauerat. Erat etiã ſerua ſeruorum tuorum. Quiſquis enim eorum nouerat eã, multum in ea laudabat & honorabat & diligebat te; quia ſentiebat præſentiam tuam in corde eius ſanctæ

A conuerſationis fructibus teſtibus. Fuerat enim vnius viri vxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum ſuam piè tractauerat, in operib⁹ bonis teſtimonium habebat. Nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties abs te deuiare cernebat. Poſtremò nobis Domine omnibus qui ex munere tuo ſinis loqui ſeruis tuis, qui ante dormitionem eius in te iam conſociati viuebamus, percepta gratia baptiſmi tui, ita curam geſſit, quaſi omnes genuiſſet, ita ſeruiuit quaſi ab omnibus genita fuiſſet. 1.Tim.5.b.10.

CAPVT X. Colloquium cum matre de regno cælorũ.

IMMINENTE autem die, quo ex hac vita erat exitura, quem diem tu nouꝑas ignorãtibus nobis, prouenerat (vt credo) procurante te occultis tuis modis, vt ego & ipſa ſoli ſtaremus incumbentes ad quandam feneſtram, vnde hortus intra domum quæ nos habebat proſpectabatur, illic apud oſtia Tiberina, vbi remoti à turbis poſt longi itineris laborẽ inſtaurabamus nos nauigationi. Colloquebamur ergo ſoli valde dulciter, & præterita obliuiſcentes, in ea quæ ante ſunt Phil.3.c.13. B extenti, quærebamus inter nos apud præſentem veritatem quod tu es, qualis futura eſſet vita æterna ſanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec 1.Cor.2.c.9. in cor hominis aſcendit. Sed inhiabamus ore cordis in ſuperna fluenta fontis tui, fontis vitæ qui eſt apud te, Pſalm.35.c.10. vt inde pro captu noſtro aſperſi, quoquo modo rem tantam cogitaremus. Cumque ad eum finem ſermo perduceretur, vt carnalium ſenſuum delectatio quãtalibet in quantalibet luce corporea prę illius vitæ iucunditate, non comparatione, ſed ne cõmemoratione quidem digna videretur; erigentes nos ardentiore affectu in idipſum, perambulauimus gradatim cuncta corporalia, & ipſum cælum, vnde ſol & luna & ſtellæ lucent ſuper terram. Et adhuc aſcendebamus interius cogitando & loquendo te, & mirãdo opera tua, & venimus in mentes noſtras, & tranſcendimus eas, vt attingeremus regionem vbertatis indeficiẽtis, vbi paſcis Iſraël in æternum veritatis pabulo, & vbi vita ſapientia eſt, per quam fiunt omnia iſta, & quæ fuerunt, & C quæ futura ſunt; & ipſa non fit, ſed ſic eſt vt fuit, & ſic erit ſemper; quin potius fuiſſe, & futurum eſſe non eſt in ea, ſed eſſe ſolum, quoniam æterna eſt. Nam fuiſſe & futurum eſſe nõ eſt æternum. Et dum loquimur & inhiamus illi, attingimus eam modicè toto ictu cordis, & ſuſpirauimus & reliquimus ibi religatas primitias ſpiritus, & remeauimus ad ſtrepitũ oris noſtri, vbi verbum & incipitur & finitur. Et quid ſimile verbo tuo Domino noſtro in ſe permanenti ſine vetuſtate, atque innouanti omnia? Dicebamus ergo: Si cui ſileat tumultus carnis, ſileant phantaſiæ terræ & aquarum & aëris, ſileant & poli, & ipſa ſibi anima ſileat, & tráſeat ſe nõ ſe cogitando, ſileant ſomnia & imaginarię reuelationes, omnis lingua & omne ſignũ, & quicquid tranſeundo fit, ſi cui ſileat omnino; quoniam ſi quis audiat, dicunt hæc omnia: Non ipſa nos fecimus, Pſalm.99.d.3.5. ſed fecit nos qui manet in æternum. His dictis ſi iam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum qui fecit ea, & loquatur ipſe ſolus, non per ea, ſed per ſeipſum, D vt audiamus verbum eius, nõ per linguam carnis, neque per vocem angeli, neque per ſonitum nubis, neq; per ænigma ſimilitudinis, ſed ipſum quem in his amamus, ipſum ſine his audiamus, ſicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attingimus æternam ſapiẽtiam ſuper omnia manentem, ſi continuetur hoc, & ſubtrahantur aliæ viſiones longè imparis generis, & hæc vna rapiat & abſorbeat & recondat in interiora gaudia ſpectatorem ſuum, vt talis ſit ſempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui ſuſpirauimus; nónne hoc eſt, Intra in gaudium Domini tui? Matth.25.b.21. Et iſtud quando? An cùm omnes reſurgemus, ſed non 1.Cor.15.g.51. omnes immutabimus. Dicebamus talia, & ſi non iſto modo & his verbis, tamen Domine tu ſcis quòd illo

die cùm talia loqueremur, & mundus iſte nobis inter verba vileſceret cum omnibus delectationibus ſuis, tunc ait illa: Fili, quantum ad me attinet, nulla iam re delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, & cur hic ſim neſcio, iam cõſumpta ſpe huius ſeculi. Vnum erat propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebàm, vt te Chriſtianum catholicum viderem prius quá morerer. Cumulatius hoc mihi Deus meus præſtitit, vt te etiam contempta felicitate terrena, ſeruum eius videam. Quid hic facio?

CAPVT XI. De ecſtaſi & morte matris.

AD hæc ei quid reſponderim, non ſatis recolo. Cũ interea vix intra quinq; dies, aut non multo amplius decubuit febribus. Et cùm ægrotaret quodam die, defectum animæ paſſa eſt, & paululum ſubtracta à præſentibus. Nos concurrimus, ſed citò reddita eſt ſenſui, & aſpexit aſtantes me, & fratrem meum, & ait nobis quaſi quærenti ſimilis; vbi eram? Deindè nos intuẽs mærore attonitos: Ponetis hic, inquit, matrem veſtram? Ego ſilebam, & fletum frenabam. Frater autem meus quiddam locutus eſt, quo eam nõ peregrè, ſed in patria defungi tanquam felicius optaret. Quo audito, illa vultu anxio reuerberans eum oculis quod talia ſaperet, atque inde me intuens: Vide, ait, quid dicit. Et mox ambobus: Ponite, inquit, hoc corpus vbicunquè, nihil vos eius cura conturbet; tantum illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei vbi fueritis. Cumque hanc ſententiam verbis quibus poterat explicaſſet, conticuit, & ingraueſcente morbo exercebatur. Ego verò cogitans dona tua Deus meus inuiſibilis, quæ immittis in corda fidelium tuorum, & proueniũt inde fruges admirabiles; gaudebam & gratias agebam tibi, recolens quòd noueram quanta cura ſemper æſtuaſſet de ſepulchro, quod ſibi prouiderat & præparauerat iuxta corpus viri ſui. Quia enim valde concorditer vixerant, id etiam volebat, vt eſt animus humanus minus capax diuinorum, adiungi ad illam felicitatem, & commemorari ab hominibus, conceſſum ſibi eſſe poſt tranſmarinam peregrinationem, vt coniuncta terra amborum coniugum terra tegeretur. Quando autem iſta inanitas plenitudine bonitatis tuæ cœperat in eius corde non eſſe, neſciebam, & lætabar admirans quòd ſic mihi apparuiſſet; quanquam & illo ſermone noſtro ad feneſtram cùm dixit, Iam quid hic facio? non apparuit deſiderare in patria mori. Audiui etiam poſtea, quòd iam cũ Oſtiis eſſemus, cum quibuſdam amicis meis materna fiducia colloquebatur quodam die de contemptu vitæ huius & bono mortis, vbi ipſe non aderam; illis ſtupentibus virtutem feminæ, quam tu dederas ei, quærentibusque vtrum non formidaret tam longè à ſua ciuitate corpus relinquere; nihil, inquit, lõgè eſt Deo, neque timendum eſt ne ille non agnoſcat in fine ſeculi, vnde me reſuſcitet. Ergo die nono ægritudinis ſuæ, quinquageſimo & ſexto anno ætatis ſuæ, trigeſimo & tertio ætatis meæ, anima illa religioſa & pia, corpore ſoluta eſt.

CAPVT XII. Quomodo luxerit mortem matris.

PREMEBAM oculos eius, & confluebat in præcordia mea mæſtitudo ingens, & transfluebat in lachrymas, ibidemque oculi mei violento animi imperio reſorbebant fontem ſuum vſque ad ſiccitatem, & in tali luctamine valde malè mihi erat. Tum verò vbi efflauit extremum ſpiritum, puer Adeodatus exclamauit in planctum, atque ab omnibus nobis coërcitus tacuit. Hoc modo etiam meum quiddam puerile quod labebatur in fletus, iuuenili voce cordis coërcebatur & tacebat. Neque enim decere arbitrabamur funus illud queſtibus lachrymoſis gemitibusque celebrare; quia his plerunque ſolet deplorari quędam miſeria morientium, aut quaſi omnimoda extinctio. At illa nec miſerè moriebatur, nec omnino moriebatur. Hoc & documentis morum eius, & fide non ficta, rationibusq; certis tenebamus. Quid ergo erat quod intus mihi grauiter dolebat, niſi ex conſuetudine ſimul viuendi dulciſſima & chariſſima repẽtè dirupta, vulnus recens? Gratulabar quidem teſtimonio eius, quòd in ea ipſa vltima ægritudine obſequiis meis interblandiens appellabat me pium, & commemorabat grandi dilectionis affectu nunquam ſe audiſſe ex ore meo iaculatum in ſe durum aut contumelioſum ſermonem. Sed tamen quid tale Deus meus qui feciſti nos, quid comparabile habebat honor à me delatus illi, & ſeruitus ab illa mihi? Quoniam itaque deſerebar tam magno eius ſolatio, ſauciabatur anima mea, & quaſi dilaniabatur vita, quæ vna facta fuerat ex mea & illius. Cohibito ergo à fletu illo puero, Pſalterium arripuit Euodius, & cantare cœpit Pſalmum. Cui reſpondebamus omnis domus: Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Audito autem quid ageretur, conuenerunt multi fratres ac religioſæ feminæ, & de more illis quorum officium erat funus curantibus, ego in parte vbi decenter poteram cũ eis qui me non deſerendum eſſe cenſebant, quod erat tempori congruum diſputabam, eoque † fomento veritatis mitigabam cruciatum tibi notum, illis ignorantibus & intentè audientibus, & ſine ſenſu doloris me eſſe arbitrãtibus. At ego in auribus tuis, vbi eorum nullus audiebat, increpabam mollitiem affectus mei, & conſtringebam fluxum mæroris, cedebatque mihi paululum, rurſusque impetu ſuo ferebatur, non vſque ad eruptionem lachrymarum, nec vſque ad vultus mutationem, ſed ego ſciebam quid corde premerẽ. Et quia mihi vehemẽter diſplicebat tantum in me poſſe hæc humana, quæ ordine debito & ſorte conditionis noſtræ accidere neceſſe eſt, alio dolore dolebam doloré meum, & duplici triſtitia macerabar. Cùm ecce corpus elatum eſt, imus & redimus ſine lachrymis. Nam neque in eis precibus quas tibi fudimus, cùm offerretur pro ea ſacrificium pretij noſtri, iam iuxta ſepulchrum poſito cadauere, priuſquam deponeretur, ſicut illic fieri ſolet, nec in eis precibus ergo fleui, ſed toto die grauiter in occulto mæſtus eram, & mente turbata rogabam te vt poterã, vt ſanares dolorem meũ, nec faciebas, credo commendans memoriæ meæ, vel hoc vno documento omnis cõſuetudinis vinculum, etiam aduerſus mentem, quæ iam non fallaci verbo paſcitur. Viſum etiam mihi eſt vt irem lauatum, quod audieram inde balneis nomen inditum, quia Græci βαλανεῖον dixerint, quòd anxietatem pellat ex animo. Ecce & hoc confiteor miſericordiæ tuæ pater orphanorum, quoniam laui, & talis eram qualis priuſquam lauiſſem. Neque enim exudauit de corde meo mæroris amaritudo. Deinde dormiui & euigilaui, & non parua ex parte mitigatum inueni dolorem meum, atque vt eram in lecto meo ſolus, recordatus ſum veridicos verſus Ambroſij tui: Tu es enim

Deus creator omnium,
Poliq; rector: veſtiens
Diem decoro lumine,
Noctem ſoporis gratia.
Artus ſolutos vt quies
Reddat laboris vſui,
Mentesq; feſſas alleuet,
Luctusq; ſoluat anxios.

Atq; inde paulatim reducebam in priſtinum ſenſum ancillam tuam, conuerſationemque eius piam in te & † ſanctam in nos blandam atque morigeram, qua ſubitò deſtitutus ſum; & libuit flere in conſpectu tuo de illa & pro illa, de me & pro me. Et dimiſi lachrymas quas continebam, vt effluerent quãtum vellent, ſubſternẽs eas cordi meo; & requieuit in eis, quoniam ibi erant aures tuæ, non cuiuſquam hominis ſuperbè interpretantis ploratum meum. Et nunc Domine cõfiteor

Sacrificium pro defunctis oblatum.

al. fermento.

al. ſanctè.

fiteor tibi in literis. Legat qui volet, & interpretetur vt volet, & si peccatũ inuenerit fleuisse me matrem exigua parte horæ, matrem oculis meis interim mortuam, quę me multos annos fleuerat, vt oculis tuis viuerem; non irrideat, sed potius si est grandi charitate, pro peccatis meis fleat ipse ad te patrem omnium fratrum Christi tui.

CAPVT XIII. *Orat pro matre defuncta.*

EGo autẽ iam sanato corde ab illo vulnere in quo poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi Deus noster pro illa famula tua longè aliud lachrymarum genus, quod manat de concusso spiritu consideratione periculorum omnis animæ quæ in Adam moritur. 1.Cor.15.c. 22. Quanquam illa in Christo viuificata, etiam nondum carne resoluta sic vixerit, vt laudetur nomen tuum in fide, moribusq; eius, non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore eius contra præceptum tuum. Et dictum *Matth.5.d. 33.* est à veritate filio tuo: Si quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennę ignis. Et væ etiam laudabili vitę hominum, si remota misericordia discutias eam. Quia verò non exquiris delicta vehemẽter, fiducialiter speramus aliquem apud te locum inuenire indulgentiæ. Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? O si cognoscant se omnes homines; & qui gloriantur, in Domino glorientur. *2.Cor.10.d. 17.* Ego itaq; laus mea & vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudẽs gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerũ nostrorum quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram *Rom.8.f.34.* tuam, te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatã, & ex corde dimisisse debita debitoribus suis; *Matth.6.b. 12.* dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam contraxit per *Psal.142.a. 2.* tot annos post aquam salutis. Dimitte Domine, di- *Iacobi 2.c.13.* mitte obsecro, ne intres cũ ea in iudicium. Superexaltet misericordia iudicium, quoniam eloquia tua vera sunt, & promisisti misericordiam misericordibus. *Matth.5.a. 7.* Quod vt essent, tu dedisti eis, qui misereberis cui mi- *Rom.9.d.15.* sertus eris, & misericordiam tuam præstabis cui mi- *Exod.33.d. 19.* sericors fueris. Et credo iam feceris quod te rogo, sed voluntaria oris mei approba Domine. Namque illa imminente die resolutionis suæ non cogitauit suum corpus sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit sepulchrum patrium. Non ista mandauit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat, vnde sciret dispensari victimam sanctam, qua dele- *Coloss.2.c.14.* tum est chirographum quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis computans delicta nostra, & quærens quid obiiciat, & nihil inueniens in illo in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? Quis ei restituet pretium quo nos emit vt nos *al.* offerat. †auferat ei? Ad cuius pretij nostri sacramentum ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei. Nemo à protectione tua dirumpat eam. Non sẽ interponat nec vi nec insidiis leo & draco; neque enim respondebit illa nihil se debere, ne conuincatur & obtineatur ab accusatore callido; sed respondebit dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet quod pro nobis non debens reddidit. Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, & post quem nulli nupta est, cui seruiuit fructum tibi afferens cum tolerantia, vt eum quoque lucraretur tibi. Et inspira Domine Deus meus, inspira seruis tuis fratribus meis, filiis tuis dominis meis, quibus & voce & corde & literis seruio, vt quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuę, cum Patricio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodum nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria, & fratrum

A meorum sub te patre in matre catholica, & ciuium meorum in æterna Hierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui ab exitu vsq; ad reditum, vt quod à me illa poposcit extremum, vberius ei præstetur in multorum orationibus, tam per confessiones quàm per †orationes meas. *al.* operationes.

DIVI AVRELII AVGVSTINI CONFESSIONVM LIBER X.

CAPVT I. *Confessio cordis. 1.Cor.13.d. 12. Ephes.5.f. 27.*

COGNOSCAM te cognitor meus, cognoscam te, sicut & à te cognitus sum. Virtus animæ meæ, intra in eam, & coapta tibi, vt habeas & possideas sine macula & ruga. Hæc est spes mea, ideo loquor, & in ea spe gaudeo, quando sanum gaudeo. Cætera verò vitæ huius tanto minus flenda, quanto magis fletur; * & tanto magis flenda, quanto minus B fletur in eis. Ecce enim veritatem dilexisti, quoniam qui facit eam, venit ad lucẽ. Volo eam facere in corde meo coram te in confessione; in stylo autem meo coram multis testibus. *in eis. *Psal.50.b.8.*

CAPVT II. *Deo nota arcana. Hebr.4.d.13.*

ET tibi quidẽ Domine, cuius oculis nuda est abyssus humanæ conscientiæ, quid occultum esset in me, etiam si nollem confiteri tibi? Te enim mihi absconderem, non me tibi. Nunc autem quòd gemitus meus testis est displicere me mihi, tu refulges & places, & amaris & desideraris, vt erubescam de me, & abiiciam me atque eligam te, & nec tibi nec mihi placeam nisi de te. Tibi ergo Domine manifestus sum quicumque sim, & quo fructu tibi confitear dixi. Neque enim id ago verbis carnis & vocibus, sed verbis animæ & clamore cogitationis, quem nouit auris tua. Cùm enim malus sum, nihil est aliud confiteri tibi, quàm displicere mihi; cùm verò pius, nihil est aliud confiteri tibi, quàm hoc non tribuere mihi; C quoniam tu Domine benedicis iustum, sed prius eum *Psal.5.c.13.* iustificas impium. Confessio itaque mea Deus meus in conspectu tuo tibi tacitè fit, & non tacitè. Tacet enim strepitu, clamat affectu. Neque enim dico recti aliquid hominibus, quod [nõ] à me tu prius audieris, aut etiam tu aliquid tale audies à me, quod non mihi tu prius dixeris.

CAPVT III. *Confessio malorum ad quid conducat Psal.102.a. 3.*

QVID mihi ergo est cum hominibus vt audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Quid à me quærunt audire qui sim, qui nolunt à te audire qui sint? Et vnde sciunt cùm à meipso de meipso audiunt, an verum dicam, quandoquidem nemo scit hominum quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Si autem à te audiant de seipsis, *1.Cor.2.c.11.* non poterunt dicere mentitur Dominus. Quid est enim à te audire de se, nisi cognoscere se? Quis porrò cognoscit, & dicit falsum est, nisi ipse mentiatur? Sed D quia charitas omnia credit, inter eos vtique quos cõ- *1.Cor.13.b. 7.* nexos sibimet vnum facit, ego quoq; Domine etiam sic tibi confiteor, vt audiant homines, quibus demonstrare non possum an vera confitear, sed credunt mihi quorum mihi aures charitas aperit. Verumtamen tu medice meus intime, quo fructu ista faciam, eliqua mihi; nam confessiones prẽteritorum malorum meo- *Psal.31.a.1.* rum, quæ remisisti & texisti vt beares me in te, mutãs animam meam fide & sacramento tuo, cùm leguntur & audiuntur, excitant cor ne dormiat in desperatione, & dicat, non possum; sed euigilet in amore misericordiæ tuæ & dulcedine gratiæ tuæ, qua potens est omnis infirmus, qui sibi per ipsam fit conscius infirmitatis suæ. Et delectat bonos audire præterita mala eo-

rum qui iam carent eis, nec ideo delectat quia mala sunt, sed quia fuerunt & non sunt. Quo itaque fructu Domine Deus meus cui quotidie confitetur conscientia mea, spe misericordiæ tuę securior quàm innocentia sua; quo fructu quæso etiam hominibus coram te confiteor per has literas adhuc quis ego sim, non quis fuerim? Nam illum fructum vidi & commemoraui. Sed quis adhuc sim, ecce in ipso tempore confessionũ mearum, & multi hoc nosse cupiunt qui me nouerũt, & non me nouerunt, qui ex me vel de me aliquid audierũt, sed auris eorum non est ad cor meum, vbi ego sum quicũque sum. Volunt ergo audire confitentem me quid ipse intus sim, quò nec oculum nec aurem nec mentem possunt intendere, crediturí tamen volunt, nunquid cognituri? Dicit enim eis charitas qua boni sunt non mentiri me de me confitentem, & ipsa in eis credit mihi.

CAPVT XIII. *Quòd magni sint fructus confessionis.*

SED quo fructu id volunt? An congratulari mihi cupiunt cùm audierint quantum ad te accedam munere tuo, & orare pro me cùm audierint quantum retarder pondere meo? Indicabo me talibus. Non enim paruus est fructus Domine Deus meus, vt à multis tibi gratiæ agantur de nobis, & à multis rogeris pro nobis. Amet in me fraternus animus quod amandum doces, & doleat in me quod dolẽdum doces. Animus ille hoc faciat fraternus, non extraneus, non filiorum
Psal. 143.v. 8.9. alienorum, quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis; sed fraternus ille qui cùm approbat me, gaudet de me, cùm autem improbat me, contristatur pro me; quia siue approbet me siue improbet, diligit me. Indicabo me talibus, respirent in bonis meis, suspirent in malis meis. Bona mea instituta tua sunt & dona tua; mala mea delicta mea sunt & iudicia tua. Respirent in illis & suspirẽt in his, & hymnus & fletus ascendant in conspectum tuum de fraternis cordibus thuribulis tuis. Tu autem Do-
Psal. 50.v. 2. mine delectatus odore sancti templi tui, miserere mei secũdùm magnam misericordiam tuam, propter nomen tuum, & nequaquam deserens cœpta tua, consumma imperfecta mea. Hic est fructus cõfessionum mearum, non qualis fuerim, sed qualis sim, vt hoc cõfitear, non tantum coram te secreta exultatione cum tremore & secreto mœrore cum spe, sed etiam in auribus credentium filiorum hominum sociorum gaudij mei & cõsortium †mortalitatis meæ, ciuium meorum & mecum peregrinorum, præcedentium & consequentium, & comitum viæ meæ. Hi sunt serui tui fratres mei quos filios tuos esse voluisti, dominos meos quibus iussisti vt seruiam, si volo tecum de te viuere. Et hoc mihi verbum tuum parum erat, si loquendo præciperet, nisi & faciendo præiret. Et ego id ago factis & dictis, id ago sub alis tuis nimis cum ingenti periculo; nisi quia sub alis tuis tibi subdita est anima mea, & infirmitas mea tibi nota est. Paruulus sum, sed viuit semper pater meus, & idoneus est mihi tutor meus. Idem ipse est enim qui genuit me & tuetur me; & tuipse es omnia bona mea, tu omnipotens qui mecum es, & prius quàm tecum sim. Indicabo ergo talibus qualibus iubes vt seruiam, non quis fuerim, sed quis iam sim, & quis adhuc sim, sed neque meipsum diiudico; sic itaque audiar.

al. immortalitatis.

CAPVT XV. *Hominem sese totũ non nosse, Deum in ænigmate cognoscere.* 1. Cor. 2. c. 11.

TV enim Domine diiudicas me, quia etsi nemo scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est; tamen est aliquid hominis quod nec ipse scit spiritus hominis qui in ipso est; tu autem Domine scis eius omnia qui fecisti eum. Ego verò quamuis præ tuo cõspectu me despiciam, & æstimem me terram & cinerem, tamen aliquid de te scio quod
1. Cor. 13. d. 12. de me nescio. Et certè nunc videmus per speculum in
2. Cor. 5. d. 6. ænigmate, nondum facie ad faciem, & ideo quamdiu peregrinor abs te, mihi sum præsentior quàm tibi, & tamẽ te noui nullo modo posse violari. Ego verò quibus tentationibus resistere valeam, quibusue non valeam, nescio. Et spes est, quia fidelis es, qui nos non si- 1. Cor. 10. d. 13.
nis tentari supra quàm possumus ferre, sed facis cum tentatione etiam exitum vt possimus sustinere. Confitear ergo quid de me sciam, confitear & quid de me nesciam. Quoniam & quod de me scio, te mihi lucẽte scio; & quod de me nescio, tamdiu nescio, donec fiant tenebræ meæ sicut meridies in vultu tuo.

CAPVT VI. *Deus quid sit, & quomodo cognoscitur.*

NON dubia sed certa conscientia Domine amo te. Percussisti cor meum verbo tuo, & amaui te. Sed & cælum & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndiquẽ mihi dicunt vt te amem, nec cessant dicere omnibus vt sint inexcusabiles. Altius autem tu misereberis cui misertus eris, & misericordiam præstabis cui misericors fueris. Alioquin cælum & terra surdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo cùm te amo? Non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis ecce istis amicum oculis, non dulces melodias suauium cantilenarum omnimodarum, nõ florum & vnguentorum & aromatum suaueolentiam, non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hęc amo cùm amo Deum meũ, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quẽdam amplexum cùm amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei; vbi fulget animæ meæ quod non capit locus, & vbi sonat quod non rapit tempus, & vbi olet quod non spargit flatus, & vbi sapit quod non minuit edacitas, & vbi hæret quod non diuellit satietas. Hoc est quod amo cùm Deum meum amo. Et quid est hoc? Interrogaui terram, & dixit: Non sum; & quęcunque in eadem sunt, idem confessa sunt. Interrogaui mare & abyssos, & reptilia animarum viuarum, & responderũt: Non sumus deus tuus, quære super nos. Interrogaui auras flabiles, & inquit vniuersus aër cum incolis suis: Fallitur Anaximenes, non sum Deus tuus. Interrogaui cælum, solem, lunam, stellas; neq; nos sumus Deus quem quæris, inquiunt. Et dixi omnibus iis quæ circumstant fores carnis meæ: Dixistis mihi de Deo meo quod vos non estis dicite mihi de illo aliquid. Et exclamauerunt voce magna: Ipse fecit nos. Interro- *Psal. 99. a. 3.*
gatio mea, intentio mea, & responsio eorum, species eorum. Et direxi me ad me, & dixi mihi: Tu quis es? Et respondi, homo. Et ecce corpus & anima in me mihi præsto sunt, vnum exterius, & alterum interius. Quid horum est vnde quærere debui Deum meum, quem iam quæsiueram per corpus à terra vsq; ad cælum, quousque potui mittere nuncios, radios oculorum meorum? Sed melius quod interius est: Ei quippe renunciabant omnes nuncij corporales præsidenti & iudicanti de singulis responsionibus cęli & terræ, & omnium quæ in eis sunt dicentium: Non sumus deus, sed ipse fecit nos; homo interior cognouit hæc per exterioris ministeriũ, ego interior cognoui hæc, ego, ego animus per sensus corporis mei. Interrogaui mundi molem de Deo meo, & respondit mihi, Non ego sum, sed ipse me fecit. Nónne omnibus quibus integer sensus est, apparet hæc species? Cur non omnibus eadem loquitur? Animalia pusilla & magna vident eam, sed interrogare nequeunt. Non enim præposita est in eis nũciantibus sensibus iudex ratio. Homines autem possunt interrogare vt inuisibilia Dei *Rom. 1. c. 20.*
per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur. Sed amore subduntur eis, & subditi iudicare non possunt. Nec respondent ista interrogantibus nisi iudicantibus, nec vocem suam mutant, id est speciem suam, si alius tantum videat, alius autem videns interroget, vt aliter illi appareat, aliter huic; sed eodem modo vtrisque apparens, illi muta est, huic loquitur; imò verò omni-

omnibus loquitur, ſed illi intelligunt qui eius vocem A acceptam foris, intus cum veritate conferunt. Veritas enim dicit mihi, Non eſt Deus tuus cælum & terra, neque omne corpus. Hoc dicit eorum natura. Vide: En moles minor eſt in parte quã in toto. Iam tu melior es, dico tibi anima, quoniam tu vegetas molem corporis tui, præbens ei vitam, quòd nullum corpus præſtat corpori, Deus autem tuus etiam tibi vita eſt.

CAPVT VII. *Corpora virtute Deus nõ inuenitur.*

QVID ergo amo, cùm Deum meum amo? Quis eſt ille ſuper caput animę meæ? Per ipſam animã meam aſcendam ad illum. Tranſibo vim meam qua hæreo corpori & vitaliter compagem eius repleo. Nõ ea vi reperio Deum meum, nam reperiret equus & mulus quibus non eſt intellectus, & eſt eadem vis qua viuunt etiam eorum corpora. Eſt alia vis non ſolum qua viuifico, ſed etiam qua ſenſifico carnem meam quam mihi fabricauit Dominus, iubens oculo vt non audiat, & auri vt non videat, ſed illi per quam videam, huic per quam audiam, & propria ſingillatim cæteris B ſenſibus ſedib⁹ ſuis & officiis ſuis, quæ diuerſa per eos ago, vnus ego animus. Tranſibo & iſtam vim meam. Nam & hanc habet equus & mulus, ſentiunt enim etiam ipſi per corpus.

Pſal. 31. c. 9.

CAPVT VIII. *Memoria vis.*

TRANSIBO ergo & iſtam vim naturæ meæ gradibus aſcendens ad eum qui fecit me cum ea, & venio in campos & lata prætoria memoriæ meæ, vbi ſunt theſauri innumerabiliũ imaginum de huiuſcemodi † rebus ſenſis inuectarum. Ibi reconditum eſt quicquid etiam cogitamus vel augendo vel minuendo, vel vtcunque variando ea quæ ſenſus attigerit, & ſi quid aliud commendatum & repoſitum eſt, quod nõdum abſorbuit & ſepeliuit obliuio. Ibi quãdo ſum poſco vt proferatur quicquid volo, & quædam ſtatim prodeunt, quædam requiruntur diutius & tanquam de abſtruſioribus quibuſdam receptaculis eruuntur: quædam cateruatim ſe proruunt, & dum aliud petitur & quæritur, proſiliunt in medium quaſi dicentia, Ne forte nos ſumus. Et abigo ea manu cordis à facie recordationis meæ, donec enubiletur illud quod volo, atque in conſpectum prodeat ex abditis. Alia faciliter atque imperturbata ſerie, ſicut poſcuntur ſuggeruntur, & cedunt præcedentia conſequentibus, & cedendo conduntur iterum cùm voluero proceſſura. Quod totum fit cùm aliquid narro memoriter. Ibi ſunt omnia diſtinctè generatimque ſeruata, quæ ſuo quæque aditu ingeſta ſunt: ſicut lux atque omnes colores, formæque corporum per oculos, per aures autem omnia genera ſonorum, omnesque odores per aditum narium, omnes ſapores per oris aditũ, ad ſenſum autem totius corporis, quid durum, quid molle, quid calidum, frigidúmue, lene aut aſperum, graue ſeu leue, ſiue extrinſecùs ſiue intrinſecùs corpori. Hęc omnia recipit recolenda cùm opus eſt & retractanda grandis memoriæ receſſus, & neſcio qui ſecreti atque ineffabiles ſinus eius, quæ omnia ſuis quæque foribus D intrant ad eam, & reponuntur in ea: nec ipſa tamen intrant, ſed rerum ſenſarum imagines illic pręſto ſunt cogitationi reminiſcenti eas. Quæ quomodo fabricatæ ſint, quis dicit, cùm appareat quibus ſenſibus raptæ ſint, interiusque reconditæ? Nam & in tenebris atque in ſilẽtio dum habito, in memoria mea profero ſi volo colores, & diſcerno inter album & nigrum, & inter quos alios volo, nec incurrunt ſoni atque perturbant, quod per oculos hauſtum conſidero, cùm & ipſi ibi ſint, & quaſi ſeorſum repoſiti lateant. Nam & ipſos poſco ſi placet, atque adſunt ilicò. & quieſcẽte lingua ac ſilente gutture, canto quantum volo: imagines q; illæ colorum quæ nihilominus ibi ſunt, non ſe interponunt, neque interrumpunt, cùm theſaurus alius retractatur qui influxit ab auribus. Ita cætera quæ per ſenſus cæteros ingeſta atque congeſta ſunt, recordor prout libet. Et auram liliorum diſcerno à violis, nihil olfaciens, & mel defruto, lene aſpero nihil tunc guſtando neque contrectando ſed reminiſcendo antepono. Intus hæc ago in aula ingenti memoriæ meæ. Ibi enim mihi cælum & terra & mare præſto ſunt, cũ omnibus quæ in eis ſentire potui, præter illa quæ oblitus ſum. Ibi & ipſe mihi occurro, meq; recolo, quid, quando & vbi egerim, quoq; modo cùm agerem affectus fuerim. Ibi ſunt omnia quæ ſiue experta à me ſiue credita memini. Ex eadem copia etiam ſimilitudines reum, vel expertarum, vel ex eis quas expertus ſum creditarum alias atque alias & ipſe contexo præteritis, atque ex his etiam futuras actiones & euenta & ſpes, & hæc omnia rurſus quaſi præſentia meditor. Faciam hoc aut illud, dico apud me in ipſo ingenti ſinu animi mei pleno tot & tantarum rerum imaginibus, & hoc aut illud ſequetur. O ſi eſſet hoc aut illud! Auertat Deus hoc aut illud. Dico apud me iſta: Et cũ B dico, præſto ſunt imagines omnium quæ dico ex eodem theſauro memoriæ, nec omnino aliquid eorum dicerem ſi defuiſſent. Magna iſta vis eſt memoriæ, magna nimis Deus meus, penetrale amplum & infinitum. Quis ad fundum eius peruenit? Et vis eſt hæc animi mei, atque ad meam naturam pertinet, nec ego ipſe capio totum quod ſum. Ergo animus ad †habendum ſeipſum anguſtus eſt, vt † vbi ſit quid ſit non capiat. Nunquid extra ipſum ac non in ipſo? Quomodo ergo nõ capit? Multa mihi ſuper hoc oboritur admiratio, ſtupor apprehendit me. Et eunt homines admirari alta montium, & ingentes fluctus maris, & latiſſimos lapſus fluminum, & Oceani ambitum, & gyros ſiderum, & relinquunt ſeipſos, nec mirantur. Quin hæc omnia cùm dicerem, non ea videbam oculis, nec tamen dicerem niſi montes & fluctus & flumina & ſidera quæ vidi, & Oceanũ quem credidi, intus in memoria mea viderem ſpatiis tam ingentibus quaſi foC ris viderem: nec ea tamen videndo abſorbui quando vidi oculis, nec ipſa ſunt apud me, ſed imagines eorum, & noui quid ex quo ſenſu corporis impreſſum ſit mihi.

al. rerum ſenſibus inuentarum. Vbi.

al. habitandum. *al.* ibi ſit quod ſui non capiat.

CAPVT IX. *Memoria diſciplinarum. al.* Hic.

SED non ea ſola geſtat immenſa iſta capacitas memoriæ meæ. †Hinc ſunt & illa omnia quæ de doctrinis liberalibus percepta nondum exciderunt, quaſi remota interiore loco, non loca, nec eorum imagines, ſed res ipſas gero. Nam quid ſit literatura, quid peritia diſputãdi, quot genera quæſtionum, quicquid horum ſcio, ſic eſt in memoria mea, vt non retenta imagine rem foris reliquerim: aut ſonuerit & præterierit, ſicut vox impreſſa per aures veſtigio quo recolitur, quaſi ſonaret cùm iam non ſonaret: aut ſicut odor dum tranſit & euaneſcit in ventos, olfactum afficit, vnde traiicit in memoriam imaginem ſui, quam reminiſcendo repetamus: aut ſicut cibus qui certè in ventre iam non ſapit, & tamen in memoria quaſi ſapit: aut ſicut aliquid quod corpori tangendo ſentitur, quod etiam ſeparatum à nobis imaginatur memoria. Iſtæ quippe res non intromittũtur ad eam, ſed earum ſolæ imagines mira celeritate capiuntur, & miris tanquam cellis reponuntur, & mirabiliter recordando proferuntur.

CAPVT X. *Senſus res trãdũt memoriæ.*

AT verò cùm audio tria genera eſſe quæſtionum, an ſit, quid ſit, quale ſit, ſonorum quidem quibus hæc verba confecta ſunt, imagines teneo, & eos per aures cum ſtrepitu tranſiſſe, ac iam non eſſe ſcio. Res verò ipſas quæ illis ſignificantur ſonis, neque vllo ſenſu corporis attigi, nec vſpiam vidi præter animum meum, & in memoria recondidi, nõ imagines earum, ſed ipſas. Quæ vnde ad me intrauerint, dicant ſi poſſunt. Nam percurro ianuas omnes carnis meæ, nec inuenio qua earum ingreſſæ ſint. Quippe oculi dicũt: Si coloratæ ſunt, nos eas nunciauimus. Aures dicunt:

Si ſonuerunt, à nobis indicatæ ſunt. Nares dicunt: Si A eluerunt, per nos tranſierunt. Dicit etiam ſenſus guſtandi: Si ſapor non eſt, nihil me interroges. Tactus dicit: Si corpulentum non eſt, non contrectaui. Si non contrectaui, non indicaui. Vnde & quà hæc intrauerunt in memoriam meam? Neſcio quomodo, nam cùm ea didici, non credidi alieno cordi, ſed in meo recognoui, & vera eſſe approbaui, & commendaui ei tanquam reponens, vnde proferrem cùm vellem. Ibi ergo erant, & antequam ea didiciſſem, ſed in memoria non erant. Vbi ergo? aut quare cùm dicerentur à-gnoui, & dixi: Ita eſt, & verum eſt, niſi quia iam erant in memoria, ſed tam remota & retruſa, quaſi in caueis abditioribus, vt niſi admonente aliquo erueren-tur, ea fortaſſe cogitare non poſſem.

CAPVT XI. *Species rerum in anima.*

QVOCIRCA inuenimus nihil eſſe aliud diſcere iſta, quorum non per ſenſus haurimus imagines, ſed ſine imaginibus, ſicuti ſunt per ſeipſa intus cernimus, niſi ea quæ paſſim atque indiſpoſitè memoria continebat cogitãdo quaſi colligere, atque animad-B uertẽdo curare, vt tanquam ad manum poſita in ipſa memoria vbi ſparſa prius & neglecta latitabant, iam familiari intentioni facilè occurrant. Et quàm multa huiuſmodi geſtat memoria mea, quę iam inuẽta ſunt, &, ſicut dixi, quaſi ad manum poſita, quæ & didiciſſe & noſſe dicimur. Quæ ſi modeſtis temporum interuallis recolere deſiuero, ita rurſus demerguntur, & quaſi in remotiora penetralia dilabuntur, vt denuò velut noua excogitanda ſint in idem iterum. Neque enim eſt alia regio eorum, & cogenda rurſus vt ſcire poſſint, id eſt velut ex quadam diſperſione colligenda, vnde dictum eſt cogitare. Nam cogo & cogito, ſic eſt vt ago & actito, facio & factito. Verumtamen ſibi animus hoc verbum propriè vendicauit, vt non quod alibi, ſed quod in animo colligitur, id eſt cogitur, cogitari propriè iam dicatur.

CAPVT XII. *Mathematicorum memoria.*

ITEM continet memoria numerorum dimenſio-C numq́ue rationes & leges innumerabiles, quarum nullam corporis ſenſus impreſſit: quia nec ipſæ coloratæ ſunt, aut ſonant aut olent aut guſtatæ aut contrectatæ ſunt. Audiui ſonos verborum quibus ſignificantur, cùm de his diſſeritur: ſed illi alij, iſtæ autem aliæ ſunt. Nam illi aliter Græcè, aliter Latinè ſonant: iſtæ verò res nec Græcæ nec Latinæ ſunt, nec aliud eloquiorum genus. Vidi lineas fabrorum, vel etiam tenuiſſimas, ſicut filum araneæ, ſed illæ aliæ ſunt, non ſunt imagines earum quas mihi nũciauit carnis oculus. Nouit eas quiſquis ſine vlla cogitatione qualiſcumque corporis intus agnouit eas. Senſi etiam numeros omnibus corporis ſenſibus quos numeramus, ſed illi alij ſunt quib⁹ numeramus, nec imagines iſtorum ſunt, & ideo valde ſunt. Rideat me iſta dicẽtem, qui eos non videt, & ego doleam ridentem me.

CAPVT XIII. *Affectionum memoria.*

HÆC omnia memoria teneo, & quomodo ea di-D dicerim memoria teneo. Multa etiam quæ aduerſus hæc falſiſſimè diſputantur, audiui & memoria teneo, quæ tametſi falſa ſunt, tamen ea meminiſſe me non eſt falſum, & diſcreuiſſe me inter illa vera & hæc falſa quæ contradicuntur. Et hoc memini, aliteréque nunc video diſcernere me iſta, aliter autem memini ſæpe me diſcreuiſſe, cùm ea ſæpe cogitarem. Ergo & intellexiſſe me ſæpius iſta memini, & quod nunc diſcerno & intelligo, recondo in memoria, vt poſtea me nunc intellexiſſe meminerim. Ergo & meminiſſe me memini, ſicut poſtea quòd hæc reminiſci nunc potui ſi recordabor, vtique per vim memoriæ recordabor. Affectiones quoque animi mei eadem memoria continet, non illo modo quo eas habet ipſe animus cùm patitur eas, ſed alio multum diuerſo, ſicut ſe habet vis memoriæ. Nam & lętatum me fuiſſe reminiſcor, non lætus, & triſtitiam meam præteritam recordor non triſtis. Et me aliquando timuiſſe recolo ſine timore, & priſtinæ cupiditatis ſine cupiditate ſum memor aliquando. Et econtrariò triſtitiam meam tranſactam lætus reminiſcor, & triſtis lætitiam meam.

CAPVT XIIII. *Læta non læti quomodo recordamur.*

QVOD mirandum non eſt de corpore, aliud enim animus, aliud corpus. Itaque ſi præteritum dolorem corporis gaudens memini, non ita mirum eſt. Hic verò cùm animus ſit etiam ipſa memoria. Nam & cùm mandamus aliquid vt memoriter habeatur, dicimus, vide vt illud in animo habeas: & cùm obliuiſcimur, dicimus, fuit in animo: & elapſum eſt animo: ipſam memoriam vocantes animum. Cùm ergo ita ſit, quid eſt hoc, quod cùm triſtitiam meam præteritam lætus memini, animus habet lætitiam, & memoria triſtitiam: lætusque eſt animus ex eo quòd ineſt ei lætitia, memoria verò ex eo quòd ineſt ei triſtitia, triſtis non eſt? Num fortè non pertinet ad animũ? Quis hoc dixerit? Nimirum ergo memoria quaſi vẽter eſt animi, lætitia verò atque triſtitia quaſi cibus dulcis & amarus; cùm memorię commendantur quaſi traiecta in ventrem recondi illuc poſſunt, ſapere nõ poſſunt. Ridiculum eſt hæc illis ſimilia putare, nec tamen ſunt omnimodo diſſimilia. Sed ecce de memoria profero, cùm dico quatuor eſſe perturbationes animi, cupiditatem, lætitiam, metum, triſtitiã, & quicquid de his diſputare potuero, diuidendo ſingula per ſpecies ſui cuiuſque generis, & definiẽdo, ibi inuenio quid dicam atque inde profero: nec tamen vlla earum perturbatione perturbor, cùm eas reminiſcẽdo commemoro, & antequam recolerentur à me & retractarentur, ibi erant, propterea inde per recordationem potuere depromi. Fortè ergo ſicut de ventre cibus ruminando, ſic iſta de memoria recordando proferũtur. Cur igitur in ore cogitationis nõ ſentitur à diſputante, hoc eſt à reminiſcente lætitiæ dulcedo vel amaritudo mæſtitiæ? An in hoc diſſimile eſt, quod non vndique ſimile eſt? Quis enim talia volens loqueretur, ſi quoties triſtitiã metúmue nominamus, toties mærere vel timere cogeremur? Et tamen non ea loqueremur, niſi in memoria noſtra non tantum ſonos nominum ſecundùm imagines impreſſas ſenſibus corporis, ſed etiam rerum ipſarum notiones inueniremus, quas nulla ianua carnis accepimus, ſed eas ipſe animus per experientiam paſſionum ſuarum ſentiens, memoriæ commendauit, aut ipſa ſibi hæc etiam non commendata retinuit.

CAPVT XV. *Etiam quæ abſunt meminimus.*

SED vtrum per imagines an non, quis facilè dixerit? Nomino quippe lapidem, nomino ſolem, cùm res ipſæ non adſunt ſenſibus meis, in memoria ſanè mea præſto ſunt imagines earum. Nomino dolorem corporis, nec mihi adeſt dum nihil dolet, niſi tamen adeſſet imago eius in memoria mea, neſcirem quid dicerem, nec eum in diſputando à voluptate diſcernerem. Nomino ſalutem corporis, cùm ſaluus ſum corpore, adeſt mihi quidem res ipſa, verumtamen niſi & imago eius ineſſet in memoria mea, nullo modo recordarer quid huius nominis ſignificaret ſonus: nec ægrotantes agnoſcerẽt ſalute nominata quid eſſet dictum, niſi eadem imago vi memoriæ teneretur, quãuis ipſa res abeſſet à corpore. Nomino numeros quibus numeramus. En adſunt in memoria mea, nõ imagines eorum, ſed ipſi. Nomino imaginem ſolis, & hęc adeſt in memoria mea. Neque enim imaginem imaginis eius, ſed ipſam recolo, ipſa mihi reminiſcẽti præſto eſt. Nomino memoriam, & agnoſco quod nomino. Et vbi agnoſco niſi in ipſa memoria? Num & ipſa per imaginem ſuam ſibi adeſt, ac non per ſeipſam?

CAPVT XVI. *Et obliuionis memoria eſt.*

QVID cùm obliuionem nomino, atque id idem agnoſco quod nomino: vnde agnoſcerem niſi meminiſſem? Non eundem ſonum nominis dico, ſed rem quam ſignificat: quam ſi oblitus eſſem, quid ille

valeret

valeret ſonus agnoſcere vtique non valerem. Ergo cùm memoriam memini, per ſeipſam ſibi præſto eſt ipſa memoria. Cùm verò memini obliuionem, & memoria præſto eſt & obliuio. Memoria qua meminerim, obliuio quam meminerim. Sed quid eſt obliuio, niſi priuatio memoriæ? Quomodo ergo adeſt vt eam meminerim, quando cùm adeſt meminiſſe non poſſum? At ſi quod meminimus, memoria retinem⁹, obliuionem autem niſi meminiſſemus, nequaquam poſſemus audito iſto nomine rem quæ illo ſignificatur ſono agnoſcere: memoria retinetur obliuio. Adeſt ergo ne obliuiſcamur quæ cùm adeſt obliuiſcimur: An ex hoc intelligitur non per ſeipſam ineſſe memoriæ cùm eam meminimus, ſed per imaginem ſuam? Quia ſi per ſeipſam præſto eſſet obliuio, non vt meminiſſemus, ſed vt obliuiſceremur efficeret. Et hoc quis tandem indagabit? quis comprehendet quomodo ſit? Ego certè Domine laboro hic, & laboro in meipſo: factus ſum mihi terra difficultatis & ſudoris nimij. Neque enim nunc ſcrutamur plagas cæli, aut ſiderum interualla demetimur, vel terræ libramenta quærimus. Ego ſum qui memini, ego animus. Non tam mirum ſi à me longè eſt, quicquid ego non ſum. Quid autem propinquius meipſo mihi? Et ecce memoriæ meæ vis non comprehẽditur à me, cùm ipſum me non dicam præter illam. Quid enim dicturus ſum quando mihi certum eſt meminiſſe me obliuionem? An dicturus ſum non eſſe in memoria mea quod memini? An dicturus ſum ad hoc ineſſe obliuionem in memoria mea, vt non obliuiſcar? vtrumque abſurdiſſimum eſt. Quid illud tertium? Quo pacto dicam imaginem obliuionis teneri in memoria meà, non ipſam obliuionem cùm eam memini? Quo pacto & hoc dicam, quandoquidem cùm imprimitur rei cuiuſquam imago in memoria, prius neceſſe eſt vt adſit res ipſa, vnde illa imago poſſit imprimi? Sic enim Carthaginis memini, ſic omnium locorum quibus interfui, ſic facies hominum quos vidi, & cæterorum ſenſuum nunciata, ſic ipſius corporis ſalutem ſiue dolorem. Cùm præſto eſſent iſta, cepit ab eis imagines memoria quas intuefer præſentes, & retractarem animo, cùm illâ & abſentiâ reminiſcerer. Si ergo per imaginem ſuam non per ſeipſam in memoria tenetur obliuio, ipſa vtique aderat, vt eius imago caperetur. Cùm autem adeſſet, quomodo imaginem ſuam in memoria conſcribebat, quãdo id etiam quod iam notatum inuenit, præſentia ſua delet obliuio? Et tamen quocumque modo, licet ſit modus iſte incomprehenſibilis & inexplicabilis, etiam ipſam obliuionem meminiſſe me certus ſum, qua id quod meminerimus obruitur.

CAPVT XVII. *Humanæ memoriæ vis triplex.*

MAGNA iſta vis eſt memoriæ, neſcio quid horrendum Deus meus, profunda & infinita multiplicitas, & hoc animus eſt, & hoc ego ipſe ſum. Quid ergo ſum Deus meus? quæ natura ſum? Varia, multimoda vita & immenſa vehementer. Ecce in memoriæ meæ cãpis & antris & cauernis innumerabilibus, atq; innumerabiliter plenis innumerabilium rerum generibus, ſiue per imagines, ſicut omnium corporum: ſiue per præſentiam, ſicut artium: ſiue per neſcio quas notiones vel notationes, ſicut affectionum animi, quas & cùm animus non patitur, memoria tenet, cùm in animo ſit quicquid eſt in memoria, per hæc omnia diſcurro & volito hac atque illac, penetro etiam quantum poſſum, & finis nuſquam: tanta vis eſt memoriæ, tanta vitæ vis eſt, in homine viuente mortaliter. Quid igitur agam, tu vera mea vita Deus meus? Tranſibo & hanc vim meam quę memoria vocatur, tranſibo eam vt perueniam ad te dulce lumen. Quid dicis mihi? Ecce ego aſcendens, per animum meum ad te qui deſuper mihi manes. Tranſibo & iſtã vim meam, quæ memoria vocatur, volens te attingere, vnde attingi potes, & inhærere tibi, vnde inhærere tibi poteſt. Habẽt enim memoriam & pecora & aues, alioquin nõ cubilia nidóſue repeterent, nõ alia multa quibus aſſueſcunt, neque enim & aſſueſcere valerent vllis rebus niſi per memoriam. Tranſibo ergo & memoriam, vt attingam eum qui ſeparauit me à quadrupedibus, & volatilibus cæli ſapientiorem me fecit. Tranſibo & memoriam, & vbi te inueniam verè bona & ſecura ſuauitas? Et vbi te inueniam?

CAPVT XVIII. *Reminiſcẽtia. Luc. 15. b. 8.*

SI præter memoriam meam te inuenio, immemor tui ſum. Et quomodo iam inueniam te, ſi memor non ſum tui? Perdiderat enim mulier drachmam, & quæſiuit eam cum lucerna, & niſi memor eius eſſet, non inueniſſet eam. Cùm enim eſſet inuenta, vnde ſciret vtrum ipſa eſſet, ſi memor eius non eſſet? Multa memini me perdita quæſiſſe atque inueniſſe. Indè iſtud ſcio, quia cùm quærerem aliquid eorum, & diceretur mihi, num fortè hoc eſt, num fortè illud? tamdiu dicebam, non eſt, donec id offerretur quod quærebam. Cuius niſi memor eſſem, quicquid illud eſſet, etiam ſi mihi offerretur non inuenirem, quia non agnoſcerem. Et ſemper ita fit, cùm aliquid perditum quærimus & inuenimus. Veruntamen ſi fortè aliquid ab oculis perit, non à memoria, veluti corpus quodlibet viſibile, tenetur intus imago eius, & quæritur donec reddatur aſpectui. Quod cùm inuentum fuerit, ex imagine quæ intus eſt recognoſcitur. Nec inueniſſe nos dicimus quod perierat, ſi non agnoſcimus: nec agnoſcere poſſumus, ſi non meminimus. Sed hoc perierat quidem oculis, memoria tenebatur.

CAPVT XIX. *Quid ſit reminiſci.*

QVID cùm ipſa memoria perdit aliquid, ſicut fit cùm obliuiſcimur, & quærimus vt recordemur? Vbi tandem quærimus, niſi in ipſa memoria: Et ibi ſi aliud pro alio fortè offeratur, reſpuimus, donec illud occurrat quod quærimus, & cùm occurrerit, dicimus, hoc eſt; quod non diceremus niſi agnoſceremus, nec agnoſceremus niſi meminiſſemus. Certè ergo obliti fueramus. An non totum exciderat, ſed ex parte qua tenebatur pars alia quærebatur, quia ſentiebat ſe memoria non ſimul voluere quod ſimul ſolebat, & quaſi detruncata conſuetudine claudicans, reddi quod deerat flagitabat. Tanquam ſi homo notus ſiue conſpiciatur oculis, ſiue cogitetur, & nomen eius obliti requiramus, quicquid aliud occurrerit non connectitur: quia non cum illo cogitari conſueuit, ideoque reſpuitur donec illud adſit, vbi ſimul aſſuefacta notitia non inæqualiter acquieſcat. Et vnde adeſt, niſi ex ipſa memoria? Nam & cùm ab alio commoniti recognoſcimus inde adeſt. Non enim quaſi nouum credimus, ſed recordãtes approbamus hoc eſſe quod dictum eſt. Si autem penitus aboleatur ex animo nec admoniti reminiſcimur. Neque enim omnimodo adhuc obliti ſumus, quod vel oblitos nos eſſe meminimus. Hoc ergo nec amiſſum quærere poterimus, quod omnino obliti fueramus.

CAPVT XX. *Beatitudinem appetunt omnes.*

QVOMODO ergo te quęro Domine? Cùm enim te Deum meum quæro, vitam beatam quæro. Quæram te vt viuat anima mea. Viuit enim corpus meum de anima mea, & viuit anima mea de te. Quomodo ergo quæro vitam beatam: quia non eſt mihi donec dicam, ſat eſt illic, vbi oportet vt dicam? Quomodo eam quæro? Vtrum per recordationem tamquam eam oblitus ſim, oblitumque me eſſe adhuc teneam, an per appetitum diſcendi incognitam, ſiue quam nunquam ſcierim, ſiue quam ſic oblitus fuerim vt me nec oblitum eſſe meminerim? Nónne ipſa eſt beata vita quam omnes volunt, & omnino qui nolit eam nemo eſt. Vbi nouerunt eam, quòd ſic volunt eã? Vbi viderũt, vt amarẽt eam? Nimirum habemus eam

neſcio quomodo. Et eſt alius quidam modus, quo A quiſque cùm habeat eam, tunc beatus eſt: & ſunt qui ſpe beati ſunt. Inferiore modo iſti habent eam quam illi qui iam re ipſa beati ſunt, ſed tamen meliores quàm illi qui nec re nec ſpe beati ſunt. Qui tamen etiam ipſi niſi aliquo modo haberent eam, non ita vellent beati eſſe, quod eos velle certiſſimum eſt. Neſcio quomodo nouerunt eam, ideoque habent eam in neſcio qua notitia, de qua ſatago vtrum in memoria ſit: quia ſi ibi eſt, iam beati fuimus aliquando. Vtrum ſingillatim omnes, an in illo homine qui primus peccauit, in quo & omnes mortui ſumus, & de quo omnes cum miſeria nati ſumus, non quæro nunc, ſed quæro vtrum in memoria ſit beata vita. Neque enim amaremus eam niſi noſſemus. Audimus nomen hoc, & rem ipſam omnes nos appetere fatemur. Non enim ſono delectamur. Nam hoc cùm Latinè audit Græcus, non delectatur, quia ignorat quod dictum ſit: nos autem delectamur, ſicut etiam ille ſi Græcè hoc audierit: quoniam res ipſa nec Græca nec Latina eſt, cui adipiſcendæ Græci Latiniſque inhiant, cæterarumque linguarum homines. Nota eſt igitur omnibus, quia vna voce ſi interrogari poſſent, vtrum beati eſſe vellent, ſine vlla dubitatione, velle reſponderent. Quod nō fieret, niſi res ipſa cuius hoc nomen eſt, eorum memoria teneretur.

CAPVT XXI. *Meminimus & eorum quæ minquam habemus.*

NVNQVID ita vt meminit Carthaginem qui vidit? Non. Vita enim beata non videtur oculis, quia non eſt corpus. Nunquid ſicut meminimus numeros? Non. Hos enim qui habet in notitia, non adhuc quærit adipiſci. Vitam verò beatam habemus in notitia: ideoque amamus eam, & tamen adhuc adipiſci eam volumus vt beati ſimus. Nunquid ſicut meminimus eloquentiam? Non. Quamuis enim hoc nomine audito recordentur ipſam rem, qui etiam nōdum ſunt eloquentes, multiq; eſſe cupiant, vnde apparet eam eſſe in eorum notitia, tamen per corporis ſenſus alios eloquentes animaduerterunt & delectati ſunt & hoc eſſe deſiderant: † quanquam niſi in exteriore notitia non delectarentur, neque hoc eſſe vellent niſi delectarentur. Beatam verò vitam nullo ſenſu corporis in aliis experimur. Nunquid ſicut meminimus gaudium? Fortaſſe ita. Nam gaudium meum etiam triſtis memini, ſicut vitam beatam miſer: neque vnquam corporis ſenſu gaudium meum vel vidi vel audiui vel odoratus ſum vel guſtaui vel tetigi, ſed expertus ſum in animo meo quando lætatus ſum: & adhęſit eius notitia memorię meæ, vt id reminiſci valeā aliquando cū aſpernatione, aliquādo cū deſiderio, pro earū rerū diuerſitate de quibus me gauiſum eſſe memini. Nā & de turpibus gaudio quodam perfuſus ſum, quod nūc recordās deteſtor atq; execror: aliquādo de bonis & honeſtis, quod deſiderās recolo, tametſi fortè nō adſunt, & ideo triſtis gaudium priſtinū recolo. Vbi ergo & quando expertus ſum vitam meam beatam vt recorder eam, & amem & deſiderem? Nec ego tantum, aut cum paucis, ſed beati prorſus omnes eſſe volumus. Quod niſi certa notitia noſſemus, non tam certa voluntate vellemus. Sed quid eſt hoc quod ſi quæratur à duobus, vtrum militare velint, fieri poſſet vt alter eorum velle ſe, alter nolle reſpondeat? Si autem ab eis quæratur, vtrum beati eſſe velint, fieri poſſit, vt vterque ſtatim ſe ſine vlla dubitatione dicat optare, nec ob aliud velit ille militare, nec ob aliud iſte nolit, niſi vt beati ſint? Nam fortè quoniam alius hinc, alius inde gaudet: ita ſe omnes beatos eſſe velle conſonant, quemadmodum conſonarent ſi hoc interrogarentur ſe velle gaudere, atque ipſum gaudium vitam beatam vocant? Quod & ſi alius hinc, alius illinc aſſequitur, vnum eſt tamē quò peruenire omnes nituntur vt gaudeant. Quæ quoniam res eſt quam ſe expertum non eſſe nemo poteſt dicere, propterea reperta in memoria recognoſcitur, quando beatæ vitæ nomen auditur.

CAPVT XXII. *Vtrum gaudium.* *Eſa. 48. d. 22.*

ABSIT Domine, abſit à corde ſerui tui, qui confitetur tibi: abſit vt quocūque gaudio gaudeam, beatum me putem. Eſt enim gaudium quod non datur impiis, ſed eis qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipſe es. Et ipſa eſt beata vita gaudere ad te, de te, propter te, ipſa eſt & non eſt altera. Qui autem aliam putant eſſe, aliud ſectātur gaudium, neque ipſum verum. Ab aliqua tamen imagine gaudij, voluntas eorum non auertitur.

CAPVT XXIII. *Beata vita quid & vbi.* *Gal. 5. c. 17.*

NON ergo certum eſt quòd omnes eſſe beati volunt, quoniam qui non de te gaudere volunt, quę ſola vita beata eſt, non vtique vitam beatam volunt. An omnes hoc volunt? Sed quoniam caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem vt non faciant quod volunt, cadunt in id quod valent, eoque contenti ſunt: quia illud quod non valent, non tantum volunt quātum ſat eſt vt valeant. Nam quæro ab omnibus vtrum malint de veritate quàm de falſitate gaudere: tam non dubitant dicere de veritate ſe malle, quàm non dubitant dicere beatos eſſe ſe velle. Beata quippe vita eſt gaudium de veritate. Hoc eſt enim gaudium de te qui veritas es, Deus illuminatio mea, ſalus faciei meæ Deus meus. Hanc vitam beatam omnes volunt, hanc vitam quæ ſola beata eſt omnes volunt, gaudium de veritate omnes volunt. Multos expertus ſum qui vellent fallere, qui autem falli, neminem. Vbi ergo nouerunt hanc vitam beatam, niſi vbi nouerunt etiam veritatem? Amant enim & ipſam, quia falli nolunt. Et cùm amant beatam vitam quod non eſt aliud quàm de veritate gaudium, vtique amant etiam veritatem: nec amarent niſi eſſet aliqua notitia eius in memoria eorum. Cur ergo non de illa gaudent? Cur non beati ſunt? Quia fortius occupantur in aliis quæ potius eos faciūt miſeros, quàm illud beatos quod tenuiter meminerūt. Adhuc enim modicum lumen eſt in hominibus, ambulent, ambulent, ne eos tenebræ comprehendant. Cur autem veritas parit odium, & inimicus eis factus eſt homo tuus verum prædicans, cùm ametur beata vita, quæ nō eſt niſi gaudium de veritate: niſi quia ſic amatur veritas, vt quicunque aliud amant, hoc quod amant velint eſſe veritatem: & quia falli nolunt, nolunt conuinci quòd falſi ſint? Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt eam redarguētem. Quia enim falli nolunt & fallere volunt, amant eam cùm ſeipſam indicat, & oderunt eam cùm eos ipſos iudicat. Inde retribuet eis, vt qui ſe ab ea manifeſtari nolunt, & eos nolentes manifeſtet, & eis ipſa non ſit manifeſta. Sic ſic etiam, ſic animus humanus etiam, ſic cæcus & languidus, turpis atque indecens latere vult, ſe autem vt lateat aliquid non vult. Contrà illi redditur vt ipſe non lateat veritatem, ipſum autem veritas lateat. Tamen etiam ſic dum miſer eſt, veris mauult gaudere quàm falſis. Beatus ergo erit, ſi nulla interpellante moleſtia, de ipſa per quam vera ſunt omnia, ſola veritate gaudebit.

Ioan. 14. c. 6. *Pſal. 26. c. 1.*

CAPVT XXIIII. *Deum quoque continet memoria.*

ECCE quantum ſpatiatus ſum in memoria mea, quærens te Domine, & non te inueni extra eam. Neque enim aliquid de te inueni quod non meminiſſem ex quo didici te. Nam ex quo didici te, non ſum oblitus tui. Vbi enim inueni veritatem, ibi inueni Deum meum ipſam veritatem, quam ex quo didici non ſum oblitus. Itaque ex quo didici te, manes in memoria mea, & illic te inuenio, cùm reminiſcor tui & delector in te. Hæ ſunt ſanctæ deliciæ meæ, quas donaſti mihi miſericordia tua, reſpiciens paupertatem meam.

Ioan. 12. c. 35.

SED

CAPVT XXV. *In quo memoriæ gradu reperiatur Deus.*

SED vbi manes in memoria mea tu Domine? Vbi illic manes? Quale cubile fabricasti illic tibi? Quale sanctuarium ædificasti tibi? Tu dedisti hanc dignationem memoriæ meæ, vt maneas in ea, sed in qua eius parte maneas hoc considero. Transcendi enim partes eius quas habent & bestiæ cùm te recordarer, quia non ibi te inueniebam inter imagines rerum corporalium, & veni ad partes eius, vbi commẽdaui affectiones animi mei, nec illic inueni te. Et intraui ad ipsius animi mei sedem, quæ illi est in memoria mea, quoniam sui quoque meminit animus, nec ibi tu eras; quia sicut non es imago corporalis nec affectio viuentis, qualis cùm lętamur, contristamur, cupimus, metuimus, meminimus, obliuiscimur, & quicquid huiusmodi est; ita nec ipse animus es, quia Domine Deus animi tu es. Et commutantur hæc omnia, tu autem incommutabilis manes super omnia, & dignatus es habitare in memoria mea, ex quo te didici. Et quid quæro quo loco eius habites? quasi verò loca ibi sint? Habitas certè in ea, quoniam tui memini ex quo te didici, & in ea te inuenio cùm recordor te.

CAPVT XXVI. *Vbi inuenitur Deus.*

VBI ergo te inueni vt discerem te? Neque enim iam eras in memoria mea, prius quàm te discerem. Vbi ergo inueni te vt discerem te, nisi in te supra me? Et nusquam locus & recedimus & accedimus, & nusquam locus. Vbiq; veritas præsides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diuersa consulentibus. Liquidè tu respondes, sed non liquidè omnes audiunt. Omnes vnde volunt consulunt, sed non semper quod volunt audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire quod ipse voluerit, sed potius hoc velle quod à te audierit.

CAPVT XXVII. *Quomodo tapiat hominem Deus.*

SERO te amaui pulchritudo tam antiqua & tam noua, serò te amaui. Et ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa quæ fecisti deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ si in te non essent, nõ essent. Vocasti, & clamasti, & rupisti surditatem meã. Coruscasti, splenduisti, & fugasti cæcitatem meam. Fragrasti & duxi spiritum, & anhelo tibi. Gustaui, & esurio, & sitio. Tetigisti me, & exarsi in pacem tuam.

CAPVT XXVIII. *Miseria huius vitæ.*

CVM inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor & labor, & viua erit vita mea tota plena te. Nunc autem quoniam quem tu imples, subleuas eum, quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum. Contendunt lætitiæ meæ flendæ eum lætandis mæroribus & ex qua parte stet victoria nescio. Hei mihi Domine, miserere mei. Contendunt mærores mei mali cum gaudiis bonis, & ex qua parte stet victoria nescio. Hei mihi, Domine, miserere mei. Hei mihi; ecce vulnera mea non abscondo. Medicus es, æger sum. Misericors es, miser sum. Nunquid non tentatio est vita humana super terram? Quis velit molestias & difficultates pati? Tolerare iubes eas, non amari. Nemo quod tolerat amat, & si tolerare amat. Quamuis enim gaudeat se tolerare, mauult tamen nõ esse quod toleret. Prospera in aduersis desidero, aduersa in prosperis timeo. Quis inter hæc medius locus, vbi non sit humanæ vitæ tentatio? Væ prosperitatibus huius sęculi, semel & iterum à timore aduersitatis, & à corruptione lætitiæ. Væ aduersitatibus sęculi, semel & iterum & tertiò, à desiderio prosperitatis; & quia ipsa aduersitas dura est, & naufragat tolerantia, nunquid nõ tentatio est vita humana super terram sine vllo intersti tio?

Iob 7.a.1.

CAPVT XXIX. *In Deo spes.*

ET tota spes mea, non nisi in magna valde misericordia tua. Da quod iubes, & iube quod vis. Imperas nobis cõtinentiam. Et cùm scirem, ait quidam, quia nemo potest esse continens nisi Deus det, & hoc A ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum. Per continentiam quippe colligimur & redigimur in vnum, à quo in multa defluximus. Minus enim te amat qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor qui semper ardes, & nunquam extingueris! Charitas Deus meus, accende me. Continentiam iubes. Da quod iubes, & iube quod vis.

Sap. 8.d.21.

CAPVT XXX. *Somniorum ludibria.*

IVBES certè vt contineam à concupiscẽtia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitione sęculi. Iussisti à cõcubitu, & de ipso coniugio melius aliquid quàm cõcessisti monuisti. Et quoniam dedisti factum est, & antequàm dispensator Sacramenti tui fierem. Sed adhuc viuunt in memoria mea, de qua multa locutus sum, talium rerum imagines, quas †tibi consuetudo mea †fixit, & occurrant mihi vigilanti quidem carentes viribus, in somnis autem non solum vsque ad delectationem, sed etiam vsque ad consensionem factumque simillimum. Et tantum valet imaginis illusio in anima mea & in carne mea, vt dormienti falsa visa persuadeant quod vigilanti vera non possunt. Nunquid tunc ego non sum Domine Deus meus? Et tamen tantum interest inter meipsum & meipsum, intra momentum quo hinc ad soporem transeo, vel huc inde retranseo. Vbi est tunc ratio quę talibus suggestionibus resistit vigilans? Et si res ipsæ ingerantur inconcussus maneo. Nunquid clauditur cum oculis? Nunquid sopitur cum sensibus corporis? Et vnde sæpe etiam in somnis resistimus, nostriq; propositi memores, atque in eo castissimè permanentes, nullum talibus illecebris adhibemus assensum? Et tamen tantum interest, vt cùm aliter accidit, euigilãtes ad conscientiæ requiem redeamus, ipsaque distantia reperiamus nos non fecisse, quod tamen in nobis quoquo modo factum esse doleamus. Nunquid non potens est manus tua Deus omnipotens sanare omnes languores animæ meæ, atque abundantiore gratia tua lasciuos motus etiam mei soporis extinguere? Augebis Domine magis magisque in me munera tua, vt anima mea sequatur me ad te concupiscentiæ visco expedita, vt nõ sit rebellis sibi, atque vt in somnis etiam non solum non perpetret istas corruptelarum turpitudines per imagines animales vsq; ad carnis fluxum, sed ne consentiat quidem. Nam vt nihil tale vel tantillum libeat quantulum possit nutu cohiberi, etiam in casto dormientis affectu; non tantum in hac vita, sed etiam in hac ætate; non magnum est omnipotenti, qui vales facere supra quàm petimus & intelligimus. Nunc tamen quid adhuc sim in hoc genere mali mei, dixi Domino bono meo, exultans cum tremore in eo quod donasti mihi, & lugens in eo quod inconsummatus sum, & sperans perfecturum te in me misericordias tuas vsque ad pacem plenariam, quam tecum habebunt interiora & exteriora mea, cùm absorpta fuerit mors in victoriam.

al. sibi.

al. finxit.

Ephes. 3.d. 20.

1. Cor. 15. f. 54.

CAPVT XXXI. *Gulæ tẽtatio.*

EST alia malitia diei, quæ vtinam sufficiat ei. Resecimus enim quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo, prius quàm escas & vẽtrem destruas, cùm occideris indigẽtiam meam satietate mirifica, & corruptibile hoc indueris incorruptione sempiterna. Nunc autem suauis est mihi necessitas, & aduersus istam suauitatem pugno ne capiar, & quotidianum bellum gero in ieiuniis sæpius in seruitutem redigens corpus meum, & dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames & sitis quidam dolores sunt. Vrunt, & sicut febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Quæ quoniam præsto est ex consolatione munerum tuorum, in quibus nostræ infirmitati terra & aqua & cælum seruiunt, calamitates deliciæ vocantur. Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic aliméta sumpturus accedam.

Matth. 6.d. 34. 1. Cor. 6. c. 13. 1. Cor. 15. g. 54.

1. Cor. 9. d. 27.

Sed

Sed dum ad quietem ſatietatis ex indigentię moleſtia A tranſeo, in ipſo tranſitu mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ; ipſe enim tranſitus voluptas eſt, & non eſt alius quà tranſeatur, quàm quò tranſire cogit neceſſitas. Et cùm ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adiungit ſe tanquam pediſſequa periculoſa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius cauſa fiat, quod ſalutis cauſa me facere vel dico vel volo, nec idē modus vtriuſque eſt. Nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt. Et ſæpe incertum ſit, vtrum adhuc neceſſaria corporis cura ſubſidiū petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia miniſterium ſuppetat. Ad hoc incertum hilareſcit infelix anima, & in eo præparat excuſationis patrocinium, gaudens nō apparere quid ſatis ſit moderationi valetudinis, vt obtentu ſalutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conor reſiſtere, & inuoco dexteram tuam ad ſalutem meam, & ad te refero æſtus meos, quia conſilium mihi de hac re nondum ſtat. Audio vocem iu-
Luc.21.g. 34. bentis Dei mei: Non grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate. Ebrietas longè eſt à me, miſereberis ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam ſurrepit ſeruo tuo, miſereberis vt longè fiat à me. Nemo enim poteſt eſſe continens, niſi tu des. Multa no-
Sap.8.d.21. al. oremus accepimus. bis orantibus tribuis, & quicquid boni antequam †oremus accipimus, à te accipimus, & vt hoc poſtea cognoſceremus, à te accipimus. Ebrioſus nunquam fui, ſed ebrioſos à te ſobrios factos, ego noui. Ergo à te factum eſt, vt hoc non eſſent qui nunquam fuerunt, à quo factum eſt vt hoc non ſemper eſſent qui fuerunt, à quo etiam factum eſt, vt ſcirent vtrique à quo factū
Eccl.18.d. 30. eſt. Audiui & aliam vocem tuam. Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluptate tua auertere. Audiui & illam ex munere tuo quam multum amaui: Neque
1.Cor.8.c.8. ſi manducauerimus, abundabimus; neque ſi non māducauerimus, deerit nobis: hoc eſt dicere, nec illa res me copioſum faciet, nec illa ærumnoſum. Audiui &
Phil.4.c.12. alteram, Ego enim didici in quibus ſum ſufficiens eſſe, & abundare noui, & penuriam pati noui. Omnia C poſſum in eo qui me confortat. Ecce miles caſtrorum
Gen.3.d.19. cæleſtium, non puluis quod nos ſumus. Sed memento Domine quia puluis ſumus, & de puluere feciſti ho-
Luc.15.e. minem, & perierat, & inuentus eſt. Nec ille in ſe potuit, quia idem puluis fuit, quem talia dicentem affla-
Phil.4.c.12. tu tuæ inſpirationis adamaui. Omnia poſſum, inquit, in eo qui me confortat. Conforta me vt [omnia] poſſim. Da quod iubes, & iube quod vis. Iſte ſe accepiſſe confitetur; & quod gloriatur, in Domino gloriatur.
1.Cor.1.d.31. Audiui alium rogantem vt accipiat: Aufer à me, in-
Eccl.23.a.6. quit, concupiſcentias ventris. Vnde apparet ſancte Deus meus te dare, cùm fit quod imperas fieri. Do-
Tit.1.d.15. cuiſti me, pater bone, Omnia munda mundis. Sed malum eſſe homini qui per offenſionem manducat;
1.Tim.4.b. 4. & omnem creaturam tuam bonam eſſe, nihilque abiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur,
1.Cor.8.c.8. & quia eſca nos non commēdat Deo, & vt nemo nos D
Coloſ.2.c. 16. iudicet in cibo aut in potu; & vt qui manducat non
Rom.14.a.3. manducantem non ſpernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet. Didici hæc, gratias tibi, laudes tibi Deo meo, magiſtro meo, pulſatori aurium mearū, illuſtratori cordis mei. Eripe me ab omni tentatione. Non ego immunditiam obſonij timeo, ſed
Gen.9.a.2. 3.Reg.17.a. 6. immunditiam cupiditatis. Scio Noë omne carnis genus quod cibo eſſet vſui manducare permiſſum, He-
Matth.3.a. 4. liam cibo carnis refectum, Ioannem mirabili abſtinētia præditum, animalibus, hoc eſt locuſtis, in eſcam
Gen.25.d. 34. cedentibus non fuiſſe pollutum. Et ſcio Eſau lenticu-
2.Reg.23.c. 17. læ concupiſcentia deceptum; & Dauid propter aquæ
Matth.4.a. 3. deſiderium à ſeipſo reprehenſum; & regem noſtrum non de carne, ſed de pane eſſe tentatum. Ideoque &
Nū.11.d.20. populus in eremo, nō quia carnes deſiderauit, ſed quia eſcæ deſiderio aduerſus Dominum murmurauit, meruit improbari. In his ergo tentationibus poſitus, certo quotidie aduerſus concupiſcentiam manducandi & bibendi. Non enim eſt quod ſemel præcidere, & vlterius non attingere decernam, ſicut de concubitu potui. Itaque freni gutturis temperata relaxatione & conſtrictione tenēdi ſunt. Et quis eſt Domine qui nō rapiatur aliquātulum extra metas neceſſitatis? Quiſquis eſt, magnus eſt, magnificet nomen tuum. Ego autem non ſum, quia peccator homo ſum. Sed & ego magnifico nomen tuum, & interpellat te pro peccatis Rom.8.f.34. meis qui vicit ſeculum, numerans me inter infirma membra corporis ſui, quia & imperfectum meum vi- Pſalm.138.c. 16. derunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur.

CAPVT XXXII. *Nihil ſecurum eſt in hac vita.*

DE illecebra odorum non ſatago nimis. Cùm abſunt, non requiro; cùm adſunt, non reſpuo; paratus etiam eis ſemper carere. Ita mihi videor, fortaſſe B fallor. Sunt enim & iſtæ plangendæ tenebræ, in quibus me latet facultas mea quæ in me eſt, vt animus meus de viribus ſuis ipſe ſe interrogans, non facilè ſibi credendum exiſtimet, quia & quod ineſt, plerunque occultum eſt, niſi experientia manifeſtetur. Et nemo ſecurus eſſe debet in iſta vita quæ tota tentatio Iob 7.a.1. nominatur, vtrum qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Vna ſpes, vna fiducia, vna firma promiſſio, miſericordia tua.

CAPVT XXXIII. *Voluptas aurium.*

VOLVPTATES aurium tenaciùs me implicauerant & ſubiugauerant, ſed reſoluiſti & liberaſti me; nunc in ſonis quos animant eloquia tua, cùm ſuaui & artificioſa voce cantantur, fateor aliquantulum acquieſco, nō quidem vt hæream, ſed vt ſurgam cùm volo. Attamen cum ipſis ſententiis quibus viuunt, vt admittantur ad me quærunt in corde meo nonnullius dignitatis locum, & vix eis præbeo congruentem. Aliquando enim amplius mihi videor honoris eis tribuere quàm decet, dum ipſis ſanctis dictis religioſiùs & ardentiùs ſentio moueri animos noſtros in flammam pietatis, cùm ita cantantur, quàm ſi non ita cantarentur, & omnes affectus ſpiritus noſtri pro ſui diuerſitate habere proprios modos in voce atque cantu, quorum neſcio qua occulta familiaritate excitentur. Sed delectatio carnis meæ, cui mentem eneruandam non oportet dari, ſæpe me fallit, dum rationem ſenſus non ita comitatur, vt patienter ſit poſterior, ſed tātum quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere ac ducere conatur; ita in his pecco non ſentiens, ſed poſtea ſentio. Aliquando autem hanc ipſam fallaciam immoderatiùs cauens erro nimia ſeueritate, ſed valde interdum, vt melos omne cantilenarum ſuauium quibus Dauidicum pſalterium frequentatur, ab auribus meis remoueri velim, atque ipſius Eccleſiæ; tutiuſque mihi videtur quod de Alexandrino epiſcopo Athanaſio ſæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem Pſalmi vt pronuncianti vicinior eſſet quàm canenti. Verumtamen cùm reminiſcor lachrymas meas quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ, in primordiis recuperatæ fidei meæ & nunc ipſo commoueor, non cantu, ſed rebus quæ cantantur; cùm liquida voce & conuenientiſſima modulatione cantantur, magnam inſtituti huius vtilitatem rurſus agnoſco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis & experimentum ſalubritatis, magisque adducor, non quidem irretractabilem ſententiam proferens, cantandi conſuetudinem approbare in Eccleſia; vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat. Tamen cùm mihi accidit, vt me amplius cātus quàm res quæ canitur moueat; pœnaliter me peccare cōfiteor, & tunc mallem non audire cātantem. Ecce vbi ſum;

flete

flete mecum, & pro me flete, qui aliquid boni vobiscum intus agitis vnde facta procedunt. Nam qui non agitis, non vos hęc mouent. Tu autem Domine Deus meus, exaudi, respice & vide, & miserere & sana me, in cuius oculis mihi quęstio factus sum, & ipse est languor meus.

CAPVT XXXIIII. *Oculorum illecebra.*

RESTAT voluptas oculorum istorum carnis meę de qua loquar confessiones, quas audient aures templi tui, aures fraternæ ac piæ, vt concludamus tentationes concupiscentiæ carnis meæ, quæ me adhuc
2.Cor.5.d.2. pulsant ingemiscentem, & habitaculum meum quod de cælo est superindui cupientem. Pulchras formas & varias, nitidos & amœnos colores amant oculi. Non
Gen.1.d.31. teneant hæc animam meã, teneat eam Deus qui hæc fecit bona quidem valde, sed ipse est bonum meum, non hæc. Et tangunt me vigilantem totis diebus, nec requies ab eis datur mihi, sicut datur à vocibus canoris aliquando ab omnibus in silentio. Ipsa enim regi-
al. cælorum na colorum lux ista perfundens cũcta quæ cernimus, vbi per diem fuero multimodo allapso blanditur mihi aliud agenti, & eam nõ aduertenti. Insinuat autem se ita vehementer, vt si repentè subtrahatur, cum desiderio requiratur, & si diu absit contristat animum.
Tob.4.d.2. O lux quam videbat Tobias, cùm clausis oculis istis filium docebat vitæ viam, & ei præibat pede charitatis nusquam errans; aut quam videbat Isaac prægra-
Gen.27.d. 28.&f.40. uatis & opertis senectute carneis luminibus, cùm filios non agnoscendo benediceret, sed benedicendo agnoscere meruit; aut quam videbat Iacob, cùm & ipse præ grandi ætate captus oculis, in filiis præsignata
Gen.48.c. 13. futuri populi genera luminoso corde radiauit; & nepotibus suis ex Ioseph diuexas mysticè manus nõ sicut pater eorum foris corrigebat, sed sicut ipse intus discernebat, imposuit. Ipsa est lux, vna est, & alia non est, & vnum omnes qui vident & amant eam. At ista corporalis de qua loquebar, illecebrosa ac periculosa dulcedine condit vitam sæculi cęcis amatoribus. Qui autem & de ipsa laudare te norunt, Deus creator omnium, assumunt eam in hymno tuo, non absumuntur ab ea in somno suo. Sic esse cupio. Resisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei quibus ingredior viam tuam, & erigo ad te inuisibiles oculos, vt tu euellas de laqueo pedes meos. Tu subinde
Psal.24.c. 15. euellis eos; nam illaqueantur. Tu non cessas euellere, ego autem crebrò hæreo vbique sparsis insidiis, quoniam non dormies neque dormitabis qui custodis Israël. Quàm innumerabilia variis artibus & opificiis, in vestibus, calciamentis, vasis, & huiuscemodi fabricationibus, picturis etiam diuersisque figmentis, atque his vsum necessarium atq; moderatum, & piam significationem longè transgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum, foras sequẽtes quod faciunt, intus relinquentes à quo facti sunt, & exterminantes quod facti sunt. At ego Deus meus & decus meum, etiam hinc dico tibi hymnũ, & sacrifico laudem sanctificatori meo, quoniã pulchra traiecta per animas in manº artificiosas, ab illa pulchritudine veniũt quæ super animas est, cui suspirat anima mea die ac nocte. Sed pulchritudinum exteriorum operatores
al. vtendi. al. viuendi. & sectatores inde trahunt †approbandi modum, non autem inde trahunt †vtendi modum. Et ibi est, & non vident eum, vt non eant longiùs, & fortitudinem suã ad te custodiant, nec eam spargant in delicioſas lassi-
Psalm.58.b. 10. tudines. Ego autem hæc loquens atque discernens etiam istis pulchris gressum innecto, sed tu euellis Domine, euellis tu, quoniam misericordia tua ante ocu-
Psal.25.a.3. los meos est. Nam & ego capior miserabiliter, & tu euellis misericorditer, aliquando non sentientem, quia suspensius incideram, aliquando cum dolore, quia iam inhæseram.

CAPVT XXXV. *Curiositas cognoscendi.*

HVC accedit alia forma tentationis multiplicius periculosa. Præter eam enim concupiscentiam carnis quæ inest in delectatione omnium sensuum & voluptatum, cui seruientes depereunt qui longè se faciũt à te, inest animæ per eosdem sensus corporis quædam non se oblectandi in carne, sed experiendi per carnem vana & curiosa cupiditas, nomine cognitionis & scientiæ palliata. Quæ quoniam & in appetitu
1.Ioan.2.b. 16. noscendi est, oculi autem sunt ad cognoscendum in sensibus principes, concupiscentia oculorum eloquio diuino appellata est. Ad oculos enim proprie videre pertinet. Vtimur autem hoc verbo etiam in cæteris sensibus, cùm eos ad cognoscendum intendimus. Neque enim dicimus, Audi quàm rutilet, aut olfac quàm niteat, aut gusta quàm splendeat, aut palpa quã fulgeat. Videri enim dicuntur hæc omnia. Dicimus autem non solum, vide quid luceat, quod soli oculi sentire possunt; sed etiam vide quid sonet, vide quid oleat, vide quid sapiat, vide quàm durum sit. Ideoque generalis experientia sensuum, concupiscentia (sicut dictum est) oculorum vocatur, quia videndi officium in quo primatum oculi tenent, etiam cæteri sensus sibi de similitudine vsurpant, cùm aliquid cognitionis explorant. Ex hoc autem euidentiùs discernitur, quid voluptatis; quid curiositatis agatur per sensus, quòd voluptas pulchra, canora, suauia, sapida, lenia sectatur. Curiositas autem etiam his contraria tentandi causa, non ad subeundam molestiam, sed experiendi noscendique libidinem. Quid enim voluptatis habet videre in laniato cadauere quod exhorreas; & tamen sicubi iaceat concurrunt, vt contristentur, vt palleãt. Timent etiam ne in somnis hoc videant, quasi quisquam eos vigilantes videre coëgerit, aut pulchritudinis vlla fama persuaserit. Ita & in cæteris sensibus, quæ persequi longum est. Et ex hoc morbo cupiditatis in spectaculis exhibentur quæque miracula. Hinc ad perscrutanda naturæ secreta, quæ præter nos est operata proceditur; quæ scire nihil prodest, & nihil aliud quàm scire homines cupiunt. Hinc etiam si quid eodem peruersæ scientiæ fine per artes magicas quæritur. Hinc etiam in ipsa religione Deus tentatur, cùm signa & prodigia flagitantur, nõ ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam †desiderata. In hac tamen
al. desideratam. immẽsa sylua plena insidiarum & periculorum, ecce quàm multa præciderim & à meo corde dispulerim, sicut donasti me facere Deus salutis meæ. Attamen quando audeo dicere, cùm circumquaque quotidianam vitam nostram tam multa huius generis rerum circumstrepant, quãdo audeo dicere nulla re tali me intentum fieri ad spectandum, & vana cura capiendum? Sanè me iam theatra non rapiunt, nec curo nosse transitus siderum, nec anima mea vnquam responsa quæsiuit vmbrarum, omnia sacrilega sacramenta detestor. A te Domine Deus meus, cui humilem famulatum ac simplicem debeo, quantis mecum suggestionum machinationibº agit inimicus, vt signum aliquod petam. Sed obsecro te per regem nostrum & patriam Hierusalem, simplicem, castam, vt quemadmodum à me longè est ista consensio, ita sit semper longè atq; longius. Pro salute autem cuiusquam cùm te rogo, alius multum differens finis est intentionis meæ, & te facientem quod vis das mihi, & dabis libenter sequi. Veruntamen in quàm multis minutissimis & cõtemptibilibus rebus curiositas quotidie nostra tentatur, & quàm sæpe labamur, quis enumerat? Quoties narrantes inania, primò quasi toleramus ne offendamus infirmos, deinde paulatim libenter aduertimus. Canem currentem post leporem iam non specto cùm in circo fit, at verò in agro si casu trãseam, auertit me fortassis, & ab aliqua magna cogitatione, atque ad se conuertit illa venatio, non deuiare cogens corpore iumenti, sed cordis inclinatione. Et nisi iam

mihi

mihi demonſtrata infirmitate mea, citò admoneas, aut ex ipſa viſione per aliquam conſiderationem in te aſſurgere, aut totum contemnere atque trãſire vanus hebeſco. Quid cùm me domi ſedẽtem ſtellio muſcas captans, vel aranea retibus ſuis irruentes implicás, ſæpe intentum facit? Num quia parua ſunt animalia, ideo non res eadem geritur? Pergo inde ad laudandum te creatorem mirificum, atque ordinatorem rerum omnium, ſed non inde intentus eſſe incipio. Aliud eſt citò ſurgere, aliud eſt non cadere. Et talibus vita mea plena eſt, & vna ſpes mea in magna valde miſericordia tua. Cùm enim in huiuſcemodi rebus cõceptaculum fit cor noſtrum, & portat copioſæ vanitatis cateruas, hinc & orationes noſtræ ſæpe interrumpuntur atque turbantur, & ante conſpectum tuum dum ad aures tuas vocem cordis intendimus, neſcio vnde irruentibus nugatoriis cogitationibus res tanta præciditur.

CAPVT XXXVI. *Superbia vitium. al.* nota. *Pſal.* 102. d. 3.

NVNQVID etiam hoc inter contemnenda deputabimus, aut aliquid nos reducet in ſpem, niſi tota miſericordia tua, quoniam cœpiſti mutare nos? Et tu ſcis quanta ex parte mutaueris, qui me primitùs ſanas à libidine vindicãdi me, vt propitius fias etiam cæteris omnibus iniquitatibus meis, & ſanes omnes languores meos, & redimas de corruptione vitam meã, & corones me in miſeratione & miſericordia, & ſaties in bonis deſiderium meum, quia compreſſiſti à timore tuo ſuperbiam meã, & manſuefeciſti iugo tuo ceruicem meã. Et nunc porto illud, & lene eſt mihi, quoniam ſic promiſiſti & feciſti, & verè ſic erat, & neſciebam, quando id ſubire metuebam. Sed nunquid Domine, qui ſolus ſine typho dominaris, quia ſolus verus Dominus es qui non habes dominum, nunquid hoc quoque tertium tentationis genus ceſſauit à me, aut ceſſare in hac tota vita poteſt, timeri & amari velle ab hominibus, nõ propter aliud, ſed vt inde ſit gaudium, quod non eſt gaudium? Miſera vita eſt & fœda iactãtia. Hinc fit vel maximè non amare te, nec caſtè timere te. Ideoq; tu ſuperbis reſiſtis, humilibus autem das gratiam, & intonas ſuper ambitiones ſeculi, & cõtremiſcunt fundamenta montium. Itaque nobis quoniã propter quædam humanæ ſocietatis officia neceſſarium eſt amari & timeri ab hominibus, inſtat aduerſarius veræ beatitudinis noſtræ, vbique ſpargens in laqueis euge euge; vt dum auidè colligimus, incautè capiamur, & à veritate tua gaudium noſtrum deponamus, atque in hominum fallacia ponamus, libeatque nos amari & timeri, non propter te, ſed pro te, atque iſto modo ſui ſimiles factos ſecum habeat, non ad cõcordiam charitatis, ſed ad conſortium ſupplicij, qui ſtatuit ſedem ſuam ponere in Aquilonem; vt te peruerſa & diſtorta via imitati tenebroſi frigidique ſeruirent. Nos autem Domine puſillus grex tuus ecce ſumus, tu nos poſſide. Prætende alas tuas, & fugiamus ſub eas. Gloria noſtra tu eſto, propter te amemur, & verbum tuum timeatur in nobis. Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defenditur ab hominibus iudicante te, nec eripitur damnante te. Cùm autem nõ peccator laudatur in deſideriis animæ ſuæ, nec qui iniqua gerit benedicitur, ſed laudatur homo propter aliquod bonũ quod dediſti ei, at ille plus gaudet ſibi laudari ſe, quàm ipſum donum habere vnde laudatur, etiam iſte te vituperãte laudatur. Et melior iam ille qui laudauit, quàm iſte qui laudatus eſt. Illi enim placuit in homine donum Dei, huic amplius placuit donum hominis quàm Dei.

Iacobi 4. *b.* 6.

Eſa. 14. *d.*

Pſal. 9. *d.* 24.

CAPVT XXXVII. *Laudes & vituperatio mouent.*

TENTAMVR his tentationibus quotidie Domine, ſine ceſſatione tentamur. Quotidiana fornax noſtra eſt humana lingua. Imperas nobis & in hoc genere continentiam. Da quod iubes, & iube quod vis. Tu noſti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum. Neque enim facilè colligo, quàm ſim ab iſta peſte mundatior, & multum timeo occulta mea quæ norunt oculi tui, mei autem non. Eſt enim qualiſcunque in aliis generibus tentationum mihi facultas explorãdi me, in hoc penè nulla eſt. Nam & à voluptatibus carnis, & à curioſitate ſuperuacanea cognoſcendi, video quantum aſſecutus ſim poſſe refrenare animum meum, cũ eis rebus careo, vel voluntate, vel cùm abſunt. Tũc enim me interrogo quàm magis minúſue mihi moleſtum ſit non habere. Diuitiæ verò quæ ob hoc expetuntur, vt alicui iſtarum trium cupiditatum vel duabus earum vel omnibus ſeruiant, ſi per ſe diſcere non poteſt animus vtrum eas habens contemnat, poſſunt & dimitti vt ſe probet. Laude verò vt careamus, atque in eo experiamur quid poſſumus, nunquid malè viuendum eſt, & tam perditè atque immaniter, vt nemo nos nouerit qui non deteſtetur. Quæ maior dementia dici aut cogitari poteſt? At ſi bonæ vitæ bonorumque operum comes & ſolet & debet eſſe laudatio; tam comitatum eius, quàm ipſam bonam vitam deſeri non oportet. Non autem ſentio ſine quo eſſe aut æquo animo aut ęgrè poſſim, niſi cùm abfuerit. Quid igitur tibi in hoc genere tentationis Domine confiteor? Quid? niſi delectari me laudibus, ſed amplius ipſa veritate quàm laudibus? Nam ſi mihi proponatur, vtrum malim furens aut in omnibus rebus errans ab omnibus hominibus laudari, an conſtans & in veritate certiſſimus ab omnibus vituperari, video quid eligam. Verumtamen nollem vt vel augeret mihi gaudium cuiuſlibet boni mei ſuffragatio oris alieni. Sed auget fateor non ſolum, ſed & vituperatio minuit. Et cùm iſta miſeria mea perturbor, ſubintrat mihi excuſatio, quæ qualis ſit, tu ſcis Deus, nam me incertum facit. Quia enim nobis imperaſti non tantum continẽtiam, id eſt à quibus rebus amorem cohibeamus, verumetiam iuſtitiã, id eſt, quò eum conferamus; nec te tantum voluiſti à nobis, verumetiam proximum diligi; ſæpe mihi videor de profectu aut ſpe proximi delectari, cùm benè intelligentis laude delector, & rurſus eius malo contriſtari, cùm eum audio vituperare quod aut ignorat, aut bonum eſt. Nam & contriſtor aliquando laudibus meis, cùm vel ea laudantur in me, in quibus ipſe mihi diſpliceo, vel etiam bona minora & leuia pluris æſtimantur quàm æſtimanda ſunt. Sed rurſus vnde ſcio, an propterea ſic afficior, quia nolo de meipſo à me diſſentire laudatorem meum, non quia illius vtilitate moueor, ſed quia eadem bona quæ mihi in me placent, iucundiora mihi ſunt cùm & alteri placent? Quodammodo enim nõ ego laudor, cùm de me ſententia mea non laudatur, quãdoquidem aut illa laudantur quæ mihi diſplicent, aut illa amplius quæ mihi minus placent. Ergóne de hoc incertus ſum mei? Ecce in te veritas video nõ me laudibus meis propter me, ſed propter proximi vtilitatem moueri oportere. Et vtrum ita ſit neſcio. Minus mihi in hac re notus ſum ipſe quàm tibi. Obſecro te Deus meus, & meipſum mihi indica, vt confitear oraturis pro me fratribus meis, quod in me ſaucium comperero. Iterum me diligentiùs interrogem. Si vtilitate proximi moueor in laudibꝰ meis, cur minus moueor ſi quiſquam alius iniuſtè vituperetur quàm ſi ego? cur ea contumelia magis mordeor quæ in me, quàm quæ in alium eadem iniquitate coram me iacitur? An & ego hoc neſcio? Etiámne id reſtat vt ipſe me ſeducam, & verum non faciam coram te in corde & lingua mea? Inſaniam iſtam Domine longè fac à me, ne oleum peccatoris mihi ſit os meum, ad impinguandum caput meum. Egenus & pauper ego ſum, & melior in occulto gemitu diſplicens mihi, & quærens miſericordiam tuam, donec reficiatur defectus meus, & perficiatur vſque in pacem, quam neſcit arrogãtis oculus.

Pſal. 140. *d.* 5. *Pſal.* 108. *f.* 22.

SERMO

CAPVT XXXVIII. Et vitiuti periculum à vana gloria.

SERMO autem ore procedens, & facta quæ innotescunt hominibus, habent tentationem periculosissimam ab amore laudis, qui ad priuatam quãdam excellentiam contrahere emẽdicata suffragia tentat; & cùm à me in me arguitur, eo ipso quo arguitur. Et sæpe homo de ipso vanæ glorię cõtemptu vanius gloriatur, ideoque non iam de ipso vanæ gloriæ contemptu gloriatur. Non enim eam contemnit cùm gloriatur intus.

CAPVT XXXIX. φιλαυτία.

ET iam intus est aliud in eodem genere tẽtationi malum, quo inanescũt qui placẽt sibi de se quamuis aliis vel placeant vel displiceant, nec placere affectent cæteris. Sed sibi placentes multum, tibi displicent, non tantum de non bonis quasi bonis, verùm etiam de bonis tuis quasi suis; aut etiã sicut de tuis, sed tanquam ex meritis suis; aut etiam sicut ex tua gratia, sed non *sua merita, non tamen socialiter gaudentes, sed aliis inuidentes ea. In his omnibus atque huiuscemodi periculis & laboribus vides tremorem cordis mei, & vulnera mea magis subinde à te sanari, quàm mihi non infligi sentio.

*secundũ.

CAPVT XL. Contra vitia luctã.

VBI non mecum ambulasti veritas, docens quid caueam, & quid appetam, cùm ad te referrem inferiora visa mea quæ potui, teque consulerem? Lustraui mundum foris sensu quo potui, & attendi vitam corporis mei de me, sensusque ipsos meos. Inde ingressus sum in receſſus memoriæ meæ multiplices amplitudines, plenas miris modis copiarum innumerabilium, & consideraui & expaui, & nihil eorum discernere potui sine te, & nihil eorum esse te inueni; nec egoipse inuentor qui peragraui omnia, & distinguere, & pro suis quæq; dignitatibus æstimare conatus sum, excipiens alia nunciãtibus sensibus, & interrogans alia mecum commixta sentiens, ipsosq; nuncios dignoscẽs atque dinumerans, iamque in memoria elatis opibus alia pertractans, alia recondens, alia eruens. Nec ego ipse cùm hæc agerem, id est vis mea qua id agebam, nec ipsa eras tu, quia lux es tu permanens quam de omnibus consulebam, an essent, quid essent, quanti pendenda essent. Et audiebam dicẽtem ac iubentem. Et sæpe istud facio. Hoc me delectat, & ab omnibus actionibus necessitatis quantum relaxari possum ad istam voluptatem refugio. Neque in his omnibus quæ percurro consulens te, inuenio tutum locum animæ meæ, nisi in te, quò colligantur sparsa mea, nec à te quicquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectum multũ inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, *quod vita istã non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo, sed multum teneor. Tãtum consuetudinis sarcina †degrauat. Hic esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo; miser vtrobique.

*scio.

al. digna est.

CAPVT XLI. Triplex cupiditas carnis. Psalm. 30. d. 23.

IDEOQVE conſideraui languores peccatorũ meorum in cupiditate triplici; & dexteram tuam inuocaui ad salutem meam. Vidi enim splendorem tuum corde saucio, & repercussus dixi, Quis illuc potest? Proiectus sum à facie oculorum tuorum. Tu es veritas super omnia ptæsidens. At ego per auaritiam meã non amittere te volui; sed volui tecum possidere mẽdacium; sicut nemo vult ita falsum dicere, vt nesciat ipse quid verum sit. Itaque amisi te, quia non dignaris cum mendacio possideri.

CAPVT XLII. Remedia vitiorum à dæmonibus.

QVEM inuenirem qui me reconciliaret tibi? An eundum mihi fuit ad angelos? Qua prece? quibus sacramentis? Multi conantes ad te redire, neque per seipsos valentes, sicut audio, tentauerunt hæc, & inciderunt in desiderium curiosarum visionum, & digni habiti sunt illusionibus. Elati enim te quærebãt doctrinæ fastu, exerentes potius quàm tundentes pectora, & adduxerunt sibi per similitudinem cordis sui conspirantes & socias superbiæ suæ potestates aëris huius, à quibus per potentias magicas deciperentur, quærentes mediatorem per quem purgarentur, & nõ erat. Diabolus enim erat transfigurans se in angelum lucis, & multum illexit superbam carnem, quòd carneo corpore ipse non esset. Erant enim illi mortales & peccatores, tu autem Domine cui reconciliari superbè quærebant, immortalis & sine peccato. Mediator autem inter Deum & homines, oportebat vt haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in vtroque hominibus similis, longè esset à Deo; aut in vtroque Deo similis, longè esset ab hominibus; atque ita mediator non esset. Fallax itaque ille mediator, quo per secreta iudicia tua superbia meretur illudi, vnum cum hominibus habet, id est peccatum, aliud videri vult habere cum Deo; vt quia carnis mortalitate non tegitur, pro immortali se ostentet. Sed quia stipendium peccati mors est, hoc habet commune cum hominibus, vnde simul damnetur in mortem.

Ephes. 2. a. 2. 2. Cor. 11. c. 14. 1. Tim. 2. b. 5. Rom. 6. d. 23.

CAPVT XLIII. Christus intercessor efficax. 1. Tim. 2. b. 5.

VERAX autem mediator, quem secreta tua misericordia demonstrasti humilibus, & misisti vt eius exemplo etiam ipsam discerent humilitatẽ, mediator ille Dei & hominum homo Christus Iesus inter mortales peccatores & immortalem iustum apparuit, mortalis cum hominibus, iustus cum Deo; vt quoniam stipendium iustitiæ vita & pax est, per iustitiam coniunctam Deo euacuaret mortem iustificatorum impiorum, quã cum illis voluit habere communem. Hic demonstratus est antiquis sanctis, vt ita ipsi per fidem futuræ passionis eius, sicut nos per fidẽ præteritæ salui fierẽt. Inquantum enim homo, intantum mediator; inquantum autem verbum, non medius, quia æqualis Deo, & Deus apud Deum, & simul cum Spiritu sancto vnus Deus. Quomodo nos amasti pater bone qui filio tuo vnico non pepercisti, sed pro nobis impiis tradidisti eum? Quomodo nos amasti pro quibus ille qui non rapinam arbitratus est esse æqualis tibi, factus est subditus vsque ad mortem crucis; vnus ille in mortuis liber, potestatem habens ponẽdi animam suam & potestatem habens iterum sumendi eam; pro nobis tibi victor & victima, & ideo victor quia victima; pro nobis tibi sacerdos & sacrificium, & ideo sacerdos, quia sacrificium, faciens tibi nos de seruis filios, de te nascendo, nobis seruiendo? Meritò mihi spes valida in illo est, quòd sanabis omnes languores meos, per eum qui sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis, alioquin desperarem. Multi enim & magni sunt iidem languores mei, multi sunt & magni, sed maior & amplior est medicina tua. Potuimus putare verbum tuũ remotum esse à coniunctione hominis, & desperare de nobis, nisi caro fieret & habitaret in nobis. Conterritus peccatis meis & mole miseriæ meæ, agitaueram in corde meditatusq; fueram fugam in solitudinem, sed prohibuisti me, & confirmasti me, dicens: Ideo pro omnibus Christus mortuus est, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Ecce Domine iacto in te curam meam vt viuam, & considerabo mirabilia de lege tua. Tu scis imperitiam meã & infirmitatem meam, doce me & sana me. Ille tuus vnicus in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, redemit me sanguine suo. Non calumnientur mihi superbi, quoniã cogito pretium meũ, & manduco & bibo & erogo, & pauper cupio saturari ex eo inter illos qui edunt & saturantur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum.

Rom. 8. f. 32. Phil. 2. a. 6. Psal. 87. a. 6. Ioan. 10. c. 18. Psal. 102. d. 3. Rom 8. f. 34. Psalm 54. b. 8. 2. Cor. 5. c. 14. Psalm. 54. d. 23. Psalm. 118. Gimel. 18. Coloss. 2. a. 3. Psal. 118. Ain. 122. Psal. 21. d.

DIVI

DIVI AVRELII AVGVSTINI CONFESSIONVM LIBER XI.

CAPVT I. *Cur cõfitemur Deo sciẽti.*

NVNQVID Domine cùm tua sit æternitas ignoras quæ tibi dico, aut ad tempus vides quod fit in tẽpore? Cur ergo tibi tot rerum narrationes digero? Non vtique vt per me noueris ea, sed affectũ meum excito in te, & eorum qui hæc legunt, vt dicamus omnes: Magnus Dominus & laudabilis valde. *Psal.95.a.4.* Iam dixi, & dicam, amore amoris tui facio istud. Nã *Matth.6.b.8.* & oramꝰ, & tamẽ veritas ait: Nouit pater vester quid vobis opus sit prius quàm petatis ab eo. Affectum ergo nostrum patefacimus in te, cõfitendo tibi miserias nostras, & misericordias tuas super nos, vt liberes nos omnino quoniam cœpisti, vt desinamus esse miseri in nobis, & beatificemur in te, quoniam vocasti nos vt *Matth.5.a.3.* simus pauperes spiritu, & mites & lugentes & esurientes ac sitientes iustitiam, & misericordes & mũdicordes & pacifici. Ecce narraui tibi multa quæ potui & *Psal.117.a.1.* quæ volui, quoniam tu prior voluisti, vt confiterer tibi Domino Deo meo, quoniam bonus es, quoniam in seculum misericordia tua.

CAPVT II. *Petit liberari à peccato & ab erroribus, & duci ad verã cognitionem.* *al.* enunciasse.

QVANDO autem sufficio calami lingua enũciare omnia hortamenta tua, & omnes terrores tuos & consolationes & gubernationes, quibus me perduxisti prædicare verbum tuum, & sacramentum tuum dispensare populo tuo? Et si sufficio hæc †enumerare ex ordine, carò mihi valent stillæ temporum, & olim inardesco meditari in lege tua, & in ea tibi confiteri scientiam & imperitiam meam, primordia illuminationis tuæ, & reliquias tenebrarum mearum, quousq; deuoretur à fortitudine infirmitas. Et noló in aliud horæ defluant, quas inuenio liberas à necessitatibus reficiendi corporis & intentionis animi, & seruitutis quam debemus hominibus, & quam nõ debemus, & tamen reddimus. Domine Deus meus intende orationi meæ, & misericordia tua exaudiat desiderium meum; quoniam nõ mihi soli æstuat, sed vsui vult esse fraternæ charitati, & vides in corde meo, quia sic est vt sacrificem tibi famulatum cogitationis & linguæ *Psal.83.a.1.* meæ, & da quod offeram tibi. Inops enim & pauper *Rom.10.c.12.* sum, tu diues in omnes inuocantes te, qui securus curam nostri geris. Circumcide ab omni temeritate, ab omniq́ue mendacio interiora & exteriora labia mea. Sint castæ deliciæ meæ, scripturę tuæ, nec fallar in eis, nec fallá ex eis. Domine attende & miserere mei Domine Deus meus, lux cæcorum & virtus infirmorum, statimq́; lux videntium & virtus fortium, attẽde animam meam, & audi clamantem de profundo. Nam nisi adsint & in profundo aures tuę, quò ibimus? Quò *Psalm.73.c.16.* clamabimus? Tuus est dies, & tua est nox. Ad nutum tuum momenta transuolant. Largire inde spatiũ meditationibus nostris in abdita legis tuæ, neq; aduersus pulsantes claudas eam. Neque enim frustra scribi voluisti tot paginarum opaca secreta. Aut non habent illæ syluæ ceruos suos recipientes se in eas, & resumẽtes, & ambulantes, & pascentes, recubantes & ruminantes? O Domine perfice me, & reuela mihi eas. Ecce vox tua gaudium meum, vox tua †super affluẽtiam *al.* superfluentium. voluptatum. Da quod amo; amo enim, & hoc tu dedisti. Nec dona tua deseras, nec herbam tuam spernas sitientem. Confitear tibi quicquid inuenero in libris tuis, & audiam vocem laudis & te bibam, & considerem mirabilia de lege tua, ab vsque principio in quo *Psal.118. Gimel.18.* fecisti cælum & terram, vsque ad regnum tecum perpetuum sanctæ ciuitatis tuæ. Domine miserere mei, & exaudi desiderium meum. Puto enim quod non sit de terra, non de auro & argento, aut de lapidibus, aut decoris vestibus, aut honoribꝰ & potestatibus, aut voluptatibus carnis, neq; de necessariis corpori, & huic vitæ peregrinationis nostræ, quæ omnia nobis apponuntur quærentibus regnum & iustitiam tuam. Vide Domine Deus meus, vnde sit desiderium meũ. Narrauerunt mihi iniusti delectationes suas, sed non sicut lex tua Domine. Ecce vnde est desiderium meum: Vide pater, aspice & approba, & placeat in cõspectu misericordiæ tuæ inuenire me gratiã ante te; vt aperiantur pulsanti mihi interiora sermonum tuorum. Obsecro per Dominum nostrum Iesum Christum filiũ tuum, virum dexterę tuæ, filium hominis, quem confirmasti tibi mediatorem tuum & nostrum, per quẽ nos quæsisti non quærentes te, quæsisti autem vt quę- *Ioan.1.a.3.* reremus te, verbum tuum per quod fecisti omnia, in quibus & me; vnicum tuum per quem vocasti in adoptionem populum *credentium, in quo & me; per * tuum. eum te obsecro qui sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis, in quo sunt omnes thesauri sapiẽtiæ & scientiæ abscõditi. Ipsum quæro in libris tuis, Moyses de illo scripsit: Hoc ipse ait, hoc veritas ait.

Rom.8.f.34. Coloss.2.a.3. Deut.18.c.15. Ioan.5.g.46.

CAPVT III. *Creatio cæli ac terræ.* *Gen.1.a.1.*

AVDIAM & intelligam, quomodo in principio fecisti cælum & terrã. Scripsit hoc Moyses, scripsit & abiit, transiuit hinc ad te. Neque enim nũc ante me est. Nam si esset, tenerem eum, & rogarem eũ, & per te obsecrarem vt mihi ista panderet, & præberem aures corporis mei sonis erũpentibus ex ore eius. Et si Hebręa voce loqueretur, frustra pulsaret sensum meum, nec inde mentem meam quicquam tangeret. Si autem Latinè, scirem quid diceret. Sed vnde sciré an verum diceret? Quòd si & hoc scirem, num ab illo scirem? Intus vtique mihi, intus in domicilio cogitationis, nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec Barbara veritas sine oris & linguæ organis, sine strepitu syllabarum diceret, verum dicit: & ego statim certus confidenter illi homini tuo dicerem, verũ dicis. Cùm ergo illum interrogare non possim te, quo plenus vera dixit, veritas rogo te Deus meus, rogo parce peccatis meis, & qui illi seruo tuo dedisti hæc dicere, da & mihi hæc intelligere.

CAPVT IIII. *Creatura clamat creatorem Deum.*

ECCE sunt cælum & terra, clamãt quòd facta sint. Mutantur enim atq; variantur. Quicquid autem factum non est, & tamen est, non est in eo quicquam quod ante non erat, quod est mutari atq; variari. Clamant etiam quòd seipsa nõ fecerint, ideo sumus, quia facta sumus. Non ergo eramus antequàm essemus, vt fieri possemus à nobis. Et vox dicentium est ipsa euidẽtia. Tu ergo Domine fecisti ea qui pulcher es, pulchra sunt enim; qui bonus es, bona sunt enim; qui es, sunt enim. Nec ita pulchra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt, sicut tu conditor eorum, cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt. Scimus hæc, gratias tibi. Et scientia nostra scientiæ tuæ comparata, ignorantia est.

CAPVT V. *Ex nihilo cõdidit mundum.* *Gen.1.a.1.*

IN principio fecit Deus cælum & terram. Quomodo autem fecisti cælum & terram, & quæ machina tam grandis operationis tuæ? Non enim sicut homo artifex formans corpus de corpore, arbitratu animæ valentis imponere vtcunq; speciem quã cernit in semetipsa interno oculo. Et vnde hoc †valeret, nisi quia *al.* valeat. tu fecisti eam? Et imponit speciem iam existẽti & habenti vt esset, veluti terræ aut lapidi aut ligno aut auro, aut id genus rerum cuilibet. Et vnde ista essent, nisi tu fecisses ea? Tu fabro corpus, tu animum membris imperitantem fecisti; tu materiam vnde facit aliquid; tu ingenium quo artem capiat, & videat intus quid faciat foris; tu sensum corporis quo interprete traiiciat ab animo ad materiam id quod facit, & renũciet animo quid factum sit, vt ille intus consulat præsidentem sibi veritatem an bene factũ sit. Te laudant hæc omnia creatorem omnium. Sed tu quomodo facis ea? Quomodo fecisti Deus cælum & terram? Non

vtique

vtique in cælo neque in terra feciſti cęlum & terram, neque in aëre aut in aquis, quoniam & hæc pertinent ad cælum & terram; neque in vniuerſo mundo feciſti vniuerſum mũdum, quia nõ erat vbi fieret, antequàm fieret vt eſſet; nec manu tenebas aliquid vnde faceres cælum & terram. Nam vnde tibi hoc quod tu non feceras vnde aliquid faceres? Quid enim eſt, niſi quia tu es? Ergo dixiſti, & facta ſunt, atque in verbo tuo feciſti ea. *Pſal.32.*

CAPVT VI. *Verbo æterno Deus condidit omnia. Matth.3.d. 17. & 17.a. 5.*

SED quomodo dixiſti? Nunquid illo modo quo facta eſt vox de nube, dicens, Hic eſt filius meus dilectus? Illa enim vox acta atque tranſacta eſt, cœpta & finita. Sonuerunt ſyllabæ atque tranſierunt, ſecunda poſt primam, tertia poſt ſecundam, atque inde ex ordine, donec vltima poſt cæteras, ſilentiumque poſt vltimam. Vnde claret atque eminet, quod creaturæ motus expreſſit eam, ſeruiens æternæ voluntati tuæ ipſe temporalis, & hæc ad tempus facta verba tua nunciauit auris exterior menti prudenti, cuius auris interior poſita eſt ad ęternum verbum tuum. At illa comparauit hæc verba temporaliter ſonãtia, cum æterno in ſilẽtio verbo tuo, & dixit: Aliud eſt, longè aliud eſt. Hæc longè infra me ſunt, nec ſunt, quia fugiũt & prætereũt: Verbum autem Domini mei ſupra me manet in æternum. Si ergo verbis ſonantibus & prætereuntibus dixiſti vt fieret cælum & terra, atque ita feciſti cælum & terrã; erat iam creatura corporalis ante cælum & terram, cuius motibus temporalibus temporaliter vox illa percurreret. Nullum autem corpus ante cælum & terram. Aut ſi erat, id certè ſine tranſitoria voce feceras, vnde trãſitoriam vocem faceres, qua diceres vt fieret cælum & terra. Quicquid enim illud eſſet, vnde talis vox fieret, niſi abs te factum eſſet, omnino non eſſet. Vt ergo fieret corpus vnde iſta verba fierent, quo verbo à te dictum eſt?

CAPVT VII. *Filius Dei verbum patris coæternũ. Ioan.1.a.1.*

VOCAS itaq; nos ad intelligendũm verbũ Deum apud te Deum, quod ſempiternè dicitur, & eo ſempiternè dicuntur omnia. Neq; enim finitur quod dicebatur, & dicitur aliud vt poſſint dici omnia, ſed ſimùl ac ſempiternè omnia. Alioquin iam tempus & mutatio, & nõ vera æternitas, nec vera immortalitas. Hoc noui Deus meus, & gratias ago. Noui, confiteor tibi Domine, mecumque nouit & benedicit te quiſquis ingratus non eſt certæ veritati. Nouimus Domine, nouimus, quoniam inquantum quicquid non eſt quod erat, & eſt quod non erat, intantum moritur & oritur. Non ergo quicquam verbi tui cedit atque ſuccedit, quoniam verè immortale atque æternum eſt. Et ideo verbo tibi coæterno, ſimul & †ſempiternè dicis omnia quæ dicis, & fit quicquid dicis vt fiat. Nec aliter quàm dicendo facis, nec tamen & ſimul & ſempiternè fiunt omnia quæ dicendo facis. *al.ſempiterno.*

CAPVT VIII. *Verbo Dei docemur in omnibus.*

CVR quæſo te Domine Deus meus, vtcunque video, ſed quomodo id eloquar, neſcio; niſi quia omne quod eſſe incipit & eſſe deſinit, tunc eſſe incipit & tunc deſinit, quando debuiſſe incipere vel deſinere in æterna ratione cognoſcitur, vbi nec incipit aliquid nec deſinit? Ipſum eſt verbum tuum, quod & principium eſt, qui & loquitur nobis. Sic in Euangelio per carnem ait, & hoc inſonuit foris auribus hominum vt crederetur, & intus quæreretur, & inueniretur in æterna veritate, vbi omnes diſcipulos bonus & ſolus magiſter docet. Ibi audio Domine vocem tuam dicẽtem mihi, quoniam ille loquitur nobis qui docet nos. Qui autem non docet nos, etiam ſi loquitur, non nobis loquitur. Quis porrò nos docet, niſi ſtabilis veritas? Quia & per creaturam mutabilem cùm admonemur, ad veritatem ſtabilem ducimur, vbi verè diſcimus, cùm ſtamus & audimus eum, & gaudio gaudemus propter vocem ſponſi, reddẽtes nos vnde ſumus. Et ideo principiũ, quia niſi maneret cùm erraremus, non eſſet quò rediremus. Cùm autem redimus ab errore, cognoſcẽdo vtiq; redimus. Vt autem cognoſcamus, docet nos, quia principiũ eſt & loquitur nobis. *Ioan.8.c.25.*

CAPVT IX. *Quomodo verbum Dei loquatur cordi.*

IN hoc principio Deus feciſti cælum & terrã; in verbo tuo, in filio tuo, in virtute tua, in ſapientia tua, in veritate tua, miro modo dicens, & miro modo faciẽs. Quis comprehendet? Quis enarrabit? Quid eſt illud quod interlucet mihi, & percutit cor meum ſine læſione & inhorreſco & inardeſco? Inhorreſco inquantum diſſimilis ei ſum; inardeſco inquantum ſimilis ei ſum. Sapientia ipſa eſt quæ interlucet mihi, diſcindẽs nubilum meum, quod me rurſus cooperit deficiẽtem ab ea caligine atque aggere pœnarum mearum; quoniam ſic infirmatus eſt in egeſtate vigor meus, vt non ſufferam bonum meum, donec tu Domine qui propitius factus es omnibus iniquitatibus meis, etiam ſanes omnes languores meos; quia & redimes de corruptione vitam meam, & coronabis me in miſeratione & miſericordia, & ſatiabis in bonis deſiderium meũ; quoniam renouabitur iuuentus mea ſicut aquilę. Spe enim ſalui facti ſumus, & promiſſa tua per patiẽtiam expectamus. Audiat te intus ſermocinantem qui poteſt. Ego fidenter ex oraculo tuo clamabo: Quia magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti, & illa principium, & in eo principio feciſti cælum & terram. *Gen.1.a.1. Pſal.30 b.11. Pſal.102 a. 3. Rom.8.e.24. Pſal.103.c. 24.*

CAPVT X. *Voluntas Dei principium neſcit.*

NONNE eccè pleni ſunt vetuſtatis ſuæ qui nobis dicunt, Quid faciebat Deus antequàm faceret cælum & terram? Si enim vacabat, inquiunt, & non operabatur aliquid, cur non ſic ſemper & deinceps, quemadmodum retro ſemper ceſſauit ab opere? Si enim vllus motus in Deo nouus extitit, & volũtas noua vt conderet creaturam quam nunquàm antè condiderat; quomodo iam vera æternitas vbi oritur voluntas quæ non erat? Neque enim voluntas Dei creatura eſt, ſed ante creaturã; quia non crearetur aliquid, niſi creatoris voluntas præcederet.

CAPVT XI. *Æternitas Dei neſcit tempora.*

AD ipſam ergo Dei ſubſtantiam pertinet voluntas eius. Quòd ſi exortum eſt aliquid in Dei ſubſtantia quod prius non erat, non veraciter dicitur æterna illa ſubſtantia. Si autem voluntas Dei ſempiterna erat, vt eſſet creatura; cur nõ ſempiterna & creatura? Qui hæc dicunt, nondum te intelligũt ô ſapientia Dei lux mentiũ, nondum intelligunt quomodo fiant quæ per te atque in te fiunt; & conantur æterna ſapere, ſed adhuc in præteritis & futuris rerum motibus cor eorum volitat, & adhuc vanum eſt. Quis tenebit illud, & affiget illud vt paululum ſtet, & paululum rapiat ſplendorem ſemper ſtantis ęternitatis, & comparet cum temporibus nunquã ſtantibus, & videat eſſe incomparabilem; & videat longum tempus, niſi ex multis prætereuntibus motibus qui ſimul extendi nõ poſſunt, longum non fieri; non autem præterire quicquam in æterno, ſed totum eſſe præſens, nullum verò tempus totum eſſe præſens; & videat omne præteritum propelli ex futuro, & omne futurum ex præterito conſequi, & omne præteritum ac futurum ab eo quod ſemper eſt præſens creari & excurrere? Quis tenebit cor hominis, vt ſtet & videat quomodo ſtans dictet futura & præterita tempora, nec futura nec præterita æternitas? Nunquid manus mea valet hoc, aut manus oris mei per loquelas agit tam grandem rem?

CAPVT XII. *Quid Deus fecerit ante mundi creationem.*

ECCE reſpondeo dicenti, quid faciebat Deus antequàm faceret cælum & terram; reſpondeo non illud quod quidam reſpõdiſſe perhibetur iocolariter eludens quæſtionis violentiam: Alta, inquit, ſcrutantibus gehennas parabat. Aliud eſt videre, aliud ridere. Hæc non reſpondeo. Libentius enim reſponderim, neſcio quod neſcio; quàm illud vnde irridetur qui alta interrogauit, & laudatur qui falſa reſpõdit. Sed dico te Deus noſter omnis creaturæ creatorẽ. Et ſi cæli & terræ *Ioan.3.d.29.*

& terræ nomine omnis creatura intelligitur; audenter dico, Antequàm faceret Deus cælum & terram, non faciebat aliquid. Si enim faciebat, quid nisi creaturam faciebat? Et vtinam sic sciam, quicquid vtiliter scire cupio, quemadmodum scio quòd nulla fiebat creatura, antequàm fieret vlla creatura.

CAPVT XIII. *Quòd ante tempora a Deo creata nulla fuerint tempora.*

AT si cuiusquam volatilis sensus vagatur per imagines retro temporum, & te Deum omnipotentem & omnicreantem & omnitenentem, cæli & terræ artificem, ab opere tanto antequam id faceres, per innumerabilia secula cessasse miratur; euigilet atque attendat, quia falsa miratur. Nam vnde poterant innumerabilia secula præterire, quæ ipse non feceras, cùm sis omnium seculorum author & conditor? Aut quæ tempora fuissent quæ abs te condita non essent? Aut quomodo præteriissent, si nunquam fuissent? Cùm ergo sis operator omnium temporum, si fuit aliquod tempus antequam faceres cælum & terram, cur dicitur quòd ab opere cessabas? Idipsum enim tempus tu feceras, nec præterire potuerunt tempora antequàm faceres tempora. Si autem ante cælum & terram nullum erat tempus, cur quæritur quid tunc faciebas? Non enim erat tunc vbi non erat tempus, nec tu tempore tempora præcedis, alioquin non omnia tempora præcederes. Sed præcedis omnia tempora præterita, celsitudine semper præsentis æternitatis, & superas omnia futura, quia & illa futura sunt, & cùm venerint, præterita erunt; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Anni tui nec eunt nec veniunt; isti enim nostri & eunt & veniũt, vt omnes veniant. Anni tui omnes simul stant, quoniam stant, nec euntes à venientibus excluduntur, quia non transeũt; isti autem nostri omnes erunt, cùm omnes non erunt. Anni tui dies vnus, & dies tuus non quotidie, sed hodie, quia hodiernus tuus non cedit crastino, neque enim succedit hesterno. Hodiernus tuus æternitas, ideo coæternum genuisti, cui dixisti, Ego hodie genui te. Omnia tempora tu fecisti, & ante omnia tempora tu es, nec aliquo tempore non erat tempus.

Psal.101.d. 28.

Psalm.2.b.7. Hebr.5.b.5.

CAPVT XIIII. *Temporis differentiæ tres.*

NVLLO ergo tempore non feceras aliquid, quia ipsum tempus tu feceras. Et nulla tempora tibi coæterna sunt, quia tu permanes. At illa si permanerent nõ essent tempora. Quid enim est tempus? Quis hoc facile breuiterq; explicauerit? Quis hoc ad verbum de illo proferendum vel cogitatione comprehẽderit? Quid autem familiarius & notius in loquendo commemoramus quàm tempus? Et intelligimus vtique cùm id loquimur, intelligimus etiam cùm alio loquente id audimus. Quid est ergo tempus? Si nemo ex me quærat scio, si quærenti explicare velim nescio, fidenter tamen dico scire me, quòd si nihil præteriret, non esset præteritum tempus; & si nihil adueniret, nõ esset futurum tempus; & si nihil esset, non esset præsens tempus. Duo ergo illa tempora, præteritum & futurum quomodo sunt, quando & præteritum iam non est, & futurum nondum est? Præsens autem si semper esset præsens, nec in præteritum transiret, iam nõ esset tempus, sed æternitas. Si ergo præsens vt tempus sit, ideo fit quia in præteritum transit, quomodo & hoc esse dicimus, cui causa vt sit illa est; quia non erit, vt scilicet non verè dicamus tempus esse, nisi quia tendit ad non esse.

CAPVT XV. *Mensura temporis in quo.*

ET tamen dicimus longum tempus & breue tempus, neque hoc nisi de præterito aut futuro dicimus. Præteritum tempus longum, verbi gratia, vocamus ante cẽtum annos, futurum itidem longum post centum annos. Breue autem præteritum, sicut puta, dicimus ante decem dies, & breue futurum post decem dies. Sed quo pacto longum est aut breue quod non est? Præteritum enim iam non est, & futurum nondum est. Non itaque dicamus, longum est; sed dicamus de præterito, longum fuit, & de futuro, lõgum erit. Domine Deus meus, lux mea, nónne & hic veritas tua deridebit hominem? Quod enim longum fuit præteritum tempus, cùm iam esset præteritum longũ fuit, an cùm adhuc præsens esset? Tunc enim poterat esse longum, quando erat quod esset longum. Præteritum verò iam non erat, vnde nec longum esse poterat, quod omnino non erat. Non ergo dicamus, lõgum fuit præteritum tempus, neque enim inueniemus quid fuerit longum, quando ex quo præteritum est, non est. Sed dicamus, longum fuit illud præsens tempus; quia cùm præsens esset, longum erat. Nondum enim præterierat vt non esset, & ideo erat quod longum esse posset. Postea verò quàm præteriit, simul & longum esse destitit quod esse destitit. Videamus ergo ô anima humana, vtrum & præsens tempus possit esse longum. Datum enim tibi est sentire moras atque metiri. Quid respondebis mihi? An centum anni præsentes longum tempus est? Vide prius vtrum possint præsentes esse centum anni. Si enim primus eorum annus agitur, ipse præsens est, nonaginta verò & nouem futuri sunt, & ideo nondum sunt. Si autem secundus annus agitur, iam vnus est præteritus, alter præsens, cæteri futuri. Atque ita si mediorum quemlibet centenarij huius numeri annum præsentem posuerimus, ante illum præteriti erunt, post illum futuri. Quocirca centum anni præsentes esse non poterunt. Vide saltem vtrum qui agitur vnus, ipse sit præsens. Et eius enim si primus agitur mensis, futuri sunt cæteri. Si secundus, iam & primus præteriit, & reliqui nondum sunt. Ergo nec annus qui agitur, totus est præsens. Et si non totus est præsens, non est annus prę-sens. Duodecim enim menses annus est, quorum quilibet vnus mensis qui agitur, ipse præsens est, cæteri autem præteriti aut futuri. Quanquam neque mensis qui agitur, præsens est, sed vnus dies. Si primus, futuris cæteris; si nouissimus, præteritis cæteris; si mediorum quilibet, inter præteritos & futuros. Ecce præsens tẽpus quod solùm inueniebamus longum appellãdum, vix ad vnius diei spatium contractum est. Sed discutiamus etiam ipsum, quia nec vnus dies totus est præsens. Nocturnis enim & diurnis horis omnibus vigintiquatuor expletur, quarum prima ceteras futuras habet, nouissima præteritas, aliqua verò interiectarũ ante se præteritas, post se futuras. Et ipsa vna hora fugitiuis particulis agitatur. Quicquid eius auolauit, præteritum est; quicquid eius restat, futurum. Si quid intelligitur temporis quod in nullas iam vel in minutissimas momentorum partes diuidi possit, id solùm est quod præsens dicatur. Quod tamen ita raptim à futuro in præteritum transuolat, vt nulla morula extendatur. Nam si extenditur, diuiditur in præteritum & futurum. Præsens autem nullum habet spatium. Vbi est ergo tempus quod longum dicamus? An futurum? Non quidem dicimus longum est, quia nondum est quod longum sit, sed dicimus longum erit. Quando igitur erit? Si enim & tunc cùm adhuc futurum erit, non erit lõgum, quia quod sit longum, nondum erit. Si autem tunc erit longum cùm ex futuro, quod nõdum est, esse iam cœperit, & præsens factum erit vt possit esse quod longum sit, iam superioribus vocibus clamat præsens tempus, longum se esse non posse.

CAPVT XVI. *Quale tempus metiri liceat, & quale non.*

ET tamẽ Domine sentimus interualla temporum, & comparamus sibimet, & dicimus alia longiora, & alia breuiora. Metimur etiam quanto sit breuius aut longius illud tempus quàm illud, & respondemus duplum esse hoc vel triplum, illud autem simplum, aut tantum hoc esse quantum illud. Sed prætereuntia metimur tempora cùm sentiendo metimur, præterita verò quæ iam non sunt, aut futura quæ nõdum sunt,

sunt, quis metiri potest, nisi fortè audebit quis dicere A metiri posse quod non est? Cùm ergo præterit tempus, sentiri & metiri potest, cùm autem præterierit, quoniam non est, non potest.

CAPVT XVII. *Tempus præteritum & futurum vbi sint.*

QVÆRO pater, non affirmo, Deus meus præside mihi & rege me. Quisnam est qui dicat mihi non esse tria tempora, sicut pueri didicimus, puerosq; docuimus, præteritum, præsens & futurum; sed tantum præsens, quoniam illa duo non sunt? An & ipsa sunt, sed ex aliquo procedit occulto, †cùm ex futuro fit præsens, & in aliquod recedit occultum, cùm ex præsenti fit præteritum? Nam vbi ea viderunt qui futura cecinerunt si nondum sunt? Neque enim potest videri id quod non est. Et qui narrant præterita, non vtique vera narrarent, si animo illa non cernerent. Quæ si nulla essent, cerni omnino non possent. Sunt ergo & futura & præterita.

al. quod modò.

CAPVT XVIII. *Quomodo præterita & futura tempora præsentia sunt.*

SINE me Domine amplius quærere, spes mea, non conturbetur intentio mea. Si enim sunt futura & B præterita, volo scire vbi sint. Quòd si nondum valeo, scio tamen vbicunque sint, non ibi ea futura esse, aut præterita, sed præsentia. Nam si & ibi futura sunt, nõdum ibi sunt; si & ibi præterita sunt, iam non ibi sunt. Vbicunque ergo sunt quæcunque sunt, non sunt nisi præsentia; quanquam præterita cùm vera narrantur, ex memoria proferuntur, non res ipsæ quæ præterierunt, sed verba concepta ex imaginibus earum, quæ in animo velut vestigia per sensus prætereundo fixerunt. Pueritia quippe mea quæ iam non est, in tempore præterito est quod iam nõ est, imaginem verò eius cùm eam recolo & narro, in præsenti tempore intueor, quia est adhuc in memoria mea. Vtrum similis sit causa etiam prædicẽdorum futurorum, vt rerum quæ nondum sunt, iam existentes †præsententur imagines, confiteor Deus meus nescio. Illud sanè scio, nos plerunque premeditari futuras actiones nostras, eamque præmeditationem esse præsentem, actionem autem quam præmeditamur nondum esse, quia futura est, quam cùm aggressi fuerimus, & quod præmeditabamur agere cœperimus, tunc erit illa actio, quia tũc non futura sed præsens est. Quoquo modo se itaque habeat arcana †præsentia futurorum, videri nisi quod est non potest. Quod autem iam est, non futurum sed præsens est. Cùm ergo videri dicuntur futura, nõ ipsa quæ nondum sunt, id est quæ futura sunt, sed eorum causæ vel signa forsitan videntur quæ iam sunt; ideo non futura sed præsentia sunt iam videntibus, ex quibus futura prædicãtur animo concepta. Quæ rursus conceptiones iam sunt, & eas præsentes apud se intuentur qui illa prædicunt. Loquatur mihi aliquod exemplum tanta rerum numerositas. Intueor auroram, oriturum solem pronuncio; quod intueor, præsens est; quod pronuncio, futurum. Non sol futurus qui iam est, sed ortus eius qui nondum est. Tamen etiam ortum ipsum nisi animo imaginarer, sicut modò cùm id loquor, non eũ possem prædicere. Sed nec illa aurora quam in cælo video, solis ortus est, quãuis eum præcedat; nec illa imaginatio in animo meo, quę duo præsentia cernuntur, vt futurus ille antè dicatur. Futura ergo nondũ sunt. Et si nondum sunt, nõ sunt. Et si non sunt, videri omnino non possunt, sed prædici possunt ex præsentibus, quę iam sunt & videntur.

al. præsentiantur.

CAPVT XIX. *Quomodo præscientur futura.*

TV itaque regnator creaturæ tuæ, quis est modus quo doces animas ea quæ futura sunt? Docuisti enim prophetas tuos. Quisnam ille modus est quo doces futura, cui futurum quicquam non est, vel potius de futuris doces præsentia? Nam quod non est, nec doceri vtique potest. Nimis longè est modus iste ab acie mea. Inualuit ex me, non potero ad illum; potero autem ex te, cùm dederis tu dulce lumen occultorum oculorum meorum.

Psal. 138. *a.* 6.

QVOD autem nunc liquet & claret, nec futura sunt nec præterita. Nec propriè dicitur, tempora sunt tria, præteritum, præsens & futurum; sed fortasse propriè diceretur, tempora sunt tria, præsens de præteritis, præsens de præsentibus, præsens de futuris. Sunt enim hæc in anima tria quædam, & alibi ea non video: Præsens de præteritis memoria, præsens de præsentibus contuitus, præsens de futuris expectatio. Si enim hæc permittimur dicere, tria tempora video; fateorque tria sunt. Dicatur etiam, tempora sunt tria, præteritum, præsens & futurum; sicut abutitur consuetudo, dicatur. Ecce non curo, nec resisto, nec reprehendo, dum tamen intelligatur quod dicitur; neque id quod futurum est, esse iam, neq; id quod præteritum est. Pauca sunt enim quæ propriè loquimur, plura non propriè, sed agnoscitur quid velimus.

CAPVT XX. *Differentiæ temporũ quomodo nominandæ.*

DIXI ergo paulò antè, quòd prętereuntia tempora metimur, vt possimus dicere duplum esse hoc C temporis ad illud simplum, aut tantum hoc quãtum illud, & si quid aliud de partibus temporũ possumus renunciare metiendo. Quocirca vt dicebam prætereuntia metimur tempora. Et si quis mihi dicat, Vnde scis? Respondeam, Scio quia metimur, nec metiri quę non sunt possumus, & non sunt præterita vel futura. Præsens verò tempus quomodo metimur, quando nõ habet spatium? Metimur ergo cùm præterit; cùm autem præterierit, non metimur. Quod enim metiatur, non erit. Sed vnde & quà & quò præterit, cùm metitur? Vnde, nisi ex futuro? Quà, nisi per præsens? Quò, nisi in præteritum? Ex illo ergo quod nondum est, per illud quod spatio caret, in illud quod iã non est. Quid autem metimur, nisi tempus in aliquo spatio? Neque enim dicimus simpla & dupla & tripla & æqualia, & si quid hoc modo in tempore dicimus, nisi inter spatia temporum. In quo ergo spatio metimur tempus præteriens? Vtrum in futuro vnde præterit? Sed quod D nondum est, non metitur. An in præsenti quà præterit? Sed nullum spatium non metimur. An in præterito quò præterit? Sed quod iam non est, non metimur.

CAPVT XXI. *Quomodo tẽpus liceat metiri.*

EXARSIT animus meus nosse istud implicatissimũ ænigma. Noli claudere Domine Deus meus bone pater, per Christum obsecro, noli claudere desiderio meo ista, & vsitata & abdita, quo minus in ea penetret, & diluceścant allucente misericordia tua Domine. Quem percontabor de his, & cui fructuosius confitebor imperitiam meam, nisi tibi cui non sunt molesta studia mea flammantia vehementer in Scripturas tuas? Da quod amo: amo enim, & hoc tu dedisti. Da pater qui verè nosti data bona dare filiis tuis. Da quoniam suscepi cognoscere te, & labor est ante me donec aperias. Per Christum obsecro in nomine eius sancti sanctorum, nemo mihi obstrepat. Et ego credidi, ,ppter quod & loquor. Hæc est spes mea, ad hanc †inhio vt contempler delectationes Domini. Ecce veteres posuisti dies meos, & transeunt, & quomodo nescio. Et dicimus tempus & tempus, tempora & tempora. Quamdiu dixit hoc ille, quamdiu fecit hoc ille, & quàm longo tempore illud nõ vidi. Et duplum temporis habet hæc syllaba ad illam simplam breuẽ. Dicimus hæc, & audimus hæc, & intelligimur & intelligimus. Manifestissima & vsitatissima sunt, & eadem rursus nimis latent, & noua est inuentio eorũ.

CAPVT XXII. *Petit ænigmatis solutionem à Deo.*

Matth. 7. *b.* 11.

Psal. 72. *c.* 16.

Psal. 115. *a.* 10.

al. viuo:

Psal. 38. *a.* 6.

CAPVT XXIII. *Quid sit tempus.*

AVDIVI à quodam homine docto, quòd solis & lunæ ac siderum motus, ipsa sint tempora; & non anni. Cur enim non potius omnium corporum motus sint tempora? An verò si cessarent cæli lumina, & moueretur rota figuli, non esset tempus quo metiremur eos gyros, & diceremus aut æqualibus morulis agi, aut si aliàs tardius, aliàs velocius moueretur, alios magis diuturnos esse, alios minus? Aut cùm hoc diceremus, non & nos in tempore loqueremur, aut essent

in verbis noſtris aliæ longæ ſyllabæ, aliæ breues, niſi A quia illæ longiore tempore ſonuiſſent, iſtæ breuiore? Deus dona hominibus videre in paruo communes notitias rerum paruarum atque magnarum. Sunt & Gen. 1.b.14. ſidera & luminaria cæli in ſignis & in temporibus, & in annis & in diebus. Sunt verò, ſed nec ego dixerim circuitum illius ligneolæ rotæ diem eſſe, nec tamen ideo tempus non eſſe ille dixerit. Ego ſcire cupio vim naturamque temporis, quo metimur corporum motus, & dicimus illum motum, verbi gratia, tempore duplo eſſe diuturniorem quàm iſtum. Nam quæro, quoniam dies dicitur, non tantum morula ſolis ſuper terram, ſecundum quod aliud eſt dies, aliud nox, ſed etiam totus eius circuitus ab oriente vſque ad orientem, ſecundum quod dicimus, Tot dies tranſierunt; cum ſuis enim noctibus dicuntur tot dies, nec extra reputantur ſpatia noctium. Quoniam ergo dies expletur motu ſolis atque circuitu ab oriente vſque ad orientem; quæro vtrum motus ipſe ſit dies, an mora ipſa quanta peragitur, an vtrumque. Si enim primum B dies eſſet; dies ergo eſſet etiam ſi tanto ſpatio temporis ſol curſum illum peregiſſet, quantum eſt horæ vnius. Si ſecundum; non ergo eſſet dies, ſi ab ortu ſolis vſque ad ortum alterum, tam breuis mora eſſet quàm eſt horæ vnius, ſed vicies & quater circumiret ſol vt expleret diem. Si vtrunque, nec ille appellaretur dies, ſi horæ ſpatio ſol totum ſuum gyrum circumiret, nec illa ſi ſole ceſſante tantum temporis præteriret, quanto peragere ſol totum ambitum de mane in mane aſſolet. Non itaque nunc quæram, quid ſit illud quod vocatur dies, ſed quid ſit tempus quo metientes ſolis circuitum, diceremus eum dimidio ſpatio temporis peractum minus quàm ſolet, ſi tanto ſpatio temporis peractus eſſet, quanto peraguntur horæ duodecim. Et vtrumque tempus comparantes diceremus illud ſimplum, hoc duplum, etiam ſi aliquando illo ſimplo, aliquando iſto duplo ſol ab oriente vſque ad o- C rientem circumiret. Nemo ergo mihi dicat cæleſtium corporum motus eſſe tempora, quia & cuiuſ-
Ioſue 10.c. 12. dam voto cùm ſol ſtetiſſet, vt victor Ioſue prœlium perageret ſol ſtabat, ſed tempus ibat. Per ſuum quippe ſpatium temporis, quod ei ſufficeret, illa pugna geſta atque finita eſt. Video igitur tempus quandam eſſe diſtenſionem, ſed video an videre mihi videor? Tu demonſtrabis lux veritas.

CAPVT XXIIII. *Tempus eſt quo metimur motum corporis.*

IVBES vt approbem ſi quis dicat tempus eſſe motum corporis? Non iubes. Nam corpus nullum niſi in tempore moueri audio. Tu dicis. Ipſum autem corporis motum tempus eſſe non audio. Non tu dicis. Cùm enim mouetur corpus, tempore metior quamdiu moueatur, ex quo moueri incipit donec deſinat. Et ſi non vidi ex quo cœpit & perſeuerat moueri, vt non videam cùm deſinit, non valeo metiri, niſi fortè ex quo videre incipio donec deſinam. Quod D ſi diu video, tantummodo longum tempus eſſe renuncio, non autem quantum ſit; quia & quantum cùm dicimus, collatione dicimus, velut tantum hoc quantum illud, aut duplum hoc ad illud, & ſi quid aliud iſto modo. Si autem notare potuerimus locorum ſpatia, vnde & quò veniat corpus quod mouetur, vel partes eius, ſi tanquam in torno mouetur, poſſumus dicere quantum ſit temporis, ex quo ab illo loco vſque ad illum locum motus corporis vel partis eius effectus eſt. Cùm itaque aliud ſit motus corporis, aliud quo metimur quamdiu ſit; quis non ſentiat quid horum potius tempus dicendum ſit? Nam etſi variè corpus aliquando mouetur, aliquando ſtat, non ſolùm motum eius, ſed etiam ſtatum tempore metimur; & dicimus tantum ſtetit, quantum motum eſt, aut duplo vel triplo ſtetit, ad id quod motum eſt, & ſi quid aliud noſtra dimenſio ſiue comprehenderit ſiue exiſtimauerit, vt dici ſolet plus minus. Non eſt ergo tempus corporis motus.

CAPVT XXV. *Rurſus orat.*

ET cõfiteor tibi Domine ignorare me adhuc quid ſit tempus, & rurſus confiteor tibi Domine ſcire me in tempore iſta dicere, & diu me iam loqui de tẽpore, atque idipſum diu, non eſſe niſi moram temporis. Quomodo igitur hoc ſcio, quando quid ſit tempus neſcio? An fortè neſcio quemadmodum dicam quod ſcio? Hei mihi qui neſcio ſaltem quid neſciam. Ecce Deus meus coram te, quia non mentior, ſicut loquor, ita eſt cor meum. Tu illuminabis lucernam meam Domine Deus meus illumina tenebras meas.

CAPVT XXVI. *Menſura pedũ & ſyllabarũ.*

NONNE tibi confitetur anima mea confeſſione veridica metiri me tempora? Itáne Deus meus metior, & quid metiar neſcio? Metior motum corporis in tempore, item ipſum tempus non metior? An verò corporis motum metirer quamdiu ſit, & quamdiu hinc illuc perueniat, niſi tempus in quo mouetur metirer? Ipſum ergo tempus vnde metior? An tempore breuiore metimur longius, ſicut ſpatio cubiti ſpatium tranſtri? Sicut enim videmur ſpatio breuis ſyllabæ metiri ſpatium longæ ſyllabæ, atq; id duplum dicere; ita metimur ſpatia carminum ſpatiis verſuum, & ſpatia verſuum ſpatiis pedum, & ſpatia pedum ſpatiis ſyllabarum, & ſpatia longarum ſpatiis breuium, non in paginis. Nam eo modo loca metimur, non tempora. Sed cùm voces pronunciando tranſeunt, & dicimus longum carmen eſt, nam tot verſibus contexitur; longi verſus, nam tot pedibus conſtant; longi pedes, nam tot ſyllabis tenduntur; longa ſyllaba, nam dupla eſt ad breuem. Sed nequè ita comprehenditur certa menſura temporis, quandoquidem fieri poteſt vt ampliori ſpatio temporis perſonet verſus breuior ſi productius pronũcietur, quàm longior ſi correptius. Ita carmen, ita pes, ita ſyllaba. Inde mihi viſum eſt, nihil eſſe aliud tempus quàm diſtenſionem, ſed cuius rei neſcio, & mirum ſi non ipſius animi. Quid enim metior obſecro Deus meus & dico, aut indefinitè, lõgius eſt hoc tempus quàm illud, aut etiam definitè, duplum eſt hoc ad illud? Tempus metior, ſcio, ſed nõ metior futurum, quia nondum eſt. Non metior præſens, quia nullo ſpatio tenditur. Non metior præteritum, quia iam non eſt. Quid ergo metior? An præteruntia tempora non præterita? Sic enim dixeram.

CAPVT XXVII. *Quomodo metimur tempus. Pſalm. 99.*

INSISTE anime meus & attende fortiter, Deus adiutor noſter, ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Attende vbi albeſcit veritas. Ecce puta, vox corporis incipit ſonare & ſonat, & adhuc ſonat, & ecce deſinit ſonare, iamque ſilentium eſt, & vox illa præterita eſt, & non eſt iam vox. Futura erat antequam ſonaret, & non poterat metiri, quia nondum erat, & nũc non poteſt, quia iã non eſt. Tunc ergo poterat cùm ſonabat, quia tunc erat quæ metiri poſſet. Sed & tunc non ſtabat, ibat enim & præteribat. An ideò magis poterat? Præteriens enim tendebatur in aliquod ſpatium temporis quo metiri poſſet, quoniam præſens nullum habet ſpatium. Si ergo tunc poterat, ecce puta, altera cœpit ſonare, & adhuc ſonat, continuato tenore ſine vlla diſtinctione, metiamur eam dum ſonat. Cùm enim ſonare ceſſauerit, iam præterita erit, & non erit quæ poſſet metiri. Metiamur planè & dicamus quanta ſit. Sed adhuc ſonat, nec metiri poteſt niſi ab initio ſui quo ſonare cœpit, vſque ad finem quo deſinit. Ipſum quippe interuallum metimur ab aliquo initio vſque ad aliquem finem. Quapropter vox quæ nondum finita eſt, metiri non poteſt, vt dicatur quàm longa vel breuis ſit; nec dici aut æqualis alicui, aut ad aliquam ſimpla vel dupla, vel quid aliud. Cùm autem finita fuerit, iam non erit. Quo pacto igitur metiri poterit? Et metimur tamen tempora, nec ea quæ nondum ſunt, nec ea quæ iam non ſunt, nec ea quæ nulla mora

exten-

extenduntur, nec ea quæ terminos non habent. Nec futura ergo, nec præterita, nec præsentia, nec prætereuntia tempora metimur, & metimur tamen tempora. Deus creator omnium; versus iste octo syllabarum, breuibus & longis alternat syllabis. Quatuor itaque breues; prima, tertia, quinta, septima, simplæ sunt ad quatuor longas; secundam, quartam, sextam, octauam. Hæ singulæ ad illas singulas duplum habent temporis; pronuncio & renuncio, & ita est quantum sentitur sensu manifesto. Quantum sensus manifestus est, breui syllaba longam metior, eamque habere bis tantum sentio. Sed cùm altera post alteram sonat, si prior breuis, longa posterior, quomodo tenebo breuem, & quomodo eam longæ metiens applicabo, vt inueniam quòd bis tantum habeat, quando quidem longa sonare non incipit, nisi breuis sonare destiterit? Ipsam quoque longam non præsentem metior, quando nisi finitam non metior. Eius aût finitio, præteritio est. Quid ergo est quod metiar? Vbi est quam metior breuis? Vbi est longa quam metior? Ambæ sonuerũt, auolauerunt, præterierunt, iã non sunt, & ego metior, fidenterq; respondeo, quãtũ exercitato sensu fiditur, illã simplã esse, illã duplã in spatio, scilicet temporis. Neq; hoc possum, nisi quia præterierũt & finitæ sunt. Non ergo ipsas quæ iam non sunt, sed aliquid in memoria mea metior quod infixum manet. In te anime meus tempora metior, noli mihi obstrepere; quod est, Noli tibi obstrepere turbis affectionum tuarũ. In te, inquam, affectionem quam res prætereuntes in te faciunt, & cùm illæ præterierint manet. Ipsam metior præsentem, non eas quæ præterierunt vt fieret. Ipsam metior cùm tempora metior. Ergo aut ipsa sunt tempora, aut non tempora metior. Quid cùm metimur silentia, & dicimus illud silentium tantum tenuisse temporis, quantum illa vox tenuit? Nónne cogitationem tendimus ad mensuram vocis, quasi sonaret, vt aliquid de interuallis silentiorum in spatio temporis renunciare possimus? Nam & voce atque ore cessante, peragimus cogitando carmina & versus, & quemque sermonem, motionumque dimensiones quaslibet, & de spatiis temporum quantum illud ad illud sit renunciamus, non aliter, ac si ea sonando diceremus. Si voluerit aliquis edere longiusculam vocem, & cõstituerit præmeditando quàm longa futura sit, egit vtique iste spatium temporis in silentio, memoriæque commendans cœpit edere illam vocem quæ sonat, donec ad propositum terminum perducatur; imò sonuit & sonabit. Nam quod eius iam peractum est, vtique sonuit, quod autem restat, sonabit; atque ita peragitur, dum præsens intentio futurum in præteritum traiicit, diminutione futuri crescente præterito, donec consummatione futuri sit totum præteritum.

Dimensio carminis.

CAPVT XXVIII. *Animo metimur tempora.*

SED quomodo minuitur aut consumitur futurum, quod nondum est? Aut quomodo crescit præteritum quod iam non est, nisi quia in animo qui illud agit tria sunt? Nam & expectat & attendit & meminit, vt id quod expectat, per id quod attendit, transeat in id quod meminerit. Quis igitur negat futura nondum esse? Sed tamen iam est in animo expectatio futurorum. Et quis negat præterita iam non esse? Sed tamen adhuc est in animo memoria præteritorum. Et quis negat præsens tempus carere spatio, quia in puncto præterit? Sed tamen perdurat attentio per quam peragat abesse quod aderit. Non igitur longum tempus futurum quod non est, sed longum futurum, longa expectatio futuri est. Neque longum præteritum tempus quod non est, sed longum præteritum longa memoria præteriti est. Dicturus sum canticum quod noui, antequã incipiam in totum expectatio mea tenditur; cùm autem cœpero, quantum ex illo in præteritum decerpsero, tenditur in memoria mea; atq; distenditur vita huius actionis meæ in memoriam propter quod dixi, & in expectationem propter quod dicturus sum; præsens tamen adest attentio mea, per quam traiiciatur quod erat futurum vt fiat præteritum. Quod quanto magis agitur & agitur, tãto breuiata expectatione prolõgatur memoria, donec tota expectatio cõsumatur, cùm tota illa actio finita trãsierit in memoriam. Et quod in toto cantico, hoc in singulis particulis eius fit, †atque in singulis syllabis eius; hoc in actione longiore, cuius fortè particula est illud canticum; hoc in tota vita hominis, cuius partes sunt omnes actiones hominis; hoc in toto seculo filiorum hominũ, cuius partes sunt omnes vitæ hominum.

al. & quod in singulis particulis eius.

CAPVT XXIX. *Animi extensio.* *Psalm. 62. 6. 4.* *1. Tim. 2. b. 5.*

SED quoniam melior est misericordia tua super vitas, ecce distẽsio est vita mea, & me suscepit dextera tua in Domino meo mediatore filio hominis inter te vnum & nos multos in multis per multa, vt per eũ apprehendam in quo & apprehensus sum, & à veteribus diebus colligar sequens vnum, præterita oblitus; non in ea quæ futura & transitura sunt, sed in ea quæ antè sunt, non distentus, sed intentus, non secundùm distensionem, sed secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis, vbi audiam vocem laudis tuæ, & contempler delectationem tuam, nec venientem, nec prætereuntem. Nunc verò anni mei in gemitibus, & tu solatium meum Domine pater meus æternus es. At ego in tempora dissilui, quorum ordinem nescio, & tumultuosis varietatibus dilaniantur cogitationes meæ, intima viscera animæ meæ, donec in te confluam purgatus & liquidus igne amoris tui.

CAPVT XXX. *Quomodo extendendus animus.*

ET stabo atque solidabor in te in forma mea veritate tua, nec patiar quęstiones hominum, qui pœnali morbo plus sitiunt quàm capiũt, & dicunt, Quid faciebat Deus antequam faceret cælum & terram? Aut quid ei venit in mentem, vt aliquid faceret, cùm antea nunquam aliquid fecerit? Da illis Domine bene cogitare quid dicant, & inuenire quia non dicitur nunquam vbi non est tempus. Qui ergo dicitur nunquam feciſſe, quid aliud dicitur nisi nullo tempore feciſſe? Videant itaque nullum tempus esse posse sine creatura tua, & desinant istam vanitatem loqui. Extẽdantur etiam in ea quæ antè sunt, & intelligant te ante omnia tempora æternum creatorem omnium temporum, neq; vlla tempora tibi esse coæterna, nec vllam creaturam, etiam si est aliqua supra tempora.

CAPVT XXXI. *Quomodo cognoscit Deus, quomodo creatura.*

DOMINE Deus meus, quis ille sinus est alti secreti tui, & quàm longè inde me proiecerunt cõsequentia delictorum meorum? Sana oculos meos vt congaudeam luci tuæ. Certè si est tam grandi scientia & præscientia pollens animus, cui cuncta præterita & futura ita nota sint, sicut mihi vnum canticum notissimum; nimirum mirabilis est animus iste, atque ad horrorem stupendus. Quippe quem ita non lateat quicquid peractum, & quicquid reliquum seculorum est, quemadmodum me non latet cantantem illud canticum, quid & quantum eius abierit ab exordio, quid & quantum restet ad finem. Sed absit vt tu conditor vniuersitatis, conditor animarum & corporum, absit vt ita noueris omnia futura & præterita. Longè tu, longè mirabilius, longeque secretius. Neque enim sicut nota cantantis, notúmue canticum audientis, expectatione vocum futurarum, & memoria pręteritarum variatur affectus, sensusque distenditur, ita tibi aliquid accidit incommutabiliter æterno, hoc est, verè æterno creatori mentium. Sicut ergo nosti, in principio cælum & terram sine varietate notitiæ tuæ, ita fecisti in principio cælum & terram sine distinctione actionis tuæ. Qui intelligit, confiteatur tibi; & qui nõ intelligit, confiteatur tibi. O quàm excelsus es, & humiles corde sunt domus tua! Tu enim erigis elisos, & non cadunt, quorum celsitudo tu es.

Genes. 1. a. 1.

Psal. 145. b. 8.

DIVI AVRELII AVGVSTINI CONFESSIONVM LIBER XII.

CAPVT I. *Difficilis inquisitio veri.*

MVLTA satagit cor meum Domine, in hac inopia vitæ meæ pulsatum verbis sanctæ Scripturæ tuæ; & ideo plerũque in sermone copiosa est egestas humanę intelligentiæ, quia plus loquitur inquisitio quàm inuentio; & longior est petitio quàm impetratio; & operosior est manus pulsans quàm sumẽs. Tenemus promissum, quis corrumpet illud? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & quærens inuenit, & pulsanti aperietur. Promissa tua sunt; & quis falli timeat, cùm promittit veritas?

Rom. 8. f. 31.

Matth. 7. b. 7.

CAPVT II. *De duplici cælo & terra.*

CONFITETVR altitudini tuæ humilitas linguæ meæ, quoniam tu fecisti cælum & terram; hoc cælum quod video, terramq́ue quam calco. Vnde est hæc terra quam porto, tu fecisti. Sed vbi est cælum cęli Domine, de quo audiuimus in voce Psalmi, Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum? Vbi est cælum quod non cernimus, cui terra est hoc omne quod cernimus? Hoc enim totum corporeum, non vbique totum ita cepit speciem pulchram in nouissimis, cui fundus est terra nostra, sed ad illud cælũ cæli, etiam terræ nostræ cælũ terra est. Et hoc vtrunq; magnum corpus non absurdè terra est, ad illud nescio quale cælum quod Domino est, non filiis hominum.

Psal. 113. d. 16.

CAPVT III. *Tenebræ super faciem abyssi. 2. sent. dist. 12. cap. 2. Gen. 1. a. 2.*

ET nimirum hæc terra erat inuisibilis & incomposita, & nescio quæ profunditas abyssi super quam non erat lux; quia nulla species erat illi. Vnde iussisti vt scriberetur, quòd tenebræ erãt super abyssum, quid aliud quàm lucis absentia? Vbi enim lux esset, si esset, nisi supereſſet eminendo & illustrando? Vbi ergo lux nondum erat, quid erat adesse tenebras, nisi abesse lucem? Super itaque erant tenebræ, quia lux super aberat; sicut sonus vbi non est, silentium est. Et quid est esse ibi silentium, nisi sonum ibi non esse? Nónne tu Domine docuisti hanc animam quæ tibi confitetur? Nónne tu Domine docuisti me, quòd prius quàm istã informem materiam formares atque distingueres, nõ erat aliquid non color, non figura, non corpus, non spiritus, non tamẽ omnino nihil? Erat quædam informitas sine vlla specie.

CAPVT IIII. *Materia prima hyle.*

QVID ergo vocaretur, quo etiam sensu tardioribus vtcunq; insinuaretur, nisi vsitato aliquo vocabulo? Quid autem in omnibus mundi partibus reperiri potest propinquius informitati omnimodę, quã terra & abyssus? Minus enim speciosa sunt ꝓ suo gradu infimo, quàm cætera superiora perlucida & luculenta omnia. Cur ergo non accipiam informitatem materiæ, quam sine specie feceras, vnde speciosum mundum faceres, ita commodè hominibus intimatam, vt appellaretur terra inuisibilis & incomposita?

CAPVT V. *Hyle qualis.*

ET cùm in ea quęrit cogitatio quid sensus attingat, & dicit sibi, non est intelligibilis forma sicut vita, sicut iustitia, quia materies est corporum; neque sensibilis, quoniam quod videatur & quod sentiatur in inuisibili & incomposita non est. Dum sibi hæc dicit humana cogitatio, conetur eam vel nosse ignorando, vel ignorare noscendo.

CAPVT VI. *Quid senserit aliquando de materia prima, & quid modo.*

EGO verò Domine si totum confitear tibi ore meo & calamo meo, quicquid de ista materia docuisti me, cuius antea nomen audiens & non intelligẽs narrantibus mihi eis qui non intelligerent eam cum speciebus innumeris & variis cogitabam; & ideo nõ eam cogitabam, fœdas & horribiles formas perturbatis ordinibus voluebat animus, sed formas tamen; & informe appellabam, non quod careret forma, sed quod talem haberet, vt si appareret insolitũ & incõgruum, auersaretur sensus meus, & conturbaretur infirmitas hominis. Verum autem illud quod cogitabam, non priuatione omnis formæ, sed cõparatione formosiorũ erat informe, & suadebat vera ratio, vt omnis formæ qualescunque reliquias omnino detraherem, si vellem prorsus informe cogitare, & non poteram. Citius enim non esse censebam, quòd omni forma priuaretur, quàm cogitabam quiddam inter formam & nihil, nec formatum, nec nihil, informe propè nihil. Et cessauit mens mea interrogare hinc spiritum meũ plenum imaginibus formatorũ corporum, & eas pro arbitrio mutantem, atq; variantem; & intendi in ipsa corpora, eorumq́ue mutabilitatem altiùs inspexi, qua desinunt esse quod fuerant, & incipiunt esse quod nõ erant, eumq́ue transitum de forma in formam per informe quiddam fieri suspicatus sum, non per omnino nihil; sed nosse cupiebam, non suspicari. Et si totum tibi confiteatur vox & stylus meus, quicquid de ista quęstione enodasti mihi, quis legentium capere durabit? Nec ideo tamen cessabit cor meum dare tibi honorem & canticum laudis de iis quæ dictare non sufficit. Mutabilitas enim rerum mutabilium capax ipsa est formarum omnium in quas mutantur res mutabiles. Et hæc quid est? Nunquid animus? nunquid corpus? nũquid species animi vel corporis? Si dici posset, nihil aliquid est, † & non est, hoc eam dicerem; & tamen iam vtcunque erat, vt species caperet istas visibiles & compositas.

al. & est, non est.

CAPVT VII. *Cælum terra maius.*

ET vnde vtcunque erat nisi esset abs te, à quo sunt omnia inquantumcunque sunt? Sed tanto à te lõgius, quanto dissimilius. Neque enim locis. Itaque tu Domine, qui nõ es alibi aliud & aliàs aliter, sed ipsum & ipsum & idipsum. Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens; in principio quod est de te, in sapientia tua quæ nata est de substantia tua, fecisti aliquid & de nihilo. Fecisti enim cælum & terram, nõ de te; nam esset æquale vnigenito tuo, ac per hoc & tibi; & nullo modo iustum esset, vt æquale tibi esset quod de te non esset. Et aliud præter te non erat vnde faceres ea Deus vna Trinitas, & trina vnitas, & ideo de nihilo fecisti cælum & terram, magnum quiddam & paruum quiddam, quoniam omnipotens & bonus es ad facienda omnia bona, magnum cælum & paruam terram. Tu eras & aliud nihil vnde fecisti cælum & terram, duo quædam; vnum propè te, alterum propè nihil; vnum quo superior tu esses, alterum quo inferius nihil esset.

Esa. 6. b. 3.

Psalm. 113. d. 15.

CAPVT VIII. *Materia prima ex nihile: ex hac omnia.*

SED illud cælum cæli tibi Domine; terram autem quam dedisti filiis hominum, cernendam atq; tangendam, non erat talis qualem nunc cernimus & tangimus. Inuisibilis enim erat & incomposita, & abyssus erat super quam non erat lux, sed tenebræ erant super abyssum, id est magis quàm in abysso. Ista quippe abyssus aquarum iam visibilium, etiam in profundis suis habet speciei suæ lucem vtcunque sensibilem piscibus, & repentibus in suo fundo animantibus. Illud autem totum propè nihil erat, quoniam adhuc omnino informe erat; iam tamen erat quod formari poterat. Tu enim Domine fecisti mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re penè nullam rẽ, vnde faceres magna quæ miramur filij hominum. Valde enim mirabile hoc cælum corporeum, quod firmamentum inter aquam & aquam secundo die post conditionem lucis dixisti, Fiat; & sic factum est. Quod firmamentum vocasti cælum, sed cęlum terræ huius & maris quæ fecisti tertio die, dando speciem visibilem informi materiæ quam fecisti ante omnem diem. Iam enim feceras & cęlum ante omnem diem, sed cęlum cæli huius, quia in principio feceras cælum & terram. Terra autem ipsa quam feceras, informis

Psalm. 113. Gen. 1. a. 2.

materies

* materies. materies erat, quia inuisibilis erat* & incomposita, & tenebræ erant super abyssum. De qua terra inuisibili & incomposita, de qua informitate, de quo penè nihilo faceres hæc omnia, quibus iste mutabilis mundus cõstat, & non constat, in quo ipsa mutabilitas apparet, in quo sentiri & dinumerari possunt tempora, quia rerum mutationibus fiunt tempora dum variantur & vertũtur species, quarum materies prædicta est terra inuisibilis.

CAPVT IX. *Cælum cæli quid.*

IDEO QVE spiritus doctor famuli tui, cùm te commemorat fecisse in principio cælum & terram, tacet de temporibus, silet de diebus. Nimirũ enim cælum cæli quod in principio fecisti, creatura est aliqua intellectualis, quanquam nequaquam tibi Trinitati coæterna: particeps tamen æternitatis tuæ, valde mutabilitatem suam præ dulcedine felicissimæ contemplationis tuæ cohibet, & sine vllo lapsu ex quo facta est inhærendo tibi, excedit omnem volubilem vicissitudinem temporum. Ista verò informitas terræ inuisibilis & incompositæ, nec ipsa in diebus numerata est. Vbi enim nulla species, nullus ordo, nec venit quicquam, nec præterit. Et vbi hoc non fit, non sunt vtique dies, nec vicissitudo spatiorum temporalium.

CAPVT X. *Credere scripturis.*

O Veritas lumen cordis mei, non tenebræ meæ loquantur mihi. Defluxi ad ista & obscuratus sum, sed hinc etiam hinc adamaui te. Erraui & recordatus sum tui. Audiui vocem tuam post me vt redirem, & vix audiui propter tumultus peccatorum. Et nunc ecce redeo æstuans & anhelans ad fontem tuum. Nemo me prohibeat, hunc bibam & †tunc viuam. Nam non ego vita mea. Si malè vixi, ex me mors mihi fui, & in te reuiuisco. Tu me alloquere, tu mihi sermocinare. Credidi libris tuis, & verba eorum arcana valde.

† al. hinc.

CAPVT XI. *Quid à Deo didicerit. 1. Tim. 6. v. 16.*

IAM dixisti mihi Domine voce forti in aurem interiorem, quia tu æternus es, solus habens immortalitatem, quoniam ex nulla specie motúue mutaris, nec temporibus variatur voluntas tua, quia non est immortalis voluntas, quæ alia & alia est. Hoc in conspectu tuo claret mihi, & magis magisque claresçat oro te, atque in ea manifestatione persistam sobrius sub alis tuis. Item dixisti mihi Domine voce forti in aurem interiorem, quòd omnes naturas atq; substantias quæ non sunt quod tu es, & tamen sunt, tu fecisti: & hoc solum à te non est quod non est, motusque voluntatis à te qui es ad id quod minus est, quia talis motus delictum atque peccatum est. Et quod nullius peccatum aut tibi nocet aut perturbat ordinem imperij tui vel in primo vel in imo. Hoc in conspectu tuo claret mihi, & magis magisq; claresçat oro te, atque in ea manifestatione persistam sobrius sub alis tuis. Item dixisti mihi voce forti in aurem interiorem, quòd nec illa creatura tibi coæterna est, cuius volũtas tu solus es, téque perseuerantissima castitate hauriens, mutabilitatem suam nũquam & nusquam exerit, & te sibi semper præsente, ad quem toto affectu se tenet, non habens futurum quod expectet, nec in præteritum traiiciẽs quod meminerit, nulla vice variatur, nec in tempora vlla distenditur. O beata si qua ista est, inhærendo beatitudini tuæ, beata sempiterno inhabitatore te atq; illustratore suo! Nec inuenio quid libentius appellandum existimem, cælum cæli Domino, quàm domum tuam contemplantem delectationem tuam sine vllo defectu egrediendi in aliud, mentem puram concordissimè vnam stabilimento pacis sanctorum spirituum, ciuium ciuitatis tuæ in cęlestibus super ista cælestia. Vnde intelligat anima quantum peregrinatione longinqua facta est, si iam sitit tibi, si iam factæ sunt ei lachrymæ suæ panis, dum dicitur ei per singulos dies, vbi est Deus tuus: si iam petit à te vnã & hanc requirit, vt inhabitet in domo tua per omnes dies vitę suæ. Et quæ vita eius nisi tu? Et qui dies tui nisi æterni-

Psal. 41. v. 3. 4. d. 11.

Psalm. 26. b. 4.

tas tua, sicut anni tui qui nõ deficiunt, quia idem ipse es? Hinc ergo intelligat anima mea quæ potest, quàm longè super omnia tempora sis æternus, quando tua domus quæ peregrinata non est, quamuis non sit tibi coęterna, tamen indesinenter & indeficienter tibi cohærendo nullam patitur vicissitudinem temporum. Hoc in conspectu tuo claret mihi, & magis magisque claresçat oro te, atq; in hac manifestatione persistam sobrius sub alis tuis. Ecce nescio quid informe in istis mutationibus rerum extremarum atque infimarum. Et quis dicet mihi, nisi quisquis per inania cordis sui cum suis phantasmatibus vagatur & voluitur: quis nisi talis dicet mihi, quòd diminuta atque consumpta omni specie, si sola remaneat informitas, per quam de specie in speciem res mutabatur & vertebatur, possit exhibere vices temporum. Omnino enim non potest, quia sine varietate motionum non sunt tempora: & nulla varietas, vbi nulla species.

Psal. 101. d. 28.

CAPVT XII. *Creatura duplex.*

QVIBVS cõsideratis quãtum donas Deus meus, quantum me ad pulsandum excitas, quantumq; pulsanti aperis: duo reperio quæ fecisti carentia temporibus, cùm tibi neutrum coæternũ sit. Vnum quod ita formatum est, vt sine vllo defectu contemplationis, sine vllo interuallo mutationis, quamuis mutabile, tamen non mutatum, tua æternitate atque incommutabilitate perfruatur. Alterum quod ita informe erat, vt ex qua forma, in quam formam vel motionis vel stationis mutaretur, quo tempori subderetur non haberet. Sed hoc vt informe esset non reliquisti, quoniam fecisti ante omnem diem, in principio cælum & terram, hæc duo quæ dicebam. Terra autem inuisibilis erat & incõposita, & tenebræ super abyssum. Quibus verbis insinuatur informitas, vt gradatim excipiantur, qui omnimodam speciei priuationem, nec tamen ad nihil peruentionem cogitare non possunt, vnde fieret alterum cælum & terra visibilis atque cõposita & aqua speciosa, & quicquid deinceps in constitutione huius mundi non sine diebus factum commemoratur, quia talia sunt vt in eis agantur vicissitudines temporum propter ordinatas commutationes motionum atque formarum.

Gen. 1. d. 2.

CAPVT XIII. *Creatura spiritualis qualis. Gen. 1. d. 2.*

HOC interim sentio Deus meus, cùm audio loquentem scripturã tuam, In principio fecit Deus cælum & terram: terra autẽ erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum, neq; commemorantem quoto die feceris hæc. Sic interim sentio, propter illud cælum cæli, cælum intellectuale, vbi est intellectus nosse simul, non ex parte, non in ænigmate, non per speculum, sed ex toto in manifestata facie ad faciem: non modò hoc, modò illud, sed quod dictũ est, nosse simul sine vlla vicissitudine temporum: & propter inuisibilem atque incompositam terram sine vlla vicissitudine temporum, quæ solet habere modò hoc & modò illud, quia vbi nulla species, nusquã est hoc aut illud. Propter duo hæc primitùs formatum & penitùs informe, illud cælum, sed cælum cæli, hoc verò terram, sed terram inuisibilem & incompositã, propter duo hæc interim sentio sine commemoratione dierum dicere scripturam tuam, In principio fecit Deus cælum & terram. Statim quippe subiecit quam terram dixerit. Et quod secundo die commemoratur factum firmamentum, & vocatum cælum, insinuat de quo cælo prius sine diebus sermo locutus sit.

1. Cor. 13. d. 12.

CAPVT XIIII. *Scripturæ profunditas.*

MIRA profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens paruulis: sed mira profunditas Deus meus, mira profunditas. Horror est intendere in eam, horror honoris & tremor amoris. Odi hostes eius vehementer. O si occidas eos de gladio bis acuto, & non sint hostes eius. Sic enim amo eos occidi sibi, vt viuãt tibi. Ecce autem alij non reprehensores sed laudatores libri Geneseos: Non,

inquiũt, hoc voluit in his verbis intelligi ſpiritus Dei, qui per Moyſen famulum eius iſta conſcripſit; non hoc voluit intelligi quod tu dicis, ſed aliud quod nos dicimus. Quibus ego te arbitro Deus omnium noſtrorum ita reſpondeo.

CAPVT XV. *Quantum interſit inter cõditorem & cõdita.*

NVM dicetis falſa eſſe, quæ mihi veritas voce forti in aurem interiorẽ dicit de vera æternitate creatoris, quòd nequaquam eius ſubſtantia per tempora varietur, nec eius voluntas extra eius ſubſtantiam ſit? Vnde non eum modò velle hoc, modò velle illud, ſed ſemel & ſimul & ſemper velle omnia quæ vult, non iterum & iterum, neque nunc iſta nunc illa, nec velle poſtea quod nolebat, aut nolle quod prius volebat; quia talis voluntas mutabilis eſt, & omne mutabile æternum nõ eſt; Deus autem noſter æternus eſt. Item quod mihi dicitur in aurem interiorem, expectatio rerum venturarum fit contuitus cùm venerint; idémque contuitus fit memoria cùm præterierint; omnis porrò intentio quę ita variatur mutabilis eſt, & omne mutabile æternum non eſt, Deus autem noſter æternus eſt. Hæc colligo atque coniũgo & inuenio Deum meum, Deum æternum, non aliqua tali noua voluntate condidiſſe creaturam, nec ſcientiam eius tranſitorium aliquid pati. Quid ergo dicetis cõtradictores? An falſa ſunt iſta? Non, inquiunt. Quid illud? Nũquid falſum eſt omnem naturam formatam materiámue formabilem nõ eſſe niſi ab illo qui ſummè bonus eſt, quia ſummè eſt? Neq; hoc negamus, inquiunt. Quid igitur? An illud negatis, ſublimem quandam eſſe creaturam tam caſto amore cohęrentem Deo vero & verè æterno, vt quamuis ei coæterna non ſit, in nullam tamẽ temporum varietatem & viciſſitudinem ab illo ſe reſoluat ac defluat, ſed in eius ſolius veraciſſima cõtemplatione requieſcat? Quoniam tu Deus diligenti te quãtum præcipis, oſtendis ei te & ſufficis ei, & ideo non declinat à te nec ad ſe. Hæc eſt domus Dei non terrena, neq; vlla cæleſti mole corporea ſed ſpiritalis & particeps æternitatis tuæ, quia ſine labe in æternũ. Statuiſti enim eam in ſeculum & in ſeculum ſeculi, præceptum poſuiſti & non præteribit. Nec tamen tibi Deo coæterna, quoniam nõ ſine initio, facta eſt enim. Nam etſi non inuenimus tempus ante illam, prior quippe omnium creata eſt ſapiẽtia, nec vtique illa ſapientia tibi Deus noſter patri ſuo planè coæterna, & coæqualis, & per quam creata ſunt omnia, & in quo principio feciſti cælum & terram, ſed profectò ſapientia quę creata eſt, intellectualis natura ſcilicet, quę cõtemplatione luminis lumen eſt; dicitur enim & ipſa, quamuis creata, ſapientia. Sed quantum intereſt inter lumen quod illuminat & quod illuminatur, tantum inter ſapientiam quæ creat, & iſtá quæ creata eſt; ſicut inter iuſtitiam iuſtificantem, & iuſtitiam quæ iuſtificatione facta eſt. Nam & nos dicti ſumus iuſtitia tua. Ait enim quidá ſeruus tuus, vt nos ſimus iuſtitia Dei in ipſo. Ergo quia prior omnium creata eſt quædam ſapiẽtia quæ creata eſt mens rationalis & intellectualis caſtæ ciuitatis tuæ, matris noſtræ quæ ſurſum eſt & libera eſt & æterna in cęlis; quibus cęlis niſi qui te laudant cæli cælorum? quia hoc eſt & cælum cæli Domino; etſi nõ inuenimus tempus ante illam, quia & creaturam temporis antecedit, quæ prior omnium creata eſt, ante illam tamẽ eſt ipſius creatoris ęternitas, à quo facta ſumpſit exordium; quamuis non temporis, quia nondum erat tempus, ipſius tamen conditionis ſuæ. Vnde ita eſt abs te Deo noſtro, vt aliud ſit planè quã tu & nõ idipſum. Quoniam & ſi nõ ſolum ante illam, ſed nec in illa inuenimus temp°, quia eſt idonea faciẽ tuam ſemper videre nec vſpiam deflectitur ab ea, quo fit vt nulla mutatione varietur; ineſt ei tamẽ ipſa mutabilitas vnde tenebreſceret & frigeſceret, niſi amore grandi tibi cohærens tanquã ſemper meridies luceret & ferueret ex te. O dom° luminoſa & ſpecioſa, dilexi decorem tuum, & locum habitationis glorię Domini mei fabricatoris & poſſeſſoris tui! Tibi ſuſpiret peregrinatio mea, & dico ei qui fecit te, vt poſſideat & me in te, quia fecit & me. Erraui ſicut ouis perdita, ſed in humeris paſtoris mei, ſtructoris tui, ſpero me reportari tibi. Quid dicitis mihi quos alloquebar cõtradictores, qui tamen & Moyſen pium famulũ Dei, & libros eius oracula ſancti Spiritus creditis? Eſt ne iſta domus Dei, non quidem Deo coæterna, ſed tamen ſecũdùm modum ſuum æterna in cælis, vbi vices temporũ fruſtra quæritis, quia non inuenietis? Supergreditur enim omnem diſtenſionem, & omne ſpatium ætatis volubile, cui ſemper inhærere Deo bonũ eſt. Eſt, inquiunt. Quid igitur ex iis quæ clamauit, cor meum ad Deum meum, vt audiret interius vocem laudis eius, quid tãdem falſum eſſe contenditis? An quia erat informis materies, vbi propter nullam formã nullus ordo erat? Vbi autẽ nullus ordo erat, nulla eſſe viciſſitudo temporum poterat; & tamen hoc penè nihil, inquantum non omnino nihil erat, ab illo vtique erat à quo eſt quicquid eſt quod vtcunque aliquid eſt. Hoc quoque, aiunt, non negamus.

Psalm. 25.

Psalm. 118. Tau. 176. Luc. 15. e. 5.

Psalm. 72. d. 28.

CVM his enim volo corã te aliquid colloqui Deus meus, qui hęc omnia quæ intus in mente mea nõ tacet veritas tua vera eſſe concedunt. Nam qui hæc negant, latrent quãtum volunt & obſtrepant ſibi, perſuadere conabor vt quieſcant, & viam præbeant ad ſe verbo tuo. Quòd ſi noluerint & repulerint me, obſecro te Deus me°, ne tu ſileas à me. Tu loquere in corde meo veraciter; ſolus enim ſic loqueris, vt dimittã eos foris ſufflantes in puluerem, & excitantes terram in oculos ſuos; & intrem in cubile meum, & cantem tibi amatoria, gemens inenarrabiles gemitus in peregrinatione mea, & recordans Hieruſalem, extento in eam ſurſum corde, Hieruſalem patriam meam, Hieruſalem matrem meam, teq; ſuper eam regnatorem, illuſtratorem, patrem, tutorem, maritũ, caſtas & fortes delicias, & ſolidum gaudium, & omnia bona ineffabilia ſimul omnia, quia vnum ſummum & verum bonum; & non auertar, donec in eius pacem matris chariſſimæ, vbi ſunt primitiæ ſpiritus mei, vnde mihi iſta certa ſunt, colligas totum quod ſum, à diſperſione & deformitate hac, & conformes atque confirmes in æternum Deus meus miſericordia mea. Cum his autem qui cuncta illa quę vera ſunt, falſa eſſe non dicũt, honorantes, & in culmine ſequendæ authoritatis nobiſcum conſtituẽtes illam per ſanctum Moyſen editam ſanctam Scripturam tuam, & tamẽ nobis aliquid contradicunt, ita loquor: Tu eſto Deus noſter arbiter inter confeſſiones meas & contradictiones eorum.

CAPVT XVI. *Aduerſus eos qui contradicunt veritati diuinæ.*

Psalm. 27. a. 1.

DICVNT enim, quamuis vera ſint hæc, non ea tamen duo Moyſes intuebatur, cùm ſpiritu reuelante diceret: In principio fecit Deus cælum & terrã. Non cæli nomine ſpiritalem vel intellectualem illam creaturam, ſemper faciem Dei contemplãtem ſignificauit; nec terræ nomine informem materiam. Quid igitur? Quod nos dicimus, inquiunt, hoc ille vir ſenſit, hoc verbis iſtis elocutus eſt. Quid eſt illud? Nomine aiunt cæli & terræ, totum iſtum viſibilem mundum pri° vniuerſaliter & breuiter ſignificare voluit, vt poſtea digereret dierũ enumeratione, quaſi articulatim vniuerſa quæ ſancto Spiritui placuit ſic enũciare. Tales quippe homines erant rudis ille atque carnalis populus cui loquebatur, vt eis opera Dei nõ niſi ſola viſibilia commendanda iudicaret. Terram verò inuiſibilem & incompoſitam, tenebroſamq; abyſſum, vnde conſequenter oſtenditur per illos dies facta atque diſpoſita eſſe cuncta iſta viſibilia quę nota ſunt omnibus, non incongruẽter informem iſtam materiam intelligendam eſſe conſentiunt. Quid ſi dicat alius, eandem

CAPVT XVII. *Quid cæli & terræ nominibus ſignificatum.* Gen. 1. a.

Pſal. 148. a. 6.

2. Sent. diſt. 2. Eccl. 1. a. 4.

2. Cor. 5. d. 21.

Eccleſ. 1. a. 4.

Gal. 4. d. 26. Pſal. 148. a. 4.

dem informitatem, confuſionemq; materiæ, cæli & terræ nomine prius inſinuatam, quòd ex ea mundus iſte viſibilis cum omnibus naturis quæ in eo manifeſtiſſimè apparent, qui cęli & terrę nomine ſæpe appellari ſolet, conditus atque perfectus eſt? Quid ſi dicat & alius, cælum & terram quidem inuiſibilem viſibilémque naturam, non indecenter appellatam, ac per hoc vniuerſam creaturam, quam fecit in ſapientia id eſt in principio Deus, huiuſcemodi duobus vocabulis eſſe comprehenſam; verumtamen quia non de ipſa ſubſtantia Dei, ſed ex nihilo cuncta facta ſunt, quia non ſunt idipſum quod Deus, & ineſt quædam mutabilitas omnibus, ſiue maneant, ſicut æterna domus Dei; ſiue mutentur, ſicut anima hominis & corpus; communem omnium rerum inuiſibiliũ viſibiliumq; materiẽ adhuc informem, ſed certè formabilem, vnde fieret cælum & terra, id eſt inuiſibilis atque viſibilis iam vtraque formata creatura, his nominibus enũciata, quibus appellaretur terra inuiſibilis & incompoſita & tenebræ ſuper abyſſum; ea diſtinctione, vt terra inuiſibilis & incompoſita intelligatur materies corporalis ante qualitatem formæ. Tenebræ autem ſuper abyſſum, ſpiritalis materies ante cohibitionem quaſi fluentis immoderationis, & ante illuminationẽ ſapientiæ? Eſt adhuc quod dicat ſi quis aliud velit, nõ ſcilicet iam perfectas atque formatas inuiſibiles viſibilesq; naturas cæli & terræ nomine ſignificari, cùm
Gen.1.a.1. legitur, In principio fecit Deus cælum & terram; ſed ipſam adhuc informem inchoationem rerum formabilem creabilemq; materiam his nominibus appellatam, quòd in ea iam eſſent iſta confuſa, nondum qualitatibus formisq; diſtincta, quę nunc iam digeſta ſuis ordinibus vocantur cælum & terra; illa ſpiritalis, hæc corporalis creatura.

CAPVT XVIII. *Quis error inoxius in ſcripturis.*

QVIBVS omnibus auditis & conſideratis, nolo verbis contendere; ad nihil enim vtile eſt niſi ad ſubuerſionem audientium. Ad ædificationem autem bona eſt lex, ſi quis ea legitimè vtatur, quia finis eius eſt charitas de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta. Et nouit magiſter noſter in quibus duobus
2.Tim.2.b.14. 1 Tim.1 b.9. Matth.22.d. præceptis totam legem prophetasq; ſuſpenderit. Quę mihi ardenter confitenti, Deus meus lumen oculorũ meorum in occulto, quid mihi obeſt, cùm diuerſa in his verbis intelligi poſſint, quæ tamen vera ſint; quid inquam mihi obeſt, ſi aliud ego ſenſero quàm ſenſit alius eum ſenſiſſe qui ſcripſit? Omnes quidem qui legimus, nitimur hoc indagare atque comprehendere quod voluit ille quem legimus. Et cùm eum veridicum credimus, nihil quod falſum eſſe vel nouimus vel putamus, audemus eum exiſtimare dixiſſe. Dum ergo quiſque conatur id ſentire in Scripturis ſanctis, quod in eis ſenſit ille qui ſcripſit; quid mali eſt ſi hoc ſentiat, quod tu lux omnium veridicarum mentium oſtendis verum eſſe; etiam ſi hoc non ſenſit ille quem legit, cùm & ille verum, nec tamen hoc ſenſerit?

CAPVT XIX. *Quæ liquidò vera.* Gen.1.a. Pſalm.103.c.14.

VERVM eſt enim Domine, feciſſe te cælum & terram; & verum eſt principium eſſe ſapientiam tuam in qua feciſti omnia. Item verum eſt, quòd mũdus iſte viſibilis habet magnas partes ſuas cælũ & terram breui complexione factarum omnium conditarumque naturarum. Et verum eſt, quòd omne mutabile inſinuat notitiæ noſtræ quandam informitatem qua formam capit, vel qua mutatur & vertitur. Verũ eſt, nulla tẽpora perpeti, quod ita cohæret formæ incommutabili, vt quamuis ſit mutabile, non mutetur. Verum eſt, informitatem quæ propriè nihil eſt, vices temporum habere non poſſe. Verum eſt, quòd vnde fit aliquid, poteſt quodam genere locutionis habere iam nomen eius rei quæ inde fit, vnde potuit vocari cælum & terra quælibet informitas vnde factum eſt cælum & terra. Verum eſt, omnium formatorum nihil eſſe informi vicinius, quàm terram & abyſſum. Verum eſt, quod non ſolum creatum atque formatum, ſed etiam quicquid creabile atq; formabile eſt, tu feciſti ex quo ſunt omnia. Verũ eſt, omne quod ex informi formatur, prius eſſe informe, deinde formatũ.

CAPVT XX. *In principio creauit, &c. variè intellectum.*

EX his omnibus veris, de quibus non dubitãt quorum interiori oculo talia videre donaſti, & qui Moyſen famulum tuum in ſpiritu veritatis locutum eſſe immobiliter credunt. Ex his ergo omnibus aliud ſibi tollit qui dicit, In principio fecit Deus cælum & Geneſ.1.a.1. terram, id eſt in verbo ſuo ſibi coęterno fecit Deus intelligibilem atq; ſenſibilem, vel ſpiritalem corporalemque creaturam. Aliud qui dicit, In principio fecit Deus cælum & terram; id eſt in verbo ſuo ſibi coęterno, fecit Deus vniuerſam iſtam molem corporei mũdi huius, cum omnibus quas continet manifeſtis notisque naturis. Aliud qui dicit, In principio fecit Deus cælum & terram; id eſt in verbo ſuo ſibi coæterno, fecit Deus informem materiã creaturæ ſpiritalis & corporalis. Aliud qui dicit, In principio fecit Deus cęlum & terram; id eſt in verbo ſuo ſibi coæterno, fecit Deus informem materiam creaturæ corporalis vbi confuſum adhuc erat cælum & terra, quæ nũc iam diſtincta atque formata in iſtius mundi mole ſentimus. Aliud qui dicit, In principio fecit Deus cælum & terram; id eſt in ipſo exordio faciendi atque operãdi fecit Deus informem materiam confuſè habẽtem cælum & terram, vnde formata nunc eminent & apparent cum omnibus quæ in eis ſunt.

CAPVT XXI. *Terra erat inanis, variè intellectum.* Gen.1.a.2. *al.* incorporale.

ITEM quod attinet ad intellectum verborum ſequẽtium, ex illis omnibus veris, aliud ſibi tollit qui dicit, Terra autem erat inuiſibilis & incompoſita, & tenebræ erant ſuper abyſſum; id eſt corporabile illud quod fecit Deus, adhuc materies erat corporearum rerum informis ſine ordine, ſine luce. Aliud qui dicit, Terra autem erat inuiſibilis & incompoſita, & tenebræ erant ſuper abyſſum; id eſt hoc totum quod cælum & terra appellatum eſt, adhuc informis & tenebroſa materies erat, vnde fieret cælum corporeum & terra corporea cum omnibus quæ in eis ſunt corporeis ſenſibus nota. Aliud qui dicit, Terra autem erat inuiſibilis & incompoſita, & tenebræ erãt ſuper abyſſum; id eſt hoc totum quod cælum & terra appellatũ eſt, adhuc informis & tenebroſa materies erat, vnde fieret cælum intelligibile, quod alibi dicitur cælum Pſalm.113.a.16. cæli; & terra ſcilicet omnis natura corporea, ſub quo nomine intelligatur etiam hoc cælum corporeum, id eſt vnde fieret omnis inuiſibilis viſibilisque creatura. Aliud qui dicit, Terra autem erat inuiſibilis & incõpoſita, & tenebræ erant ſuper abyſſum; non illam informitatem nomine cæli & terræ Scriptura appellauit, ſed iam erat, inquit, ipſa informitas quam terram inuiſibilem & incompoſitam tenebroſamq; abyſſum nominauit, de qua cælum & terram Deum feciſſe prædixerat, ſpiritalem ſcilicet, corporalemque creaturam. Aliud qui dicit, Terra autem erat inuiſibilis & incompoſita, & tenebræ erãt ſuper abyſſum; id eſt informitas quædam iam materies erat, vnde cælum & terram Deum feciſſe Scriptura prædixit, totam ſcilicet corpoream mundi molem, in duas maximas partes ſuperiorem atque inferiorem diſtributam, cum omnibus quæ in eis ſunt viſitatis notisq; creaturis.

CAPVT XXII. *Et aquæ nomine cæli aut terræ ſignificantur.*

CVM enim duabus iſtis extremis ſententiis reſiſtere quiſquam ita tentauerit: Si non vultis hanc informitatem materiæ cęli & terræ nomine appellatam videri, erat ergo aliquid quod non fecerat Deus, vnde cælum & terram faceret; neque enim ſcriptura narrauit quòd iſtam materiem Deus fecerit, niſi vt intelligamus eam cæli & terræ, aut ſolius terræ vocabulo ſignificatã, cùm diceretur, In principio fecit Deus cælũ Geneſ.1.a.1. & terrã; vt id quod ſequitur, Terra aũt erat inuiſibilis

& incompoſita: quãuis informem materiam ſic placuerit appellare, non tamẽ intelligamus niſi eam quã fecit Deus in eo quod ſcriptum eſt: Fecit Deus cælũ & terram. Reſpondebunt aſſertores duarum iſtarum ſententiarum quas extremas poſuimus, aut illius, aut illius, cùm hæc audierint & dicẽt: Informem quidem iſtam materiam non negamus à Deo factã, à quo ſunt omnia bona valde: quia ſicut dicimus amplius bonũ eſſe quod creatum atq; formatum eſt, ita faremur minus bonum eſſe quod factum eſt creabile atq; formabile, ſed tamen bonum, non autem commemoraſſe ſcripturam, quòd hanc informitatem fecerit Deus, ſicut alia multa non commemorauit, ſicut Cherubin & Seraphin, & quæ Apoſtolus diſtinctè ait, ſedes, dominationes, principatus, poteſtates, quę tamen omnia Deum feciſſe manifeſtum eſt. Aut ſi in eo quod dictũ eſt: Fecit cælum & terram; comprehenſa ſunt omnia, quid de aquis dicimus, ſuper quas ferebatur ſpiritus Dei? Si enim terra nominata ſimul intelligũtur, quomodo iam terrę nomine materies informis accipitur, quando tam ſpecioſas aquas videmus? Aut ſi ita accipitur, cur ex eadem informitate ſcriptum eſt, factum firmamẽtum & vocatum cælum, neque ſcriptum eſt factas eſſe aquas? Non enim adhuc informes ſunt & inuiſæ, quas ita decora ſpecie fluere cernimus. Aut ſi tunc acceperũt iſtam ſpeciem cùm dixit Deus: Congregetur aqua quæ eſt ſub firmamento, vt congregatio ſit ipſa formatio, quid reſpondebitur de aquis quæ ſuper firmamentum ſunt: quia neque informes tam honorabilem ſedem accipere meruiſſent, nec ſcriptũ eſt qua voce formatæ ſint? Vnde ſi aliquid Geneſis tacuit Deum feciſſe, quod tamen Deum feciſſe nec ſana fides, nec certus ambigit intellectus, nec ideo vlla ſobria doctrina dicere audebit iſtas aquas coæternas Deo: quia in libro Geneſeos commemoratas quidem audiuimus, vbi autem factæ ſint non inuenimus. Cur non informem quoque illam materiem, quam Scriptura hæc terram inuiſibilem & incompoſitam, tenebroſamq́ abyſſum appellat, docente veritate intelligamus à Deo factam eſſe de nihilo, ideoq́ illi non eſſe coæternam, quamuis vbi facta ſit, omiſerit ẽnunciare iſta narratio?

Eſa. 6.a.1. & cap. 37. c.16.

Coloſ. 1.c.16.

CAPVT XXIII. *A ſenſu Scripturæ aberrare, leuius eſt quàm ſcripturam dicere falſam.*

HIS ergo auditis atque perſpectis, pro captu infirmitatis meæ, quam tibi cõfiteor ſciẽti Deo meo, duo video diſſenſionum genera oboriri poſſe, cùm aliquid à nunciis veracibus per ſigna enũciatur, vnum ſi de veritate rerum, alterum ſi de ipſius qui annũciat voluntate diſſenſio eſt. Aliter enim quęrimus de creaturæ conditione quid verum ſit, aliter autem quid in his verbis Moyſes egregius domeſticus fidei tuæ intelligere lectorem auditoremq́ voluerit. In illo primo genere diſcedãt à me omnes qui ea quę falſa ſunt, ſe ſcire arbitrantur. In hoc item altero diſcedant à me omnes qui ea quæ falſa ſunt Moyſen dixiſſe arbitrantur. Coniungar autem illis Domine in te, & delecter cum eis in te, qui veritate tua paſcuntur in latitudine charitatis, & accedamus ſimul ad verba libri tui, & quæramus in eis voluntatem tuam per voluntatem famuli tui, cuius calamo diſpenſaſti ea.

CAPVT XXIIII. *Verax ſcriptura etiamſi non intelligatur.*

SED quis noſtrum ſic inueniet eam inter tam multa verba quæ in illis verbis aliter atque aliter intellectis occurrunt quærentibus, vt tã fidenter dicat hoc ſenſiſſe Moyſen, atque hoc in illa narratione voluiſſe intelligi, quàm fidenter dicit hoc verum eſſe, ſiue ille hoc ſenſerit ſiue aliud? Ecce enim Deus meus, ego ſeruus tuus, qui voui tibi ſacrificium confeſſionis in his literis, & oro vt ex miſericordia tua reddam tibi vota mea. Ecce ego quàm fidenter dico in tuo verbo incommutabili omnia te feciſſe, inuiſibilia & viſibilia. Nunquid tam fidenter dico non aliud quàm hoc attendiſſe Moyſen cùm ſcriberet: In principio fecit

Gen.1.a.1.

A Deus cælum & terram? Quia non ſicut in tua veritate hoc certum video, ita in eius mente video id eum cogitaſſe cùm hæc ſcriberet. Potuit enim cogitare in ipſo faciendi exordio, cùm diceret: In principio: potuit cęlum & terram hoc loco nullam iam formatam perfectam naturam ſiue ſpiritalem ſiue corporalem, ſed vtrãque inchoatam, & adhuc informem velle intelligi. Video quippe verè potuiſſe dici quicquid horum diceretur, ſed quid horum in his verbis ille cogitauerit, non ita video: quamuis ſiue aliquid horum, ſiue aliquid aliud quod à me commemoratum non eſt, tantus vir ille mente conſpexerit, cùm hęc verba promeret, verum eum vidiſſe apteq́ue id enunciaſſe non dubitem. Nemo mihi iam moleſtus ſit dicendo mihi, non hoc ſenſit Moyſes quod tu dicis: ſed hoc ſenſit quod ego dico. Si enim mihi diceret, vnde ſcis hoc ſẽſiſſe Moyſen, quod de his verbis eius eloqueris, æquo animo ferre deberem, & reſponderem fortaſſe quę ſuperiùs reſpondi, vel aliquanto vberiùs, ſi eſſet durior.

B CVM verò dicit: Non hoc ille ſenſit quod tu dicis, ſed quod ego dico, neq; tamen negat quod vterque noſtrũm dicit, vtrumque verum eſſe. O vita pauperum Deus meus, in cuius ſinu non eſt contradictio, plue mihi mitigationes in cor, vt patiẽter tales feram qui non mihi hoc dicunt, quia diuini ſunt, & in corde famuli tui viderunt quod dicũt, ſed quia ſuperbi ſunt, nec nouerunt Moyſi ſententiam, ſed amant ſuam, nõ quia vera eſt, ſed quia ſua eſt. Alioquin & aliam verã pariter amarent, ſicut & ego amo quod dicunt, quando verum dicunt, non quia ipſorum eſt: ſed quia verũ eſt, & ideo iam nec ipſorum eſt, quia verum eſt. Si aũt ideo amant illud quia verum eſt, iam & ipſorum eſt & meum eſt: quoniam in commune omnium eſt veritatis amatorum. Illud autem quod contendunt non hoc ſenſiſſe Moyſen quod ego dico, ſed quod ipſi dicunt, nolo, non amo: quia & ſi ita eſt, tamẽ iſta temeritas non ſcientiæ ſed audacię eſt, nec viſus ſed typhus eam peperit. Ideoq́ue Domine tremenda ſunt iudicia tua, quoniam veritas tua nec mea eſt, nec illius aut illius, ſed omnium noſtrũm quos ad eius communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quiſquis id quod tu omnibus ad fruendum proponis, ſibi propriè vẽdicat, & ſuum vult eſſe quod omnium eſt, à communi propellitur ad ſua, hoc eſt à veritate ad mendacium. Qui enim loquitur mendacium, de ſuo loquitur. Attende iudex optime Deus, ipſa veritas attende quid dicam contradictori huic, attende, coram te enim dico, & coram fratribus meis, qui legitimè vtuntur lege vſque ad finem charitatis, attende & vide quid ei dicam ſi placet tibi. Hãc enim vocem huic refero fraternam & pacificam: Si ambo videmus verum eſſe quod dicis, & ambo videmus verum eſſe quod dico, vbi quæſo id videmus? Nec ego vtique in te, nec tu me, ſed ambo in ipſa quæ ſupra mentes noſtras eſt incommutabili veritate. Cùm ergo de ipſa Domini Dei noſtri luce non contendamus, cur de proximi cogitatione contendimus, quam ſic videre non poſſumus vt videtur incommutabilis veritas, quando ſi ipſe Moyſes apparuiſſet nobis atque dixiſſet: hoc cogitaui: nec ſic eam videremus, ſed crederemus? Non itaque ſupra quàm ſcriptum eſt, vnus pro altero infletur aduerſus alterum. Diligamus Dominum Deum noſtrum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente noſtra, & proximum noſtrum ſicut noſmetipſos. Propter quę duo præcepta charitatis ſenſiſſe Moyſen quicquid in illis libris ſenſit, niſi crediderimus mendacẽ faciemus Deum, cùm de animo conſerui aliter quàm ille docuit opinamur. Iam vide quã ſtultum ſit in tanta copia veriſſimarum ſentẽtiarum, quæ de illis verbis erui poſſunt, temerè affirmare, quã earum

CAPVT XXV. *Obſcuritas Geneſeos.*

Ioan. 8.f.44.

1.Tim.1.b.8.

1.Cor.4.b.6. Deut. 6.a.5. Matth.22.d. 37.

earum Moyſes potiſſimum ſenſerit, & pernicioſis contentionibus ipſam offendere charitatem, propter quam dixit omnia cuius dicta conamur exponere.

CAPVT XXVI. *Qui ſermo deceat Scripturam.*

ET tamẽ ego Deus meꝰ celſitudo humilitatis meæ, & requies laboris mei, qui audis cõfeſſiones meas, & dimittis peccata mea, quoniam tu mihi præcipis vt diligam proximum meum ſicut meipſum, nõ poſſum minus credere de Moyſe fideliſſimo famulo tuo quã mihi optarem ac deſiderarem abs te dari muneris, ſi tempore illo natus eſſem quo ille, eoq; loco me conſtituiſſes, vt per ſeruitutem cordis ac linguæ meæ, literæ illæ diſpenſarentur, quæ tanto pòſt eſſent omnibus gentibus profuturæ, & per vniuerſum orbem tanto authoritatis culmine omnium falſarũ ſuperbarumq; doctrinarum verba ſuperaturæ. Vellem quippe ſi tũc ego eſſem Moyſes, ex eadem namq; maſſa omnes venimus, & quid eſt homo niſi quia memor es eius? vellem ergo ſi tunc ego eſſem quod ille, & mihi abs te Geneſeos liber ſcribendus iniungeretur, talem mihi eloquendi facultatem dari, & eum texendi ſermonis modum, vt neque illi qui nondum queunt intelligere, quemadmodum Deus creat, tanquam excedentia vires ſuas dicta recuſarent; & illi qui hoc iam poſſunt, in quamlibet veram ſententiam cogitando veniſſent, eam non prętermiſſam in paucis verbis tui famuli reperirent; & ſi alius aliam vidiſſet in luce veritatis, nec ipſa in eiſdem verbis intelligenda deeſſet.

Pſalm.8.a.5.

CAPVT XXVII. *Ex fonte melius hauritur.*

SICVT enim fons in paruo loco vberior eſt, pluribuſque riuis in ampliora ſpatia fluxum miniſtrat, quàm quilibet eorum riuorum qui per multa locorũ ſpatia ab eodem fonte deducitur; ita narratio diſpenſatoris tui ſermocinaturis pluribus profutura, paruo ſermonis modulo ſcatet fluenta liquidæ veritatis, vnde ſibi quiſque verum quod de his rebus poteſt, hic illud, illẽ illud, per longiores loquelarum anfractus trahat. Alij enim cùm hæc verba legunt vel audiunt, cogitãt Deum quaſi hominem, aut quaſi aliquam molẽ immenſa præditam poteſtate, nouo quodam & repẽtino placito, extra ſeipſam tanquam locis diſtantibus feciſſe cælum & terram, duo magna corpora ſuprà & infrà, quibus omnia continerentur. Et cùm audiunt, Dixit Deus fiat illud, & factum eſt illud; cogitant verba cœpta & finita, ſonantia temporibus atque tranſeuntia, poſt quorum tranſitum ſtatim exiſteret quod iuſſum eſt vt exiſteret, & ſi quid fortè aliud hoc modo ex familiaritate carnis opinantur. In quibus adhuc paruulis animalibus dum iſto humillimo genere verborum tanquam materno ſinu eorum geſtatur infirmitas, ſalubriter ædificatur fides, qua certum habeant & teneant Deum feciſſe omnes naturas, quas eorum ſenſus mirabili varietate circũſpicit. Quorum ſi quiſpiam quaſi vilitatem dictorum aſpernatus, extra nutritorias cunas ſuperba imbecillitate ſe extenderit, heu cadet miſerè. Domine Deus miſerere, ne implumem pullum conculcent qui tranſeunt viam, & mitte angelum tuum qui eum reponat in nido, vt viuat donec volet.

CAPVT XXVIII. *Vanè intelligitur à diuerſis ſcriptura.*

ALII verò quibus hæc verba non iam nidus, ſed opaca fruteta ſunt, vident in eis latentes fructus & volitant lætantes, & garriunt ſcrutantes, & carpunt eos. Vident enim cùm hæc verba legunt vel audiunt, tua Deus æterna & ſtabili permanſione cuncta præterita & futura tempora ſuperari; nec tamen quicquã eſſe temporalis creaturæ, quod tu non feceris; cuius voluntas quia id eſt quòd tu, nullo modo mutata vel quæ antea non fuiſſet exorta voluntate feciſti omnia; non de te ſimilitudinem tuam formam omnium, ſed de nihilo †diſſimilitudinem informem, quæ formaretur per ſimilitudinem tuam, recurrẽs in te vnum pro captu ordinato quãtum cuique rerum in ſuo genere datum eſt; & fierent omnia bona valde, ſiue maneant

al. ſimilitudinem.

A circa te, ſiue gradatim remotiori diſtantia per tempora & loca pulchras variationes faciant aut patiantur. Vident hæc & gaudent in luce veritatis tuæ quantulum hinc valent. Et alius eorum intẽdit in id quod dictum eſt, In principio fecit Deus, & reſpicit ſapientiã principium, quia & loquitur ipſa nobis. Alius itidem intendit in eadem verba, & principium intelligit exordium rerum conditarum, & ſic accipit, In principio fecit; ac ſi diceretur, primò fecit: atque in eis qui intelligunt, In principio, quòd in ſapientia feciſti cælum & terram; alius eorum ipſum cælum & terram creabilem materiam cæli & terræ, ſic eſſe credit cognominatam; alius iam formatas diſtinctasque naturas; alius vnam formatam; eandemque ſpiritalem cæli nomine, aliam informem corporalis materiæ, terræ nomine. Qui autem intelligunt in nominibus cæli & terræ, adhuc informem materiem, de qua formaretur cælum & terra; nec ipſi vno modo id intelligunt, ſed alius vnde conſummaretur intelligibilis ſenſibilisque

B creatura; alius tantum vnde ſenſibilis moles iſta corporea, ſinu grandi continens perſpicuas promptasque naturas. Nec illi vno modo qui iã diſpoſitas digeſtasq; creaturas cælum & terram vocari hoc loco credunt, ſed alius inuiſibilem atque viſibilem, alius ſolam viſibilem in qua luminoſum cęlum ſuſpicimus, & terram caliginoſam, quæque in eis ſunt.

Gen.1.a.1. al. meminit Ioan.8.a.25.

CAPVT XXIX. *Quot modis dicitur aliquid prius.*

ATT ille qui non aliter accipit, In principio fecit; quàm ſi diceretur, primò fecit; non habet quomodo veraciter intelligat cęlum & terram, niſi materiam cæli & terræ intelligat, videlicet vniuerſæ, id eſt intelligibilis corporalisque creaturę. Si enim iam formatam velit vniuerſam; rectè ab eo quæri poterit, ſi hoc primò fecit Deus, quid fecerit deinceps, & poſt vniuerſitatem non inueniet, ac per hoc audiet inuitus quomodo illud primò ſi poſtea nihil? Cùm verò dicit primò informem, deinde formatam, nõ eſt abſurdus, ſi modò eſt idoneus diſcernere quid præcedat æternitate, quid tẽpore, quid electione, quid origine. Æternitate, ſicut Deus omnia; tempore, ſicut flos fructum;

C electione, ſicut fructus florem; origine, ſicut ſonus cãtum. In his quatuor primum & vltimum quæ commemoraui, difficillimè intelliguntur; duo media facillimè. Namque rara viſio eſt & nimis ardua conſpicere Domine æternitatem tuam incommutabiliter mutabilia facientem, ac per hoc priorem. Quis deinde ſic acuto cernat animo, vt ſine labore magno dignoſcere valeat, quomodo ſit prior ſonus quàm cantus? Ideo quia cãtus eſt formatus ſonus, & eſſe vtique aliquid non formatum poteſt; formari autẽ quod non eſt, non poteſt. Sic eſt prior materies, quàm id quod ex ea fit. Non ideo prior, quia ipſa efficit, cùm potius fiat; nec prior interuallo tẽporis. Neque enim priore tempore ſonos edimus informes ſine cantu, & eos poſteriore tempore in formam cantici coaptamus aut fingimus, ſicut ligna quibus arca, vel argentum quo vaſculum fabricatur. Tales quippe materiæ, tempore etiam præcedunt formas rerum quæ fiunt ex eis. At in

D cantu non ita eſt. Cùm enim cantatur, auditur ſonus eius. Non prius informiter ſonat, & deinde formatur in cantum. Quod enim primò vtcunq; ſonuerit, præterit, nec ex eo quicquam reperies quod reſumptum arte componas: & ideo cãtus in ſono ſuo vertitur, qui ſonus eius, materies eius eſt. Idem quippe formatur vt cantus ſit, & ideo, ſicut dicebam, prior materies ſonãdi quàm forma cantandi; non †perficiendi potentia prior. Neque enim ſonus eſt cantandi artifex, ſed cantanti animæ ſubiacet ex corpore, de quo cantũ faciat. Nec tempore prior, ſimul enim cũ cantu editur. Nec prior electione, nõ enim potior ſonus quã cantus, quãdo quidem cantus eſt non tãtum ſonus, verumetiam ſonus ſpecioſus. Sed prior eſt origine, quia non cantus

al. per faciendi potentiam.

formã-

formatur vt ſonus ſit, ſed ſonus formatur vt cantus A
ſit. Hoc exemplo qui poteſt intelligat materiam rerum primò factam & appellatam cælum & terram; quia inde facta ſunt cælum & terra; nec tempore primo factam, quia formæ rerum exerunt tempora, illa autem erat informis, iamque in temporibus ſimul animaduertitur, nec tamen de illa narrari aliquid poteſt, niſi velut tempore prior ſit, cùm pendatur extremior; quia profectò meliora ſunt formata quàm informia, & præcedunt æternitate creatoris, vt eſſet de nihilo, vnde aliquid fieret.

CAPVT XXX. *Scrutãde Scriptura cum honore ſcriptoris.*

IN hac diuerſitate ſententiarum verarum concordiam pariat ipſa veritas, & Deus noſter miſereatur noſtri, vt legitimè lege vtamur, præcepti fine, pura charitate; ac per hoc ſi quis quærit ex me, quid horum Moyſes ille tuus famulus ſenſerit, non ſunt hi ſermones confeſſionum mearum, ſi tibi non confiteor, neſcio; & ſcio tamen illas veras eſſe ſententias, exceptis carnalibus de quibus quantũ exiſtimaui locutus ſum. Quos tamen bonæ ſpei paruulos hæc verba libri tui B
non territant, alta humiliter, & pauca copioſè; ſed omnes quos in eis verbis vera cernere ac dicere fateor, diligamus nos inuicem, pariterq; diligamus te Deum noſtrum fontem veritatis, ſi non vana, ſed ipſam ſitimus; eundemque famulum tuum Scripturæ huius diſpenſatorem, ſpiritu tuo plenũ ita honoremus, vt hoc eum te reuelante cùm hæc ſcriberet attendiſſe credamus, quod in eis maximè & luce veritatis, & fruge vtilitatis excellit.

CAPVT XXXI. *Veritas à quocunque dicta recipienda.*

ITA cùm alius dixerit hoc ſenſit quod ego; & alius imò illud quod ego; religioſius me arbitror dicere cur non vtrumque potius ſi vtrumque verum eſt? Et ſi quid tertium, & ſi quid quartum, & ſi quid omnino aliud verum quiſpiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidiſſe credatur, per quem vnus Deus ſacras literas vera & diuerſa viſuris multorum ſenſibus temperauit? Ego certè, quod intrepidus de corde meo pC
nuncio; ſi ad culmen authoritatis aliquid ſcriberem, ſic mallem ſcribere, vt quod veri quiſque de his rebus capere poſſet, mea verba reſonarent, quàm vt vnam veram ſententiam ad hoc apertiùs ponerem, vt excluderem cæteras, quarum falſitas me non poſſet offendere. Nolo itaque Deus meus tam præceps eſſe, vt hoc illum virum de te meruiſſe non credam. Senſit ille omnino in his verbis, atque cogitauit cùm ea ſcriberet, quicquid hic veri potuimus inuenire, & quicquid nos non potuimus, aut nondum poſſumus, & tamen in eis inueniri poteſt.

CAPVT XXXII. *Veritas reuelata. Pſal. 142. c. 11.*

POSTREMO Domine qui Deus es, & non caro & ſanguis, ſi quid homo minus videt, nunquid & ſpiritum tuũ bonum qui deducet me in terram rectam latere potuit, quicquid eras in eis verbis tu ipſe reuelaturus legentibus poſteris; etiam ſi ille per quem dicta ſunt, vnam fortaſſis ex multis veris ſententiam co- D
gitauit? Quod ſi ita eſt, ſit igitur illa quam cogitauit cæteris excellẽtior. Nobis autem Domine, aut ipſam demonſtra, aut quam placet alteram veram; vt ſiue nobis hoc quod etiam illi homini tuo, ſiue aliud ex eorundem verborum occaſione patefacias, tu tamen paſcas nos, nõ error illudat. Ecce Domine Deus meus quàm multa de paucis verbis, quàm multa oro te ſcripſimus? Quæ noſtræ vires, quæ tempora omnibus libris tuis ad iſtum modum ſufficiant? Sine itaque me breuius in eis confiteri tibi, & eligere vnum aliquid quod tu inſpiraueris verum certum & bonum, etiam ſi multa occurrerint, vbi multa occurrere poterunt, ea fide confeſſionis meæ, vt ſi hoc dixero quod ſenſit miniſter tuus, rectè atque optimè, id enim conari me oportet. Quòd ſi aſſecutus non fuero, id tamen dicam quod mihi per eius verba veritas tua dicere voluerit, quæ illi quoque dixit quod voluit.

DIVI AVRELII AVGVSTINI CONFESSIONVM LIBER XIII.

CAPVT I. *Inuocat Deũ.*

INVOCO te Deus meus miſericordia mea qui feciſti me, & oblitum tui oblitus non es. Inuoco te in animam meam quam præparas ad capiẽdum te ex deſiderio quod inſpiras ei; nunc inuocãtem te ne deſeras, qui prius quàm inuocarem præueniſti & inſtitiſti crebeſcens multimodis vocibus, vt audirem de lõginquo & conuerterer, & vocantem me inuocarem te. Tu enim Domine deleuiſti omnia mala merita mea, ne retribueres manibus meis in quibus à te defeci; & præueniſti omnia bona merita mea, vt retribueres manibus tuis quib⁹ me feciſti, quia & priuſquam eſſem tu eras. Nec eram cui præſtares vt eſſem, & tamen ecce ſum ex bonitate tua præueniente totũ
hoc quod me feciſti, & vnde me feciſti. Neque enim eguiſti me, aut ego tale bonum ſum quo tu adiuueris Domine meus & Deus meus; non vt tibi ſic ſeruiam quaſi ne fatigeris in agendo, aut ne minor ſit poteſtas tua carens obſequio meo; neque vt ſic te colam quaſi terram, vt ſis incultus ſi non te colam; ſed vt ſeruiam tibi & colam te, vt de te mihi bene ſit, à quo mihi eſt vt ſim cui bene ſit.

CAPVT II. *Ordo creaturarum.*

EX plenitudine quippe bonitatis tuæ creatura tua ſubſiſtit, vt bonum quod tibi nihil prodeſſet, nec de te æquale tibi eſſet; tamen quia ex te fieri potuit non deeſſet. Quid enim te promeruit cælum & terra quæ feciſti in principio? Dicant quid te promeruerũt ſpiritalis corporaliſque natura, quas feciſti in ſapientia tua, vt inde penderent etiam inchoata & informia quæq; in genere ſuo, vel ſpiritali vel corporali, euntia
in † immoderationem, & in longinquam diſſimilitu- C
dinem tuã; ſpiritale informe præſtantius, quàm ſi formatum corpus eſſet; corporale autem informe præſtantius, quàm ſi omnino nihil eſſet; atque ita penderent in tuo verbo informia, niſi per idem verbum reuocarentur ad vnitatem tuam, & formarentur, & eſſent ab vno te ſummo bono vniuerſa bona valde. Quid te promeruerant vt eſſent ſaltem informia, quę neque hoc eſſent, niſi ex te? Quid te promeruit materies corporalis, vt eſſet ſaltem inuiſibilis & incompoſita, quia neque hoc eſſet niſi quia feciſti eam; ideoq; te quia non erat promereri vt eſſet non poterat. Aut quid te promeruit inchoatio creaturæ ſpiritalis, vt ſaltẽ tenebroſa fluitaret ſimilis abyſſo tui diſſimilis, niſi per idem verbum conuerteretur ad idem à quo facta eſt, atque ab eo illuminata lux fieret, quamuis non æqualiter, tamen conformis formæ æquali tibi? Sicut enim corpori non hoc eſt eſſe quod pulchrum eſſe, alioquin deforme eſſe non poſſet; ita etiam creato ſpiritui non id eſt viuere, quod ſapienter viuere; alioquin incommutabiliter ſaperet. Bonum autem illi eſt hærere tibi ſemper, ne quod adeptus eſt conuerſione, auerſione lumen amittat; & relabatur in vitam tenebroſæ abyſſo ſimilem. Nam & nos qui ſecundùm animam creatura ſpiritalis ſumus, auerſi à te noſtro lumine, in ea vita fuimus aliquando tenebræ, & in reli- *Epheſ. 5. 8.*
quiis obſcuritatis noſtræ laboramus, donec ſimus iuſtitia tua in vnico tuo ſicut montes Dei. Nam iudicia *Pſal. 35. 4.*
tua fuimus, ſicut abyſſus multa.

al moderationem.

CAPVT III. *Ex Dei gratia omnia Gen. 1. 4.*

QVOD autem in primis conditionibus dixiſti, Fiat lux, & facta eſt lux; non incongruenter hoc intelligo in creatura ſpiritali, quia erat iã qualiſcunq; vita quam illuminares. Sed ſicut non te promeruerat vt eſſet talis vita quæ illuminari poſſet, ita nec cùm iã eſſet promeruit te vt illuminaretur. Neque enim eius informi-

informitas placeret tibi si non lux fieret, non existendo sed intuendo illuminantem lucem, eique cohærendo; vt & quod vtcunque viuit, & quod beatè viuit, non deberet nisi gratiæ tuæ, conuersa per commutationem meliorem ad id quod neque in melius neque in deterius commutari potest, quod tu solus es, quia solus simpliciter es, cui nō est aliud viuere, aliud beatè viuere, quia tua beatitudo tu es.

CAPVT IIII. *Deus non eget rebus conditis.*

QVID ergo tibi deesset ad bonū quod tu tibi es, etiā si ista vel omnino nulla essent, vel informia remanerent, quæ non ex indigentia fecisti, sed ex plenitudine bonitatis tuæ; cohibens atq; conuertens ad formam, non vt tanquam tuum gaudium compleatur ex eis? Perfecto enim tibi displicet eorum imperfectio, vt ex te perficiantur & tibi placeant, non autem imperfecto, tanquā & tu eorum perfectione perficiendus sis. Spiritus enim tuus bonus superferebatur super aquas, non ferebatur ab eis tanquam in eis requiesceret. In quibus enim requiescere dicitur spiritus tuus bonus, hos in se requiescere facit. Sed superferebatur incorruptibilis & incommutabilis voluntas tua, ipsa in se sibi sufficiens super eam quam feceras vitam; cui non est hoc viuere quod beatè viuere, quia viuit etiam fluitans in obscuritate sua; cui restat conuerti ad eum à quo facta est, & magis magisque viuere apud fontem vitæ, & in lumine eius videre lumen, & perfici, & illustrari, & beari.

Psal.35.c.10.

CAPVT V. *Filius principium.*

ECCE apparet mihi in ænigmate Trinitas quod es Deus meus, quoniam tu pater in principio quod est tua sapientia de te nata, æqualis tibi & coæterna, id est in filio tuo fecisti cælum & terram. Et multa diximus de cælo cæli, & de terra inuisibili & incomposita, & de abysso tenebrosa, secundùm spiritalis informitatis vagabunda deliquia, nisi conuerteretur ad eū à quo erat qualiscunque vita, & illuminatione fieret speciosa vita, & esset cælum cæli eius, quod inter aquam & aquam postea factum est; & tenebam iam patrem in Dei nomine qui fecit hæc, & filiū in principij nomine in quo fecit hæc, & Trinitatem credens Deum meum sicuti credebam, quærebam in eloquiis sanctis eius, & ecce spiritus tuus superferebatur super aquas. Ecce Trinitas Deus meus, pater & filius & Spiritus sanctus, creator vniuersæ creaturæ.

CAPVT VI. *Spiritus subfusus aquis.*

SED quæ causa fuerat, ô lumen veridicum tibi admoneo cor meum, ne me vana doceat, discute tenebras eius, & dic mihi, obsecro te per matrem charitatem, obsecro te, dic mihi quæ causa fuerat, vt post nominatum cælum & terram, inuisibilem & incompositam, & tenebras super abyssum, tum demum scriptura tua nominaret spiritum tuum? An quia oportebat sic eum insinuari vt diceretur superferri, & non posset hoc dici nisi prius illud commemoraretur, cui superferri spiritus tu⁹ posset intelligi? Nec patri enim nec filio superferebatur; nec superferri rectè diceretur, si nulli rei superferretur? Prius ergo dicendum erat cui superferretur, & deinde ille quem non oportebat aliter commemorari, nisi vt superferri diceretur. Cur ergo aliter eum insinuari non oportebat, nisi vt superferri diceretur?

CAPVT VII. *Effectus spiritus.* *Rom.5.d.*

IAM hinc sequatur qui potest intellectu Apostolū tuum dicentem, quia charitas tua diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, & de spiritalibus docentem & demonstrantem supereminentem viam charitatis, & flectentem genua pro nobis ad te, vt cognoscamus supereminētem scientiam charitatis Christi. Ideoque ab initio supereminēs superferebatur super aquas. Cui dicam? quomodo dicam de pondere cupiditatis in abruptā abyssum & de subleuatione charitatis per spiritum tuum, qui superferebatur super aquas? Cui dicam? Quomodo dicam? Mergimur & emergimus. Neque enim loca sunt quibus mergimur & emergimus. Quid similius & quid dissimilius? Affectus sunt, amores sunt, immunditia spiritus nostri defluens inferius amore curarum, & sanctitas spiritus tui attollēs nos superiùs amore securitatis, vt sursum corda habeamus ad te, vbi spiritus tuus superfertur super aquas, & veniamus ad supereminentem requiem, cùm pertransierit anima nostra aquas quæ sunt sine substantia.

Ephes.3.c.

Psal.123.b.5.

CAPVT VIII. *Spiritus fouēs animas infirmas.*

DEFLVXIT angelus, defluxit anima hominis, & indicauerunt abyssum vniuersæ spiritales creaturæ in profundo tenebroso; nisi dixisses ab initio, Fiat lux, & facta esset lux, & inhæreret tibi omnis obediēs intelligentia cælestis ciuitatis tuæ, & requiesceret in spiritu tuo, qui superfertur incommutabiliter super omne mutabile. Alioquin & ipsum cælum cæli tenebrosa abyssus esset in se, nunc autem lux est in Domino. Nam ipsa misera inquietudine defluentium spirituum & indicantium tenebras suas nudatas veste luminis tui, satis ostendis quàm magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem quicquid te minus est, ac per hoc nec ipsa sibi. Tu enim De⁹ noster illuminabis tenebras nostras: ex te oriuntur vestimenta nostra, & tenebræ nostræ sicut meridies erunt. Da mihi te Deus meus, redde mihi, te enim amo, & si parum est, amem validiùs. Nō possum metiri vt sciam quantum desit mihi amoris; ad id quod satis est, vt currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur donec abscondar in abscondito vultus tui. Hoc tātum scio, quia malè mihi est præter te, non solùm extra me, sed & in meipso, & omnis mihi copia quæ Deus meus non est, egestas est.

Psalm.17.c.29. *Psal.138.b.12.* *Psalm.30.*

CAPVT IX. *Cur solus spiritus feratur super aquas.*

NVNQVID aut pater aut filius non superferebatur super aquas? Si tanquam loco sicut corpus, nec Spiritus sanctus. Si autem incōmutabilis diuinitatis eminētia super omne mutabile, & pater & filius & Spiritus sanctus superferebatur super aquas; cur ergo tantum de spiritu tuo dictum est hoc? cur de illo tantum dictum est, quasi locus ibi esset qui non est locus, de quo solo dictum est quòd sit donum tuum, & in dono tuo requiescimus; ibi te fruemur requies nostra, locus noster. Amor illuc attollit nos, & spiritus tuus bonus exaltat humilitatem nostram de portis mortis. In bona voluntate pax nobis est. Corpus pondere suo nititur ad locum suum. Pondus non ad ima tantum est, sed ad locum suum. Ignis sursum tendit, deorsum lapis. Ponderibus suis aguntur, loca sua petunt. Oleum infra aquam fusum, supra aquam attollitur; aqua supra oleum fusa, infra oleum demergitur; ponderibus suis aguntur, loca sua petunt. Minus ordinata inquieta sunt; ordinantur & quiescunt. Pondus meum amor meus, eo feror quocūque feror. Dono tuo accendimur, & sursum ferimur. Inardescimus & imus. Ascendimus ascensiones in corde, & cantamus canticum graduum. Igne tuo, igne tuo bono inardescimus & imus, quoniam sursum imus ad pacem Hierusalem, quoniam iucundatus sum in his quæ dixerunt mihi, in domum Domini ibimus. Ibi nos collocauit voluntas bona, vt nihil velimus aliud quàm permanere illic in æternum.

al. domō tua requiescemus.

Psal.83.b.6. *Psalm.121.a.1.*

CAPVT X. *Ex dono Dei omnia.*

BEATA creatura quæ non nouit aliud, cùm esset ipsa aliud, nisi dono tuo quod superfertur super omne mutabile, mox vt facta est, attolleretur nullo interuallo temporis in ea vocatione qua dixisti, Fiat lux, & facta est lux. In nobis enim distinguitur tempore, quo tenebræ fuimus, & lux efficimur. In illa verò dictum est quid esset nisi illuminaretur; & ita dictū est, quasi prius fuerit fluxa & tenebrosa; vt appareret causa qua factum est vt aliter esset, id est vt ad lumen indeficiens conuersa lux esset. Qui potest, intelligat, & qui

Gen.1.a.3. *Ephes.5.b.8.*

& qui non potest à te petat. Vt quid mihi molestus A
est, quasi ego illuminem vel vllum hominem veniẽ-
Ioan.1.a.9. tem in hunc mundum.

CAPVT XI. *Symbola Trinitatis in homine.*

TRINITATEM omnipotentem quis intelligit? Et quis non loquitur eam, si tamen eam? Rara anima, quæ cùm de illa loquitur, sciat quid loquatur. Et contendunt & dimicant, & nemo sine pace vidit istam visionem. Vellem vt hæc tria cogitarent homines in seipsis. Longè aliud sunt ista tria quàm illa Trinitas. Sed dico vbi se exerceant & probent, & sentiant quàm longè aliud sunt. Dico autem hęc tria, esse, nosse, velle. Sum enim, & noui, & volo; sum sciens & volens; & scio esse me, & velle; & volo esse & scire. In his igitur tribus quàm sit inseparabilis vita, & vna vita, & vna mens, & vna essentia, quàm denique inseparabilis distinctio, & tamẽ distinctio, videat qui potest. Certè coram se est, attendat in se, & videat & dicat mihi. Sed cùm inuenerit in his aliquid & dixerit, non iam se putet inuenisse illud quod supra ista est incõmutabile, quod est incommutabiliter, & scit incom- B
mutabiliter, & vult incommutabiliter; & vtrum propter tria hæc & ibi Trinitas; an in singulis hæc tria,
al.vt. †aut terna singulorum sint, an vtrumque miris modis simpliciter & multipliciter infinito in se sibi fine,
al.quod. †quo est, & sibi notum est, & sibi sufficit incommutabiliter idipsum copiosa vnitatis magnitudine, quis facilè cogitauerit? quis vllo modo dixerit? quis quolibet modo temerè pronunciauerit?

CAPVT XII. *Aqua baptismi per spiritũ efficax.*

PROCEDE in confessione fides mea, dic Domino Deo tuo: Sancte, sancte, sancte Domine Deus me°, in nomine tuo baptizati sumus, pater & fili & Spiritus sancte, in nomine tuo baptizamus, pater & fili & Spiritus sancte; quia & apud nos in Christo suo fecit Deus cælum & terram, spiritales & carnales Ecclesiæ suæ; & terra nostra antequàm acciperet formam do-
Psal.38.d.12. ctrinæ, inuisibilis erat; & incomposita; & ignorantiæ
Psal.35.a.7. tenebris tegebamur, quoniam pro iniquitate erudisti C
Gen.1.a.2. hominem, & iudicia tua sicut abyssus multa. Sed quia spiritus tuus superferebatur super aquam, nõ reliquit miseriam nostrã misericordia tua, & dixisti: Fiat lux. Pœnitẽtiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Pœnitentiam agite, fiat lux. Et quoniam con-
Matth.3.a.2. turbata erat ad nos ipsos anima nostra, commemo-
Psal.41.c.7. rati sumus tui Domine de terra Iordanis, & de monte æquali tibi, sed paruo propter nos; & displicuerunt nobis tenebræ nostræ, & conuersi sumus ad te, & fa-
Ephes.5.b.8. cta est lux. Et ecce fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

CAPVT XIII. *Ex spiritu remissio peccatorum.*

ET tamen adhuc per fidem, nondum per speciem. Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Adhuc abyssus abyssum inuocat, sed in voce cataractarum tuarum. Adhuc & ille
Rom.8.e.24. Psal.41.c.8. qui dicit, Non potui vobis loqui, quasi spiritalibus,
1.Cor.3.a.1. sed quasi carnalibus, etiam ipse nondum se arbitratur D
Phil.3.c.13. comprehendisse; & quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt, extenditur, & ingemiscit grauatus, & sitit anima
Psal.41.a.3. eius ad Deum viuum, quemadmodũ ceruus ad fon-
2.Cor.5.a.2. tes aquarum, & dicit: Quando veniam? habitaculum suum quod de cælo est, superindui cupiens & inuocat
Rom.12.a.2. inferiorem abyssum, dicens: Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate mentis vestræ; &
1.Cor.14.d.20. nolite pueri effici mentibus, sed malitia paruuli estote, vt mentibus perfecti sitis. Et, O stulti Galatæ quis
Gal.3.a.1. vos fascinauit? Sed iam non in voce sua; in tua enim
Act.2.a.2. qui misisti spiritum tuum de excelsis, per eum qui a-
Psa.67.c.19. scendit in altum, & aperuit cataractas donorum suo-
Psal.45.a.5. rum, vt fluminis impetus lætificaret ciuitatem tuam. Illi enim suspirat sponsi amicus, habens iam spiritus
Rom.8.d.23. primitias penes eum, sed adhuc in semetipso ingemiscens, adoptionem expectans redemptionem corporis sui; illi suspirat, membrum est enim sponsæ, & illi

zelat; amicus est enim sponsi, illi zelat non sibi; quia in
Ioan.3.d.29. Psal.41.c.8. voce cataractarum tuarum, non in voce sua inuocat alteram abyssum, cui zelans timet, ne sicut serpens E-
2.Cor.11.a.3. uam decepit astutia sua, sic & eorum sensus corrumpantur à castitate, quæ est in sponso nostro vnico tuo.
1.Ioan.3.a.2. Psal.41.a.4. Quæ est illa speciei lux? Cùm videbimus eum sicuti est, & transierint lachrymæ quæ mihi factæ sunt panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?

CAPVT XIIII. *Fide & spe corroboramur.*

ET ego dico: Deus meus vbi es? Respiro in te paulum, cùm effundo super me animam meam in voce exultationis & confessionis soni festiuitatem celebrãtis. Et adhuc tristis est, quia relabitur & fit abyssus, vel potius sentit adhuc se esse abyssum. Dicit enim fides mea, quam accendisti in nocte ante pedes
Psal.42.b.6. meos, Quare tristis es anima mea, & quare contur-
Psalm.118. Num 105. bas me? Spera in Dominum; lucerna pedibus tuis verbum eius. Spera & perseuera, donec transeat nox mater iniquorum, donec transeat ira Domini, cuius filij
Ephes.5.b.8. & nos fuimus aliquãdo tenebræ, quarum residua tra-
Rom.8.b.10. himus in corpore propter peccatum mortuo, donec
Cant.2.d.17. aspiret dies, & remoueantur vmbræ. Spera in Domi-
Psal.41.b.7. num; manè astabo tibi, & cõtemplabor, semper confitebor illi. Manè astabo & videbo salutare vultus
Psalm.5 a.5. Psal.42.b.6. mei, Deum meum qui viuificauit & mortalia corpora nostra, propter spiritum qui habitat in nobis; quia
Rom.8.c.11. super interius nostrũ tenebrosum & fluidum misericorditer superferebatur. Vnde in hac peregrinatione
Ephes.5.b.8. Rom.8.c.24. pignus accepimus, vt iam simus lux, dum adhuc spe
1.Thess.5.a.5. salui facti sumus, & filij lucis, & filij diei, non filij noctis neque tenebrarum, quod tamen fuimus. Inter
al.vitæ nostræ. quos & nos in isto adhuc incerto humanæ notitiæ, tu solus diuidis qui probas corda nostra, & vocas lucem diem, & tenebras noctem. Quis enim nos discer-
1.Cor.4.b.7. nit nisi tu? quid autem habemus quod nõ accepimus
Rom.9.c.21. à te, ex eadem massa vasa, in honorem, ex qua sunt & alia facta in contumeliam?

CAPVT XV. *Voce firmamenti Scriptura intelligitur.*

AVT quis nisi tu Deus noster fecisti nobis firmamentum authoritatis super nos de Scriptura tua diuina? Cælum enim plicabitur vt liber, & nunc sicut pellis extenditur super nos. Sublimioris enim autho-
Esa.34.a.4. ritatis est tua diuina Scriptura, cùm iam obierunt ista morte illi mortales, per quos eam dispensasti nobis. Et tu scis Domine, tu scis quemadmodum pellibus indueris homines, cùm peccato mortales fierent. Vn-
Psalm.103. a.3. de sicut pellem extendisti firmamentum libri tui, concordes vtique sermones tuos, quos per mortalium ministerium superposuisti nobis. Namque ipsa eorum morte solidamentum authoritatis in eloquiis tuis per eos editis sublimiter extenditur super omnia quæ subter sunt. Quod cùm hic viuerent, non ita sublimiter extentum erat. Nondum sicut pellem cælum extenderas, nondum mortis eorum famam vsquequaque dilataueras. Videamus Domine cælos o-
Psal.18.b.8. Psalm.8.a.3. pera digitorum tuorum, differens oculis nostris nubilum quo subtexisti eos. Ibi est testimonium tuum, sapientiam præstans paruulis. Perfice Deus meus laudem tuam ex ore infantium & lactentium. Neque enim nouimus alios libros ita destruentes superbiam, ita destruentes inimicum & defensorem, resistentem reconciliationi tuæ defendendo peccata sua. Non noui Domine, non noui alia tam casta eloquia, quæ sic mihi persuaderent confessionem, & lenirent cerui-
al.hoc. cem meam iugo tuo, & inuitarent colere te gratis. Intelligam ea pater bone, da mihi † hæc subterposito, quia subterpositis solidasti ea. Sunt aliæ aquæ super hoc firmamentum, credo immortales, & à terrena corruptione secretæ. Laudent nomen tuum, laudent te supercæleſtes populi angelorum tuorum, qui non opus habent suscipere firmamentum hoc, & legendo cognoscere verbum tuum. Vident

enim

Matth.18.b.10. enim faciem tuam ſemper, & ibi legunt ſine ſyllabis temporum quid velit æterna voluntas tua. Legunt, eligunt & diligunt; ſemper legunt, & nunquam præterit quod legunt. Eligendo enim & diligendo legunt ipſam incommutabilitatem conſilij tui. Non claudi-
al. plicatur. tur codex eorum, nec † plicabitur liber eorum, quia tuipſe illis hoc es, & es in æternum, quia ſuper hoc firmamentum ordinaſti eos, † quos firmaſti ſuper infirmitatem inferiorum populorum, vbi † ſuſciperent & cognoſcerent miſericordiam tuam, temporaliter † enunciantem te, qui feciſti tempora. In cęlo enim Domine miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes.
al. quod. al. ſuſpicerent. al. enunciante. Pſal.35.a.6. Tranſeunt nubes; cælum autem manet. Tranſeunt prædicatores verbi tui ex hac vita in aliam vitã, Scriptura verò tua vſq; in finem ſeculi ſuper populos extenditur. Sed & cælum & terra tranſibunt, ſermones
Matth.24.c.35. autem tui non tranſibunt, quoniam & pellis plicabitur, & fœnum ſuper quod extendebatur, cum claritate ſua præteriet, verbum autem tuum manet in æter-
Eſa.40.b.8. 1.Cor.13.d. num; quod nunc in ænigmate nubium & per ſpeculum cæli non ſicuti eſt apparet nobis; quia & nos quãuis filio tuo dilecti ſimus, nondum apparuit quod erimus. Attendit per retia carnis, & blanditus eſt, & in-
1.Ioan.3.d. Caut.1.4.4 flammauit, & cucurrimus poſt odorem eius. Sed cùm
2.Ioan.3.a.2. apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eũ ſicuti eſt. Sicuti eſt Domine videre noſtrum, quod nondum eſt, da nobis.

CAPVT XVI. *Deus immutabilis.*

NAM ſicut omnino tu es, tu ſcis ſolus, qui es incõmutabiliter, & ſcis incommutabiliter, & vis incommutabiliter. Et eſſentia tua ſcit & vult incommutabiliter, [& ſcientia tua eſt & vult incommutabiliter] & voluntas tua eſt & ſcit incommutabiliter. Nec videtur iuſtum eſſe coram te, vt quemadmodũ ſe ſcit lumen incommutabile, ita ſciatur ab illumina-
Pſal.142.b.6. to commutabili. Ideoque anima mea ſicut terra ſine aqua tibi; quia ſicut ſe illuminare de ſe non poteſt, ita
Pſal.35.c.10. ſe ſatiare de ſe non poteſt. Sic enim apud te fons vitæ, quomodo in lumine tuo videbimus lumen.

CAPVT XVII. *Quid arida, quid mare.*

QVIS congregauit amaricantes in ſocietatem vnam? Idem namque illis finis eſt temporalis & terrenæ felicitatis, propter quam faciunt omnia; quãuis innumerabili varietate curatum fluctuent. Quis
Gen.1.b.9. Domine, niſi tu qui dixiſti vt congregarentur aquæ in congregationem vnam, & appareret arida ſitiẽs tibi?
Pſal.94.a.5. Quoniam tuum eſt & mare, & tu feciſti illud, & aridam terram manus tuæ formauerunt; neque enim amaritudo voluntatum, ſed congregatio aquarum vocatur mare. Tu enim coërces etiam malas cupiditates animarum, & figis limites quouſque progredi ſinantur aquæ, vt in ſe comminuãtur fluctus earum; atque ita facis mare ordine imperij tui ſuper omnia. At
Iob 38.a.10.11. animas ſitientes tibi, & apparẽtes tibi alio fine diſtinctas à ſocietate maris, occulto & dulci fonte irrigas, vt & terra det fructum ſuum, & te iubente Domino Deo ſuo germinet anima noſtra opera miſericordiæ, ſecundùm genus diligens proximum in ſubſidiis neceſſitatum carnalium, habens in ſe ſemen ſecundùm ſimilitudinem; quoniam ex noſtra infirmitate compatimur ad ſubueniendum indigentibus, ſimiliter opitulantes quemadmodũ nobis vellemus opem ferri, ſi eodem modo indigeremus; non tantum in facilibus tanquam in herba ſeminali, ſed etiam in protectione adiutorij forti robore, ſicut lignum fructiferum, id eſt beneficium ad eripiẽdum eum qui iniuriam patitur, de manu potentis, & præbendo protectionis vmbraculum valido robore iuſti iudicij.

CAPVT XVIII. *Orat vt oriatur de terra veritas, & iuſtitia de cælo reſpiciat.*

ITA Domine, ita oro te, oriatur ſicuti facis, ſicuti das hilaritatem & facultatem, oriatur de terra veritas, & iuſtitia de cælo reſpiciat, & fiant in firmamento luminaria. Frangamus eſurienti panem noſtrum,
Pſalm.84.d.12. Iſa.58.b.7. & egenum ſine tecto inducamus in domum noſtrã.

A Nudum veſtiamus, & domeſticos ſeminis noſtri non deſpiciamus; quibus in terra natis fructibus, vide quia bonum eſt; & erumpat temporanea lux noſtra, & de iſta inferiori fruge actionis in delicias contemplationis verbum vitę ſuperiùs obtinentes, appareamus ſicut luminaria in mundo cohęrentes firmamento Scripturæ tuæ. Ibi enim nobiſcum diſputas, vt diuidamus inter intelligibilia & ſenſibilia, tãquam inter diem & noctem, vel inter animas alias intelligibilibus, alias ſenſibilibus deditas; vt iam non tu ſolus in abdito diiudicationis tuę, ſicut antequam fieret firmamentum diuidas inter lucem & tenebras, ſed etiam ſpiritales tui in eodem firmamento poſiti atque diſtincti, manifeſtata per orbem gratia tua luceant ſuper terram, & diuidant inter diem & noctem, & ſignificent tempora; quia vetera tranſierũt, ecce facta ſunt noua; & quia propior eſt noſtra ſalus, quã cùm credidimus; & quia Rom.13.c.11. Pſal.64.c.2. nox præceſſit, dies autem appropinquauit; & quia be-
B nedices coronam anni tui, mittens operarios in meſſem tuam, in qua ſeminanda alij laboraverunt, mittẽs etiam in aliam ſementem, cuius meſſis in fine eſt. Ita das vitã optanti, & benedicis annos iuſti; tu aũt idem ipſe es, & in annis tuis qui non deficiunt ortum præparas annis tranſeuntibus. Æterno quippe conſilio propriis temporibus bona cæleſtia das ſuper terram. Quoniam quidem alij datur per ſpiritum ſermo ſa- 1.Cor.12.b.8.
pientiæ tãquam luminare maius, propter eos qui perſpicuæ veritatis luce delectantur tãquam in principio diei, alij autem ſermo ſcientiæ ſecũdùm eundem ſpiritum, tãquam luminare minus; alij fides, alij donatio curationum, alij operationes virtutum, alij prophetia, alij diiudicatio ſpirituũ, alij genera linguarum; & hæc omnia tanquam ſtellæ. Omnia enim hæc operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens propria vnicuique prout vult, & faciens apparere ſidera in manifeſtatione ad vtilitatem. Sermo autem ſcientiæ qua continẽ-
C tur omnia ſacramenta quæ variantur temporibus tãquam luna, & cęteræ notitiæ donorum, quæ deinceps tanquam ſtellæ commemoratæ ſunt, quantum differunt ab illo candore ſapientiæ, quo gaudet prædictus dies, tantum in principio noctis ſunt. His enim ſunt neceſſaria, quibus ille prudentiſſimus ſeruus tuus non 1.Cor.3.a.1. potuit loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus, ille qui & ſapiẽtiam loquitur inter perfectos. Animalis 1.Cor.2.d.14. autem homo tanquam paruulus in Chriſto lactisque potator, donec roboretur ad ſolidum cibum, & aciẽ firmet ad ſolis aſpectum, nõ habeat deſertam noctem ſuam, ſed luce lunæ ſtellarumque contentus ſit. Hæc nobiſcum diſputas ſapientiſſime Deus noſter in libro tuo firmamento tuo, vt diſcernamus omnia contemplatione mirabili, quamuis adhuc in ſignis & in temporibus & in diebus & in annis.

CAPVT XIX. *Pectus purgãdum vitiis, quo capax ſit virtutum.*

SED prius lauamini, mundi eſtote, auferte nequitiã
D ab animis veſtris, atq; ã conſpectu oculorum meorum, vt appareat arida. Diſcite bonum facere, iudicate pupillo, & iuſtificate viduã, vt germinet terra herbam pabuli & lignum fructiferum, & venite diſputemus, dicit Dominus, vt fiant luminaria in firmamento cæli, & luceant ſuper terram. Quærebat diues ille à magiſtro bono, quid faceret vt vitam æternam conſequeretur. Dicat ei magiſter bonus, quem putabat hominem, & nihil amplius. Bonus eſt autẽ, quia Deus eſt; dicat ei vt ſi vult venire ad vitam, ſeruet mandata. Matth.19.b.17.
Separet à ſe amaritudinem malitię atq; nequitiæ; non occidat, non mœchetur, nõ furetur, non falſum teſtimonium dicat, vt appareat arida; & germinet honorẽ patris & matris, & dilectionẽ proximi. Feci, inquit, hęc omnia. Vnde ergo tãtæ ſpinæ, ſi terra fructifera eſt? Vade extirpa ſyluoſa dumeta auaritię, vẽde quę poſſides, & implere frugibus dãdo pauperibus, & habebis theſaurũ in cælis, & ſequere Dominũ, ſi vis eſſe perfect⁹,

eis

eis ſociatus inter quos loquitur ſapiẽtiam ille qui no- A
uit quid diſtribuat diei & nocti vt noris & tu, vt fiant
& tibi luminaria in firmamento cæli; quod non fiet,
Matth.6.c. 21. niſi fuerit illic cor tuum; quod item non fiet, niſi fue-
rit illic theſaurus tuus, ſicut audiſti à magiſtro bono.
Matth.13.a. 7. Sed contriſtata eſt terra ſterilis, & ſpinæ ſuffocauerũt
1.Pet.2.b.9. verbum. Vos autem genus electum, infirma mundi,
qui dimiſiſtis omnia, vt ſequeremini Dominum, ite
poſt eum, & confundite fortia; ite poſt eum ſpecioſi
pedes, & lucete in firmamento, vt cæli enarrent glo-
Pſal.18.a.2. riam eius, diuidentes inter lucem perfectorum, ſed
nondum ſicut angelorum; & tenebras paruulorum,
al. deſpera- ſed non† deſpectorum; lucete ſuper omnem terram, &
torum. dies ſole candens, eructet diei verbũ ſapientiæ, & nox
luna lucens, annunciet nocti verbum ſcientiæ. Luna
& ſtellæ nocti lucent, ſed nox non obſcurat eas; quo-
niam illæ illuminãt eam pro modulo eius. Ecce enim
tanquam Deo dicente, fiant luminaria in firmamen-
Act.2.a.2. to cæli, factus eſt ſubitò de cælo ſonus, quaſi ferretur
flatus vehemẽs, & viſæ ſunt linguæ diuiſæ quaſi ignis, B
qui & inſedit ſuper vnumquemque illorum, & facta
ſunt luminaria in firmamento cæli, verbum vitæ ha-
bentia. Vbique diſcurrite ignes ſancti, ignes decori.
Matth.5.b. 13. Vos enim eſtis lumen mundi, nec eſtis ſub modio. Ex-
altatus eſt cui adhæſiſtis, & exaltauit vos. Diſcurrite
& innoteſcite omnibus gentibus.

CAPVT XX. *Creatio ſpiritalis virtutũ.*

CONCIPIAT & mare, & pariat opera veſtra, &
producant aquæ reptilia animarum viuarum. Se-
parantes enim pretioſum à vili, facti eſtis os Dei, per
quod diceret: Producant aquæ non animam viuam
quam terra producit, ſed reptilia animarum viuarũ,
& volatilia volantia ſuper terram. Repſerunt enim ſa-
cramenta tua Deus per opera ſeruorum ſanctorum
tuorum inter medios fluctus tentationum ſeculi, ad
imbuendas gentes nomini tuo, in baptiſmo tuo. Et
inter hæc facta ſunt magnalia mirabilia tanquam ce-
te grandia, & voces nũciorum tuorum volitantes ſu- C
per terram iuxta firmamentum libri tui, præpoſito il-
lo ſibi ad authoritatem, ſub quo volitarent quocum-
que irent. Neque enim ſunt loquelæ neque ſermo-
nes, quorum non audiantur voces eorum, quando in
Pſal.18.a.5. omnem terram exiit ſonus eorũ, & in fines orbis ter-
ræ verba eorum; quoniam tu Domine benedicendo
multiplicaſti hæc. Numquid mentior aut mixtione
miſceo, neque diſtinguo lucidas cognitiones harum
rerum in firmamento cæli, & opera corporalia in vn-
doſo mari, & ſub firmamento cęli? Quarum enim re-
rum notitiæ ſunt ſolidæ, & terminatæ ſine incremen-
tis generationum, tanquam lumina ſapientiæ & ſciẽ-
tiæ, earundem rerũ ſunt operationes corporales mul-
tæ ac variæ, & aliud ex alio creſcendo multiplicatur
in benedictione tua Deus; qui conſolatus es faſtidia
ſenſuum mortalium, vt in cognitione animi res vna
multis modis per corporis motiones figuretur atque D
dicatur; aquæ [produxerunt hæc, ſed in verbo tuo ne-
ceſſitates alienatorum ab æternitate veritatis tuæ po-
pulorũ] produxerunt hæc, ſed in Euangelio tuo, quo-
niam ipſæ aquæ iſta eiecerunt, quarũ amarus languor
fuit cauſa, vt in tuo verbo iſta procederent. Et pulchra
ſunt omnia faciente te, & ecce tu inenarrabiliter pul-
chrior qui feciſti omnia; à quo ſi non eſſet lapſus A-
dam, non diffunderetur ex vtero eius ſalſugo maris,
genus humanum profundè curioſum & procelloſè
tumidum, & inſtabiliter fluidum; atque ita non opus
eſſet vt in aquis multis corporaliter & ſenſibiliter o-
perarentur diſpenſatores tui myſtica facta & dicta. Sic
enim nunc mihi occurrerũt reptilia & volatilia, qui-
bus imbuti & initiati homines corporalibus ſacramẽ-
tis ſubditi, non vltrà proficerent, niſi ſpiritaliter† viue-
al. viuifica- ſceret anima gradu alio, & poſt initij verbum in con-
ret. ſummationem reſpiceret.

CAPVT XXI. *Allegorica interpretatio auium et piſciũ & cæterorum animantium.*

AC per hoc in verbo tuo non maris profunditas,
ſed ab aquarũ amaritudine terra diſcreta eiicit,
non reptilia animarum viuarum & volatilia, ſed ani-
mam viuam. Neque enim iam opus habet baptiſmo
quo gentibus opus eſt, ſicut opus habebat cùm aquis
tegeretur. Non enim intratur aliter in regnum cælo-
rum ex illo quo inſtituiſti, vt ſic intretur; nec magna-
lia quærit mirabilium quibus fiat fides. Neque enim
niſi ſigna & prodigia viderit, non credit, cùm iam di- *Ioan.4 g.48.*
ſtincta ſit terra fidelis ab aquis maris infidelitate ama-
ris, & linguæ in ſigno ſunt non fidelibus, ſed infideli-
bus. Nec iſto igitur genere volatili, quod verbo tuo *1.Cor.14.d. 22.*
produxerũt aquæ, opus habet terra quã fundaſti ſuper
aquas. Immitte in ea verbum tuum per nuncios tuos.
Opera enim eorum narramus, ſed tu es qui operaris
in eis, vt operentur animam viuam. Terra producit
eam, quia terra cauſa eſt vt hæc agant in ea; ſicut ma-
re fuit cauſa vt agerent reptilia animarum viuarum,
& volatilia ſub firmamento cæli, quibus iam terra nõ
indiget; quamuis piſcem manducet leuatum de pro- *Luc.24.f.41.*
fundo in ea menſa quam paraſti in conſpectu creden- *Pſal.22.b.5.*
tium. Ideo enim de profundo leuatus eſt vt alat ari-
dam, & auis marina progenies, ſed tamen ſuper ter-
ram multiplicatur. Primarum enim vocum euange-
lizantium infidelitas hominum cauſa extitit, ſed &
fideles exhortantur, & benedicunt eis multipliciter
de die in diem. At verò anima viua de terra ſumpſit
exordium, quia non prodeſt iam niſi fidelibus conti-
nere ſe ab amore huius ſeculi, vt anima eorum tibi
viuat, quæ mortua erat in deliciis viuens, deliciis Do- *1.Tim 5.a.6.*
mine mortiferis; nam tu puri cordis vitales deliciæ.
Operentur ergo iam in terra miniſtri tui, non ſicut in
aquis infidelitatis annunciando & loquendo per† mi- *al.* myſte-
racula & ſacramenta & voces myſticas, vbi† intenta *ria.*
ſit ignorantia mater admirationis in timore occulto- *al.* attenta.
rum ſignorum. Talis enim eſt introitus ad fidem filiis *Gen.3.b.8.*
Adam oblitis tui, dum abſcondunt ſe à facie tua &
fiunt abyſſus; ſed operentur etiam ſicut in arida diſ-
creta à gurgitibus abyſſi, & ſint forma fidelibus viuẽ-
do coram eis, & excitando ad imitationem. Sic enim
non tantum ad audiendum, ſed etiam ad faciendum
audiunt: Quærite Dominum, & viuet anima veſtra, *Pſal.68.d. 33.*
vt producat terra animam viuentem. Nolite confor- *Gen.1.c.24.*
mari huic ſeculo, continete vos ab eo. Euitando viuit *Rom.12.a.2.*
anima, quæ appetẽdo moritur. Continete vos ab im-
mani feritate ſuperbiæ, ab inerti voluptate luxuriæ,
& à fallaci nomine ſcientiæ, vt ſint beſtiæ manſuetæ,
& pecora edomita, & innoxij ſerpentes. Motus enim
animæ ſunt† iſti in allegoria, ſed faſtus elationis, & de- *al.* iſta.
lectatio libidinis, & venenum curioſitatis motus ſunt
animæ mortuæ; quia non ita moritur vt omni motu
careat, quoniam diſcedendo à fonte vitæ, moritur, at-
que ita ſuſcipitur à prætereunte ſeculo, & conforma-
tur ei. Verbum autem tuum Deus fons vitæ æternæ
eſt, & non præterit; ideoque in verbo tuo cohibetur
ille diſceſſus, dum dicitur nobis: Nolite conformari
huic ſeculo, vt producat terra in fonte vitæ animam
viuentem, in verbo tuo per Euãgeliſtas tuos animam
continentem, imitando imitatores Chriſti tui. Hoc
eſt enim ſecundum genus, quoniam æmulatio viri ab
amico eſt. Eſtote, inquit, ſicut ego; quia & ego ſicut *Gal.4.b.12.*
vos. Ita erunt in anima viua beſtiæ bonæ in manſue-
tudine actionis. Mandaſti enim, dicens: In manſuetu- *Eccl.3.c.19.*
dine opera tua perfice, & ab omni homine diligeris.
Et pecora bona neque ſi manducauerint, abũdantia,
neq; ſi non manducauerint, egentia; & ſerpẽtes boni,
non pernicioſi ad nocendum, ſed aſtuti ad cauendum,
& tantum explorantes temporalem naturam, quantũ
ſufficit vt per ea quæ facta ſunt, intellecta cõſpiciatur *Rom.1.c.20.*
æternitas. Seruiunt enim rationi hæc animalia, cùm
à progreſſu mortifero cohibita viuunt & bona ſunt.

ECCE

CAPVT XXII. *Renascentia spiritus.*

ECCE enim Domine Deus noster creator noster, A cum cohibitę fuerint affectiones ab amore seculi, quibus moriebamur male viuēdo,& cœperit esse anima viuēs bene viuendo,completumq; fuerit verbum tuū quod per Apostolum tuū dixisti: Nolite cōformari huic seculo: cōsequitur & illud quod adiunxisti statim,& dixisti: Sed reformamini in nouitate mētis vestræ:non iam secundū genus tanquā imitantes præcedentem proximū,nec ex hominis melioris autoritate viuentes. Neq; enim dixisti,Fiat homo secundum genus:sed,Faciamus hominē ad imaginem& similitudinem nostram, vt nos probemus quæ sit voluntas tua. Ad hoc enim ille dispensator tuus [a]generās per Euangelium filios,ne semper [b]paruulos haberet quos lacte nutriret,& tanquā nutrix foueret:[c] Reformamini, inquit,in nouitate mentis vestræ,ad probandum quę sit volūtas Dei,qnod bonū & beneplacitum & perfectū. Ideóq; nō dicis, Fiat homo,sed, Faciamus hominem. Nec dicis, Secundū genus: sed, Ad imaginē & similitudinē nostrā. Mente quippe renouatus,& conspiciēs intellectam veritatem tuam, homine demonstratore non indiget,vt suum genus imitetur:sed demonstrāte te probat ipse quæ sit volūtas tua, quod bonum & beneplacitum & perfectum:& doces eum iam capacem videre trinitatem vnitatis,& vnitatē trinitatis. Ideóq; pluraliter dicto, Faciamus hominem: singulariter tamen infertur,Et fecit Deus hominem:& pluraliter dicto,Ad imaginem nostram: singulariter tamen infertur, Ad imaginem Dei. Ita homo renouatur in agnitionem Dei,secundum imaginem eius qui creauit eū: & spiritalis effectus iudicat omnia,quę vtique iudicanda sunt:ipse autem à nemine iudicatur.

Rom.12.a.2 · Gen.1.c.26 · Rom.12 a.2 · a 1.Cor.4. c.15. · b 1.Thessal. 2.b.7. · c Rom.12. a.2. · Gen.1.c.26 · Col.3.b.10. · Gen.1.d.27 · Col.3.b.10. · 1.Cor.2. d.15.

CAPVT XXIII. *Christianus de quibus iudicet.*

QVOD autem iudicat omnia,hoc est quod habet potestatē piscīū maris,& volatiliū cęli,& omniū pecorum & ferarū,& omnis terrę,& omniū repētium quæ repunt super terrā. Hoc enim agit per mentis intellectū, per quē percipit quæ sunt spiritus Dei. Alioqui homo in honore positus,non intellexit:cōparatus est iumentis insensatis,& similis factus est illis. Ergo in ecclesia tua Deus noster,secundū gratiam tuam quam dedisti ei,quoniam tuū sumus figmentum creati in operibus bonis,non solum qui spiritaliter præsunt, sed etiam ij qui spiritaliter subdūtur eis qui præsunt. Masculum enim & fœminā fecisti hominem, hoc modo in gratia tua spiritali,vbi secundum sexū corporis non est masculus & fœmina,quia neq; Iudęus,neq; Gręcus neq; seruus,neq; liber. Spiritales ergo,siue qui prę sunt, siue qui obtemperant,spiritaliter iudicant:non de cognitionib.spiritalibus, quæ lucēt in firmamēto. Nō enim oportet de tā sublimi autoritate iudicare,neq; de ipso libro tuo,etiā si quid ibi nō lucet,quoniā submittimus ei nostrū intellectū, certúmq; habemus etiam quod clausum est aspectibus nostris, rectè veracitérq; dictum esse. Sic enim homo licet iā spiritalis & renouatus in agnitionē Dei,secundum imaginem eius qui creauit eum,factor tamen legis debet esse,non iudex. Neq; de illa distinctione iudicat spiritalium videlicet atq; carnalium hominum,qui tuis Deus noster oculis noti sunt, & nullis adhuc nobis apparuerūt operibus, vt ex fructibus eorum cognoscamus eos:sed tu Domine iam scis eos, & diuisisti & vocasti in occulto antequam fieret firmamentum. Neq; de turbidis huius seculi populis tanquam spiritalis homo diiudicat. Quid enim ei de iis quæ foris sunt iudicare,ignorāti quis inde venturus sit in dulcedinē gratiæ tuæ,& quis in perpetua impietatis amaritudine remansurus? Ideóq; homo quem fecisti ad imaginem tuam, non accepit potestatem luminarium cæli,neq; ipsius occulti cęli,neque diei & noctis,quæ ante cęli constitutionē vocasti, neq; congregationis aquarum quod est mare: sed accepit potestatem piscium maris,& volatilium cæli,& omnium pecorū,& omnis terræ, & omnium reptiliū quæ repūt super terrā. Iudicat enim & approbat quod recte,improbat autē quod perperā inuenerit:siue in ea solennitate sacramentorū quibus initiantur,quos perueſtigat in aquis multis misericordia tua: siue in ea qua ille piscis exhibetur quem leuatū de profundo terra pia comedit, siue in verborū signis vocibúsq; subiectis autoritati libri tui tanquam sub firmamento volitantibus,interpretando,exponēdo, disserendo,disputando,benedicendo,atq; inuocando te ore erumpentibus atq; sonantibus signis,vt respondeat populus, Amen. Quibus omnib. vocibus corporaliter enunciandis,causa est abyssus seculi,& cæcitas carnis,quę cogitata non possunt videri, vt opus sit insttrepere in auribus:ita quamuis multiplicentur volatilia super terrā, ex aquis tamen originē ducunt. Iudicat etiam spiritalis approbando quod rectum, improbando autē quod perperam inuenerit in operibus moribúsq; fidelium & eleemosynis tanquam terra fructifera, & de anima viua mansuefactis affectionibus, in castitate, in ieiuniis,in cogitationibus piis, de iis quæ per sensum corporis percipiuntur. De his enim iudicare nūc dicitur, in quibus & potestatem corrigendi habet.

B · C · D

CAPVT XXIIII. *Quare Deus benedixerit homini & piscibus & volatilibus, & non aliis creaturis.*

SED quid est hoc,& quale mysterium est? Ecce benedicis homines ô Domine,vt crescāt & multiplicentur,& impleant terram. Nihil ne nobis ex hoc innuis vt intelligamus aliquid? Cur non ita benedixeris lucem quam vocasti diem, nec firmamentū cæli, nec luminaria,nec sidera,nec terram,nec mare? Dicerem te Deus noster qui nos ad imaginem tuā creasti, dicerem te hoc donum benedictionis homini proprie voluisse largiri, nisi hoc modo benedixisses pisces & cetos vt crescerent & multiplicarentur & implerent aquas maris, & volatilia multiplicarētur super terram. Item dicerem ad ea rerum genera pertinere benedictionem hanc,quæ gignendo ex semetipsis propagantur, si eam reperirem in arbustis & frutetis & in pecoribus terræ. Nūc autem nec herbis & lignis dictum est, nec bestiis & serpentibus, crescite & multiplicamini, cum hæc quoque omnia, sicut pisces & aues & homines gignendo augeantur, genúsque custodiant. Quid igitur dicam lumen meum veritas, quia vacat hoc, quia inaniter ita dictum est? Nequaquam pater pietatis, absit vt hoc dicat seruus verbi tui. Et si ego non intelligo quid hoc eloquio significes, vtantur eo melius meliores,id est intelligētiores,quam ego sum, vnicuique quantum sapere dedisti Deus meus. Placeat autem & confessio mea coram oculis tuis qua tibi confiteor credere me Domine non incassum te ita locutum esse, neque filebo quod mihi lectionis huius occasio suggerit. Verum est enim, nec video quid impediat ita me sentire dicta figurata librorum tuorum. Noui enim multipliciter significari per corpus, quod vno modo mente intelligitur, & multipliciter mente intelligi,quod vno modo per corpus significatur. Ecce simplex dilectio Dei & proximi, quam multiplicibus sacramentis & innumerabilibus linguis & in vnaquaq; lingua innumerabilibus locutionum modis corporaliter enunciatur, ita crescūt & multiplicātur fœtus aquarum. Attende iterum quisquis hęc legis. Ecce quod vno modo scriptura effert, & vox personat. In principio fecit Deus cælum & terram,nōne multipliciter intelligitur,nō errorum fallacia, sed verarum intelligentiarum generibus? ita crescunt & multiplicantur fœtus hominum. Itaque si naturas ipsas rerum nō allegorice sed proprie cogitemus, ad omnia quæ de seminibus gignuntur, conuenit verbum, Crescite & multiplicamini. Si autem figurate posita ista tractemus,quod potius arbitror intendisse scripturam, quæ vtique non superuacue solis aquatiliū & hominū fœtibus istam benedictionē attribuit, inuenimus quidem

Psalmo 48. c.13. · Eph.2.b.10 · Gen.1.d.27 · Gal.3.d.28 · 1.Cor.2. d.15. · Col.3.b.10. · Luc.4.c.11. · 1.Corinth. 2.d.15. · Mat.7.c.20 · 1.Corinth. 5.d.12. · Gen.1. d.1. · Ibid.d.28.

multitudines & in creaturis ſpiritalibus atq; corporalibus tâquam in cælo & in terra: & in animis iuſtis & iniquis tanquam in luce & tenebris: & in ſanctis autoribus: per quos lex miniſtrata eſt, tanquã in firmamento quod ſolidatum eſt inter aquam & aquam: & in ſocietate amaricantium populorum tanquã in mari: & in ſtudio animarum piarum tanquam in arida: & in operibus miſericordiæ ſecundum præſentem vitã tanquam in herbis ſeminalibus & lignis fructiferis: & in ſpiritalibus donis manifeſtatis ad vtilitatẽ ſicut in luminaribus cæli: & in affectibus formatis ad temperantiam tanquam in anima viua: in his omnibus nãciſcimur multitudines, & vbertates, & incrementa. Sed quòd ita creſcat & multiplicetur, vt vna res multis modis enuncietur, & vna enunciatio multis modis intelligatur, non inuenimus niſi in ſignis corporaliter editis, & rebus intelligibiliter excogitatis. Signa corporaliter edita, generationes aquarum propter neceſſarias cauſas carnalis profunditatis: res autem intelligibiliter excogitatas, generationes humanas, propter rationis fœcũditatem intelligimus. Et ideo credimus vtri-
Gen.1.d.28 que horum generi dictum eſſe abs te Domine, Creſcite & multiplicamini. In hac enim benedictione conceſſam nobis à te poteſtatem & facultatẽ accipio, & multis modis enunciare quod vno modo intellectum tenuerimus, & multis modis intelligere, quod obſcure vno modo enunciatum legerimus. Sic implentur aquæ maris, quæ non mouẽtur niſi à variis ſignificationibus: ſic & fœtibus humanis impletur & terra, cuius ariditas apparet in ſtudio, & dominatur ei ratio.

CAPVT XXV. *Fructus terrã allegoricè ſunt officia pietatis.*

VOLO etiam dicere Domine Deus meus, quod me conſequens tua ſcriptura commonet, & dicam, nec verebor. Verum enim dicam te mihi inſpirante, quod ex eis verbis voluiſti vt dicerem. Neq; enim alio præter te inſpirante credo me verum dicere,
Ioan.14.a.6 cum tu ſis veritas: omnis autem homo mẽdax. Et ideo
Pſal.115. a.11. qui loquitur mendacium de ſuo loquitur. Ergo vt ve-
Ioan.8.f.44 rum loquar de tuo loquar. Ecce dediſti nobis in eſcam omne fœnum ſatiuum, ſeminans ſemẽ quod eſt ſuper omnem terram, & omne lignum quod habet in ſe fructum ſeminis ſatiui. Nec nobis ſolis, ſed & omnibus animantibus cæli & beſtiis terræ atq; ſerpentibus: piſcibus autem & cetis magnis nõ dediſti hæc. Dicebamus enim eis fructibus terræ ſignificari, & in allegoria figurari opera miſericordiæ, quæ huius vitę neceſſitatibus exhi-
1.Tim.1. d.16. bentur ex terra fructifera. Talis terra erat pius Oneſiphorus, cuius domui dediſti miſericordiam, qui frequenter Paulum tuum refrigerauit, & catenam eius
2.Cor.11. b.9. non erubuit. Hoc fecerunt & fratres, & tali fruge fructificauerũt, qui quod ei deerat, ſuppleuerunt ex Macedonia. Quomodo autem dolet quædam ligna, quæ
2.Tim. 4.c. fructũ ei debitum non dederunt, vbi ait: In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur? Iſta enim debentur eis qui miniſtrant doctrinam rationalem per intelligẽtias diuinorum myſteriorum, & ita eis debentur tanquam hominibus. Debẽtur autem eis ſicut animæ viuæ prębentibus ſe ad imitandum in omni continentia. Item debentur eis tanquam volatilibus propter benedictio-
Pſal.18.a.5 nes eorum quæ multiplicãtur ſuper terram, quoniam in omnem terram exiuit ſonus eorum.

CAPVT XXVI. *Voluptas & vtilitas ex beneficio in proximum collato.*

PASCVNTVR autem his eſcis qui lætãtur eis, nec illi lætantur eis a quorum Deus venter eſt. Neque enim & in illis qui præbent iſta, ea quę dant fructus eſt, ſed quo animo dant. Itaq; ille qui Deo ſeruiebat, non ſuo ventri, videò planè vnde gaudeat, video & cõgratulor ei valde. Acceperat enim à Philippenſibus, quæ
a Phil.3.d. 19. per Epaphroditum miſerant, ſed tamen vnde gaudeat video. Vnde autem gaudet, inde paſcitur, quia in ve-
Phil.4.c.10 ritate loquens; Gauiſus ſum, inquit, magnificè in Domino, qui tandem aliquando repullulaſtis ſapere pro me, in quo & ſapiebatis, tædium autem habuiſtis. Iſti ergo diuturno tædio marcuerant, & quaſi exaruerant abiſto fructu boni operis: & gaudet eis, quia repullularunt, non ſibi quia eius indigentiæ ſubuenerũt. Ideo ſecutus ait, Non quòd deſit aliquid dico: ego enim didici in quibus ſum, ſufficiens eſſe: ſcio & minus habere, ſcio & abundare, in omnibus & in omnia imbutus ſum, & ſatiari & eſurire & abundare & penuriam pati: omnia poſſum in eo qui me confortat. Vnde ergo in omnibus gaudes, ô Paule magne? Vnde gaudes, Col.3.b.10. vnde paſceris homo renouate in agnitionem Dei ſecundum imaginem eius qui creauit te, & anima viua tanta continentia, & lingua volatilis loquens myſteria? Talibus quippe animantibus eſca iſta debetur. Quid eſt quod te paſcit? Lætitia. Quod ſequitur audiamus. Veruntamen, inquit, bene feciſtis, commu- Phil.4.c.14 nicantes tribulationi meæ. Hinc gaudet, hinc paſcitur, quia illi bene fecerunt, non quia eius anguſtia re-
Pſal.4.a.2. laxata eſt, qui dicit tibi, In tribulatione dilataſti mihi: quia & abundare & penuriam pati nouit in te qui confortas eum. Scitis enim, inquit, & vos Philippenſes, quoniam in principio euangelij cum ex Macedonia ſum profectus, nulla mihi eccleſia communicauit in ratione dati & accepti niſi vos ſoli, quia & Theſſalonicam & ſemel & iterum vſibus meis miſiſtis. Ad hæc bona opera eos rediiſſe nunc gaudet, & repullulaſſe lætatur tanquam reuireſcente fertilitate agri. Nunquid propter vſus ſuos, quia dixit, vſibus meis miſiſtis? nunquid propterea gaudet? Non propterea. Et hoc vnde ſcimus? Quoniam ipſe ſequitur dicens, Non quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem. Didici à te Deus meus inter datum & fructum diſcernere. Datum eſt res ipſa quam dat qui impertitur hæc neceſſaria, veluti eſt nummus, cibus, potus, veſtimentum, tectum, adiutorium. Fructus autem bona & recta voluntas datoris eſt. Non enim ait
Mat.10. d.41. magiſter bonus, Qui ſuſceperit prophetam, tantum: ſed addidit, in nomine prophetæ. Neque ait tantum, Qui ſuſceperit iuſtum: ſed addidit, in nomine iuſti. Ita quippe ille mercedem prophetæ, iſte mercedem iuſti accipiet. Nec ſolum ait, Qui calicem aquæ frigidæ potum dederit vni ex minimis meis: ſed addidit, tantum in nomine diſcipuli. Et ſic adiunxit: Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Datum eſt ſuſcipere prophetam, ſuſcipere iuſtum, porrigere calicem aquæ frigidæ diſcipulo: fructus autem, in nomine prophetæ, in nomine iuſti, in nomine diſcipuli hoc facere. Fructu paſcitur Helias à vidua ſciẽte quod hominem Dei paſceret, & propter hoc paſceret. Per cor-
3.Reg.17. 4.6. uum autem dato paſcebatur. Nec interior Helias, ſed exterior paſcebatur, qui poſſet etiam talis cibi egeſtate corrumpi.

CAPVT XXVII. *Quid per piſces & cetos ſignificetur.*

IDEO QVE dicam quod verum eſt coram te Domine, cum homines idiotæ atque infideles, quibus initiandis atque lucrãdis neceſſaria ſunt ſacramenta initiorum, & magnalia miraculorum, quę nomine piſciũ & cætorum ſignificari credimus, ſuſcipiunt corporaliter reficiendos, aut in aliquo præſentis vitæ vſu adiuuandos pueros tuos, cum id quare faciendũ ſit, & quò pertineat ignorent, nec illi iſtos paſcunt, nec iſti ab illis paſcuntur: quia nec illi hæc ſancta & recta voluntate operantur, nec iſti eorum datis vbi fructũ nondum vident lætãtur. Inde quippe animus paſcitur, vnde lætatur. Et ideo piſces & ceti non veſcuntur eſcis, quas non germinat, niſi iam terra ab amaritudine marinorum fluctuum diſtincta atque diſcreta.

CAPVT XXVIII. *Valde bona, quare poſtremò additum.*

ET vidiſti Deus omnia quę feciſti, & ecce bona valde, quia & nos vidimus ea, & ecce omnia bona valde. In ſingulis generibus operũ tuorum, cum dixiſſes vt fierẽt & facta eſſent, illud atq; aliud vidiſti quia bonum eſt. Septies numeraui ſcriptũ eſſe te vidiſſe, quia

bonum

bonum est quod fecisti:& hoc octauum est,quia vidisti omnia quæ fecisti,& ecce non solũ bona,sed etiam valde bona tanquam simul omnia. Nam singula tantum bona erant, simul autem omnia, & bona & valde. Hoc modo dicũtur etiam quæq; pulchra corpora, quia longè multo pulchrius est corpus quod ex membris pulchris omnibus constat, quam ipsa mẽbra singula, quorum ordinatissimo conuentu cõpletur vniuersum, quamuis & illa etiã singulatim pulchra sint.

CAPVT XXIX. *Dei opera bona perpetuo.*

ET attendi vt inuenirem, vtrũ septies vel octies videris,quia bona sunt opera tua cũ tibi placuerunt: & in tua visione non inueni tempora per quæ intelligerem, quod toties videris quæ fecisti, & dixi, O Domine,nonne ista scriptura tua vera est,quoniam tu verax & veritas edidisti eam? Cur ergo tu mihi dicis non esse in tua visione tempora,& ecce scriptura tua mihi dicit per singulos dies ea quæ fecisti te vidisse,quia bona sunt? Et cum ea numerarem, inueni quoties. Ad hæc tu dicis mihi quoniam tu es Deus meus, & dicis voce forti in aurem interiorem seruo tuo perrumpens meam surditatem,& clamans, O homo nempe quod scriptura mea dicit, ego dico. Et tamen illa temporaliter dicit,verbo autem meo æterno tempus non accidit,quia æquali mecum æternitate consistit. Sic ea quę vos per spiritum meum videtis,ego video,sicut ea quę vos per spiritum meum dicitis,ego dico. Atq; ita cum vos temporaliter ea videatis,non ego temporaliter video: quemadmodum cum vos temporaliter ea dicatis,non ego temporaliter ea dico.

CAPVT XXX. *In eos quibus opera Dei displicent.*

ET audiui Domine Deus meus, & elinxi stillã dulcedinis ex tua veritate, & intellexi quoniam sunt quidam quibus displicent opera tua bona, & multa eorum dicunt te fecisse necessitate compulsum, sicut fabricas cælorum & compositiones siderum, & hæc non de tuo,sed iam fuisse alibi creata & aliunde, quæ tu contraheres & compaginares atq; contexeres,cum de hostibus victis mundana mœnia molireris,vt ea cõstructione deuicti, aduersus te iterum rebellare non possent. Alia vero nec fecisse te, nec omnino compegisse, sicut omnes carnes & minutissima quæque animantia,& quicquid radicibus terram tenet: sed hostilem mentem naturámque aliam, nec abs te cõditam, tibíque contrariam, in inferioribus mundi locis ista gignere atque formare. Insani dicunt hæc, quoniam non per spiritum tuum vidẽt opera tua,nec te cognoscunt in eis.

CAPVT XXXI. *Piis idẽ probatur quod Deo placuit. 1.Cor.2. v.11.*

QVI autem per spiritum tuum vident,ea tu vides in eis. Ergo cum vident quia bona sunt, tu vides quia bona sunt:& quæcunq; propter te placent, tu in eis complaces: & quæ per spiritum tuum placent nobis,tibi placent in nobis. Quis enim scit hominũ quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? sic & quæ Dei sunt nemo scit nisi spiritus Dei. Nos autem,inquit, nõ spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est,vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Et admoneor vt dicam. Certè nemo scit quæ Dei sunt nisi spiritus Dei: quomodo ergo scimus & nos quæ à Deo donata sunt nobis? Respõdetur mihi, quoniam quæ per eius spiritum scimus, etiam sic nemo scit nisi spiritus Dei. Sicut enim rectè dictũ est: Non enim vos estis qui loquimini, eis qui in spiritu Dei loquerentur: sic rectè dicitur, Non vos estis qui scitis,eis qui in Dei spiritu sciunt. Nihilominus igitur rectè dicitur,Non vos estis qui videtis,eis qui in spiritu Dei vident. Itaque quicquid in spiritu Dei vident, quia bonum est, non ipsi sed Deus videt quia bonum est. Aliud ergo est, vt putet quisque malum esse quod bonum est, quales supradicti sunt: aliud, vt quod bonum est, videat homo quia bonum est. Sicut multis tua creatura placet quia bona est, quibus tamen non tu places in ea, vnde frui magis ipsa quam te volunt.

Matth.10. v.20.

A Aliud autem, vt cũ aliquid videt homo quia bonum est,Deus in illo videat quia bonum est, vt scilicet ille ametur in eo quod fecit,qui nõ amaretur nisi per spiritum sanctum quem dedit. Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctũ qui datus est nobis, per quem videmus, quia bonum est quicquid aliquo modo est. Ab illo enim est qui non aliquo modo est,sed quod est,est. *Rom.5.a.5.*

CAPVT XXXII. *Compendio enarrat opera Dei. 2.retract. 6.*

GRATIAS tibi Domine, videmus cælum & terram, siue corporalem partem superiorem atque inferiorem, siue spiritalem corporalémq; creaturam, atque in ornatu harum partium quibus constat vel vniuersa mundi moles, vel vniuersa omnino creatura: videmus lucem factam diuisámque à tenebris: videmus firmamentum cæli, siue inter spiritales aquas superiores, & corporales inferiores, primarium corpus mundi: siue hoc spatium aëris, quia & hoc vocatur cælum, per quod vagantur volatilia cæli inter aquas, quæ vaporaliter ei superferuntur,& serenis etiam noctibus rorant, & has quæ in terris graues fluitant. Videmus congregatarum aquarum speciem per campos maris,& aridam terram vel nudatam vel formatam, vt esset visibilis & composita,herbarúmque atque arborum materiem. Videmus luminaria fulgere desuper,solem sufficere diei,lunam & stellas consolari noctem, atque his omnibus notari & significari tempora. Videmus humidam vsquequaque naturam piscibus & beluis & alitibus fœcundatam, quod aëris corpulentia,quæ volatus auium portat,aquarum exhalatione cõcrescit. Videmus terrenis animalibus faciem terræ decorari: hominémque ad imaginem & similitudinem tuam cunctis irrationabilibus animantibus ipsa tua imagine ac similitudine,hoc est rationis & intelligentiæ virtute præponi. Et quemadmodum in eius anima aliud est quod consulendo dominatur, aliud quod subditur vt obtemperet:sic viro factam esse etiam corporaliter fœminam,quæ haberet quidem in mente rationalis intelligentiæ parem naturam, sexu tamen corporis ita masculino sexui subiiceretur, quemadmodum subiicitur appetitus actionis ad concipiendam de ratione mentis rectè agendi solertiam. Videmus hæc & singula bona, & omnia bona valde.

B

C

CAPVT XXXII. *Vt omnis creatura laudet creatorẽ.*

LAVDENT te opera tua vt amemus te, & amẽmus te vt laudent te opera tua,quæ habẽt initium & finem ex tempore, ortum & occasum, profectum & defectum,speciem & priuationem. Habẽt ergo cõsequentia mane & vesperam, partim latenter, partim euidenter. De nihilo enim à te, non de te facta sunt, non de te aliqua, non de tua vel quæ antea fuerit, sed de concreata, id est simul à te creata materia, qui eius informitatem sine vlla tẽporis interpositione formasti. Nam cum aliud sit cæli & terræ materies,aliud cęli & terræ species, materiem quidem de omnino nihilo, mundi autem speciem de informi materia, simul tamen vtrunque fecisti,vt materiam forma nulla moræ intercapedine sequeretur.

D

CAPVT XXXIII. *De ordine & vario fructu Christianæ vitæ.*

INSPEXIMVS etiam propter quorum figurationem ista vel tali ordine fieri, vel tali ordine scribi voluisti, & vidimus quia bona sunt singula, & omnia bona valde,in verbo tuo,in vnico tuo cælum & terrã, caput & corpus ecclesiæ in prædestinatione ante omnia tempora, sine mane & vespera. Vbi autem cœpisti prædestinata temporaliter exequi, vt occulta manifestares, & incomposita nostra componeres, quoniam super nos erant peccata nostra, & in profundum tenebrosum abieramus abs te, & spiritus tuus bonus superferebatur ad subueniendum nobis in tempore opportuno, & iustificasti impios, & distinxisti eos ab iniquis: & solidasti auctoritatem libri tui inter superiores, qui tibi docibiles essent, & inferiores

qui eis ſubderentur: & congregaſti ſocietatem infidelium in vnam conſpirationem, vt appareret ſtudia fidelium, vt tibi opera miſericordiæ parerét, diſtribuétes etiam pauperibus terrenas facultates ad acquirenda cæleſtia: & inde accédiſti quædam luminaria in firmamento, verbum vitæ habentes ſanctos tuos, & ſpiritalibus donis prælata ſublimi auctoritate fulgentes: & inde ad imbuendas infideles gentes, ſacramenta & miracula viſibilia, vocéſque verborum ſecundum firmamentum libri tui, quibus etiam fideles benedicerentur, ex materia corporali produxiſti: & deinde fidelium animam viuam per affectus ordinatos continentiæ vigore formaſti, atque inde tibi ſoli mentem ſubditam, & nullius auctoritatis humanæ ad imitandum indigentem renouaſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam: præſtantique intellectui rationabilem actionem tanquam viro fœminam ſubdidiſti, omnibúſq; tuis miniſteriis ad perficiendos fideles in hac vita neceſſariis, ab eiſdem fidelibus ad vſus temporales, B fructuoſa in futurum opera præberi voluiſti. Hæc omnia videmus, & bona ſunt valde, quoniam tu ea vides in nobis qui ſpiritum quo ea videremus, & in eis te amaremus dediſti nobis.

CAPVT XXXV. *Optat pacem*

DOMINE Deus pacé da nobis, omnia enim præſtitiſti nobis, pacem quietis, pacem ſabbathi, pacem ſine veſpera. Omnis quippe iſte ordo pulcherrimus rerum valde bonarū modis ſuis peractis tranſiturus eſt, & mane quippe in eis factum eſt & veſpera.

CAPVT XXXVI. *Diem ſeptimum veſpera quare non ſequatur.*

DIES autem ſeptimus ſine veſpera eſt, nec habet occaſum, quia ſanctificaſti eum ad permánſionem ſempiternam: vt id quod tu poſt opera tua bona valde, quáuis ea quietus feceris, requieuiſti ſeptimo die: hoc præloquatur nobis vox libri tui, quod & nos poſt opera noſtra, ideo bona valde, quia tu nobis ea donaſti, ſabbatho vitæ æternæ requieſcamus in te etiam.

CAPVT XXXVII. *Deus in nobis quando quieſcat.*

TVNC enim ſic requieſces in nobis, quemadmodum nunc operaris in nobis: & ita erit illa requies tua per nos quemadmodū ſunt iſta opera tua per nos. Tu autem Domine ſemper operaris & ſemper requieſcis, nec vides ad tempus, nec operaris ad tempus, nec moueris ad tempus, nec quieſcis ad tempus, & tamen facis & viſiones temporales, & ipſa tempora, & quietem ex tempore.

CAPVT XXXVIII. *Aliter Deus, aliter homo videt creata.*

NOS itaque iſta quæ feciſti videmus, quia ſunt: tu autem quia vides, ea ſunt. Et nos foris videmus quia ſunt, & intus quia bona ſunt: tu autem ibi vidiſti facta, vbi vidiſti facienda. Et nos alio tempore moti ſumus ad benefaciendum, poſteaquam concepit de ſpiritu tuo cor noſtrum. Priore autem tépore ad male faciendū mouebamur deſerentes te: tu vero Deus vne *al.* vnde bone nunquam ceſſaſti benefacere. Et ſunt quædam bona opera noſtra ex munere quidem tuo, ſed non ſempiterna. Poſt illa nos requieturos in tua grādi ſanctificatione ſperamus. Tu autem bonum nullo indigens bono, ſemper quietus es, quoniam tua quies tu ipſe es. Et hoc intelligere quis hominum dabit homini? quis angelus angelo? quis angelus homini? A te petatur, in te quæratur, ad te pulſetur: ſic accipietur, ſic *Mat 7. b.8.* inuenietur, ſic aperietur. Amen.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
DE GRAMMATICA LIBER.

D. Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 6.

A corporalibus ad incorporalia aſcendit.

PER idé tempus quo Mediolani fui baptiſmum percepturus, etiam diſciplinarum libros conatus ſum ſcribere, interrogans eos qui mecum erant, atque ab huiuſmodi ſtudiis non abhorrebát: per corporalia cupiens ad incorporalia quibuſdam quaſi paſſibus certis vel peruenire vel ducere. Sed earum ſolum De grammatica librum abſoluere potui, quem poſtea de armario noſtro perdidi: & De muſica ſex volumina: quantum attinet ad *1. retr. ca. 11* eam partem quæ rhytmus vocatur. Sed eoſdem ſex libros iam baptizatus, iámque ex Italia regreſſus in Aphricam ſcripſi. Inchoaueram quippe tantummodo iſtam apud Mediolanum diſciplinam. De aliis verò quinque diſciplinis illic ſimiliter inchoatis; de dialectica, de rhetorica, de geometria, de arithmetica, de philoſophia, ſola principia remanſerunt, quæ tamen etiam ipſa perdidimus: ſed haberi ab aliquibus exiſtimo. Hoc opus ſic incipit. D

Terminationes nominum

OMNIA nomina tredecim literis terminantur: quinque vocalibus, a, e, i, o, u: ſex ſemiuocalibus, l, m, n, r, s, x: & duabus mutis, c, t. A maſculino, vt Seneca, Catilina, Sylla, Vua, Cinna, Panſa: Græca, Soſia, Pareta: Aphra, Iugurtha, Micipſa. *In a.* A fœminino, fœmina, muſa, regula, norma, forma, & talia. A neutro Græca ſunt tantum, thema, ſchema, & vnum nomen Latinum fluminis, Turia, dicente Saluſtio: Flumen Turia. A communi, aduena, conuena, indigena, Troiugena, & talia. Ab epicœno, vipera, aquila, muſca, locuſta, vlula, & talia. Diximus de a litera, C nunc de e. Ab e litera vocali nullum Latinum, niſi iūcta præpoſitione, maſculinum inuenitur, vt proconſule, proprætore. Ergo iuncta prępoſitione fiunt Latina, vt dixi, proprætore, proquæſtore. Nam veteres nominatiuo caſu proconſul dicebant, attendentes nullum nomen Latinum exire in e literam nominatiuo caſu generis maſculini. A fœminino nullum Latinum, ſed Græca ſolum: vt Andromache, Niobe, Libye, Hecate, Euterpe, quorum genitiuus in es exit: vt Andromaches, Niobes, Libyes, Hecates, Euterpes. Sed hæc cum Græcis tractamus. A neutro e litera in nominatiuo, monile, ſedile, cubile, & cætera quæ paulo poſt in regula generis neutri per omnia nomina ponemus. A communi nullum nomen eſt, ſimiliter nullum ab epicœno. Núc de i litera tractemus in nominatiuo quę *In i.* genera contineat. A maſculino nullum nomen in i: à fœminino nullum: à neutro gummi, & eſt ἄπτωτον: à communi nullum: ab omni genere, vt frugi, nihili: declinatur ſic, hic vir frugi, fœmina frugi: mancipium frugi: genitiuo ſimiliter frugi faciet, huius viri frugi, huius fœminæ frugi, huius mancipij frugi, ſic per omnes caſus frugi dicimus. Sic declinatur nihili, hic nihili vir, hæc nihili mulier, hoc nihili mancipium. Hoc ſono nominatiui omnes caſus declinantur: ſic pluraliter, viri nihili, fœminæ nihili, mancipia nihili. Ab epicœno nullum ſimiliter exit in i. Ab o litera vocali *In o.* nominatiuus terminatus maſculino appellatiuo, vt ligo ligonis. A proprio nomine, vt Cato, Cicero, Maro, Nero, Tubero, & cætera talia. A fœminino appellatiuo, vt vertigo, indago, farrago, ſiligo. In Iuuenali legitur ita: *Sed quæ mutatis inducitur atque fouetur Tot medicaminibus, coctæque ſiliginis offas Accipit & madidæ, facies dicetur an vlcus*, Sartago, virago, lanugo, aurugo, *Satyra 6.* ærugo, crepido. In Iuuenali, *Nulla crepido vacat, nuſ- Satyra 5.*

quam

quam pons & tegetis pars: & talia. A fœminino proprio, Carthago: peregrina verò, vt Dido, Ino, Io, Alecto, Celeno, Clio, Manto, quorum genitiuus in ûs exit, Didûs, Inûs, Iûs, Alectûs, Celenûs, Cliûs, Mantûs, sed hoc cum Græcis tractemus. A neutro nullus nominatiuus in o exit. A cõmuni, fullo, latro, caupo, &c. Ab epicœno, struthio, hirundo, hirudo, gurgulio, buffo, & talia. *In u.* Ab u vocali solum neutrum, quod in singulari indeclinabile est, in plurali declinatur, vt cornu, veru, gelu, tonitru: hoc sonu enunciãtur omnes casus in singulari, vt diximus, in plurali declinantur, cornua, verua, genua, genitiuo horũ cornuum, veruũ, genuũ: & cætera declinabis ad regulam versuum, fluctuum.

De nominibus quæ terminantur in semiuocales, & eorum generibus.

DIXIMVS de vocalibus quinq;, quibus terminatur nominatiuus, nũc de semiuocalibus dicamus. L litera nominatiuus exiens in masculinis appellatiuis, hic sal, in propriis sol. In fœmininis vnum nomen matronæ tãtum, Tanaquil: *In l.* In neutris, vt mel, fel. In communibus vigil, pugil: vnde & Terẽtius de virgine, Pugilem esse aiunt. *In m.* In epicœnis nullum nomen est. M, nominatiuus exiens, in masculinis nullum Latinũ est. In fœmininis, Glycerium, Phanium, Dorcium, Philocomasium. In neutris autem, templũ, telũ, tectum, & alia quorum plurales faciles sunt. In communibus nullum exit in m: sic & in epicœnis. Nunc tractemus *In n.* de semiuocali n. N litera terminatus nominatiuus à masculinis, flamen, pecten, lien, quod est splen. A fœmininis, siren, pluralis sirenes. A neutris carmen, germen, gramen, & cætera talia quæ post regulas generis neutri tractabimus. A communibus nominatiuus exiens in n, tubicen, tibicen, fidicen, lyricen, cornicẽ qui in lituis canit: ab epicœnis, oscen, id est ab his quæ tra- *In r.* dunt auguriũ, attagen. Nunc de semiuocali r. R litera terminatus nominatiuus à masculinis, vt Cæsar, Arar, Nar, victor, tutor, sopor, mœror, & alia quæ facilia sunt tam in appellatiuis quã in propriis: à fœmininis, arbor, soror: à neutris, marmor, æquor, & alia: à cõmunibus, pauper, acer, alacer, memor, autor: ab epicœnis, passer, accipiter, anser. Nũc de s litera semiuocali tra- *In s.* ctemus. S litera terminatus nominatiuus à masculinis iustus, doctus, pius: à fœmininis, dos, sors, mors, & talia: à neutris, vulnus, pectus, pecus, & cætera quæ mox regula retractabitur: à communibus sacerdos, impos, compos, similis, nobilis, agilis: ab omni genere, vt nugas, &c. De his mox vberius tractabimus: ab epicœnis, tigris, mus, lepus, &c. Nunc de semiuocali litera x: *In x.* Nominatiuus in x litera: à masculinis, vertex, cortex, pumex: à propriis, pollux: à fœmininis, nex, prex, fex, pax, fax, & alia: à neutris nullum nomen nisi omni generi iungatur, vt felix. Remanent duæ mutæ, c. t. literæ. Nominatiuus exiens c litera tenet masculinum, vt alec: tenet neutrum vt lac. T litera exiẽs nominatiuus tenet genus neutrum, vt caput, sinciput, semicaput.

De terminatione & declinatione nominum neutri generis.

Nomina generis neutri in um syllabam exeuntia, vt templum declinantur: nominatiuo singulari hoc templum, G. huius templi, D. huic templo, A. hoc templum, V. ô templum, A. ab hoc templo: & pluraliter, N. hæc templa, G. horum templorum, D. his templis, A. hæc templa, V. ô tẽpla, A. ab his templis. Simili declinatione hæc omnia procurrunt, telum, tectum, scamnum, bellum, monstrum, portentum, oppidum, carpentum, venenum, donum, bonum, malũ, magnum, pessimum, paruum, frumentum, medicamentũ, membrum, forum, metrum, porrum, tignum, plaustrũ, claustrum, instrumẽtum, oliuetum, vinetum, palmetum, quercetum, esculetum, lauretũ, argumentũ, sacrum, testamentum, iugerum, vinum: sed nunc tantũ in singulari, vina enim poëtę dixerunt: & cicera. Sic oleum, hordeum, triticum, ferrum, viscum, aurum, argẽtum, plumbum, stagnum, vitrum, electrum, & talia quæ ad pondus veniunt vel mẽsuram, ex ista sunt forma. Generis neutri quæ in ium exeunt, sed hæc in genitiuo *In ium.* per duo ij scribuntur, vt hoc ingenium huius ingenij, sic imperium imperij, scrinium scrinij, capitoliũ capitolij, tentorium tentorij, armarium armarij, solarium solarij, tectorium tectorij, armamentarium armamentarij, spacium spacij, sacrarium sacrarij: sic horarium horarij, salarium salarij, viridarium viridarij, pomeriũ pomerij, sacrificium sacrificij, folium folij, soliũ solij, testimonium testimonij: sic rosarium rosarij, auiariũ auiarij, augurium augurij, auspiciũ auspicij, exitium exitij, exilium exilij, prodigium prodigij, auxiliũ auxilij, prę̃sidium prę̃sidij, atrium atrij, aucupium aucupij, adiutorium adiutorij, mancipium mancipij, dolium dolij. Est alia forma generis neutri quæ per us exit, vt *In us.* hoc pecus: numero singulari, N. hoc pecus, G. huius pecoris, D. huic pecori, A. hoc pecus, V. ô pecus, A. ab hoc pecore: & pluraliter, N. hæc pecora, G. horũ pecorum, D. his pecoribus, A. hęc pecora, V. ô pecora, A. ab his pecoribus. Ad hãc formulam declinabimus vlcus vlcera, facinus facinora, vellus vellera, viscus viscera, rus rura, ius iura, nemus nemora, tergus tergora, pẽctus pectora, genus genera, pondus pondera, corpus corpora, decus decora, funus funera, fœnus fœnora, olus olera, littus littora, opus opera, rudus rudera, thus thura, tempus tempora, fœdus fœdera, stercus stercora, onus onera, latus latera. Est alia species generis neutri quæ continet nomina in ur exeuntia: vt hoc mur- *In ur.* mur in nominatiuo, G. huius murmuris, D. huic murmuri, A. hoc murmur, V. ô murmur, A. ab hoc murmure: & pluraliter, Nominatiuo hæc murmura, G. horum murmurum, D. his murmuribus, A. hęc murmura, V. ô murmura, A. ab his murmuribus. Ad hanc formulam similia declinabis, vt ebur ebora, femur femora, sulphur sulphura, fulgur fulgura. Sed ex hac formula non multa inueniuntur, quoniam pauca sunt generis neutri quæ in or exeũt: vt marmor in nominatiuo, *In or.* G. huius marmoris, D. huic marmori, A. hoc marmor, V. ô marmor, A. ab hoc marmore: & pluraliter, Nominatiuo hæc marmora, G. horum marmorũ, D. his marmoribus, A. hæc marmora, V. ô marmora, A. ab his marmoribus. Sic ęquor ęquora, cor corda. Alia species generis neutri quæ cõtinet nomina in ar syllabam *In ar.* exeuntia: vt far nominatiuo, G. huius farris, D. huic farri, A. hoc far, V. ô far, A. ab hoc farre. In plurali tres casus habet solum: Nominatiuo hæc farra, accusatiuo hæc farra, vocatiuo ô farra: nõ habet ergo genitiuum, datiuum & ablatiuum: vnde τρίπτωτα dicuntur in plurali, id est trium casuum, vt sunt iura, non dicimus horum iurium, his iuribus, nec ærum æribus, nec mellorum mellibus, & alia pauca, nec enim multa sunt: sic nec horũ farrũ in genitiuo possumus dicere, aut in datiuo his farribus. Hanc ergo formã numero tantũ singulari declinabis, hoc nectar nectaris, laser laseris, & instar quod est similitudo, sed habet tres casus tantũ, nominatiuum, accusatiuum & vocatiuum, & est numeri tantum singularis. Alia species generis neutri *In er.* quæ continet omnia in er exeuntia, sed numeri tantum singularis, N. hoc piper, G. huius piperis, D. huic piperi, A. hoc piper, V. ô piper, A. ab hoc pipere. Ad hanc formam declinabis numero tantum singulari, ver: N. hoc ver, G. huius veris, D. huic veri, A. hoc ver, V. ô ver, A. ab hoc vere. Sic declinabis hoc siler, vt ait Virgilius, Molle siler. Similiter declinabis & iuger, sed *2. Georg.* habet pluralem, vt iuger iugera, secundum antiquos qui dixerunt iugerum: vber vbera, tuber tubera. Et in hæc, vt dixi, paucorum nomina sunt. Alia species per os, vt ipsum os ora, vnde osculũ, sed hoc producimus, *In os.* aliud corripimus. Ab eo quod sunt ossa declinantur singulariter, Nominatiuo hoc os, G. huius ossis, D. huic ossi, A. hoc os, V. ô os, A. ab hoc osse: & pluraliter, N. hęc ossa, G. horum ossium, D. his ossibus, A. hęc ossa, V. ô

ossa, V. ô ossa, A. ab his ossibus. Alia ſpecies generis A
In e. neutri quæ continet nomina in e exeuntia, vt monile: Nominatiuo hoc monile, G. huius monilis, D. huic monili, A. hoc monile, V. ô monile, A. ab hoc monili: & pluraliter, Nominatiuo hæc monilia, Genitiuo horum monilium, D. his monilibus, A. hæc monilia, V. ô monilia, A. ab his monilibus. Similiter declinabis ſedile ſedilia, præſepe præſepia, collare collaria, ducale ducalia, molle mollia, graue grauia, vile vilia, mite mitia, ſuaue ſuauia, vitale vitalia, morale moralia, lene lenia, leue leuia, ancyle ancylia: de quo Virgilius, Læuaque ancyle gerebat: facile facilia, nobile nobilia, agile agilia, mare maria, ſed pluraliter tres caſus habet tantum, nominatiuum, accuſatiuum & vocatiuum: genitiuum, datiuum & ablatiuum non habet: non enim dicimus in genitiuo horum marium, aut in datiuo his maribus, aut in ablatiuo ab his maribus. Sic & alia declinabis huic formæ ſimilia. Huic regulæ ablatiuus in i exit, non in e, quia genus neutrum nunquam B
habet quatuor caſus ſimiles, vt faciat in nominatiuo hoc monile, & accuſatiuo hoc monile, & vocatiuo ô monile, & in ablatiuo ab hoc monile, ſed ab hoc monili: inde Virgilius, In ſtrato ſaxa cubili: ab hoc cubili: ſic, Et ſacra mari colitur: item, Hortatur pater ire mari: item, Tenui de vimine: item, Crudeli vulnere: item, Lethali vulnere: item, Dulci ex ore coruſcent: & cum dicimus, nobili genere natus, non nobile. Sic ergo obſeruabis in nomine neutro quod exit in nominatiuo ſingulari in e, vt ablatiuum in i mittat regula perpetua. Alia ſpecies generis neutri quę continet no-
In al. mina in al exeuntia, vt animal: Nominatiuo hoc animal, G. huius animalis, D. huic animali, A. hoc animal, V. ô animal, A. ab hoc animali: & pluraliter, N. hæc animalia, G. horum animalium, D. his animalib. A. hæc animalia, V. ô animalia, A. ab his animalibus. Ad hanc formam declinabis tribunal tribunalia, lupercal lupercalia, quæ ſunt ſacra illius genij qui Pan C
Æneid. 8. vocatur: vnde & Virgilius de ipſo loco, *Et gelida monſtrat ſub rupe lupercal.* Alia ſpecies neutri quæ continet
In el. nomina vel in el exeuntia, vt mel: N. hoc mel, G. huius mellis, D. huic melli, A. hoc mel, V. ô mel, A. ab hoc melle. Sic declinabis, N. hoc fel, G. huius fellis, D. huic felli, A. hoc fel, V. ô fel, A. ab hoc felle. Sed plurali numero non niſi per tres caſus currit, nominatiuũ, accuſatiuum & vocatiuum. Alia ſpecies generis neu-
In en. tri quæ continet nomina in en ſyllabam exeuntia: N. hoc crimen, G. huius criminis, D. huic crimini, A. hoc crimen, V. ô crimen, A. ab hoc crimine: & pluraliter, N. hæc crimina, G. horum criminum, D. his criminibus, A. hęc crimina, V. ô crimina, A. ab his criminibus. Ad hanc regulam ſimilia declinabis, carmen carminis, numen numinis, flamen flaminis, agmen agminis, acumen acuminis, gramẽ graminis, flumen fluminis, ſtramen ſtraminis, lumen luminis, ſemen ſeminis, liquamen liquaminis, fulmen fulminis, rumẽ ruminis, bitumen bituminis, gluten glutinis, legumen legumi- D
nis, fundamen fundaminis, tegimen tegiminis, munimen muniminis, leuamen leuaminis, ſpecimen ſpeciminis, ſed pluralem non admittit: item ſubtegimen ſubtegiminis. Alia ſpecies generis neutri ἄπτωτα, id eſt indeclinabilia, vt genu: N. hoc genu, G. huius genu, D. huic genu, V. ô genu, A. ab hoc genu: & pluraliter Nominatiuo hæc genua, G. horum genuum, D. his genibus, A. hæc genua, V. ô genua, A. ab his genibus. Ad hanc formam declinabis & hoc cornu, vt ſupra diximus, cornu cornua, veru verua, quæ ſunt virgę ferreæ laniorum. de quibus Virgilius, *Verubuſq; trementia*
Æneid. 1. *figunt:* tonitru tonitrua. Sed talium nominum decli-
In c & t. natio perrara inuenitur. Alia ſpecies generis neutri de qua ſuprà tractauimus quæ exit in quatuor nomina duarum mutarum, c & t, vt caput, ſinciput, & lac & alec, ſed hæc duo pluralem numerum non admittũt.
Exit item genus neutrum in a, ſed in Græcis nomini- In a.
bus, vt thema themata, toreuma toreumata, ſchema ſchemata, emblema emblemata, theorema theoremata, boethema boethemata, & alia. Item meminerimus ſingulas literas tam in Græcis quam in Latinis generis eſſe neutri. Dicimus enim vnum alpha, vnum beta, vnum gamma, ſic & aliæ literæ: pluraliter duo alpha, duo beta, duo gamma: ſic tria alpha, tria beta, tria gamma: inde eſt illud τρία κάππα κάκιστα, id eſt tria cappa peſſima: de Cornelio Sylla, de Cornelio Cinna, de Cornelio Lentulo: hi enim per tres literas deſignati ſunt in libris Sibyllinis. Eſt & vnum nomen generis neutri in a, vt flumen Turia, vt ſuprà diximus. Genus *De termina-*
commune exit per a, vt aduena: declinatur N. hic & *tione & de-*
hæc aduena, G. huius aduenæ, D. huic aduenæ, A. hũc *clinatione*
& hanc aduenam, V. ô aduena, A. ab hoc & ab hac ad- *nominum*
uena: pluraliter N. hi & hæ aduenæ, G. horum & ha- *communis*
rum aduenarum, D. his aduenis, A. hos & has aduenas, V. ô aduenæ, A. ab his aduenis. Ad hanc formulam declinabis Troiugena, indigena, incola, agricola, conuena, cælicola, ſacricola, publicola, terricola, orbicola, plebicola, Numida, Dalmata, ruricola, lucifuga, Perſa, Romulida, &c. In nominatiuo e & i, non habet genus commune, ſed in o, vt latro: N. hic & hæc latro, In o.
G. huius latronis, D. huic latroni, A. hunc & hanc latronem, V. ô latro, A. ab hoc & ab hac latrone: & pluraliter N. hi & hæ latrones, G. horum & harum latronum, D. his latronibus, A. hos & has latrones, V. ô latrones, A. ab his latronibus. Ad hanc formam declinabis, homo, ganeo, degulo, caupo, fullo, nemo, helluo qui & gluto, & alia. Per u autem nullam habet. In no- In es.
minatiuo ergo exit commune per es ſyllabam, vt comes: N. hic & hæc comes, G. huius comitis, D. huic comiti, A. hunc & hanc comitem, V. ô comes, A. ab hoc & ab hac comite: & pluraliter N. hi & hæ comites, G. horum & harum comitum, D. his comitibus, A. hos & has comites, V. ô comites, A. ab his comitibus. Ad hanc formam declinabis ſimilia, vt ſoſpes, locuples, hoſpes, licet hoſpitam dixerit Virgilius, *Hoſpita tellus*: miles, veles, id eſt leuis armaturæ miles, interpres, ales, præpes, præs, id eſt fideiuſſor, ſatelles, deſes, præſes, diues, hæres, celes, celites, qui iter ſibi faciunt ad cælum, indiges indigetis, &c. Exit in is, vt ſi- In is.
milis: N. hic & hæc ſimilis, G. huius ſimilis, D. huic ſimili, A. hunc & hanc ſimilem, V. ô ſimilis, A. ab hoc & ab hac ſimili: & pluraliter N. hi & hę ſimiles, G. horum & harum ſimilium, D. his ſimilibus, A. hos & has ſimiles, V. ô ſimiles, A. ab his ſimilibus. Ad hanc formam declinantur agilis, facilis, fragilis, viridis, mobilis, humilis, mitis, lenis, mollis, ciuis, teſtis, hoſtis, triſtis, fortis, ſuauis, frugalis, crudelis, inanis, gracilis, immanis, &c. Exit per os, vt ſacerdos: N. hic & hæc ſacer- In os.
dos, G. huius ſacerdotis, D. huic ſacerdoti, A. hunc & hanc ſacerdotem, V. ô ſacerdos, A. ab hoc & ab hac ſacerdote: & pluraliter, N. hi & hę ſacerdotes, G. horum & harum ſacerdotum, D. his ſacerdotibus, A. hos & has ſacerdotes, V. ô ſacerdotes, A. ab his ſacerdotibus. Ad hanc formam declinantur cuſtos, impos, compos, nepos. Exit & per us, vt ſus: N. hic & hæc ſus, G. huius In us.
ſuis, D. huic ſui, A. hunc & hanc ſuem, V. ô ſus, A. ab hoc & ab hac ſue: & pluraliter, N. hi & hæ ſues, G. horum & harum ſuum, D. his ſuibus, A. hos & has ſues, V. ô ſues, A. ab his ſuibus. Exit & per er, vt pauper: N. In er.
hic & hæc pauper, G. huius pauperis, D. huic pauperi, A. hunc & hanc pauperem, V. ô pauper, A. ab hoc & ab hac paupere: & pluraliter, N. hi & hæ pauperes, G. horum & harum pauperum, D. his pauperibus, A. hos & has pauperes, V. ô pauperes, A. ab his pauperibus. Ad hanc formam declinantur & alia, vt acer, alacer, id eſt, lætus. Exit commune in ex, vt opifex: N. In ex.
hic &

hic & hæc opifex, Genitiuo huius opificis, D. huic opifici, A. hunc & hanc opificem, V. ô opifex, A. ab hoc & ab hac opifice: & pluraliter, N. hi & hæ opifices, G. horum & harum opificum, D. his opificibus, A. hos & has opifices, V. ô opifices, A. ab his opificibus. Ad hãc formam declinabis aurifex, artifex, iudex, carnifex, index, vindex, auſpex, haruſpex, ſignifex, & alia. Exit genus commune in eps, vt princeps: declinatur ſic: Nominatiuo hic & hæc princeps, G. huius principis, D. huic principi, A. hunc & hãc principem, V. ô princeps, A. ab hoc & ab hac principe: & pluraliter, N. hi & hæ principes, G. horum & harum principum, D. his principibus, A. hos & has principes, V. ô principes, A. ab his principibus. Sic declinantur manceps, particeps, municeps. Anceps autem & biceps & triceps & quadriceps, multiceps, præceps: hæc ſex nomina genitiuum ſingularem cõtra regulam ſuperiorem in tis ſyllabam mittunt, non in pis, vt anceps ancipitis, biceps bicipitis, triceps tricipitis, quadriceps quadricipitis, multiceps multicipitis, præceps præcipitis. Sed ideo in tis ſyllabam exeunt, non in pis, vt principis, mãcipis, quia à capitis ſignificatione veniunt, illa autem ſuperiora à capiendi ſignificatione. Princeps enim dictus eſt, quòd primus capiat, & manceps quòd manu capiat. Anceps autem dictus eſt quòd dubij capitis ſit, vel inclinati capitis in vtranque partem. Exit genus cõmune in iunx ſyllabam, vt coniunx: Nominatiuo hic & hęc cõiunx. Exit in ux, vt hic & hæc dux, redux. Exit in ps, quod quidem in omne genus redibit. Exibit in ebs, vt cælebs. Cælebs dicitur qui non habet vxorem, vel quæ non habet maritum: qualia ſunt numina in cælo quæ abſque coniuge ſunt, ſi agapetas attendamus: Nominatiuo hic & hæc cælebs, Genitiuo huius cælibis, D. huic cælibi, A. hunc & hanc cælibem, V. ô cælebs, A. ab hoc & ab hac cælibe: & pluraliter, Nominat. hi & hæ cælibes, G. horum & harum cælibum, D. his cælibibus, A. hos & has cælibes, Vocatiuo ô cælibes, A. ab his cælibibus. Exit & in yx, vt Phryx: Nominatiuo hic & hæc phryx, Genitiuo huius phrygis, D. huic phrygi, A. hunc & hanc phrygem, V. ô phryx, A. ab hoc & ab hac phryge: & pluraliter, Nominatiuo hi & hæ phryges: G. horum & harum phrygum, D. his phrygibus, A. hos & has phryges, V. ô phryges, A. ab his phrygibus. Et in us exit, vt Ligus, quod ſimiliter vt phryx, locale nomen eſt, Nominatiuo hic & hæc ligus, G. huius liguris, D. huic liguri, A. hunc & hanc ligurem, V. ô ligus, A. ab hoc & ab hac ligure: & pluraliter, N. hi & hæ ligures, G. horum & harum ligurum, D. his liguribus, A. hos & has ligures, V. ô ligures, A. ab his liguribus. Exit genus commune in il, vt vigil: Nominatiuo hic & hæc vigil, G. huius vigilis, D. huic vigili, A. hunc & hanc vigilem, V. ô vigil, A. ab hoc & ab hac vigile: & pluraliter, N. hi & hæ vigiles, G. horum & harum vigilum. D. his vigilibus, A. hos & has vigiles, V. ô vigiles, A. ab his vigilibus. Ad hanc regulam declinabis hic & hæc pugil. Exit in ul, vt exul: N. hic & hæc exul, G. huius exulis, D. huic exuli, A. hunc & hãc exulem, V. ô exul, A. ab hoc & ab hac exule: & pluraliter, N. hi & hæ exules, G. horum & harum exulum, D. his exulibus, A. hos & has exules, Vocatiuo ô exules, A. ab his exulibus. Ad hanc formam declinabis præſulem, hic & hæc præſul: quoniam maſculinum eſt, vt cõſul. Exit in ur, vt fur: Nominatiuo hic & hæc fur, G. huius furis, D. huic furi, A. hunc & hanc furem, V. ô fur, Ablatiuo ab hoc & ab hac fure: & pluraliter, Nominatiuo hi & hæ fures, Genitiuo horum & harum furum, Datiuo his furibus, Ablatiuo hos & has fures, V. ô fures, Ablatiuo ab his furibus. Ad hanc formam declinabis augur, hic & hæc augur. Exit genus commune in or, vt maior, memor. Sed memor, ſi alia regula eſt, nõ admittit genus neutrum in us, quomodo maior admittit in neutro maius. Nominatiuo hic & hæc memor, G. huius memoris, D. huic memori, A. hunc & hanc memorem, Vocatiuo ô memor, Ablatiuo ab hoc & ab hac memore: & pluraliter, Nominatiuo hi & hæ memores, G. horum & harum memorum, Datiuo his memoribus, A. hos & has memores, V. ô memores, A. ab his memoribus. Admittit & neutrũ, ſed non in regula generis omnis, vt hoc memor: vnde & Virgilius:

Tum ſi quod non æquo fœdere amantes AEneid. 4.
Curæ numen habet, iuſtumq́, memorq́, precatur.

Pluralem non admittit, inde non eſt generis omnis. Neque enim dicimus memora vel memoria numina. Similiter declinabis auctorem in nominatiuo ſingulari, hic & hæc autor, vt ait Iuno, Autor ego audendi: hi & hæ autores. Exit genus omne in ax, in ex, in ix, in ox, in ux, ans, ens, ars, ers, ors, in us, es. In ax, vt hic & hæc & hoc pertinax, Genitiuo huius pertinacis, Datiuo huic pertinaci, A. hunc & hanc pertinacem & hoc pertinax, V. ô pertinax, A. ab hoc & ab hac & ab hoc pertinaci: & pluraliter, Nominatiuo hi & hæ pertinaces, & hæc pertinacia, G. horum & harum & horum pertinacium, D. his pertinacibus, A. hos & has pertinaces, & hæc pertinacia, V. ô pertinaces, & ô pertinacia, A. ab his pertinacibus. Ad hanc formam declinabis, efficax, tenax, peruicax, dicax, ſequax, rapax, mordax, capax, furax, emax, fallax, mendax, nugax, viuax. Hæc omnia ablatiuum ſingularem & alia, in i mittũt. Exit item omne genus in ex, ſecundum ordinem regularum ſuprà ordinatarum, vt ſimplex. Nominatiuo hic & hæc & hoc ſimplex, G. huius ſimplicis, D. huic ſimplici, A. hunc & hanc ſimplicem, & hoc ſimplex, V. ô ſimplex, A. ab hoc & ab hac & ab hoc ſimplici: & pluraliter, Nominatiuo hi & hæ ſimplices, & hęc ſimplicia, G. horum & harum & horum ſimplicium, D. his ſimplicibus, A. hos & has ſimplices, & hæc ſimplicia, V. ô ſimplices, & ô ſimplicia, A. ab his ſimplicibus. Ad hanc formam declinãtur duplex, triplex, quadruplex, quintuplex, ſextuplex, ſeptuplex, excluſo m, quia & ſeptemplex Latinum eſt, quod declinatur vt ſuperius. Ex regula in ix, vt felix, quod ſic declinatur: Nominatiuo hic & hæc & hoc felix, G. huius felicis, D. huic felici, Accuſat. hunc & hanc felicem, & hoc felix, V. ô felix, A. ab hoc & ab hac & ab hoc felici, ex ſono generis neutri (à propriis nominibus in e exit ab hoc felice, & eſt generis maſculini) & pluraliter, Nominatiuo hi & hæ felices, & hæc felicia, Genitiuo horum & harum & horum felicium, D. his felicibus, A. hos & has felices, & hæc felicia, V. ô felices, & ô felicia, A. ab his felicibus. Ad hanc regulam declinatur pernix, quod ſignificat velocem. Ex regula in ox, vt ferox, declinatur ſic: Nominatiuo hic & hæc & hoc ferox, G. huius ferocis, D. huic feroci, A. hunc & hanc ferocem, & hoc ferox, V. ô ferox, A. ab hoc & ab hac & ab hoc feroci: & pluraliter, Nominatiuo hi & hę feroces, & hæc ferocia, G. horum & harum & horum ferocium, D. his ferocibus, A. hos & has feroces, & hæc ferocia, V. ô feroces, & ô ferocia, A. ab his ferocibus. Ad hanc formam declinabitur atrox, velox. Ex regula in ux, vnum nomen eſt, vt trux: Nominatiuo hic & hæc & hoc trux, G. huius trucis, D. huic truci, A. hunc & hanc trucem, & hoc trux, V. ô trux, A. ab hoc & ab hac & ab hoc truci, à ſono generis neutri: & pluraliter, Nominatiuo hi & hæ truces & hæc trucia, G. horum & harum trucium, D. his trucibus, A. hos & has truces, & hæc trucia, V. ô truces & ô trucia, A. ab his trucibus. Ex regula ans, vt præſtans: Nominatiuo hic & hæc & hoc præſtans, G. huius præſtantis, D. huic præſtanti, A. hunc & hanc præſtãtem & hoc præſtans, V. ô præſtans, A. ab hoc & ab hac & ab hoc præſtanti, ex ſono generis neutri: & pluraliter, N. hi & hæ præſtantes, & hæc præſtantia, G. horum & harum &

In eps. *In yx.* *In ux.* *In eps. In ebs.* *In iunx.* *In ul.* *In ur.* *In or.* *In us.* *In il.*

Determinatione & declinatione nominum omnis generis.

In ax. *In ex.* *In ix.* *In ox.* *In ux.* *In ans.*

horum præſtantium,D.his præſtantibus,A.hos & has præſtantes,& hæc præſtantia,V.ô præſtantes & ô præſtantia,A.ab his præſtantibus. Ad hanc formam declinatur amans,clamãs,cantans,luctans, cõſtans,proſtãs, regnans,pugnans,mirans,minãs,miſerans,ęſtuãs,verſans,& alia. Ex regula ens,vt amẽs: N.hic & hęc & hoc amens, G.huius amentis, D. huic amenti, A.hunc & hanc amentem & hoc amens,V.ô amens,A.ab hoc & ab hac & ab hoc amenti,ſono generis neutri ſimiliter: & pluraliter, N. hi & hæ amentes & hæc amentia, G. horum & harum & horum amẽtium, D. his amentibus,A.hos & has amentes,& hæc amentia,V.ô amentes & ô amentia,A.ab his amentibus. Ad hãc formam declinatur demens,potens,impotens,præpotens,prudens,imprudens, pudens, impudens, frequens , infrequens,ſedens, hærens,moriens,mœrens,tenẽs,egens, ferens, cedens,ſæuiens,ſeruiens,ſapiens, inſipiens,decipiens,& talia. Ex regula ons,vt ſons, quod ſignificat nocens: N.hic & hæc & hoc ſons, G.huius ſontis, D. huic ſonti, A. hunc & hanc ſontem, & hoc ſons, V.ô ſons,A.ab hoc & ab hac & ab hoc ſonti , à ſono generis neutri : & pluraliter, N.hi & hæ ſontes & hæc ſontia,G.horum & harum & horum ſontium,D.his ſon tibus,A.hos & has ſontes & hæc ſontia, V. ô ſontes & ô ſontia,A.ab his ſontibus. Ad hanc regulam declinatur inſons,id eſt, innocens . Et hæc duo ſunt tantũ generis omnis. Ex regula ar, vt par: N. hic & hæc & hoc par,G.huius paris,D. huic pari, A.hunc & hãc parem & hoc par,V.ô par, A.ab hoc & ab hac & ab hoc pari, ſono generis neutri:& pluraliter, N.hi & hæ pares, & hæc paria,G.horum & harum & horum pariũ, D.his paribus,A.hos & has pares, & hæc paria, V.ô pares, & ô paria,A.ab his paribus. Ad hanc formam declinãtur impar,& ſuppar, quæ ſola tria ſunt generis omnis . Ex regula ers, vt iners: N.hic & hæc & hoc iners,G.huius inertis,D.huic inerti, A.hunc & hanc inertem & hoc iners,V.ô iners,A.ab hoc & ab hac & ab hoc inerti: & pluraliter,N.hi & hæ inertes,& hęc inertia,G.horum & harum & horum inertium, D. his inertibus,A.hos & has inertes,& hæc inertia, V. ô inertes, & ô inertia, A.ab his inertibus. Ex regula ors, vt vecors: N. hic & hæc & hoc vecors,G.huius vecordis,D.huic vecordi, A.hunc & hanc vecordem,& hoc vecors,V.ô vecors, A. ab hoc & ab hac & ab hoc vecordi , à genere neutro:& pluraliter, N. hi & hæ vecordes , & hæc vecordia,G. horum & harum & horum vecordium, D. his vecordibus, A. hos & has vecordes , & hæc vecordia, V.ô vecordes,& ô vecordia,A. ab his vecordibus. Ad hanc regulam declinantur excors,cõcors, diſcors, diſſors.Sed hæc duo,id eſt conſors, & diſſors, in genitiuo ſingulari tis habent, vt conſortis,diſſortis. Diſſors autem dicitur diſſimilis ſortis.Ex regula us, vt vetus: declinatur autem ſic: N.hic & hęc & hoc vetus,G.huius veteris, D.huic veteri, A.hunc & hãc veterem,& hoc vetus,V.ô vetus, A.ab hoc & ab hac & ab hoc veteri, à ſono generis neutri:& pluraliter,N.hi & hę veteres, & hæc vetera , G. horum & harum & horum veterũ, D.his veteribus,A.hos & has veteres,& hęc vetera,V. ô veteres,& ô vetera, A.ab his veteribus . Hoc ſolum nomen in us, eſt generis omnis . Es, vt teres, quod eſt rotundum:declinatur hic & hæc & hoc teres:teres autem dictum eſt à terendo.Ex regula autem ἀπτώτων eſt nequam, vno enim ſono declinantur omnes caſus per omnia genera. Eſt autem genus epicœnũ, quod ſub vno articulo intelligitur ſexus, vtputa hic paſſer , iam ſub vno articulo quo ſonat hic, illic eſt & fœmina:declinatur,N.hic paſſer,G.huius paſſeris, D.huic paſſeri, A.hũc paſſerem,V.ô paſſer, A.ab hoc paſſere:& pluraliter,N.hi paſſeres, G.horum paſſerum, D. his paſſeribus, A.hos paſſeres, V.ô paſſeres, A.ab his paſſerib. Sed & hæc aquila,ſub vno articulo quo ſonat hæc, ibi

In ens. *In ons.* *In er.* *In ers.* *In ors.* *In us.* *In es.* *In am.* *De nominibus generis epicœni, & differentia eiuſdem generis à communi.*

& maſculinum intelligimus:ſic & hæc tigris, ſub quo ſono intelligitur & maſculus. Sic & hæc hirundo, ibi intelligis & maſculum , ſic & hic ſtruthio , ibi intelligis & fœminam,ſic ſorex,ſtellio,muſca . Ergo hoc intereſt inter genus commune & epicœnum,quia in genere communi & homines ſunt & pecora,in epicœno pecora tantum . Quod in genere communi ambo articuli ſunt, id eſt hic & hæc cum nomine cõmunicat, vt hic & hæc canis: epicœnum autem cũ articulo vno maſculino communicat nomen fœmininum, vt cum dico hic paſſer,ſub ipſo articulo qui ſonat hic,intelligitur & fœmina . Sic in articulo generis neutri , quod eſt hoc pecus: ſub articulo qui ſonat hoc , intelligitur & fœmina,vt Virgilius ait,Lenta ſalix fœto pecori.Et in pecore licet ſit genus neutrũ , auditur illic & genus fœmininũ,cũ dixit,fœto pecori,id eſt grauido. Nũc dicendum de nominibus quæ aut ſunt numeri ſingularis tantum,aut numeri tantum pluralis, vt cancelli, manes,penates.In fœminino tantum plurali, vt thermæ,exequiæ,inſidiæ,diuitiæ,nundinæ: in nominibus ciuitatum,Amyclæ,Thenæ,Athenæ,Syracuſæ, Thebæ, Tuburnæ, Saldæ, Abituræ, Macomades , Cales, Carreaſi,Relares,Furnitũ, quæ loca turnos dicuntur, & alia ſimilia:in neutro tantum ſingulari, vt aurũ, argentum,plumbum,ſtannum,piper, triticum, oleum, hordeum,vinum. Quanquã Virgilius vina, at Cicero rarius ; poëtica licentia dedit plurali, vt Serite hordea campis:declinatur autẽ nominatiuus ſolus. In neutro tantum plurali,caſtra,mœnia, arma, exta,id eſt viſcera: Bactra,quæ eſt ciuitas Parthiæ : ergo & hæc ciuitas generis neutri eſt numero tantũ plurali. Sanè ſunt nomina ſub duplici enunciatione , vt tribunuſmilitum, præfectuſurbis , præfectusfundis , præfectuſannonæ, prẹfectuſuigilibus,plebiſcitum,ſenatuſconſultũ:quorum nominũ vna pars declinatur , altera non declinatur.vtputa prẹfectuſuigilibus,nominatiuus ipſe flectitur per caſus,præfectus,præfecti,præfecto,præfectum, præfecte,à præfecto:vigilibus ſic manet, nec flectitur. Vt ſenatuſconſultum, hoc conſultum huius conſulti, huic conſulto , hoc conſultum , ô conſultum, ab hoc cõſulto. Senatus autem genitiuus eſt,hic nõ flectitur. De nomine quantum rudi cõueniebat, plenius expoſuimus:nunc de pronomine eſt dicẽdum,quod eſt ſecunda pars de octo partibus orationis.

De nominib. aut ſingularis aut pluralis numeri tantum. *Georg. 2.* *Georg. 1.*

De pronomine.

IDEO pronomen dicitur , quia vice fungitur nominis:vt ille,iſte,ipſe. Nam quomodo dicendo nomen explicamus perſonã, vt Vergilius: ſic pronomina propriè eiuſdem poteſtatis ſunt, cum tacito nomine dicimus : Hic fecit, iſte fecit . Pronomina aut finita ſunt, aut infinita,aut minus quã finita . Finita ſunt quæ notant certam perſonam, vt ego. Infinita, vt quis, quiſq;, quicunq;,quæcunque,qui,aliqui,quæ,aliquæ. Minus quam finita ſunt pronomina,quę non ſic definiũt perſonam,vt non egeant demonſtratore, quomodo dicimus Ego:nam ipſum Tu,non plenè finitum eſt,niſi in perſonã duxeris digitũ.Sic ergo hęc minus quam finita dicenda ſunt.Habent enim quandã deſignationem non plenæ ſignificationis,quomodo ego:vtputa pone eſſe turbã,tamen nõ ſic, tu, ſignificãter dicitur in turba,quomodo de turba cum vnus dixerit ego:ſed vt de multis vnum ſignificemus quẽ quærimus, aut nomen addimus,aut digitum intendimus, vt appareat certius quem vocamus. Ergo tu, ille, & iſte, & alia quæ quaſi poſſunt ex parte aliqua definire perſonam,minus quã finita vocanda ſunt.Prima perſona dicitur ego,tam in ſingulari numero quam in plurali cum dicimus nos, non habet vocatiuum caſum : quia nemo vocat ſe , ô ego,ô nos. Ergo ſic declinatur ſingulari numero, N.ego, G. mei, D. mihi, A.me, A.à me: & pluraliter, N. nos,G.noſtrum, D.nobis, A.nos, A.à nobis. Vocatiuũ enim, vt dixi, non habet, tam in ſingulari quã in plurali,

De declinatione pronominum I, II. & III. perſona.

rali. Nominatiuo tu, Genitiuo tui, Datiuo tibi, Accu- A
ſatiuo te, Vocatiuo ô tu, Ablatiuo à te: & pluraliter,
N. vos, G. veſtrum, D. vobis, A. vos, V. ô vos, A. à vo-
bis. Sanè prima perſona & ſecunda, id eſt, ego & tu, gene-
ris omnis eſt: nam & vir dicit ego, & fœmina ego, &
mancipium ego. Sic tu: & viro dicimus tu, & fœminæ,
& mãcipio: ſic in plurali generis omnis eſt, vt nos, vos.
Ex tertia perſona hæc eſt declinatio maſculino gene-
re numero ſingulari: N. ille, G. illius, D. illi, A. illum,
A. ab illo: & pluraliter, N. illi, G. illorum, D. illis, A. il-
los, V. ô illi, A. ab illis. Genere fœminino, N. illa, G. il-
lius, D. illi, A. illam, V. ô illa, A. ab illa: & pluraliter, N.
illæ, G. illarum, D. illis, A. illas, V. ô illæ, A. ab illis. Ge-
nere neutro numero ſingulari, N. illud, G. illius, D. il-
li, A. illud, V. ô illud, A. ab illo: & pluraliter, N. illa, G.
illorum, D. illis, A. illa, V. ô illa, A. ab illis. Iſte, ſimiliter
& Ipſe, ad formam ſuperiorem declinabis, tam ad ge-
nera quam etiam ad numeros. Sanè quęſtio eſt in hoc
pronomine ipſe, quare cũ iſtud & illud, in genere neu- B
AEneid. 1. tro dicimus, dicamus ipſum, vt ait Virgilius: *Atque*
ipſum corpus amici: non dixit, ipſud. Sed hæc quæſtio
ſoluitur hoc modo: Antiqui enim magis ipſus dice-
bant in nominatiuo ſingulari generis maſculini quam
ipſe. Hanc antiquitatis rationem attendẽtes artis ſcri-
ptores, pronomen hoc ad formam nominis tranſtule-
runt, vt quomodo in nomine iuſtus, iuſta, iuſtum dici-
mus, & perfectus, perfecta, perfectum, ſic & hoc pro-
nunciabitur pronomen ipſus, ipſa, ipſum: non ipſud,
quomodo iſtud & illud. Nominatiuo quis, G. cuius,
De declinatione infinitorum. D. cui, A. quẽ, V. ô qui, A. à quo: & pluraliter, N. qui,
G. quorum, D. quîs vel quibus (vt Virgilius, *Quîs ante*
ora patrum,) A. quos, V. ô qui, A. à quibus. Fœmini-
no genere, N. quæ, G. cuius, D. cui, A. quam, V. ô quæ,
A. à qua: & pluraliter, N. quæ, G. quarum, D. quis, A.
quas, V. ô quæ, A. à quibus. Genere neutro, N. quod,
G. cuius, D. cui, A. quod, V. ô quod, A. à quo: & plurali-
ter, N. quæ, G. quorũ, D. quis, (ſed iam ſecundũ vſum C
quibus dicimus) A. quæ, V. ô quę, A. à quibus. Antiqui,
quis genere communi dixerunt. N. hic & hęc quis, G.
huius quis, D. huic qui, A. hunc & hanc quẽ, V. ô quis,
A. ab hoc & ab hac qui. Inde venit ablatiuus exiens in
bus. A quis autem ablatiuus pluralis ab ablatiuo venit
qui exit in o, quomodo in regula ablatiuus cum exie-
rit in o, datiuum pluralem in is mittit, vt à iuſto iuſtis,
à docto doctis, à perfecto perfectis, à fortunato fortu-
natis. Ergo vt ſuperius dixi, antiqui hic & hæc quis di-
xerunt, & quomodo in nominibus hic & hæc ſimilis,
hic & hæc agilis, hic & hæc facilis: ſic in pronomini-
AEneid. 11. bus, hic & hæc quis, ab hoc & ab hac qui. Inde Virgi-
lius cum de ſocia Camillę diceret, ait: Qui cum partiri
curas: id eſt, cum qua partiri curas. Item ſunt alia in-
finita quæ interrogatiua, & declinatur, nominatiuo v-
ter, G. vtrius, D. vtri, A. vtrum, V. ô vter, A. ab vtro: &
pluraliter, N. vtri, G. vtrorum, D. vtris, A. vtros, V. ô v-
tri, A. ab vtris. Inde addita in compoſitione, que ſylla- D
ba, facit vterque, & ſignificat ambos: & tamẽ ſingula-
ri ſono eſt, ſed ſignificatione duali. Nam cum dixit Vir
AEneid. 5. gilius, Conſtitit in digitos extemplo arrectus vterque:
duo ſignificati ſunt, cum dixerit vterque: cum autem
arrectus, noluit expectari pluralitatem, vt ſit in plurali
vtrique. Sed hoc intereſt, quia vterque licet duo ſigni-
ficet, tamen ſolum duo: vtrique autem duo ſignificat,
ſed ſic vt in ſingulis multi ſint: ſi dicas vtrique exerci-
tus, duo ſignifico, ſed ſic in ſingulis turbam intelligi
volo. Hæc quidem diſtincta ſunt, ſed item auctoritate
AEneid. 5. confuſa ſunt. Nam cum ait Virgilius, Super vtraque
quaſſa tempora, confudit: dicere enim debuit, ſuper
vtrunque tempus: loquebatur enim de duobus tem-
poribus tantum, cui vtrunque tempus ſufficiebat ac-
cuſatiuus, vt diceret, vtrunque quaſſum tempus. Er-
go vt declinauimus maſculinum pronomen, ſic fœ-

mininum declinabimus, vtra mulier, vtrius mulieris,
vtri mulieri, vtram mulierem, ô vtra mulier, ab hac v-
tra muliere: & pluraliter, Nominatiuo vtræ mulieres,
genitiuo vtrarum mulierum, datiuo vtris mulieribus,
accuſatiuo vtras mulieres, vocatiuo ô vtræ mulieres,
ablatiuo ab his vtris mulieribus. Sic neutro vtrũ man-
cipium, vtrius mancipij, vtri mancipio, vtrum manci-
pium, ô vtrum mancipium, ab hoc vtro mancipio: &
pluraliter, nominatiuo vtra mancipia, vtrorum man-
cipiorum, vtris mancipiis, vtra mancipia, ô vtra man-
cipia, ab his vtris mancipiis. Sic declinabimus eius cõ-
trarium quod eſt neuter. Maſculino neuter, fœmini-
no neutra, neutro genere hoc neutrum mancipium.
Vnde vſus iam arripuit vt dicamus generis neutri, cũ
dicere debeamus neutrius, quomodo vtrius. Addita
coniunctione que ſyllaba, declinatur pronomẽ ipſum
ad regulam ſupradictam. In maſculinis, vterque: in fœ
mininis, vtraque: in neutris vtrunque. Sic pluraliter: in
maſculinis, vtrique: in fœmininis vtræque: in neutris, B
vtraque mancipia. Eſt & aliud pronomen, vllus, vllius,
vlli, vllum, ô vllus, ab vllo: pluraliter vlli, vllorum, vl-
lis, vllos, ô vlli, ab vllis. Fœmininũ vlla, vllius, vlli, vl-
lam, ô vlla, ab vlla: pluraliter vllæ, vllarum, vllis, vllas,
ô vllæ, ab vllis. Neutrum vllum, vllius, vlli, vllum, ô vl-
lum, ab vllo: ſic pluraliter vlla, vllorum, vllis, vlla, ô vl-
la, ab vllis. Ad hanc formam declinabis & nullus, nul-
la, nullum: ſic alius, huius alius, huic alij: ſic alter, hu-
ius alterius, huic alteri: ſic totus, huius totius, huic to-
ti: ſic ſolus, huius ſolius, huic ſoli: ſic vnus, huius vnius,
huic vni: vnde Virgilius,

Forſitan huic vni potui ſuccumbere culpæ. AEneid. 4.

Sunt & qualitatis pronomina, hic & hæc qualis, huius
qualis, genere cõmunia: à genere autem neutro, hoc
quale, huius qualis: pluraliter hæc qualia, horum qua-
lium. Sunt & quantitatis, vt quantus, tantus: quanti,
tanti: declinantur vt iuſtus iuſti. A fœminino, vt quan
ta, tanta, declinantur vt iuſta. A neutro, quantum, tan-
tum, declinantur vt iuſtum. Item pronomen à maſcu-
lino, quotus, totus: à fœminino quota, tota: à neutro,
quotum, totum. Pluraliter à maſculino, quoti, toti: à
fœminino, quotæ, totæ: à neutro, quota iugera, quoto-
rum iugerum. Sunt relatiua quę ad interrogantem re-
feruntur, vt quis eſt? reſpondetur, is eſt: & declinantur
à maſculino, is, eius, ei, eum, ô is, ab eo: pluraliter ij, eo-
rum, eis, eos, ô ei, ab eis. A fœminino, ea, eius, ei, eam,
ô ea, ab ea. A neutro, id, eius, ei, id, ô id, ab eo. Ergo cum
loquimur de itinere: per id iter, dicendum eſt: non per
eum iter: quia eum, in accuſatiuo caſu, maſculini ge-
neris eſt: plurali, ea itinera: ab eis itineribus. Item per
id noſtrum, per id tectum, per id caput: non per eum,
niſi in genere maſculino tantum.

VERBA quatuor modis accipimus: primo modo, *De verbo.*
cum verba pro fallaciis accipimus, cum dicimus,
Verba illi dedit, fefellit eum: vnde Terẽtius dixit, Cui
verba dare difficile eſt. Secundo modo, verba pro ora-
tione dicimus, Verba feciſſe Ciceronem in curia.
Tertio modo, verba dicimus pro vulgaribus ſenten-
tiis quæ prouerbia dicuntur, vt Terentius dixit: Ve- *In Andria.*
rum illud verbum vulgò eſt quod dici ſolet. Quarto
modo, verba dicimus hæc quæ decurrimus cum tem-
poribus & perſonis, vt clamo, clamas, clamat. Hic &
perſonæ ſunt tres, vt clamo ego, clamas tu, clamat
ille: & tempus eſt præſens. Deinde pluraliter, cla- *Modus indi-*
catiuus.
mamus nos, clamatis vos, clamant illi. Tempore
præterito imperfecto, clamabam ego, clamabas tu,
clamabat ille: & pluraliter, clamabamus nos, cla-
mabatis vos, clamabant illi. Tempore præterito per-
fecto numero ſingulari, clamaui ego, clamauiſti tu,
clamauit ille. Tempore præterito pluſquamperfecto,
vbi ſignificamus non ſolum nos aliquid feciſſe, ſed e-
tiam dudum, & dicimus numero ſingulari, clamaue-

ram ego,clamaueras tu,clamauerat ille: & pluraliter. A clamaueramus nos,clamaueratis vos, clamauerant illi. Tempore futuro numero ſingulari, clamabo ego, clamabis tu,clamabit ille:clamabimus nos, clamabitis vos,clamabunt illi. Hucuſque modo indicatiuo totum hoc quod diximus indicantis eſt. *De modo imperatiuo.* Ideo dicitur imperatiuus,quia ſonum habet imperãdi. Sed iſte modus non habet primam perſonam, quia nemo ſibi imperat, ſed ad ſecundam loquitur perſonam & tertiam. Numero ſingulari, ad ſecundam clama, & ad tertiam clamet: & pluraliter, ad ſecundam clamate, ad tertiam clament. Futuro tempore, ad ſecundam clamato, ad tertiam ſimiliter clamato. Sed quare ſimiliter facit in ſecunda & tertia,eſt ratio:ſed nũc prætermittenda eſt. Et ne ad alia trãſeamus, redeamus ad rem pluralem. Ad ſecundam perſonam clamatote, ad tertiam clamãto. *De modo optatiuo.* Sic autem optatiuum dicimus, quia optantis modo loquitur,prima perſona tempore præſenti,vtinam clamarem, ad ſecundam vtinam clamares, ad tertiam vtinam clamaret: & pluraliter ad primam perſonam, vtinam clamaremus, ad ſecundam vtinam clamaretis,ad tertiam vtinam clamarẽt. Præterito tempore,ad primam perſonam vtinam clamaſſem ego,ad ſecũdam vtinam clamaſſes tu, ad tertiam vtinam clamaſſet ille:& pluraliter vtinã clamaſſemus nos, vtinam clamaſſetis vos, vtinam clamaſſent illi. Futuro tempore,prima perſona,vtinam clamem ego, vtinam clames tu,vtinam clamet ille: & pluraliter, vtinam clamemus, clametis, clament. *De modo ſubiunctiuo.* Ideo autem ſubiunctiuus dicitur, quia eget aliqua re vt impleat ſententiam ſuam, vtputa cum clamem, clames, clamet:pendet hic ſenſus,indigẽtque aliqua re vt ſententia compleatur: ac ſi dicam, cum clamem quare me tacere dicis? Ideo ergo coniunctiuus modus dictus eſt, quia ei coniungitur aliquid vt ſententia locutionis plena ſit. Ergo declinemus hunc modum vt ſuperiores. Declinatur autem per perſonas tres:prima perſona præſentis temporis cum clamem, ſecunda perſona cum clames, tertia cum clamet: & pluraliter prima perſona cum clamemus, ſecunda cum clametis, tertia cum clament. Præterito tempore imperfecto,prima perſona cum clamarem, ſecunda cum clamares, tertia cum clamaret: & pluraliter prima perſona cum clamaremus,ſecunda cum clamaretis,tertia cum clamarent. Tempore præterito perfecto, prima perſona cum clamauerim, cum clamaueris, cum clamauerit: & pluraliter prima perſona cum clamauerimus, cum clamaueritis,cum clamauerint. Tempore pluſquamperfecto, prima perſona cum clamauiſſem, cum clamauiſſes, cum clamauiſſet: & pluraliter prima perſona cum clamauiſſemus, cum clamauiſſetis, cũ clamauiſſent. Tempore futuro, prima perſona cum clamauero,cum clamaueris,cum clamauerit: & pluraliter prima perſona cum clamauerimus,cum clamaueritis,cum clamauerint. *De modo infinitiuo.* Infinitiuus dicitur hic modus,quia ſuperiores definiunt perſonas,primam,ſecũdam & tertiam:hic autem modus ſine perſonis eſt, & habet ſolum tempus præfinitum,præſens,præteritum & futurum:vtputa clamare,præſens eſt:clamaſſe,præteritum:clamatum ire,futurum. Ecce vides deſignare tantum tempora,non perſonas. Clamare enim,& clamaſſe,& clamatum ire,neſcitur perſona,niſi velis iungere & dicere,clamare debet ille:tunc quaſi ſit finitũ. Si autem non ſubiungas ille vel ipſe vel iſte,ſit vt dicitur infinitiuus modus: nam & numero ſingulari vel plurali infinitus eſt. Cum enim dico,clamare,clamaſſe,nec finitum eſt vtrum de vno an de duobus dicam. Iſti ergo ſunt modi per quos omnia verba curſantur. *De prima cõiugatione.* Iam ad formam vnius verbi quod currimus percurramus cętera verba,ſimiliter clamo clamas clamat,amo amas amat, canto cantas cantat, pulſo pulſas pulſat, freno frenas frenat,armo armas armat, impugno impugnas impugnat,capto captas captat, paro paras parat,ſeparo ſeparas ſeparat,accuſo accuſas accuſat,mãdo mandas mandat, grauo grauas grauat, lauo lauas lauat, genero generas generat, creo creas creat, ligo ligas ligat, alligo alligas alligat, ſanctifico ſanctificas ſanctificat, cito citas citat, vulnero vulneras vulnerat, macero maceras macerat, lacero laceras lacerat, aro aras arat, calco calcas calcat, lanio lanias laniat,memoro memoras memorat, calceo calceas calceat, inueſtigo inueſtigas inueſtigat, vallo vallas vallat, domo domas domat, circumuallo circumuallas circumuallat, curuo curuas curuat, medico medicas medicat,conſulto conſultas conſultat,intimo intimas intimat,inſinuo inſinuas inſinuat,frequento frequentas frequentat,celebro celebras celebrat,miniſtro miniſtras miniſtrat, palpo palpas palpat, ſono ſonas ſonat, ſocio ſocias ſociat, muto mutas mutat, poſtulo poſtulas poſtulat, quaſſo quaſſas quaſſat, euiſcero euiſceras euiſcerat,denſo denſas denſat, eneruo eneruas eneruat, verbero verberas verberat, macto mactas mactat, fugo fugas fugat, elimino eliminas eliminat, cælo cælas cælat, ſigno ſignas ſignat, ventilo ventilas ventilat, contriſto contriſtas contriſtat, ſereno ſerenas ſerenat, & alia. Iſtis omnibus adiicitur r litera, & ſunt paſſiua, vt clamor clamaris clamatur, amor amaris amatur, pulſor pulſaris pulſatur, ſecor ſecaris ſecatur, curor curaris curatur. Sic omnia percurreris per illos modos quos ſuperius diximus, indicatiuum, imperatiuum, optatiuum, coniunctiuum, infinitiuum. Sanè ex hoc ſono quo verba actiua ordinauimus, id eſt quo nos agere aliquid ſignificauimus, ſunt ſimiles ſoni, ſed ad verba pertinent neutralia. Sed ne te commoueat quare dicuntur neutralia, hæc ratio eſt, quia neque agunt aliquid neque patiuntur, id eſt ſto, iaceo, cubo, ſedeo. *Quare dicãtur verba neutralia.* Hæc in nulla actione, in nulla paſſione ſunt. Alia neutralia abuſu dicta, quæ habent actionem, ſed paſſionem nullam: vt certo, habet actionem, ſed non dicimus certor, vt curro. Ex quo ſono multa ſunt, quæ cum in o exeunt,or non admittũt,vt hæc verba pugno pugnas pugnat, bello bellas bellat, cœno cœnas cœnat, nato natas natat, ambulo ambulas ambulat, nauigo nauigas nauigat, commeo commeas commeat,æſtuo æſtuas æſtuat, regno regnas regnat, gelo gelas gelat, dico dicas dicat, exulo exulas exulat, ſacrifico ſacrificas ſacrificat,cachinno cachinnas cachinnat. Hæc omnia primæ coniugationis ſunt, quæ ſecundam perſonam horum omnium verborũ in as ſyllabam mittunt, vt amo amas, canto cantas, pulſo pulſas, freno frenas, armo armas, impugno impugnas, ſalto ſaltas, curuo curuas, pugno pugnas. Ergo audiſti primam coniugationem, ſcire debes ſecundam verbi perſonam per as ſyllabam exire. Nam inde dicitur coniugatio,quod ſibi ad vnum ſonum multa coniungat. Has coniugationes Græci συζυγίας dicunt. Sic & ſimilia omnia hac inuenta percurris.

De ſecunda coniugatione. Secunda autem coniugatio eſt quæ in ſecunda ſimiliter perſona quæritur, & exit per es, vt teneo tenes, præbeo præbes, moneo mones, doleo doles, tergeo terges, arceo arces, egeo eges, terreo terres, mulceo mulces, impleo imples, compleo comples, repleo reples, ſuppleo ſupples, mordeo mordes, ſpondeo ſpondes, & alia. Et his adiicitur r litera, & fiunt paſſiua, teneor teneris, mordeor morderis, arceor arceris, mulceor mulceris, impleor impleris. Declinabis hæc paſſiua per modos & tempora & perſonas. Per modos, vt dixi, indicatiuum, imperatiuum, optatiuum, coniunctiuum, infinitiuum, hoc eſt quod dixi per modos. Per tempora autem, id eſt præterita, præſentia vel futura. Perſonas autem

autem dixi, prima, ſecunda & tertia, vt teneor teneris tenetur, & pluraliter tenemur tenemini tenentur. Hæc ſicut dixi obſeruabis. Sed quomodo vt ſuperius dixi, prima coniugatio quæ exit in as, vt amo amas, capit & verba neutralia, vt certo certas, nato natas, in quibus r litera non admittitur, nec enim dicimus certor, nator: ſic in hac coniugatione ſecunda quæ exit in eo, es, vt moneo mones, doceo doces, ſunt multa quæ non admittunt r literam in prima perſona, vt algeo alges, ſcateo ſcates: algeor enim non eſt Latinum: ſic ferueo ferues, torpeo torpes, pendeo pendes, inuideo inuides: quamuis Horatius poëta inuideor dixerit, ſed noua vſurpatione: ſic emineo emines, nec dicimus emineor. Hæ duę coniugationes prima & ſecunda quas diximus exire in as & in es, vt amo amas, moneo mones: futurum ſemper tempus in bo ſyllabam mittunt, vt amabo, monebo. Sic ſeruabis vbicunq; futurum tempus in bo ſyllabam mittas, quia ſunt aliæ duæ coniugationes quæ futurum tempus in am ſyllabam mittãt, non in bo, & vocantur ipſæ coiugationes tertia correpta & tertia producta. Tertia correpta eſt, quæ imperatiuum modum in e correptam mittit, vt ſcribe, tolle, carpe, occide, fere, lege. Ergo vidiſti imperatiuum ſic exire. Tertia itaque coniugatio eſt correpta quæ ſemper futurum tempus in am mittit, nunquam in bo, vt ſcribam, legam, tollam, carpam: quia Latinum non eſt, ſi dixerit quis, ſcribebo, legebo, tollebo, carpebo. Tertia ſimiliter coniugatio producta ex eodem imperatiuo modo colligitur. Cum enim imperatiuus modus exit in i literam, tertia coniugatio producta eſt, vt audi, nutri, ſenti, muni, ſarci, leni, & alia. Similiter etiam hæc futurum tempus in am mittunt, vt muniam, leniam, nutriam, audiam. Sed tertia correpta infinito modo e correptam habet ante nouiſſimam ſyllabam, vt ſcribere, legere, tollere, & alia: tertia autem producta habet in antenouiſſima ſyllaba in infinito i, quæ producitur, vt munire, lenire, audire, ſarcire, ſentire, venire. Vnde in omnibus verbis hæ coniugationes obſeruantur, quæ exeunt in as & in es, futurum tempus in bo mittunt, vt ſæpius dixi. Quæ autem in is exeunt, futurum tempus in am mittunt, nunquã in bo, niſi auctoritate præſumpta: nam ars hoc prohibet. Sed aliqua verba ponimus tertiæ coniugationis correptæ, ex quibus & alia conſequaris. Sunt autem hæc, lego, tollo, erigo, carpo, cognoſco, capio, fugio, mergo, fero, arguo, accipio, pono, ſumo, accendo, expono, incipio. Hæc accipiunt r literam, & faciunt paſſiua verba legor, carpor, capior, &c. Sub hac forma ſunt neutralia, quæ non accipiunt r literam, vt cado: non enim dicimus cador. Item ruo, neque enim dicimus ruor: facio, neque enim dicimus facior. Item fulgeſco, niteſco, ferueſco, algeſco, torpeſco, compeſco, nigreſco. Hæc omnia r literam non habent, & dicuntur verba neutralia quæ exeunt in ſco. Ergo neutralia memineris ſemper nunquam admittere r literam. Remanẽt duo alia verba quæ communia dicuntur & deponẽtia. Sed communia ideo dicũtur, quia communiter ſimul tenent ſub vno ſono actiuum & paſſiuum. Quomodo in nominibus genus commune dicitur quod & maſculinum tenet & fœmininum ſub vno ſono, vt ſacerdos, homo, hic & hæc ſacerdos facit, hic & hæc homo. Sic & verba communia dicuntur: & nũquam deponunt r literam, ne non ſint Latina. Vt oſculor, ſi tollas r literam & dicas oſculo, non eſt Latinum. Et dicimus cum agimus oſculor te, dum autem patimur & ab alio afficimur, dicimus oſculor à te: ſic criminor te, non crimino, cum actionem ſignificamus, id eſt cum crimen obiicimus, criminor te dicimus: cum autem crimen nobis obiicitur, criminor à te dicimus, id eſt crimen à te audio, & eſt ſignificatio paſſiua. Declinantur autem verba hæc vt ſuperiora per modos, tempora & perſonas. Tempore præſenti ſingulariter criminor criminaris criminatur, & pluraliter criminamur criminamini criminantur. Præterito imperfecto ſingulariter criminabar criminabaris criminabatur, & pluraliter criminabamur criminabamini criminabantur. Præterito perfecto ſingulariter criminatus ſum, criminatus es, criminatus eſt: & pluraliter criminati ſumus, criminati eſtis, criminati ſunt. Præterito pluſquamperfecto ſingulariter criminatus eram, eras, erat: & pluraliter criminati eramus, eratis, erant. Futuro ſingulariter criminabor criminaberis criminabitur, & pluraliter criminabimur criminabimini criminabuntur. Imperatiuus autem modus ſemper in verbis in re exit, vt dicas criminare illum, id eſt crimen illi ingere. Optatiuo modo ſic, vtinam criminarer criminareris criminaretur, & pluraliter vtinam criminaremur criminaremini criminarentur. Præterito perfecto ſingulariter vtinam criminatus eſſem, criminatus eſſes, criminatus eſſet: & pluraliter criminati eſſemus, criminati eſſetis, criminati eſſent. Futuro ſingulariter vtinam criminer crimineris criminetur, & pluraliter criminemur criminemini criminentur. Coniũctiuo modo ſingulariter cum criminer crimineris criminetur. Prętерito imperfecto ſingulariter cum criminarer criminareris criminaretur. Præterito perfecto ſingulariter cum criminatus ſim, criminatus ſis, criminatus ſit: & pluraliter criminati ſimus, criminati ſitis, criminati ſint. Præterito pluſquamperfecto ſingulariter cum criminatus eſſem, criminatus eſſes, criminatus eſſet: & pluraliter criminati eſſemus, criminati eſſetis, criminati eſſent. Tempore futuro ſingulariter cum criminatus ero, eris, erit: & pluraliter cum criminati erimus, eritis, erunt. Modo infinito, quem diximus nullas ſignificare perſonas, facit in præſenti criminari. In præterito, criminatum eſſe. In futuro, criminatum iri. Ad hanc formam communia verba declinabis ſic, hortor, iaculor, oſculor, nidificor, tutor, conſolor, ſcrutor, moror, fœneror, amplector, & furor, vnde eſt furor furaris furatur, comitor, recordor, reminiſcor, percunctor, minor, geſtor, piſcor, odoror, aucupor, venor, contemplor, ſpeculor, ſector, veneror, dignor, precor, miſeror, vador, id eſt fide dico, calumnior, & alia quæ nunquam deponunt r literam: nam ſi deponunt, Latina non ſunt. Quis enim dicat reminiſco, aut recordo, vel digno, vel ſecto? Ergo memineris hæc ſemper cum r litera enunciare. Reſtat verbum deponens, quod ideo dicitur, quia deponit aliquid de quantitate communis verbi. Nam cum participia quatuor habeat verbum commune: pręſens, vt criminans: futurum, criminaturus: præteritum, criminatus: futurum criminandus: à paſſiua ſignificatione criminandus, hoc non habet verbum deponens. Et ideo dicitur deponens, quia deponit vnum participium futuri temporis à verbo paſſiuo, quod exit in dus ſyllabam, vtputa opinor vel minor verba ſunt deponentia. Venit à participio præſentis temporis, & facit minans, futuro tempore facit minaturus, pręterito facit minatus. Futuro à ſignificatione paſſiui non facit minandus: ſic opinans opinaturus opinatus, opinandus non facit: vel ſi dicas moriens moriturus mortuus, non facit moriendus, quia non eſt Latinum. Ergo & hoc deponens verbum ſic percurrit per modos & tempora & perſonas. Quomodo ſupra dictum eſt, commune verbum non depoſita r litera Latinum eſt, depoſita autem Latinum non eſt: ſic etiam deponentia cum perdiderint r literam, Latina non ſunt. Subiicio itaque nunc pauca verba deponentia, cætera vſus Latinus docebit. Sunt autem, opinor, minor, grator, gratulor, arbitror, gratificor, auſpicor, miſereor, lenocinor, meditor, luctor, conor, ſuffragor, veſcor, lætor, morior,

In Poetica.

De tertia & quarta coniugatione.

De verbo cõmuni vnde dicatur, & coniugatione eiuſdem.

De verbo deponenti.

morior, ſtomachor, hariolor, lezor, id eſt colore pingor, argutor, paciſcor, complector, aduerſor, angor, queror à ſignificatione querelæ, macior, ratiocinor, argumentor, blandior, fabulor, nitor, labor à ſignificatione lapſus, vagor, ruſticor, concionor, id eſt ad populum loquor, mercor, vociferor, nanciſcor, quod eſt inuenio, ſuſpicor, & alia. Memineris, vt iam dixi, cum r litera enunciare: nam nemo dicit blădio, aut paciſco. Sic hæc omnia declinantur ad formam declinationis communis verbi, quod dixi criminor. *De neutro paſſiuis & impersonalibus.* Tractauimus ergo verba actiua, quæ ideo dicuntur ab agendo: tractauimus neutralia, quæ ideo tale nomen accipiunt, quod nec agunt aliquid, nec patiuntur: vt diximus, ſto, iaceo, ſedeo, cubo, & alia. Tractauimus etiam alia neutralia quæ agunt aliquid, ſed non patiuntur, & quaſi ſemineutralia dicuntur: vt nato, curro. Alia quæ patiantur, & non agant: vt vapulo, pendeo, ſudo, algeo, æſtuo, ferueo, febrio, ſomnio, meridio, rigeo, frigeo, tumeo, langueo, oleo, rubeo, fulgeo, ſtupeo, & alia. Hæc omnia tam in iis quæ nequaquam aliquid agunt, nec patiuntur, quam etiam in iis quæ agunt, nec patiuntur, quámque in iis quæ patiuntur aliquid, nec tamen agunt, nunquam adiicitur in his litera r, nam incipiunt non eſſe Latina. Tractauimus item communia, expoſuimus vnde communia dicuntur, quia actionem in ſe tenent, & paſſionem. Tractauimus deponentia, & expoſuimus quare dicantur deponentia, quia deponunt futuri temporis participium à ſignificatione paſſiua, quod exit in dus, quia morien dus, gloriandus, blandiendus, & alia quę veniunt à deponentibus verbis, non dicimus. Sanè artium ſcriptores adiecerunt aliam verbi ſpeciem, quam vocauerunt neutro paſſiuam, ſed hoc nouellum genus verbi euphonia inuenit, & in paucis eſt verbis, vt gaudeo. Quoniam durum erat vt diceremus præterito tempore gauiſi, mutauerunt illi ſonum de præterito tempore paſſiui verbi, gaudeo gauiſus ſum, ſic audeo auſus ſum, ſoleo ſolitus ſum, ſic fido fiſus ſum. Sed huius noui generis perpauca. Sunt & alia quædam pauca verba quæ impersonalia dicuntur, & exeunt per ſyllabas, et, tur: Pudet, tedet, decet, libet, pœnitet, patet, piget, miſeret, liquet: & inde dicuntur impersonalia, quia carent perſonis duabus, prima & ſecunda, & ſolam habēt tertiam perſonam. Nam nec pudeo pudes dicimus, nec deceo deces, nec libeo libes, nec pigeo piges, nec miſereo miſeres, nec pœniteo pœnites, nec pateo pates, nec liqueo liques. Scias autem patet & liquet hoc ſignificare quod dicimus manifeſtum eſt. Vt ſi dicas: Et ſi patet te hoc dixiſſe, iniuriam feciſti: hoc ſignificat & liquet, id eſt manifeſtum eſt. Tædet autem tædium eſſe ſignificat, quomodo piget, quaſi pigritiam ſignificat. Nam cum dicimus, piget me feciſſe, hoc eſt dicere, non ſurgit meus animus probare quod feci. Hæc autem omnia verba ſic declinantur: Pudet me, piget me, miſeret me, pœnitet me. Præter hæc, libet & licet, patet & liquet. His enim datiuum iungimus caſum, vt libet mihi, licet mihi, patet mihi, liquet mihi. *Verbum impersonale intur.* Altera vero ſpecies quæ intur exit, & ipſa impersonalium verborum eſt, vt itur, curritur, certatur, pugnatur: primam & ſecūdam perſonam non habent: nam nec eor iris, nec curror curreris, nec pugnor pugnaris, nec certor certaris dicitur. Et declinantur hæc verba, itur à me, à te, ab illo: pugnatur à me, à te, ab illo. Sic in præterito imperfecto ibatur à me, à te, ab illo: pugnabatur à me, à te, ab illo: certabatur à me, à te, ab illo. Sic in præterito perfecto, itum eſt à me, à te, ab illo: curſum à me, à te, ab illo: pugnatum eſt à me, à te, ab illo: certatum eſt à me, à te, ab illo. Sic in præterito pluſquamperfecto itum erat à me, à te, ab illo: curſum erat à me, à te, ab illo: pugnatum erat à me, à te, ab illo: certatum erat à me, à te, ab illo. Sic in futuro tempore ibitur à me, à te, ab illo: curretur à me, à te, ab illo: pugnabitur à me, à te, ab illo: certabitur à me, à te, ab illo: ſic plurale à nobis, à vobis, ab illis. Imperatiuo modo, eatur à me, à te, ab illo: à nobis, à vobis, ab illis. Modo optatiuo, vtinam iretur à me, à te, ab illo: à nobis, à vobis, ab illis. Præterito perfecto & pluſquamperfecto vtinam itum eſſet à me, à te, ab illo: & pluraliter à nobis, à vobis, ab illis. Futuro tempore vtinam eatur à me, à te, ab illo: pluraliter à nobis, à vobis, ab illis. Modo coniunctiuo tempore præſenti cum curratur à me, à te, ab illo: & pluraliter à nobis, à vobis, ab illis. Præterito imperfecto cum curreretur à me, à te, ab illo: pluraliter à nobis, à vobis, ab illis. Præterito perfecto cum curſum fit à me, à te, ab illo: pluraliter à nobis, à vobis, ab illis. Præterito pluſquamperfecto cum curſum eſſet à me, à te, ab illo: pluraliter à nobis, à vobis, ab illis. Futuro cum curſum erit à me, à te, ab illo: pluraliter à nobis, à vobis, ab illis. Modo infinito curri debet à me, à te, ab illo: & pluraliter à nobis, à vobis, ab illis. Præterito tempore curſum eſſe debuit à me, à te, ab illo: & pluraliter à nobis, à vobis, ab illis. Tempore futuro curſum iri debet à me, à te, ab illo: & pluraliter à nobis, à vobis, ab illis. *De inchoatiuis, frequentatiuis, & deſideratiuis verbis.* Sunt alia verba quæ inchoatiua dicuntur, & ex ſubita affectione naſcuntur, & exeunt in ſco ſyllabam, vt ardeo ardeſco, caleo caleſco, candeo candeſco, labo labaſco, tepeo tepeſco, ferueo ferueſco, vireo vireſco, algeo algeſco, dormio dormiſco, & reliqua. Hæc omnia præteritum non habent: nam poteſt calui & ferui facere, & non caleſco vel ferueſco caluifecit vel feruifecit: ſed à ferueo ferui, à caleo calui: nam caleſcui, ferueſcui & vireſcui, Latina non ſunt. Et ideo dicuntur inchoatiua præteritum tempus non habere: quia quæ inchoamus, adhuc perfecta non ſunt. Et omnia hæc quæ dixi in ſco exire, ſemper neutralia ſunt, nec accipiunt r literam, & ideo admonui eſſe neutralia. Nec te conturbent quædam verba in ſcor exeuntia, & tamen admittere præteritum tempus, vt obliuiſcor oblitus ſum, paciſcor pactus ſum, adipiſcor adeptus ſum: etiam hæc dum neutralia ſunt, in quibus diximus præterita tempora ceſſare. *Frequentatiua.* Præterea alia quæ frequentatiua dicuntur, quibus aliquid frequentius factum ſignificatur, vt à dicto dictito, à lego lectito, à ſcribo ſcriptito, à clamo clamito, à cio cito, quod ſignificat frequenter vocito. Vnde nunc aliquos voce præconis citatos dicimus, id eſt frequenter vocatos, & alia. *Deſideratiua.* Sunt & alia perpauca quæ deſideratiua dicantur, vt eſurio, id eſt edere deſidero, parturio parere deſidero, & vt dictum eſt à Cicerone de philoſophis, morituriunt, mori deſiderant. Sed hæc, vt dixi, pauca ſunt, quæ in ſonum Latinitatis introducta ſunt.

De aduerbio. ADVERBIVM ideo dictum eſt, quia adhęret verbo: nec poteſt verbi vis ſignificantius ſonare, niſi iungatur aduerbium: vt puta verbum eſt dico, nauigo, valeo, curro, & alia: hæc non plenæ ſignificationis ſunt, niſi adiiciantur aduerbia, vt benè, malè, doctè, feliciter: vt benè dicit, imperitè dicit: proſperè nauigat, infeliciter nauigat, integrè valeo, debiliter valet, agiliter currit, tardius currit. Vides quia plena verborum ſignificatio eſſe non poteſt niſi fuerint aduerbia coniuncta. Sic alia aduerbia iunguntur ad explendam verbi ſignificationem, vt ſunt locorum aduerbia, temporum aduerbia: vt hic dico, hic habito, intrò eo, intus ſum, foras eo, foris ſum, hinc nauigo. Sic de tempore: cras nauigo, hodie nauigo: & alia quæ aliis artibus dicta ſunt, & intellectu plana ſunt, ideo hic ponere nolui, quia ad dicendi faſtidium breuitas opportuna eſt. Sanè in aduerbiis hæc obſeruare debemus quando in e exeunt, quādo in ter ſyllabam:

hoc

hoc ablatiuus casus docet. Nam quãdo ablatiuus exit in o, aduerbium in e mittit: vt à docto doctè, à iusto iustè, à perfecto perfectè, à pio piè, à valido validè, à fortunato fortunatè, à magno magnè, ab amplo amplè, à minimo minimè, & alia. Quando autem in ter syllabam exit aduerbiũ, similiter (vt dixi) ablatiuus docet: ab agili agiliter, ab humili humiliter, ab acri acriter, à forti fortiter, à leui leuiter, à graui grauiter, à iugi iugiter. Sed sunt quædam quæ cum aspere è sonarent, dimissa sunt: nec ad hanc regulã tractanda sunt, vt à miti mititer non dicimus: à tristi tristiter non dicimus. Talia ne aspere sonarent, perdiderunt vltimam syllabam, vt à sapiente sapienter, non sapientiter, à prudẽte prudenter, non prudentiter, à præstãti præstanter, nõ præstantiter. Sic ergo obseruemus, vt nec euphoniam applicemus ad regulã, aut euphoniam reiiciamus. Nam euphonia, id est suauitas bene sonandi admissa est ad Latinum sermonem, vt aspera temperet: & ab arte ex ratione recessum est, vbi asperitas offendebat auditũ. Sic Cicero ait: Impetratum est à ratione, vt peccare suauitatis causa liceret. Sed tamen in paucis admissa euphonia est. Nam ratio locuples est & viris Latinissimis. Sanè circa has regulas auctoritas ausa est, & in paucis præsumpsit, vt diceret Cicero, humaniter, cum humanè dicere debuit: & Terẽtius, *Vitam parcè ac duriter agebat:* pro durè. Sed tamen ipsi auctores modestius & cum quodam pudore contra regulam pauca præsumpserunt. Nam & falsò dixerunt pro falsè, & necessariò pro necessariè, & sedulò pro sedulè, & rarò pro rarè, & crebrò pro crebrè, & tutò pro tutè: sic & alia tamen pauca, non licenter, sed verecũdè sunt vsurpata. Sanè sunt aduerbia & per alias syllabas exeuntia, vt à fundo funditus, à cælo cælitus, à radice radicitus, à penetralibus locis penitus, à stirpe stirpitus. Itẽ in im, vt à vico vicatim, ab ostio ostiatim, à viris viritim. Itẽ à nimio nimis, vt Ne quid nimis. Exeunt in ens, vt recens, id est recenti tempore. Virgilius: *Sole recens orto: id est recenti tempore.* Ergo hęc omnia aduerbia sunt sine differentia. Item inter, intrò & intus hoc interest, intro in motu est, intus in situ: vt intrò eo, intus sum. Est enim motus, eo: sum, situs est. Est etiam quędã obscuritas in aduerbiis, de secundò, tertiò, quartò, quintò, sextò: & secũdùm, tertiùm, quartùm, quintùm, sextùm: vtputa secundò factus est consul, & secundùm fuit consul. Secundò autem ad ordinem pertinet, secundùm ad numerum: vtputa cum dico, Secundò factus est consul: pertinet (vt dixi) ad ordinem, quod primò alter factus sit, & sic alter secũdò. Cum autem dicimus secundùm consul vel tertiùm vel quartùm vel quintùm, vel sextùm, ad numerum pertinet quod sexies fuerit consul. Inde Cicero de Mario sic ait, Sextùm consul: id est qui sex consulatus meruit, & septimùm consul, quod est, septimum cõsulatum meruit. Hoc Varro distinxit in libris Numerorum. Et cætera iam plana sunt in Aduerbiis, & ex quibusuis artibus intellectu facilia. Aduerbium est pars orationis quæ adiecta verbo significationem eius explanat atq; implet: vt scribo bene, lego optimè. Aduerbio accidunt significatio, figura, gradus. Aduerbia aut à se nascũtur, vt heri, nuper: aut ab aliis transeunt, vt doctè, sapiẽter, ab eo quod est doctus & sapiẽs. Aduerbiorum significationes sunt multæ. Sunt enim aut temporis, vt heri, nuper: aut personæ, vt mecum, tecum: aut loci, vt hic, isthic. Et aduerbia localia interrogatiua, vt vnde, vbi, quà. Respõsiua, illinc, hinc, illo. Sunt duplicis formæ, vt intus intrò, foris foras. Quorũ obseruatio talis est, foris & intus in loco, vt intus est, intus fuit, futurus est: intus erat, futurus erat: foris erat, fuerat, futurus erat. De loco, intus venio, foris venio. Foras autem & intrò ad locum significant, vt foras eo, foras venio: intrò eo, intrò venio: foras ieram, intrò ieram. Hæc quatuor modis figurantur, per locum, ad locum, in loco, è loco. Per locum, vt[a] *Hàc iter Elysium nobis.* Ad locum, vt[b] *Huc ades ô Galatea.* In loco, vt[c] *Hic & Naritij posuerunt Mœnia Locri.* E loco, vt[d] *Hinc me digressum vestris Deus appulit oris.* Sunt quæ pariter in loco significant & de loco, vt intus sum, intus venio. Sunt quæ in loco & in locum & è loco, vt penitus sum, eo, venio. Sunt aduerbia significationem numeri habentia, vt semel, bis, ter. Demonstrationis, vt en, ecce. Affirmationis, vt quidem, quippe. Hortationis, vt eia. Interrogationis, vt cur, quare. Similitudinis, vt sic, quasi. Comparationis vel prælationis, vt magis, potius. Dubitandi, vt fortasse. Annuendi, vt planè, sanè. Discretionis, vt seorsum, segregatim. Optandi, vt vtinam. Vocandi, vt heus. Respondendi, vt hem. Derogãdi, vt nequaquam, frustra. Iurandi, vt Ædepol, Ædastor. Prohibendi, vt ne. Negandi, vt non haud, minimè. Congregandi, vt vnà, simul. Ordinandi, vt deinde, denique. Mirandi, vt pape. Laudandi, vt euge. Exclamandi, vt proh. Dolendi, vt heu. Eligendi, vt vah. Ingemiscendi, vt hei. Sed hæc quia animi affectum significant, à multis Interiectiones dicuntur, quod interiectionem separatam ab Aduerbio, & partem orationis aliquam idcirco volunt, quia aduerbij proprium est quod verbo adiũgi potest. Græci autem interiectionem ab aduerbio non separant, propterea quia motus animi qualitati assignant, & hæc omnia sub genere qualitatis putant aduerbia. Sunt aduerbia quantitatis, vt longè, altè. Qualitatis, vt benè, malè. Aduerbia non solum ab appellationibus transeunt, hoc est à nominibus appellatiuis, vt à pulchro, pulchrè: sed à propriis, vt Tullius Tulliane. A pronominibus etiam, à meo, tuo, meatim, tuatim: à verbis quoque, vt à curro cursim. Deprehenduntur ex vtroque, vt pedetentim à pede & tento, id est à nomine simul & verbo. Sunt etiam aduerbia quæ vtrum à nomine trãseant an verbo incertum est, vt furtim. Incertum est enim an à fure, quod nomen est, transeat: an à verbo furor fararis. A participiis quidam nolunt, sed inueniuntur, vt à decente decenter. A nominibus tracta aduerbia sex modis terminantur: aut in e, vt doctè, pulchrè, honestè: aut in r, vt velociter: aut in im, vt vbertim, singillatim: aut in vs, vt radicitus, mordicus: aut in v, vt noctu, diu: aut in i, vt domi, humi, vesperi. Aduerbia qualitatis in e literam exeuntia produci debent. Hæc tamen dissentiunt quæ aut in comparatiuo aut in superlatiuo gradu vacillant, vt benè, malè: aut quæ ab appellatione non transeunt, vt impunè, sæpe. Cæterum facile & difficile quæ aduerbia ponũtur, nomina sunt, ex quibus hæc nascuntur aduerbia, faciliter, difficiliter: sed vsus hæc quasi aduerbia vẽdicauit. Quæcunque nomina qualitatis aut quantitatis, casu datiuo singulari o litera terminantur, aduerbia in e productam mittunt: vt à iusto, iustè. Sed hæc veteres indifferenter posuerunt, vt humaniter, duriter. Quæ autem in i literam terminantur, in ter syllabã mittũt: vt agili, nobili, audaci, difficili: agiliter, nobiliter, audaciter, difficiliter. Sed ex iis quædam per syncopen euphoniæ causa dicimus, vt audacter, difficulter, sapienter & constanter. Sunt aduerbia communia cum aliis partibus orationis. Nominibus sunt communia, vt ait Salustius: Falso queritur de natura sua genus humanum: pro falsè. Virgilius,[b] *Et pede terram crebra ferit.* Et, [c] *Multa Iouem manibus supplex orasse supinis.* Coniũctioni, vt, quando aduerbium secum est, plura significat. Similitudinem sic,[d] *Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in alta.* Tempus sic,[e] *Vt regem æquæuum,* &c.[f] *Vt vidi vt perij, vt me malus abstulit error.* Qualitatem, vt, [g] *Troianas vt opes & lamentabile regnum.* Quantitatem, vt,[h] *Quibus Hector ab oris Expectate venis? vt te post multa tuorum Funera.* Cõiunctionem autem significat sic, [i] *Vt faciem mutatus & ora Cupido, pro dulci Ascanio.* Præpositioni,

In Andria.

In im.

In ens.

Secundum & secundo.

Item de aduerbio.

a AEneid. 6.
b Ecl. 9.
c AEneid. 3.
d Ibidem.

Aduerbia à nominibus tracta sex habent terminationes.

Regula communis.

b Georg. 3.
c AEneid. 2.
d AEneid. 5
e AEneid. 2.
f Ecl. 8.
g AEneid. 2.
h Ibidem.
i AEneid. 1.

positioni, vt pro. Sed figura in aduerbiis aut simplex est, vt doctè, prudenter: aut composita: vt indoctè, imprudenter. Gradus aduerbiis accidunt quoties appellationes vnde transeunt comparantur, vt docte, doctius, doctissimè. Recipiunt & diminutionem, vt meliusculè. Quanquam comparationem recipiunt & diminutionem, & quæ à se nascuntur, vt nuper, nuperrimè. Aduerbiis omnibus præpositio separatim adiici non debet, quanquam lectum sit, ab hinc, apud Terétium, *Interea mulier quædam ab hinc triennium*. Et apud Virgilium, *Exinde per altum Mittitur Elysium*. Et dehinc: vt; *Dehinc talia fatur*: &, *Deinde feraces Plantæ immittuntur*: quæ omnia, & si qua alia sunt similia, vt proinde: placuit contra regulam accentum proferri, ne separatim additæ prepositiones videãtur aduerbiis.

In Andria. AEneid. 6. AEneid. 6. Georg. 2.

De participio.

HÆc pars orationis, & à verbo accipit partem, & à nomine: namque inde participium dicitur. Exit autem hæc pars orationis in præsenti tempore in ens & in ans syllabas, vt legens & amans. Futuro tempore in rus, vt legens lecturus, amans amaturus. In preterito lectus, amatus. Futuro legendus, amandus. Vides hanc partem orationis esse per tempora: omnia hæc à verbo mutuatur. Nam verbo conueniunt tẽpora. Quod autem declinatur per casus, hoc à nomine mutuatur. Nam declinatio casualis ad nomen pertinet, vt hic legens, huius legentis, huic legenti, hunc legentem, ô legens, ab hoc legente. Ergo quod hæc pars orationis vel per tempora vel per casus currit, participium vocatur, quod partem capiat nominis partémque verbi. Non laborioſa pars est orationis, sed intellectu facilis. Nam præsentis temporis exit in ans & in ens, vt amás, legens. Futuro agendi significatione in rus, vt amaturus, lecturus. A patiendi significatione in tus & in dus, vt amatus, legendus. Sanè ipsum præteritum tempus tribus syllabis terminatur. In tus, vt lectus, scriptus. In sus, vt occisus, visus. In xus, vt fixus, plus non inuenies. Ergo vt diximus, præsens in ens & in ans, futurum in rus, præteritum in tus, futurum semper in dus. Sunt sanè nomina quæ sono participia putantur, sed nomina sunt. Participia enim illa sunt, quæ à verbis veniunt, vt à lego legens lecturus lectus legendus. Tunicatus & galeatus & clypeatus & trophęatus, nomina sunt, non participia, quia non à verbo veniunt. Est vnum participium præteriti temporis in uus, quod exire debuit per vnum u, non per duo. Nam vbi geminata u litera nominatiuus est, nomen est nõ participium, vt fatuus, ingenuus, arduus, carduus, exiguus, beluus, vt Cicero dixit. In us, vt talium contra regulam participiorum, mortuus putatur esse participiũ, sed in vim regulámq; nominis conuersum est.

Regula communis.

De coniunctione.

CONIVNCTIO est pars orationis nectens ordinánsque sententiam. Coniunctioni accidũt, figura, ordo, potestas. Figura est, quæ apparet figura simplex. Sed equidem ordo quoque apparet, quæ præponi tantum possit, vt nam: quæ subiungi, vt que: quæ præponi & subiungi, vt igitur. Potestas cõiunctionum in quinque species diuiditur. Sunt enim copulatiuæ, &, que, ast, at, atque. Disiunctiuæ, aut, vel, ve, nec, neque, néve, an, vtrum. Expletiuę, quidem, equidem, autem, tamen, porrò, videlicet, proinde, denique, vtiq;. Causales, si, etsi, tametsi, etiamsi, siquidem, quando, equidem, quin, quinetiam, sin, sinetiam, quanquá, quáuis, sinautem, seu, siue, namque, nisi, nisi si, enim, etenim, sed, vt, præterea, interea, quamobrem, quare, præsertim, item, itémque, cæterùm, alioquin. Rationales, ità, itaque, enim, enimuero, quapropter, quippe, quoniam, quoniam quidem, ergo, igitur, ideo, idcirco, scilicet, præterea. Ex his, &, copulatiua multa significat. Sæpe autem tráfit in alterius speciem potestatis. Modo in expletiuam, vt, *Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?* Pro qualitatis & quantitatis, vt, *Timeo Danaos & dona ferentes*. Et, modo pro disiunctiua, vt, *Et quisquam numẽ Iunonis adorat Præterea? aut supplex aris imponet honorem?* Modo pro causali ponitur, vt, *Quorum Iphytus æuo Iam grauior, Pelias & vulnere & tardus Vlyssi*: pro, etiam vulnere tardus. Modo pro aduerbio accipitur ordinandi, vt, *Corpusq; lauant frigentis & vngunt*: pro, deinde vngunt. Item, aut, cõiunctio multa significat. Modo enim pro aduerbio discretionis accipitur: vt,

Ecleg. 1. AEneid. 1. Ibidem. AEneid. 2.

Ante vrbem pueri & primæuo flore iuuentus
Exercentur equis, domitantq; in puluere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquẽt. AEneid. 7.

Modo pro tempore significat, vt,

Aut ante ora Deûm pingues spaciatur ad aras,
Instaurat donis epulas: id est, nunc ante ora Deûm spaciatur ad aras. AEneid. 4.

Item, *Aut agmina curru Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.* AEneid. 12.

Figuræ coniunctionum duæ sunt, simplex, vt nam: cõposita, vt nanque. Ordo coniunctionũ in hoc est, quia aut præpositiuæ coniunctiones sunt, vt at, ast: aut subiunctiuæ, vt que: aut communes, vt &, igitur. Sunt etiam dictiones quas incertum est vtrum præpositiones an aduerbia nominemus, quæ tamen omnes facile dinoscuntur. Nam & coniunctiones pro aliis coniunctionibus positæ inueniuntur, potestate mutata.

De præpositione.

OMNES præpositiones dicuntur generaliter. Species autem hæ, aliæ accusatiuæ, aliæ ablatiuæ, aliæ vtriusque. Accusatiuæ, per casum accusatiuum enunciantur, vt Ad, apud, ante, aduersus, cis, citra, circum, circa, contra, erga, extra, intra, infra, iuxta, ob, penes, per, prope, propter, præter, post, pone, secundum, supra, trans, vltra. In his præpositionibus seruando genera nominum, id est, masculinum, fœmininum, neutrum, commune. Seruandi etiam numeri, vtputa masculino singulari, ad agrum: plurali, ad agros. Fœmino singulari, ad villam, vel ad possessionem: plurali, ad villas, vel ad possessiones. Sic neutrum singulare, ad templum, ad Capitolium: plurale, ad templa, ad capitolia. Sic communi genere singulari numero, ad ciuẽ, ad hostem, ad sacerdotem: plurali, ad ciues, ad hostes, ad sacerdotes. Sic ergo omnes præpositiones obseruabit, seruatis (vt dixi) generibus, seruatis numeris singulari & plurali. Seruatis similiter pronominibus secundum genera: masculino, ad hunc: plurali, ad hos: fœminino, ad hanc: plurali, ad has. Neutro, ad hoc tẽplum vado: plurali, ad hæc templa. Sic communi genere, ad hunc & ad hanc sacerdotem: plurali, ad hos & ad has sacerdotes, sic ad hos & ad has hostes. In his ablatiuum attendunt tam in singulari quam in plurali, seruatis generibus numerisque: vtputa, à, ab, abs, cum, coram, clam, de, è, ex, pro, præ, palam, sine, absque, tenus. Masculino singulari, vt à fratre, plurali à fratribus. Fœminino singulari, à sorore, vel à sororibus, vel à ciuitate, à ciuitatibus. Ab singulari masculino ab amico, plurali ab amicis, ab agro, ab agris. Fœminino singulari ab vrbe, plurali ab vrbibus. Neutro singulari ab templo, plurali ab templis. A communi singulari à ciue, plurali à ciuibus, ab hoste, ab hostibus. Hanc declinationem serua in omnibus his ablatiuis præpositionibus secundum genera & numerũ. Remanet tertia species præpositionum quæ dicuntur vtriusq;, quæ & accusatiuum tenent casum & ablatiuum. Sed plerosq; ratio harum præpositionum præterit, ex qua distinctione intelligatur, vt non appareat expositum eius differentia hæc est in motu & in situ. Sed motum putauerunt quidam accusatiuum tantum tenere: tenet autem vtrunque, sed certa ratione. Nam motus tunc tenet accusatiuum casum cum à locis in alia loca nos moueri significamus, vt curro in forum, vel in campum. Et si ex alio loco dicimus nos currere in forum vel in campum, accusatiuum casum tenemus. Si

Præpositiones accusatiuæ.

Præpositiones ablatiuæ.

Præpositiones vtriusque.

autem

autem in vno eodémq; loco, ablatiuo: vt curro in foro, curro in campo: sic ambulo in foro, & ambulo in campo. Si de alio loco, ambulamus in forum, accusatiuum tenemus. Si in eodem loco ambulamus, ablatiuum tenemus, vt ambulo in foro: sic, cadit in forum, & cadit in foro. Virgilius:

AEneid.4. *Ingrediturq́, solo & caput inter nubila condit.*

Georg.4. vt est: *In aruis altius ingreditur:* id est, ambulat: vides motum esse, & tamen ablatiuum sibi vẽdicare: sed in loco, vt dixi, non de loco in locum. Sic lapsum in piscinam, & lapsum dicimus in piscina. Si de alio loco in piscinam labatur, accusatiuus est: si vero in eadem labatur piscina, ablatiuus est. Venio autem semper accusatiuus est, quia de loco ad locum quis venit. In loco autem iam cum sit quisque, cessat motus. Item motus

AEneid.5. de loco in locum, voluo vel euoluo. *Reperire viam qua euoluere posit. In mare se Xanthus:* scilicet ab alueo in mare. In ipso autem volui, ablatiuum tenet: vt,

AEneid.6. *Fundo voluuntur in imo.* Sic sub, è loco in locum motus accusatiuum tenet. De hasta Virgilius sic ait,

Sub pectus, sub illam rem. Item sub ablatiuo.

AEneid.1. *Troiæ sub mœnibus altis. Contigit oppetere*, id est, cadere vel iacere. Troiæ, inquit, sub mœnibus altis. Item de loco in locum,

Eclog.5. *Siue sub incertas zephyris mutãtibus vmbras.* Et subiunxit, succedimus, vbi est motus de loco in locum. Super

AEneid.6. motus. *Super Garamantas & Indos Proferet imperium.* motus est. In loco autem, *Gemina super arbore sidunt.*

AEneid.8. Item subter, de loco in locum: vt, *Augusti subter fastigia tecti Ingẽtem AEneam duxit.* In loco autẽ, *Omnes Ferre libet super densa testudine casus.* Sic sub, si de loco ad locum fiat motus, accusatiuum tenet: vt, sub spelũcam curro. Si autem positus sub ipsa spelunca curras, ablatiuum tenet: vt, sub spelunca curro. Sic super, si de loco ad locum fiat motus, accusatiuum tenet, super tectum curro. Si autem positus quis super tectum currat, ablatiuum tenet: super tecto curro. Sic, subter fluctus mergo, si ex littore motus fiat in dimersione, accusatiuus est, vt mergo subter fluctus. Si autem quis sit iam in fluctibus: subter fluctibus mergitur. Sed multũ iuuant hanc locutionem & obseruationem duo aduerbia locorum, quò & vbi: quò, in locum motus est: vbi, in loco situs est, vt, Quò venit telum? in hostem: vbi hæsit? in hoste. Quò voluit Catilina telum dirigere? in consulis corpus: vbi voluit defigi? in cõsulis corpore. Sic enim ait de sica: vt eam putes in consulis corpore defigere. Sic cum dicimus, quò fugimus? scilicet in locum. Vbi latet? in loco. Ergo, vt diximus, adiuuant aduerbia hæc duo, ad confusionem distinguendi præpositiones vtriusque casus. Sic nanque de hac aduerbiorum ratione purgatur & illud in Verrinis: Quod ille in caput ab hostiũ duce acceperat. Acceperat ergo vulnus directum in caput, acceptum in capite. Nunquid quò accipis vulnus, dicimus? Minimè: sed, vbi accipis. Et Virgilius, Quò ire iubes? in locum significat. In loco autem, vbi ponere sedes? Situs vero ablatiuum tenet, quia contrarius est motui. Nam ipsum nomen, sessionem quandam significat, vtputa sum in foro, eram in foro, fui in foro, futurus sum in foro. Sic simpliciter sedeo, iaceo, cubo, sto, consisto, hęreo. Omnia hæc ad situm pertinent. Meditanda igitur sunt & in vsum ducẽda, vt iam in hac Præpositionum forma, & recte & nulla hæsitatione loquentes studuisse nos diligentius indicemus.

De interiectione.

INTERIECTIO, non pars orationis est, sed signum affectionis erumpẽtis animi in vocem. Et significat aut lætitiam, vt euax: aut amaritudinem, vt heu, apud Græcos, οἰ. Ergo quot sunt perturbati animi motus, tot voces reddunt: & vocantur interiectiones, quòd interrumpant orationem, vt est illud,

Eclog.1. *Hic inter densas corylos modò nanque gemellos Spem gregis:* mox interiectio per literam a, *Ah silice in nuda connixa reliquit.* In mediũ orationis interiecta est a litera.

Omnes partes orationis decursæ à nobis sunt, quæ ad compendiũ sufficiant, aut occupatis, aut negligentibus. Sanè quæ omisimus, in tractatu nominis reddimus. Scire enim debemus nomina numerorũ à quatuor vsque ad centum ἄπτωτα esse, & generis omnis: vt quatuor viri, quatuor fœminæ, quatuor mancipia. Sic per omnes casus, quatuor dicimus: vtputa virorũ quatuor, mulierum quatuor, mancipiorum quatuor. Sic datiuo viris quatuor, fœminis quatuor, mãcipiis quatuor. Sic A. viros quatuor, fœminas quatuor, mancipia quatuor. Sic V. ô viri quatuor, ô fœminæ quatuor, ô mãcipia quatuor. Sic A. à viris quatuor, à fęminis quatuor, à mancipiis quatuor. Sed ideo dixi, à quatuor, ἄπτωτα esse vsq; ad centũ: quia duo declinãtur, duorũ, duobus, duos vel duo, ô duo, A. ab his duobus. Sic declinãtur & currũt per casus: hi & hæ tres, G. horum & harũ triũ, D. his tribus, A. hos & has tres. V. ô tres, A. ab his tribus. A genere neutro, hæc tria, horũ triũ, his tribus, hæc tria, ô tria, ab his tribus. Ex hac ergo forma intelligimus quomodo declinemus: hic duumuir, quasi duorum hominum vnus vir. Sic triumuir, trium hominum vnus vir. Ergo hic admisit genitiuum. Iam quatuor vbi indeclinabile est, quatuor viri dicimus, vel quinque viri, vel sex viri. Vnde Lucanus, Septem virq́ue epulis: pro genitiuo posuit, septem. A ducentis vsque ad nongentos declinãtur nomina numerorum, vt hi ducenti, hæ ducentæ, neutro ducenta: mille, declinabile est.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
PRINCIPIA DIALECTICÆ.

Meminit Augustinus lib.1. retract. cap.6.

Cap.1. De simplicibus verbis.

DIALECTICA est bene disputandi sciẽtia. Disputamus autem verbis. Verba igitur aut simplicia sunt, aut cõiuncta. Simplicia sunt, quæ vnum quiddam significãt: vt cum dicimus homo, equus, disputat, currit. Nec mireris quod disputat, quamuis ex duobus compositum sit, tamen inter simplicia numeratum est. Nam res definitione illustratur. Dictum est autẽ id esse simplex, quod vnum quiddam significat. Itaque hoc includimus hac definitione, quod non includimus cum dicimus loquor. Quamuis enim vnum verbum sit, non habet tamen simplicem significationem, siquidem significat etiam personam quæ loquitur. Ideo iam obnoxium est veritati aut falsitati, nam & negari & affirmari potest. Omnis itaque prima & secunda persona verbi quamuis singillatim contineatur, tamen inter coniuncta verba numerabitur, quæ simplicem non habẽt significationem. Siquidem quisquis dicat, ambulo: & ambulationem facit intelligi, & seipsum qui ambulat. Et quisquis dicit, ambulas: similiter & rem quę fit, & eum qui facit, significat. At vero qui dicit, ambulat: nihil aliud quàm ipsam significat ambulationem. Quamobrem

tertia

tertia persona verbi, semper inter simplicia numerabitur: & nondum aut affirmari aut negari potest, nisi talia verba sint quibus necessariò cohæret personæ significatio consuetudine loquendi, vt cum dicimus, pluit aut ningit, etiam si non addatur quis pluat aut ningat, tamen quia intelligitur, non potest inter simplicia numerari.

CAPVT II. *Verba coniuncta.*

CONIVNCTA verba sunt quæ sibi connexa res plures significant, vt cum dicimus, homo ambulat, aut homo festinás in montem ambulat, & si quid tale. Sed coniunctorum verborum alia sunt quæ sententiá cõprehendunt, vt ea quę dicta sunt: alia quę nõ comprehendunt, sed expectant aliquid. Vt eadem ipsa quę diximus, si subtrahas verbum quod positum est, ambulat, quamuis verba coniuncta sunt, homo festinans in montem: tamen adhuc pendet oratio. Separatis igitur his verbis quæ non impletam sententiam comprehẽdunt, horum itẽ duæ species sunt. Aut enim sic sentẽtia cõprehẽditur, vt vero aut falso teneatur obnoxia, B vt est, omnis homo ambulat: aut, omnis homo nõ ambulat: & si quid huiusmodi. Aut sic impletur sentẽtia, vt licet perficiat propositum animi, affirmari negarive nõ possit: vt cũ imperamus, cũ optamus, cum execramur, & his similia. Nã si quis dicat, perge ad villá, aut, dij illum perdant: non potest argui, quod mentiatur, aut credi quod verũ dicat. Nihil enim affirmauit vel negauit: ergo nec tales sententię in quæstionẽ veniunt aut disputatorem requirunt.

CAPVT III. *Quæ simplices sententiæ, quæ coniunctæ.*

SED illæ quæ requiruntur, aut simplices sunt, aut coniunctæ. Simplices sunt quæ sine vlla copulatione sententiæ alterius enunciantur: vt est illud quod dicimus, omnis homo ambulat. Coniunctæ sunt de quarum copulatione iudicatur, vt est, si ambulat, mouetur. Sed cum de cõiunctione sententiarum iudiciũ fit, tamdiu est donec perueniatur ad summam. Summa autem est quæ conficitur ex confessis. Quod dico tale est, Qui dicit: Si ambulat, mouetur: probare vult aliquid, vt hoc cõcesso, C verum esse restet illi dicere, quod ambulet. Et summa consequitur quæ iam negari non potest, id est, quod mouetur: quæ itẽ non potest concedi, id est, quod non ambulet. Rursus si hoc modo velit dicere, homo iste ambulat: simplex sententia est. Quam si cõcessero, & aliam quæ aliquid expectat ad completionem sententiæ sententiam cõprehendit, adiũxerit aliam: quisquis autem ambulat, mouetur. Et hanc etiam si cõcessero, ex hac iunctione sentẽtiarum quamuis singillatim enunciatarum & concessarũ, illa summa sequitur quæ iam necessario concedatur, id est, igitur homo iste mouetur.

CAPVT IIII. *Coniunctas sententias subdiuidit.*

HIS igitur breuiter constitutis, singulas partes consideremus. Nam sunt primæ duæ, vna de iis quæ simpliciter dicuntur, vbi est quasi materia dialecticæ, altera de iis quę coniuncta dicuntur, vbi iã quasi opus apparet. Quę de simplicibus vocatur de loquendo. Illa verò quæ de coniunctis est, in tres partes diuiditur. Separata enim cõiunctione verborum quæ non implet sententiã, illa quæ sic implet sentẽtiam, vt nõ- D dum faciat quæstionẽ vel disputatorem requirat: vocatur de eloquẽdo. Illa verò quæ sic implet sensum, vt de sententiis simplicibus radicetur: vocatur de proloquendo. Illa quæ sic comprehendit sententiam, vt de ipsa etiam copulatione iudicetur donec perueniatur ad summam: vocatur de proloquiorum summa. Has ergo singulas partes diligentius explicemus.

CAP. V. *Quomodo de rebus, verbis, dicibilibus, dictionibus, tractetur in logica.*

VERBVM est vniuscuiusq; rei signum quod ab audiente possit intelligi, à loquẽte prolatũ. Res est quicquid intelligitur vel sentitur vel latet. [Sciuntur enim corporalia, intelligũtur spiritalia: latet verò ipse Deus, & informis materia. Deus est quod neque corpus est, neq; animal est, neq; sensus est, neq; intellectus est, neque aliquid quod excogitari potest. Informis materia est mutabilitas mutabilium rerum, capax omniũ formarum.] Signũ est & quod seipsum sensui, & præter se aliquid animo ostendit. Loqui est articulata voce signum dare. Articulata autem dico quod comprehẽdi literis potest. Hæc autem omnia quæ definita sunt, vtrum recte definita sint, & vtrum hactenus verba definitionis aliis definitionibus prosequenda fuerint, ille iudicabit locus in quo definiendi disciplina tractatur. Nunc quod instat accipe intentus. Omne verbum sonat. Cum enim est in scripto, non verbũ, sed verbi signum est. Quippe inspectis à legente literis, occurrit animo quod voce prorumpat. Quid enim aliud literę scriptæ, quàm seipsas oculis, & præter se animo voces ostendunt? Quia & paulo ante diximus, signum esse quod seipsum sensui, & prẽter se animo aliquid ostendit, quæ legimus igitur non verba sunt, sed signa verborum. Sed vt ipsa litera, cum sit pars minima vocis articulatæ, abutimur tamen hoc vocabulo vt appellemus literam, etiam cum scriptam videmus, quamuis omnino tacita sit, neq; vlla pars vocis, sed signũ partis vocis appareat: ita etiam verbũ appellatur cum scriptum est, quãuis verbi signum significantis voces non eluceat. Ergo, vt cœperam dicere, omne verbũ sonat. Sed quod sonat, nihil ad dialecticã. De sono enim verbi agitur cum quæritur vel animaduertitur, quãta vocalium vel dispositione leniatur, vel concursione dehiscat. Item consonãtium vel interpositione nodetur, vel congestione asperetur, & quot vel qualibus syllabis constet, vbi poëticus rhythmus accentúsq; à grammaticis solarum auriũ tractatur negocio. Et tamen cũ de his disputatur, præter dialecticã non est. Hæc enim scientia disputandi est. Sed tunc verba sunt signa rerũ, quando de seipsis obtinent vim: verborum autem, illa de quibus hic disputatur. Nam cũ de verbis loqui nisi verbis nequeamus, & cum loquimur, non nisi de aliquibus rebus loquamur, occurrit animo ita esse verba signa rerum, vt res esse non desinant. Cum ergo verbum ab ore procedit, si propter se procedit, id est vt de ipso verbo aliquid quæratur aut disputetur, res est vtique disputationi quæstioniq; subiecta. Sed ipsa res verbum vocatur. Quicquid autem ex verbo nõ auris, sed *Differunt dicibile & dictio.* animus sentit, & ipso animo tenetur inclusum, dicibile vocatur. Cum verò verbũ procedit, non propter se, sed propter aliud aliquod significandũ, dictio vocatur. Res autem ipsa, quæ iam verbum nõ est, neque verbi in mẽte cõceptio, siue habeat verbum quo iam significari possit, siue non habeat, nihil aliud quam res vocatur proprio iam nomine. Hæc ergo quatuor distinctè teneantur, verbum, dicibile, dictio, res. Quod dixi verbum, & verbum est, & verbum significat: Quod dixi dicibile, verbum est: nec tamẽ verbum, sed quod in verbo intelligitur & in animo cõtinetur significat. Quod dixi dictionem, verbum est, sed tale quo iã illa duo simul, id est ipsum verbũ, & quod fit in animo per verbum significantur. Quod dixi rem, verbũ est, quod præter illa tria quæ dicta sunt quicquid restat significat. Sed exẽplis hæc illustranda esse perspicio. Fac igitur à quoquam Grammatico puerum interrogantem hoc modo: Arma, quæ pars orationis est? Quod dictũ est arma, propter se dictum est, id est verbum propter ipsum verbum. Cætera verò quod ait, quæ pars orationis est, nõ propter se, sed propter verbum, quod, arma, dictum est, vel animo sensa, vel voce prolata sunt. Sed cum animo sensa sunt, ante vocem dicibilia sunt. Cũ autem propter id quod dixi, proruperũt in vocem, dictiones factæ sunt. Ipsum vero arma, quod hic verbum est, cum à Virgilio pronunciatum est, dictio fuit: non *Æneid. 1.* enim propter se prolatum est, sed vt eo significarẽtur, vel bella quæ gessit Æneas, vel scutum, vel cætera arma, quæ Vulcanus Æneæ fabricatus est. Ipsa verò bella vel arma, quæ gesta sunt aut ingesta ab Ænea, ipsa inquam quæ cum gererentur atque esse viderentur,

quæque

quæq; si nunc adessent, vel digito mõstrare possemus, aut tangere, quæ etiam si non cogitarentur, nõ eo tamen fit vt non fuerint: ipsa ergo per se nec verba sunt, nec dicibilia, nec dictiones, sed sunt res quæ iam proprio nomine res vocantur. Tractandum est igitur nobis in hac parte dialecticæ de verbis, de dictionibus, de dicibilibus, de rebus, in quibus omnibus cum partim verba significentur, partim non verba. Nihil est enim de quo non verbis disputare necesse sit. Itaque de his primo disputatur, per quæ de cæteris disputare conceditur. Igitur verbum quodlibet, excepto sono, de quo bene disputetur, ad facultatem dialecticæ pertinet: nõ ad dialecticam disciplinam. Vt defensiones Ciceronis sunt quidem rhetoricæ facultatis, sed non his docetur ipsa rhetorica.

CAP. V. De origine verbi. al. præter.

ERGO omne verbum propter id quod sonat quatuor quædam necessaria vocat in quæstionem, Originem suam, vim, declinationem, ordinationem. De origine verbi quæritur, cum quæritur, vnde ita dicatur: Res mea sententia nimis curiosa, & non nimis necessaria. Neque hoc mihi placuit dicere quod sic Ciceroni quoque idẽ videtur, quamuis quis egeat auctoritate in re tam perspicua. Quod si omnino multum iuuaret explicare originẽ verbi, ineptum esset aggredi, quod persequi profecto infinitum est. Quis enim reperire possit quod quid dictũ fuerit, vnde ità dictum sit? Huc accedit, quod vt somniorũ interpretatio, ita verborum origo pro cuiusque ingenio prædicatur. Ecce enim verba ipsa quispiam ex eo putat dicta, quod aërem. Sed nostra non magna lis est. Nam vterque à verberãdo huius vocabuli originem trahit. Sed è transuerso tertius vide quam rixam inferat. Quod enim verum ait nos loqui oporteat, odiosũmq; sit natura ipsa iudicante mẽdacium, verbum à vero cognominatum est. Nec ingenium quartum defuit. Nam sunt qui verbum à vero quidem dictum putẽt, sed prima syllaba satis animaduersa, secundum negligi nõ oportere. Verbum enim cum dicimus, inquiunt, prima eius syllaba verum significat, secunda sonum. Hoc autem volunt esse bombum. Vnde Ennius sonũ pedum bombum pedũ dixit: & βοάσαι Græci clamare. Et Virgilius, Reboant syluæ. Ergo verbum dictum est quasi à vero boando, hoc est verum sonando. Quod si ita est, præscribit quidem hoc nomen, ne cum verbum faciamus, mentiamur: sed vereor ne ipsi qui dicũt ista, mentiantur. Ergo ad te iam pertinet iudicare, vtrũ verbum à verberando, an vero solo, an à vero boando dictum putemus, an potius vnde sit dictum nõ curemus, cum quod significet intelligamus. Breuiter tamen hunc locum notatum esse de origine verborũ, volo paulisper accipias, ne vllam partem suscepti operis prætermisisse videamur. Stoici autumant, quos Cicero in hac re irridet, nullum esse verbum, cuius non certa ratio explicari possit. Et quia hoc modo suggerere facile fuit, si diceres hoc infinitũ esse, quibus verbis alterius verbi originẽ interpretareris, eorum rursus à te originem quærendam esse, donec perueniatur eò, vt res cum sono verbi aliqua similitudine concinat, vt cũ dicimus, æris tinnitum, equorum hinnitum, ouium balatum, tubarum clangorem, stridorem catenarum. Perspicis enim hæc verba ita sonare vt res quæ his verbis significantur. Sed quia sunt res quæ non sonant, in his similitudinem tactus valere, vt si leniter vel aspere sensum tangunt, lenitas vel asperitas literarum vt tangit auditum, sic eis nomina peperit. Et ipsum lene cum dicimus, leniter sonat. Quis item asperitatem non & ipso nomine asperam iudicet? Lene est auribus, cum dicimus voluptas: asperum est cum dicimus, crux. Ita res ipsæ iam efficiunt, sicut verba sentiuntur. Mel, quam suauiter res ipsa gustũ, tam suauiter nomen tangit auditum. Acre, in vtroque asperum est: lana & vepres, vt audiuntur verba, sic illa tangitur. Hæc quasi cunabula verborum esse crediderunt, vt sensus rerum cum sonorum sensu concordarent. Hinc ad ipsarum inter se rerum similitudinem processisse licentiam nominandi: vt cum verbi causa, crux propterea dicta sit, quod ipsius verbi asperitas cum doloris quem crux efficit asperitate concordat: crura tamen non propter asperitatem doloris, sed quod longitudine atque duritia inter membra cætera sint ligno crucis similiora, sic appellata sunt. Inde ad abusionem vẽtum est, vt vsurpetur non tam rei similis, sed quasi vicinæ. Quid enim simile inter significationem parui & minuti, cum possit paruum esse quod non modo nihil minutũ sit, sed etiá aliquid creuerit? Dicimus tamen propter quandá vicinitatem, minutum pro paruo. Sed hæc abusio vocabuli in potestate loquentis est: habet enim paruum, vt minutum non dicatur. Illud magis pertinet ad id quod volumus ostendere, quod cum piscina dicitur in balneis in qua piscium nihil sit, cum nihil piscibus simile habeat, videtur tamen à piscibus dicta propter aquam, vbi piscibus vita est. Ita vocábulum non translatum similitudine, sed quadam vicinitate vsurpatum est. Quod si quis dicat homines piscibus similes natãdo fieri, & inde piscinæ nomẽ esse natum, stultum est hoc refutare, cum ab re neutrũ abhorreat, & vtrumq; lateat. Illud enim bene accidit quod vno exemplo dilucidare non possumus, quid distet origo verbi quę de vicinitate arripitur, ab ea quæ de similitudine ducitur. Hinc facta est progressio vsq; ad contrarium. Nam lucus dictus putatur, quòd minime luceat: & bellum, quod res bella non sit: & fœderis nomẽ, quòd res fœda nõ sit. Quod si à fœditate porci dictum est, vt nonnulli volunt, redit ergo ad illam vicinitatem, cum id quod fit ab eo quod fit nominatur. Nam & ista omnino vicinitas late patet, & per multas partes secatur. Aut per efficientiam, vt hoc ipsum à fœditate porci, per quem fœdus efficitur. Aut per effectũ, vt puteus, quod eius effectus potatio est, creditur dictus. Aut per id quod continet, vt vrbem, ab orbe appellatá volũt, quod auspicato loco circumduci aratro solet: cuius rei & Virgilius meminit, vbi Æneas vrbem designat aratro. Aut per id quod continetur, vt si quis horreũ mutata d litera affirmet ab hordeo nominatum. Aut per abusionem, vt cum hordeum dicimus, & ibi triticum conditur. Vel à parte totum, vt mucronis nomine, quę summa pars est gladij, totum gladium vocãt. Vel à toto pars, vt capillus quasi capitis pilus. Quid vltra prouehar? Quicquid aliud annumerari potest, aut similitudine rerum & sonorum, aut similitudine rerũ ipsarum, aut vicinitate, aut contrario contineri, videbis originem verbi, quam prosequi non quidem vltra similitudinem possumus. Sed hoc non semper vtiq; possumus. Innumerabilia enim sunt verba, quorum ratio reddi non possit. Aut non est, vt ego arbitror. Aut latet, vt Stoici contendunt. Vide tamen paululum, quomodo peruenire putant ad illa verborũ cunabula, vel ad stirpem potius atq; adeò sementũ, vltra quod quæri originem vetant, nec si quis velit potest quicquá inuenire. Nemo ambigit syllabas in quibus u litera locum obtinet consonantis, vt sunt in his verbis venter, vafer, velum, vinum, vomis, vulnus, crassum & quasi validum sonum edere. Quod approbat etiam loquẽdi consuetudo, cum quibusdá verbis eas subtrahimus ne onerent aurem. Nam inde est quod amasti, libentius dicimus quàm amauisti, & abiit, non abiuit, & in hũc modum innumerabilia. Ergo cum dicimus, vim, sonus verbi (vt dictum est) quasi validus congruit rei quæ significatur. Iam ex illa vicinitate per id quod efficiunt, hoc est quia violẽta sunt, dicta vincula possunt videri, & vimẽ quo aliquid vinciatur. Inde vites, quod adminiculis quibus vinciantur nexibus pendẽt. Hinc

al. nomen non.

Verbum vnde dictum.

Georg. 3.

Stoicorum de origine verbi opinio.

Ex Cratylo Platonis.

Æneid. 5.

etiam propter ſimilitudinem, incuruum ſenem vietũ Terentius appellauit. Hinc terra quæ pedibus itinerantium flexuoſa & trita eſt, via dicitur. Si autem via quæ vi pedum trita eſt, creditur dicta, redit origo ad illam vicinitatem. Sed faciamus à ſimilitudine vitis vel viminis, hoc eſt à flexu eſſe dictam: quęrit ergo me quiſpiam, quare via dicta eſt? Reſpondeo, à flexu, quia flexum velut incuruum vietum veteres dixerũt: vnde vietos quod canto ambiantur rotarum ligna vocant. Perſequitur quærere, vnde vietum flexum dicatur? Et hinc reſpondeo, à ſimilitudine vitis. Inſtat atq; exigit vnde iſtud ſit vitis nomen? Dico quia vincit ea quę cõprehẽderit. Scrutatur ipſum vincire, vnde dictum ſit? Dicemus, à vi. Vis quare ſic appellatur, requiret. Redditur ratio, quia robuſto & valido ſono verbũ rei quæ ſignificatur, congruit. Vltra quod requirat non habet. Quot modis autem origo verborum corruptione vocum varietur, ineptum eſt proſequi: nam & longum, & minus quam illa quæ dicta ſunt neceſſarium eſt.

CAPVT VII. *De vi vocis.*

NVNC vim verborum quantum res patitur, breuiter cõſideremus. Vis verbi eſt qua cognoſcitur quantum valeat: valet autem tantum quantum audientem mouere poteſt. Porro mouet audientem, aut ſecũdum ſe, aut ſecundum id quod ſignificat, aut ex vtroq; communiter. Sed cum ſecundum ſe mouet, aut ad ſolum ſenſum pertinet, aut ad artem, aut ad vtrumq;. Senſus autem aut natura mouetur, aut conſuetudine. Natura mouetur in eo quod offenditur ſi quis nominet Artaxerxem regem, vel mulcetur cum audit Coriolanũ. Quis enim etiam ſi nihil vtique de his hominibus audierit, quorum iſta ſunt nomina, non tamen in illo aſperitatem maximam, & in hoc iudicet eſſe lenitatẽ? Conſuetudine mouetur ſenſus, cum offenditur cum audit quiddam: nam hic ad ſuauitatem ſoni vel inſuauitatem nihil intereſt: ſed tamen valent aurium penetralia mouere, vtrum per ſe tranſeuntes ſonos quaſi hoſpites notos an ignotos recipiant. Arte autem mouetur auditor cum enũciato ſibi verbo, attendit quę ſit pars orationis, vel ſi quid aliud in his diſciplinis quę de verbis traduntur, accepit. At verò ex vtroque, id eſt & ſenſu & arte de verbo iudicatur, cum id quod aures metiuntur ratio notat, & nomẽ ita ponitur, vt dicitur, optimus. Mox vt aurem longa vna ſyllaba & duæ breues huius nominis percuſſerint, animus ex arte ſtatim pedem dactylum agnoſcit. Senſum verò non ſecundũ ſe, ſed ſecundum id quod ſignificat verbum mouet, quando per verbum accepto ſigno animus nihil aliud quam ipſam rem intuetur, cuius illud ſignũ eſt quod accepit: vt cũ Auguſtino nominato, nihil aliud quam ego ipſe cogitor ab ipſo cui notus ſum: aut cuilibet hominum mente occurrit, ſi fortè hoc nomẽ, vel qui me ignorat audierit, vel qui alium nouit qui Auguſtinus vocetur. Cum autem ſimul & ſecũdum ſe verbũ mouet audientem, & ſecundum id quod ſignificat, tunc & ipſa enunciatio, & id quod ab eo enunciatur, ſimul aduertitur. Vnde enim fit quod nõ offenditur aurium caſtitas, cum audit, manu, ventre, pene, bona patria lacerauerat? Offenderetur autem ſi obſcœna pars corporis ſordido ac vulgari nomine appellaretur: in hoc autem ſenſum animúmque vtriuſque deformitas offenderet, niſi illa turpitudo rei quæ ſignificata eſt, decore verbi ſignificantis operiretur, cum res eadem ſit cuius vtrunque vocabulum eſt, veluti non alia meretrix, ſed aliter tamen videtur eo cultu quo ante iudicem ſtare adſolet, aliter eo quo in luxurioſi cubiculo iaceret. Cum igitur tantam vim támque multiplicem appareat eſſe verborum quam breuiter iam pro tempore ſummatimq; attingimus, duplex hic ex conſideratione ſenſus naſcitur: partim propter explicandam veritatem, partim propter ſeruandum decorem, quorum primum ad dialecticum, ſecundum ad oratorem maximè pertinet. Quamuis enim nec diſputationem deceat ineptam, nec eloquentiam oporteat eſſe mendacem, tamen & in illa ſæpe atque adeò penè ſemper audiendi delitias diſcendi cupido contemnit, & in hac imperitior multitudo quod ornatè dicitur, etiam verè dici arbitratur. Ergo cum appareat quid ſit vniuſcuiuſque proprium, manifeſtum eſt & diſputatorem, ſi qua ei delectandi cura eſt, rhetorico colore aſpergendum, & oratorem, ſi veritatem perſuadere vult, dialecticis quaſi neruis atque oſſibus eſſe roborandum, quæ ipſa natura corporibus noſtris, nec firmitatem virium ſubtrahere potuit, nec oculorum offenſioni patere permiſit. Itaque nunc propter veritatem diiudicandam, quod dialectica profitetur, ex hac verborum vi quædã ſemina ſparſimus: quæ impedimenta naſcantur videamus.

CAPVT VIII. *Obſcurum & ambiguũ.*

IMPEDITVR auditor ad veritatem videndam. Impedimenta enim naſcuntur ex difficultate intelligentiæ, quæ multa intelliguntur, quia in vno eodem verbo per ſe prolato, magna eſt aut obſcuritas aut ambiguitas. Inter obſcurũ & ambiguum hoc intereſt, quod in ambiguo plura ſe oſtendunt, quorum quid potius accipiendum ſit ignoratur: in obſcuro autem nihil aut parum quod attendatur apparet. Sed vbi parum eſt quod apparet, obſcurum eſt ambiguo ſimile: veluti ſi quis ingrediens iter, excipiatur aliquo biuio vel triuio, vel etiam vt ita dicam, multiuio loco, ſed denſitate nebulæ nihil viarum quæ eſt eluceat: ergo à pergendo prius obſcuritate tenetur. At vbi aliquantum rareſcere nebulæ cœperint, vt videatur aliquid quòd vtrum via ſit, an terræ proprius, & nitidior color incertum eſt, hoc eſt obſcurum ambiguo ſimile. Diluceſcente cælo quantum oculis ſatis ſit, tam omnium viarum deductio clara eſt, ſed quà ſit pergendum, nõ obſcuritate ſed ambiguitate dubitatur. Item ſunt obſcurorum genera tria: vnũ eſt quod ſenſui patet, animo clauſum eſt, tanquam ſi quis malum punicum pictum videat, qui neq; viderit aliquando, nec omnino quale eſſet audierit, nõ oculorum eſt, ſed animi, qui cuiuſque rei pictura ſit, neſcit. Alterum genus eſt, vbi res animo pateret, niſi ſenſui clauderetur, ſicut eſt homo pictus in tenebris: nam vbi oculis apparuerit, nihil animus hominem pictum dubitabit. Tertiũ genus eſt, in quo etiam ſenſui abſconditur, qui tãtum ſi nudaretur nebula, magis animo emineret: quod genus eſt omnium obſcuriſſimum, vt ſi imperitus malũ illud punicum pictum etiam in tenebris cogeretur agnoſcere. Refer nunc animum ad verba, quorum iſtæ ſunt ſimilitudines conſtitutæ. Pone quempiam grammaticum cõuocatis diſcipulis, factóq; ſilẽtio ſuppreſſa voce dixiſſe, temetum, quod ab eo dictum qui prope aſſidebant, ſatis audierunt: qui remotius, parũ: qui autem remotiſſime, nulla omnino voce perſtricti ſunt. Horum autem partim ſciebant, illi ſcilicet qui neſcio quo caſu remotiores erant, quid eſſet temetum: reliquos prorſus latebat: omnes obſcuritate impediebantur. Et hic iam perſpicis omnia illa genera obſcuritatum. Nam qui auditu nihil dubitabant, primum illud genus patiebantur, cui ſimile eſt, malum punicũ ignorantibus, ſed in luce pictum. Qui nouerant verbum, ſed auribus aut parum aut omnino non acceperãt vocem: ſecundo illo genere laborabãt, cui ſimilis eſt hominis imago, ſed non in conſpicuo, ſed omnino tenebroſo loco. Qui autem non ſolum vocis, ſed & ſignificationis verbi expertes erant: tertij generis, quod omnino deterrimum eſt, cæcitate inuoluebãtur. Quod autem dictum eſt, quoddam obſcurum ambiguo ſimile, in his perſpici poteſt, quibus verbum erat quidẽ notum, ſed vocem penitus nullam, aut non omnino certam perceperant. Omnia igitur obſcura loquendi genera vitabit, qui & voce quantum ſatis eſt clara, nec ore impedito, & verbis notiſſimis vtetur. Vide nunc in

Differentiæ obſcuri & ambigui.

Tria genera obſcurorum.

eodem

eodem Grammatici exemplo, quàm lõge alias impediat ambiguitas quàm obſcuritas verbi. Fac enim eos qui aderant & ſatis ſenſu accepiſſe vocem magiſtri, & illum verbum enunciaſſe, quod eſſet omnibus notũ, vtputa fac eum dixiſſe, magnus, & deinde ſiluiſſe: attende quid incerti hoc audito nomine patiãtur. Quid ſi dicturus eſt, quæ pars orationis eſt? Quid ſi de metris quæſiturus, quis ſit pes? Quid ſi hiſtoriam interrogaturus, vtputa, magnus Pompeius quot bella geſſerit? Quid ſi commendaturus carmina grammaticus dicturus eſt, magnus & penè ſolus poëta Virgilius? Quid ſi obiurgaturus negligentiam diſcipulorum, in hæc deinde verba prorumpat, Magnus vos ob ſtudiũ diſciplinæ torpor inuaſit? Videſne remota nebula obſcuritatis, illud quod ſuprà dictum eſt quaſi eminuiſſe multiuium? Nam hoc vnũ quod dictum eſt, magnus, & nomẽ eſt, & pes chorius eſt, & Pompeius eſt, & Virgilius eſt, & negligentiæ torpor. Et ſi qua alia vel innumerabilia non cõmemorata ſunt, quæ tamen per hãc enunciationem verbi poſſunt intelligi.

CAP. IX. *Ambiguorum genera.*

ITAQVE rectiſſime à dialecticis dictum eſt, ambiguum eſſe omne verbũ. Nec moueat quod apud Ciceronem calumniatur Hortenſius, huiuſmodi ambigua ſe audere explicare. Dilucide omne verbum ambiguum eſſe dixit, Quomodo igitur ambigua ambiguis explicabunt? Nam hoc eſt in tenebris extinctum lumen inferre. Facile quidem atq; callide dictum. Sed hoc eſt quod apud eundem Ciceronem Scæuolæ dicit Antonius. Denique vt ſapiẽtibus diſerte, ſtultis etiam vere videaris dicere. Quid enim aliud loco illo facit Hortẽſius, niſi acumine ingenij & lepore ſermonis, quaſi meraco & ſuaui poculo imperitis caliginem offundit? Quod enim dictum eſt, omne verbum ambiguum eſſe, de ſingulis verbis dictum eſt. Explicãtur ambigua diſputando, & nemo vtique verbis ſingulis diſputat. Nemo igitur ambigua verba verbis ambiguis explicabit. Et tamẽ cum omne verbũ ambiguum ſit, nemo verbum ambiguum niſi verbis, ſed etiã coniunctis, quæ iam ambigua non ſunt, explicabit. Vt enim ſi diceretur, Omnis miles bipes eſt, non ex eo ſequeretur, vt cohors ex militibus bipedibus tota conſtaret. Ita cum dico ambiguum omne verbum, nõ dico ſententiam, nõ diſputationem, quamuis verbis iſta texantur. Omne igitur ambiguum verbum nõ ambigua diſputatione explicabitur. Nunc ambiguitatum genera videamus. Quæ prima duo ſunt: vnum in iis etiam quæ dicuntur, alterum quod in iis ſolis quæ ſcribũtur dubitationem facit. Nam ſi quis audierit acies, & ſi quis legerit, poterit incertum habere, niſi per ſententiam clareſcat, vtrum acies militum, an ferri, an oculorum dicta vel ſcripta ſit. At verò ſi quis inueniat ſcriptum, verbi cauſa, leporem, nec appareat qua ſententia poſitum ſit, profecto dubitabit, vtrum penultima huius verbi ſyllaba producenda ſit, ab eo quod eſt lepos, an ab eo quod eſt lepus corripienda. Quam ſcilicet non pateretur ambagem, ſi accuſatiuum huius nominis caſum voce loquẽtis acciperet. Quòd ſi quis dicat loquentem male pronunciare potuiſſe, iam non ambiguitate, ſed obſcuritate impediretur auditor. Ex illo tamen genere quod ambiguo ſimile eſt, quia male Latine pronunciatum verbum, non in diuerſas rationes trahit cogitantem, ſed ad id quod apparet impellit. Cum igitur iſta duo genera inter ſe plurimum diſtent, primum genus rurſus in duo diuiditur: nam quicquid dicitur, & per plura intelligi poteſt, eadem ſcilicet plura aut vno vocabulo & vna interpretatione, aut tantum vno tenẽtur vocabulo, ſed diuerſis expeditionibus explicantur. Ea quæ vna definitio poteſt includere, vniuoca nominantur: illis autem quæ ſub vno nomine neceſſe eſt definire diuerſe, æquiuoci nomen eſt. Prius enim cõſideremus vniuoca, vt quomodo genus hoc iam patefactum eſt, illuſtretur exẽplis. Hominem cum dicimus, tam puerum dicimus quàm ſenem, tam ſtultum quàm ſapientem, tam magnum quàm paruum, tam ciuem quam peregrinum, tam vrbanum quàm agreſtem, tam qui iam fuit, quam qui nunc eſt, tam ſedentem quam ſtantem, tam diuitem quam pauperem, tam agentem aliquid quam ceſſantem, tam gaudentem quam mœrẽtem vel neutrum. Sed in his omnibus dictionibus nihil eſt quod non vt hominis nomen accepit, ita etiam hominis definitione claudatur: nam definitio hominis eſt, animal rationale, mortale: nõ ergo quiſquam poteſt dicere animal rationale mortale iuuenem tantum, nõ etiam ſenem & puerum, &c. aut ſapientem eſſe tantum, non etiam ſtultum: imò & iſta & cętera quæ numerata ſunt, ſicut hominis nomine, ita etiam definitione continentur: nam ſiue puer, ſiue ſtultus, ſiue pauper, ſiue etiam dormiens, ſi animal rationale mortale non eſt: nec homo eſt. Eſt autem homo, illa igitur definitione cõtineatur neceſſe eſt: & de cæteris quidem nihil ambigitur. De puero autem paruo aut ſtulto, ſiue prorſus fatuo, aut de dormiente vel ebrio vel furente dubitari poteſt, quomodo poſſunt eſſe animalia rationalia, etiã ſi poſſit defendi, ſed ad alia properantibus longum eſt. Ad id quod agitur illud ſatis eſt, non eſſe iſtam definitionem hominis rectam, niſi & omnis homo eadem contineatur, & præter hominem nihil. Hæc ſunt igitur vniuoca, quæ non ſolum nomine vno, ſed vna etiam eiuſdem nominis definitione clauduntur: quamuis & inter ſe propriis nominibus & definitionib. diſtingui poſſunt. Diuerſa enim nomina, puer, adoleſcens dies & pauper, liber & ſeruus, & ſi quod aliud differentiarum eſt, & inter ſe ideo proprias definitiones habebunt: ſed vt illis vnum commune nomẽ eſt homo, ſic animal rationale mortale definitio vna cõmunis eſt.

CAP. X. *Ambiguitas ex æquiuocis varia.*

NVNC æquiuoca videamus, in quibus ambiguitatum perplexio propè infinita ſylueſcit: conabor tamẽ eas in genera certa diſtinguere. Vtrum autem conatũ meum hæc facultas ſequatur, tu iudicabis. Ambiguitatum igitur quæ ab æquiuocis veniunt, primo genera tria ſunt: vnum ab arte, alterum ab vſu, tertium ab vtroque. Arte nunc dico, propter nomina quæ in verborum diſciplinis verbis imponũtur. Aliter enim definitur apud grammaticos quid ſit æquiuocum, aliter apud dialecticos, & tamen hoc vnum quod dico, Tullius, & nomen eſt, & pes dactylus, & æquiuocum. Itaque ſi quis ex me efflagitet vt definiam quid ſit Tullius, cuiuſlibet notionis explicatione reſpondeo. Poſſum enim recte dicere, Tullius nomen eſt quo ſignificatur homo ſummus quidam orator, qui Catilinę cõiurationem conſul oppreſſit. Subtiliter attẽde me nomen ipſum definiſſe: nam ſi mihi Tullius ipſe, qui ſi viueret, digito monſtrari potuiſſet, definiendus foret, nõ dicerem, Tullius eſt nomẽ quo ſignificatur homo: ſed dicerem, Tullius eſt homo, & ita cætera adiungerem. Item reſpondere poſſum, Hoc nomen Tullius eſt dactylus, his literis cõſtans: quod enim eas literas habeat, opus eſt innuere. Licet enim illud dicere, Tullius eſt verbum, per quod æquiuocantur inter ſe omnia cum hoc ipſo quæ ſuprà dicta ſunt, & ſi quid aliud inueniri poteſt. Sed dico, Cum ergo hoc nomẽ quod dixi, Tullius, ſecundum artium vocabula tam varie mihi licuit definire, quid dubitamus eſſe ambiguorum genus ex æquiuocis venientium, quod merito dici poſſit ex arte contingere? Diximus enim æquiuoca eſſe, quæ non vt vno nomine, ita etiam vna definitione poſſunt teneri. Vnde nunc alterum genus eſt, quod ex loquendi vſu venire memorauimus. Vſum nunc appello illud verbum propter quod verba cognoſcimus. Quis enim verba propter verba conquirat & colligat? Itaque iam conſtitue aliquem ſic audire, vt notum ei ſit, nihil de par-

Genera ambiguitatum duo.

de partibus orationis,aut de metris quæri, aut de verborum aliqua diſciplina:tamen adhuc poteſt cum dicitur, Tullius, æquiuocorum ambiguitate impediri. Hoc enim nomine & ipſe qui fuit ſummus orator,& eius dicta imago vel ſtatua,& codex quo eius literę cõtinentur, & ſi quod eſt in ſepulchro eius cadauer, ſignificari poteſt. Diuerſis enim rationibus dicimus, Tullius ab interitu patriam liberauit:&, Tullius inauratus in Capitolio ſtat: &, Tullius tibi totus legendus eſt:&, Tullius hoc loco ſepultus eſt:vnũ enim nomen eſt,ſed diuerſis hæc omnia definitionibus explicanda ſunt. Hoc igitur genus æquiuocorum eſt, in quo iam nulla de diſciplina verborum oritur ambiguitas, ſed de ipſis rebus quæ ſignificantur. Aut ſi vtrunque confundat audientem vel legentem,ſiue quæ ex arte,ſiue ex loquendi vſu dicuntur,nónne tertium genus recte annumerabitur?Cuius exemplum quidem in ſententia aperte apparet,vt ſi quis dicat,Multi dactylico metro ſcripſerunt,vt eſt Tullius:nam hic incertum eſt vtrum Tullius pro exemplo dactyli pedis, an dactylici poëtæ poſitum ſit: quorũ illud ex arte, hoc ex vſu loquendi accipitur. Sed in ſimplicibus etiam verbis contingit, licet tantum vocem huius verbi grammaticus audientibus diſcipulis enunciet, vt ſuprà oſtendimus. Cum igitur hæc tria genera manifeſtis rationibus inter ſe differant, rurſum primum genus in duo diuiditur. Quicquid enim ex arte,verborum facit ambiguitatem,partim ſub exemplo eſſe poteſt, partim nõ poteſt.Cum enim definio quid ſignificat nomẽ,poſſum hoc ipſum exempli gratia ſupponere, quod dico nomen,vtiq; nomẽ eſt:hac enim lege per caſus flectitur, dicendo nomen,nominis,nomini, &c. Item cum definio quid ſignificat dactylus,hoc ipſum poteſt pro exemplo eſſe.Etenim cum dicimus, dactylus, vnam ſyllabam longam & duas deinde breues enunciamus.At vero cum definitur aduerbium quid ſignificet,nõ poteſt huius ipſum exemplo dicere: etenim cum aduerbium dicimus,hæc ipſa enunciatio nomen eſt. Ita ſecundum aliam notionem, aduerbium vtiq; aduerbiũ eſt,& nomen,nomen eſt:ſecundum aliam verò aduerbium non eſt aduerbium,quia nomen eſt. Itẽ pes creticus quando quid ſignificet definitur,non poteſt hoc ipſum pro exemplo eſſe. Hæc enim ipſa enunciatio quando dicimus creticus,prima longa ſyllaba,deinde duabus breuibus conſtat,quod autem ſignificat, lõga ſyllaba & breuis & longa eſt:ita & hic ſecũdum aliam notionem,creticus nihil aliud eſt quã creticus, & dactylus non eſt: ſecundum aliam vero creticus non eſt creticus,quia dactylus eſt.Secundũ igitur genus,quod iam diſciplinis verborum ad loquendi vſum dictũ eſt pertinere,duas habet formas.Nã æquiuoca dicta ſunt, aut ex eadem origine venientia,aut ex diuerſa. Ex eadem origine appello,quando vno nomine ac non ſub vna definitione teneantur,vno tamen quaſi fonte demanant,vt eſt iſtud,quia Tullius & homo & ſtatua & codex & cadauer intelligi poteſt.Nõ poſſunt quidem iſta vna definitione concludi, ſed tamen vnum habẽt fontem,ipſum ſcilicet verum hominem, cuius & illa ſtatua,& ille liber,& illud cadauer eſt. Ex diuerſa origine,vt cum dicimus, nepos, longe ex diuerſa origine filium filij & luxurioſum ſignificat. Hæc ergo diſtincta teneamus,& inde illud genus quod ex eadem origine appello, in quatuor item diuidatur: nã diuiditur in duo,quorum vnum tranſlatione, alterum declinatione contingit.Tranſlationem voco, cum vel ſimilitudine vnum nomen ſit multis rebus,vt Tullius,& ille in quo magna eloquentia fuit,& ſtatua eius dicitur. Vel ex toto,cum pars cognominatur,vt cum cadauer illius Tullius dici poteſt: vel ex parte totum, vt cum tecta dicimus totas domus. Aut a genere ſpecies: verba enim principaliter dicunt Romani, quibus loquimur. Sed tamẽ verba proprie nominata ſunt, quæ per modos & tempora declinamus. Aut ab ſpecie genus: nam cum ſcholaſtici ſolum proprie & primitus dicantur ij qui adhuc in ſchola ſunt,omnes tamen qui in literis viuunt, nomen hoc vſurpant. Aut ab efficiente effectus,vt Cicero eſt liber Ciceronis. Aut ab effectu efficiens,vt terror,quia terrorem fecit.Aut à continẽte quæ continẽtur, vt domus etiam qui in domo ſunt dicuntur.Aut à conuerſa vice, vt caſtanea arbor dicitur quæ & fructus: vel ſi quod aliud inueniri poteſt, quod ex eadem origine quaſi transferendo cognominetur. Vides, vt arbitror, quid faciat in verbis ambiguitatem.Quæ autem ad eandem originem pertinentia conditione declinationis ambigua eſſe dicimus,talia ſunt.Fac verbi cauſa quemque dixiſſe,pluit.Et hęc diuerſe vtique definienda ſunt.Item ſcribere cum dicimus,incertum eſt vtrum in infinitiuo actiui, an imperatiuo paſſiui pronunciatum ſit. Homo cum vnum nomen ſit,& vna enunciatio, tamẽ fit aliud ex nominatiuo,aliud ex vocatiuo. Quid doctius & doctè verbi enunciatio quoque diuerſa eſt.Doctius aliud eſt cũ dicimus, doctius mancipium: aliud dicimus, doctius illo diſputauit. Declinatione igitur ambiguitas orta eſt:nam declinationem nũc appello quicquid ſiue per voces ſiue per ſignificationes flectendo verba contingit.Hic doctus & doctè, tantum per voces flexum eſt. Hic homo & homo ſecundum ſolas ſignificationes. Sed huiuſmodi genus ambiguitatum minutatim concidere ac proſequi penè infinitum eſt. Itaque locum ipſum hactenus notaſſe ſuffecerit, ingenio præſertim tuo.Vide nunc ea quæ ex diuerſa origine veniũt: nam ipſa diuiduntur adhuc in duas primas formas,quarum vna eſt quæ contingit diuerſitate linguarum, vt cũ dicimus iſte,hæç vna vox aliud apud Grẹcos,aliud apud nos ſignificat. Quod genus tamen non omnis nouit: nõ enim vnicuiq; perſpicuum eſt,niſi qui linguas noſſet,aut qui linguas diſputaret. Altera forma eſt,quę vna quidem lingua facit ambiguitatem, diuerſa tamen eorum origine,quæ vno vocabulo ſignificantur, quale eſt illud quod de nepote ſuprà poſuimus.Quod rurſus in duo ſcinditur. Aut ſub eodem genere partis orationis,ſicut nomẽ eſt nepos,cum filium filij,& cum luxurioſum ſignificat. Aut ſub diuerſis, vt dictum eſt à Terentio,Quî ſcis ergo iſtuc niſi periculum feceris? Sed etiam iſtuc pronomen, iſtuc aduerbium. Iam ex vtraq;,id eſt arte & vſu verborum, quod in æquiuocis tertium genus poſueramus,tot ambiguitatum formæ poſſunt exiſtere, quot in duobus ſuperioribus poſueramus. Reſtat ergo illud genus ambiguũ quod in ſcriptis ſolis reperitur.Cuius quatuor ſunt ſpecies: aut enim ſpacio ſyllabarum fit tale ambiguum,aut acumine,aut vtroque.Spacio autem,vt cum ſcribitur,venit, de tempore incertum eſt, propter occultũ primæ ſyllabæ ſpacium.Acumine autem, vt cùm ſcribitur, pone,vtrum ab eo quod eſt pono,an vt dictum:

Pone ſequens,nanque hanc dederat Proſerpina legem: Geng.4.

incertum eſt per latentem acuminis locum. Ãt vero ex vtroque fit,vt in ſuperiorib.de lepore diximus,non ſolum producenda, ſed acuenda eſt etiam penultima ſyllaba huius verbi, ſi ab eo quod eſt lepos, non ab eo qui eſt lepus,deflexum eſt.

Creticus nomen pedis.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
CATEGORIÆ DECEM, EX ARISTOTELIS LIBRO NON VERSÆ, SED DECERPTÆ.

Meminit S. Auguſt. 1. retract. 6.

CAP. I. De oratione, & quàm late pateat ſignificatio ſcias.

CVM omnis ſcientia diſciplináque artium diuerſarum non niſi oratione tractetur, nullus tamen, ô fili Adeodate, in quouis genere pollens inuentus eſt, qui de ipſius orationis vellet origine principióve tractare. Idcirco mirãda eſt Ariſtotelis philoſophi diligentia, qui diſſerẽdi de omnibus cupidus, ab ipſius cœpit examine, quam ſciret & prætermiſſam à cunctis, & omnibus neceſſariam. Is igitur nos docuit ex octo his, quas grammatici partes orationis vocant, eam ſolam recte appellari orationis partem, quæ indicaret aliquid, vocabuloque ſignaret. Itaque ſolas orationis partes, auctore Ariſtotele, nomen & verbum debemus accipere: cæteras vero ex his fieri, & compagines orationis potius, quam partes eius debere nominari. Nomẽ namque perſonam demõſtrat, verbum quid quiſque faciat patiatúrve. Dehinc hoc docente debemus aduertere, quo compendio paulatim oratio coarctata per gradus cuncta quæ ſunt vno vocabulo capta concluſerit. Nam cum ſit diuerſa innumerabilisque mortalium nũcupatio, nec comprehẽdi poſſit nominum tam lata diuerſitas, vno tamẽ vocabulo cum hominem dixeris, noſcis omnes. Similiter & cætera, vt equus ille ξανθὸς vel αἴθριος vel δῖος, vel ille atque ille. Et quanquam ſit horum nominum quoque infinita comprehenſio, equum tamen cum quis dixerit, monſtrabit omnes. Et ſi quis leonibus, quod fieri ſolet, vel bobus imponat nomina, in immenſum tenditur vniuſcuiuſque cognitio, & acies mentis obtunditur: ſed cum leonem, vel taurum dixeris, omnes qui vbique ſunt, ſub vno nomine naturæ ſuccedunt. Verum orationis vis, quæ infinita genera procreandi varietate ſingulis vocabulis colligauerat, parum feciſſe viſa eſt, niſi eadem coarctata in vnũ ſingulari nuncupatione concluderet. Idooque & hominem & feram & equum dixit animal dans cũctis nomen quod omnia poſſideret. Nec minus ea quæ ſine anima ſunt, breui ex immenſa demonſtratione ſignauit: nam cum ſit arbor & nucis & caſtaneæ & glandis & mali: cæteraq; inexplicabilia genera virgultorum, ſurculum vocans, ſingulari omnia & communi vocabulo aſtrinxit. Similiter ornamentorum diuerſos lapides compẽdioſe vocauit gemmas. Poſtremo licet abunde proſpexerit diſperſa paſſim genera ſpeciali nota concilians, tamen ingenti quodam & capaci ad infinitum nomine omne quicquid eſt comprehendens dixit ὐσίαν, extra quam nec inueniri aliquid, nec cogitari poteſt. Hæc eſt vna de categoriis decem. Appellatas vero categorias conſtat, propterea quod non poſſunt niſi ex ſubiectis agnoſci, ὡς κατ' πτωσιν λεχθεῖσαι. Quis enim quid ſit homo poſſit agnoſcere, niſi aliquem ſibi hominem ponat ante oculos, quaſi ſubiectum homini? Ne autem progrediente tractatu, in quo plurimis exemplis opus eſt, eadem ad docendum nomina repetantur, ac ſæpe accidat vt vel Hortenſij vel alterius hominis, vel ſuperius animalis, vel exceſſus vſiæ frequentata exempla in faſtidium recideret, alia his vocabula, quibus ad differendum philoſophi vterentur, inflexit: itaque Hortenſium, & nucis arborem, & equum Xanthum, & his ſimilia, αἰσθητὰ, ἄτομα, ἐνάριθμα, καθέκαστα vocauit: αἰσθητὰ, quod tactu ſentiantur: ἄτομα, quod diuidi & ſecari nequeant. Quis enim credat Hortẽſium cædi poſſe per partes? Quod ſi fiat, Hortenſius iam nõ erit: ἐνάριθμα, quod ſint numeri vnius: καθέκαστα, quod ſingularia. Neque enim hæc in vno quouis geminari poſſunt. Deinde altiora, id eſt, hominem, equum, leonem, arborem, εἴδεα vel ἰδέας ars dicit, quaſi partes generis & rerum formas. Dehinc ſuperiora, id eſt animalia & virgulta & gemmas & lapides, genera nuncupauit, ex quibus partes vel formæ naſcuntur. Eadem tamen genera ſpecies vel ideæ etiam nominari poſſunt, quod habent excelſius aliquid, id eſt vſiam, ex qua oriri videntur & naſci. Ipſam vero vſiam, ſupra quam nihil eſt, genus appellari voluerunt.

CAPVT II. De æquinocis, multinocis, & ſimilitudinibus.

His ita compoſitis, ea quæ mente concepta ſignari & demonſtrari poſſunt, aggreſſurus Ariſtoteles, omiſit illa interim quæ de verborum ratione tractãda ſunt, cum in linguæ vſu prouenerint, vt vno nomine res multę, & multis nominibus res vna nuncupetur. His rebus quas vnum nomẽ complectitur, duo vocabula ars dedit, vt ex his alia homonyma, alia ſynonyma vocaret. Homonyma ſunt, cum res quidem plures commune nomen accipiunt, interpretatione vero eiuſdem rei ſeparantur, vt homo pictus & verus. In his nanque vnum nomẽ eſt: verum ſi ad definitionem vel ad interpretationẽ hominis redeas, inueniuntur iſta diſparia. Cum enim dixeris, verum hominem animal eſſe quod riſum capiat & vim rationis admittat, cum de picto idem nõ poſſis dicere, neceſſariò inueniuntur eſſe diſparia. Regulariter autem accipere debemus, omne nomen licet proprium, quod poſſit eſſe commune cum cęteris homonymon vocari, vt Cicero non vnus, ſed plures. Sed ſi omiſſo nomine ſignis potius demonſtrare velis quis ſit ille Cicero, quis alius, quis tertius, alia de alio ſigna narranda ſunt, vt alium craſſum dicas, alium tenuem: vel longus dicatur alius, alter breuis, candido colore quis, alter nigro. Hæc igitur quoniam inter ſe diſcrepant, ſolo ſociata nomine, homonyma dicta ſunt, vocabulo iuncta, rei interpretatione diſcreta. Synonyma vero ſunt, res quæ & nomine & ſui interpretatione iunguntur, vt eſt animal: id enim de homine & equo & de fera & de auibus dici poteſt. Animal eſt quod cibum capiat, quod mortale ſit, quod ſenſu moueatur. Nunc ad eas res, quæ ſingulæ multis nominibus ſignari ſolent, veniamus. Quanquam hanc partem Ariſtoteles, vt ſuperius dictum eſt, prætermiſerit, idcirco quod de his quæ ſignificantur, non de his quæ ſignificant, differendum putauit. In his autem non rerũ, ſed nominum vertitur quæſtio. Hæc diuiſa ſunt ſimiliter in partes duas, & alia πολυώνυμα, alia ἑτερώνυμα ſunt. Polyonyma ſunt, cum multa nomina vnam rem ſignificant, neque vlla differentiæ nominum redditur ratio, vt enſis, mucro, gladius. Hæc enim cur vnã rem tot ſigni-

tot significēt,nec discerni,nec definiri potest. Dehinc heteronyma à multis æquè nominibus res singulas tenēt. Verum in his habet rationem diuersitas nominū, velut est homo terrenus mortalis: homo ab humanitate,terrenus à terra,in qua cūcta gignūtur,mortalis à necessitate mortis. Claret igitur in his nominum originem quæri,in superioribus rerum: quamobrem his omissis,Aristoteles superiorum maluit mouere tractatum. Ergo ad homonyma redeamus, quæ diuiduntur in duas partes,aut enim fortuitu fiunt,aut hominum voluntate nascuntur. Fortuitu fiunt enim, cum quodam casu simile quis alteri nomen accepit. Voluntate, cum similitudo nomini ex industria imponētis affigitur. Horum autem quæ industria vel volūtate nascuntur,quatuor sunt genera,εἰκών, κατ' ἀναλογίαν, ἀφ' ἑνὸς, πρὸς ἕν: vt eadem Latinus quoq; sermo declaret, similitudo, proportio, ab vno, ad vnum. Similitudo est, vt homo pictus & verus in sola similitudine copulantur. Proportio est quod κατ' ἀναλογίαν Græci vocant, vt quo pacto principium animalis cor dicimus, ita principium aquæ fontē dicamus: proportio enim sui similitudo nominis videtur adiuncta. Ab vno est, cum dicimus à medicina medicinale ferramentum, medicinalis scientia,medicinalis vsus, medicinale præceptum,ab vno in cuncta descendunt. Ad vnum est, vt,illa potio salubris est, ille medicus salubris est, ferramentum illud salubre. Hæc enim cuncta vnum, id est salutem videntur attingere.

CAPVT III. *Quid agat in categoriis.*

SED plerique mouere adsolent quæstionem, de quibus magis Aristoteles voluit inchoare tractatum. Primo de iis quæ sunt,secundo de iis quæ percipiuntur,tertio de iis quę dicuntur Primo sunt res omnes,quas natura peperit: secundo percipiuntur ea quorum imagines in animo videndo formamus & recondimus: tertio dicuntur illa,quibus ea quæ sunt impressa animo efferuntur. Id nanque quod quis concipit animo,lingua prosequente declarat. Sed vt Themistio nostræ ætatis erudito philosopho placet, de his Aristoteles tractare incipit, quæ percipiuntur, quæque ipse vocat Græco nomine σημαινόμενα siue φαντασίας,id est, imagines rerum insidentes animo: verum cum de perceptis proposuerit disputare,& de iis quę sunt,& de iis quę dicuntur,necessariò locuturus est. Percepta enim ex his oriuntur quæ sunt,quæ vidēdo percipimus: perceptorum autē deerit demonstratio, nisi eorum quę dicuntur auxilio fuerint demonstrata. Ergo quāquam seperatim postea ea quæ sunt definiturus sit, mixtam tamen de tribus disputationem debemus accipere. Nam de perceptis qui loquitur,& originem rerum trahit, & præsidia orationis implorat. Superfluam igitur quæstionem mouet,qui dicit scrutari oportere cur Aristoteles in principio suo homonyma lege vel dixerit,vel detexerit, si de his quæ percipiuntur fuerat tractaturus,cū liqueat nō posse dici aliquid, nisi quod perceptum fuerit, nec percipi aliquid posse, nisi res fuerit de qua imago intuendo capiatur.

CAPVT IIII. *De denominatiuis.*

HIS ergo cognitis, paronyma videamus,quę sunt in homonymorum & synonymorum medio constituta,& quæ nec paronyma dici possunt,nisi in se habuerint vtrorumque contractum, id est nisi & nomen homonymorum & negotium synonymorum videantur habere commune, vt à sapiente sapientem,vel medicum à medicina dicamus, eadem in medico quæ in medicina & actus similitudo videtur & nominis. Propterea rectè paronymum dictum est,quod aliunde nomen acceperit. Verum ne eadem videantur paronyma & homonyma, quæ ab vno dicuntur,id est ab ὁμῦ,hanc differētiam debemus agnoscere,quod ipsa paronyma inter se quidem propter similitudinem nominis homonyma sunt, illius tamen nominis paronyma dicuntur, vnde nomē acceperint, vtputa à sapientia dicamus hominem sapientem, sapiens consilium: inter se hæc homonyma sunt, ipsius vero sapientiæ paronyma. Obseruari tamen oportet, vt commutationem vltimæ syllabæ habeant: neq; ita finiantur paronyma quemadmodum definunt ea de quibus originem ducunt, vt medicina & medicus, medicina aliis literis clauditur, aliis medicus. Hanc igitur differentiam nisi paronyma habuerint, & nisi cum synonymis negocio, cum homonymis nomine fuerint copulata, homonyma potius quam paronyma nominantur. Vt si à malitia vitiosum dicamus,negocio quidem cum synonymis conuenit, sed ab homonymis discrepat nomine. Neque enim vitiosus & malitia similia sunt, quanquam eodem intellectu sentiantur. Quod si à malitia dicatur malus,rectè vtrunque conuenit. In vltima vero syllaba non mutantur hoc modo, vt si dicamus à sapientia verba sapientia. Hic cum nulla commutata est syllaba, paronymi exclusa est nuncupatio. Vnde constat hæc & his similia homonymis potius debere coniungi. Scire etiam debemus, verba aut simplicia esse, aut certè coniuncta. Coniuncta sunt, equus currit: simplicia,cum hæc seperantur & dicuntur singula,vt equus,currit. Sed iam satis de his quæ† dicuntur, dictum puto.

Differunt paronyma ab homonymis.

al. significant.

CAP. V. *Substantia & accidens.*

RESTAT vt eorum quæ sunt,quo pacto Aristoteles tractauerit,enarremus. Sunt igitur illa quę aut percipimus sensibus,aut mēte & cogitatione colligimus. Sensibus tenemus quę aut videndo aut contrectando aut audiendo aut gustando aut odorando cognoscimus. Mente,vt cum quis equum, aut hominem, aut quodlibet animal viderit,quāquam vnum corpus esse responderit, intelligit tamen multis partibus esse cōcretum. Siquidem alia pars sit capitis,alia pedum, cæterorumque membrorum, in ipso capite partes suas aures habeant,habeat propriam lingua. Ipsæ quoque partes singulæ multa in se habeant quæ diuidi & seperari possint: vt caro sit aliud,aliud corium, aliud venæ,aliud nerui,aliud capilli. Ergo hæc mente vel intellectu colligimus,ad quæ nostri sensus penetrare nō possunt. Consideramus etiam illa, & animi intentione cognoscimus vel hominem vel aliud animal crescere,senescere,nunc stare,nunc mouere gressus: modo angi curis,modo secura mente conquiescere: finitate alias frui, aliàs dolorem perpeti: ex nigro album, nigrum ex albo colore mutari: peritum ex imperito, doctum ex indocto: ex mansueto ferū, ex feroci mansuetum. Cum igitur in iis quæ sunt,alia sensibus, alia mentibus colligantur, seperare hæc propriis nominibus homines eruditi maluerunt: & id quod dignoscitur sensibus, iam dici ἐστίαν: illud autem quod animi tractatu colligitur, ac sæpe mutatur, συμβεβηκὸς, id est accidens,nominare voluerūt. Et quoniam in permanente vsia ea quæ accidunt inesse noscuntur, ipsam vsiam, ὑποκείμενον,id est,subiacens,& non in subiecto appellari voluerunt: illa vero quæ accidunt, ἐν ὑποκειμένῳ,id est in subiacenti, dixerunt. Sine dubio tamen illud oportet à nobis agnosci, vt sicut potiorem vsian accidentibus dicimus,sic potius ἄδε τινα vel καθέκαστον, id est hunc hominem vel hūc leonem iis quæ fuerint communia, vel communi vocata animalium nomine, iudicare.

CAPVT VI. *Quæ dicuntur de subiecto, quæ sunt in subiecto.*

RVRSVS ad ea quæ significantur, Aristoteles regressus est,quot modis ea quę sunt significari

ficari adsolent, monstraturus. Ex his igitur quæ sunt, alia de subiecto significantur, & in subiecto non sunt, vt homo. De subiecto quidem significatur, aliquo homine. Neque enim homo dici posset, nisi esset aliquis de quo diceretur. In subiecto autem nullo est, cum ipse sit vsia, quam superius diximus in nullo vnquam subiacenti esse, quippe cum sit cęteris ipsa subiecta. Alia vero nec in subiecto sunt, nec de subiecto significatur, vt est Cicero: nec in subiecto est, quia vsia est: nec de subiecto aliquo significatur, siquidem cum à se ortum vocabulum teneat, neque intelligi possit aliunde. Dicta sunt duo quæ ad vsian pertinent, quo pacto significentur, quorum superius κοινὸν id est commune, inferius καθ' ἕκαστον, id est singulare dicitur. Nunc ea quæ sunt ex accidentibus, quo nam modo significentur dicendum est. Sunt igitur ex iis alia quæ & in subiecto sunt, & significantur de subiecto, vt est scientia vel color. Sunt enim in subiecto aliquo, id est in animo vel corpore: neque enim scientia potest esse, nisi sit anima subiecta qua contineatur: nec significari scientia posset, nisi de subiecta grammatica: vel nec color quisquam posset esse, nisi in subiecto corpore: nec significari posset, nisi de subiecto aliquo colore: ita fit vt & in subiecto sint, & de subiecto significentur. Alia vero sunt ex iisdem συμβεβηκόσι, id est accidentibus, quæ in subiecto quidem sunt, sed de subiecto minimè significantur, vt est hæc grammatica, vel hic albus color. In subiecto quidem sunt, animo vel corpore, de subiecto autem non significantur. Neque enim his aliunde vocabulum pendet, sed suo & speciali nomine designantur. In iis quoque accidens superius, commune nominamus, inferius vbi iam certa res est pro parte, hoc est καθ' ἕκαστον dicitur. Verùm ne aliquid non apertum præterire Aristoteles existimaretur, & oriundis quæstionibus occasionem daret, de eo quod in subiecto est, voluit tractare diligentius, ac definire quid esset accidens, vt calumniatibus aditus clauderetur. Definiuit ergo in subiecto esse quod in altero est aliquo, non vt pars sit quædam, neque sine eo in quo est potest vnquam esse. Hæc definito addita propterea est, quia dici posset digitum vel pedem in subiecto esse, id est in corpore: hoc igitur excluſit cauta definitione, dicendo id esse in subiecto, quod eius pars non sit in quo est: digitum autem vel pedem partem esse corporis constat: dehinc à calumniatibus dici posset, aquam vel vinum in quodam cado quasi in subiecto esse. Sed id oriri docta definitione non sinit, addens id esse in subiecto quod sine subiecto esse non possit: vinum autem vel aquam sine cado in quo fuerint posse & alibi esse non potest dubitari. Interea hoc loco debemus aduertere qua arte definitio disponatur. Primum enim hanc per immensum tendi oportet, incipientem à genere: dehinc paulatim per partes currendo peruenire debet ad id in quo solũ est id quod definitur. Vt ij qui signa formãt, primum immensum subdeligunt lapidem, dehinc paulatim minuendo & abscindendo superflua ad formandos vultus & membra perueniunt. Sic definitio à genere incipiens depulsa paulatim generalitate verborum, ad proprium demonstrandæ rei cubile tendit accedere. Sed ad propositum reuertamur: tractatus enim erat de iis quæ sunt, quemadmodum significentur, de quibus quoniam iam multa dicta sunt, illud regulariter nobis tenendum est, omnia καθ' ἕκαστα, vel ἐνάτομα, vel ἄτομα, vel αὐθητὰ, id est hunc hominem, vel hunc equum, vel hanc arborem de subiecto significari non

De arte definiendi.

posse. Sin vero hæc eadem de accidentibus fuerint, id est hic color, hæc disciplina, in subiecto esse posse. Quemadmodum enim superius demonstratum est, omne accidens sine subiecto esse nõ potest. Docti igitur sumus quo pacto vel subiectũ, vel in subiecto possimus agnoscere.

CAPVT VII. *Quid genus, quid species.*

DEHINC nos Aristoteles docet, & illa quæ de subiecto significantur qua ratione cognoscamus. In his autem speciale illud est, quod eadem in ipso subiecto inueniuntur, quæ sunt in eo quod de subiecto significatur: vt enim animal de subiecto significatur, homine vel equo, sic & homo de subiecto aliquo homine significetur necesse est; Cicero autem & homo est & animal. Quæcunque igitur prædicari de animali possunt, eadem & de homine & Cicerone prædicãtur. Quapropter ea quæ in eo quod de subiecto significatur inueniũtur, & in eo quod subiectum est necesse est inueniri: vt si dicas, animal est quod cibum capiat, quod mortale sit, quod sensu moueatur: animal autem de subiecto significatur homine, eadem tamẽ & de homine dici necesse est quæ de animali dicta sunt. Deinde quæ de homine dicta fuerint, eadem & de Socrate. Certum autẽ est Socratem subiectum esse homini, hominem autẽ animali. Quic quid igitur in iis quæ de subiecto significãtur dictum fuerit, idem & de iis quæ subiecta dicimus prædicabitur. Regulariter autem illa de subiecto significantur, quæ per seipsa cognosci non possunt, vt animal intelligi non potest nisi de subiecto homine, sic homo adueꝛti nõ potest nisi de subiecto aliquo homine dignoscatur. Nunc quoniam de categoriarum omnium generibus & speciebus & differẽtia locuturus est, inspiciendũ prius videtur quid sit genus, quid species, quid differentia. Genus igitur est quod secũdum multa & differentia quid sit, specie ostenditur atque significatur, vt est vsia. Omne quidem vsian dicimus, sed hoc commune nomen specie separatur, cum dicimus animal vel lapidem. Ita fit vt vno quasi coniuncta vocabulo, specie separentur. Differentia vero est quæ secũdum multa & differentia, non quid sit, sed quale sit specie prædicatur, vt est animal gressiuum, volatile, aquatile, bipes, quadrupes. Genus ergo & differẽtia specie significantur. Sed genus quid sit, differentia autem qualis sit specie possunt agnosci. Species autẽ est, quã quidam & formam vocant, quæ secundum multa & differentia quid sit numero prædicatur atque cognoscitur, vt est homo. Hoc nomen homines cũctos complectitur, & videtur id facere quod species dum de aliquo homine prædicatur qui numerum in seipso cõtineat, id est hic primus, ille secundus, iste tertius. Vt tamen hæc tria vno exemplo monstremus. Genus est, animal: differentia, bipes, quadrupes: species, homo, equus. Sed vt genus nullum est quod non habeat differentiam, sic nec differẽtiam intelligere debemus, quæ species non habebit, vt nigrum & album non habent differentiam, propterea quod ex se species non emittunt. Quæ enim alia species inueniri potest albi vel nigri? Quoniam igitur quid sit genus, quid differẽtia, quid species, separatum est: ad Aristotelis iã dicta veniamus. Hoc enim docẽte cognouimus, eorum generum quæ inter se diuisa sunt, nec differentias easdem posse esse, nec species. Alia enim & species & differẽtia est, dum quæritur quid sit, alia dum quale sit, alia dum quantum sit: vt si velis animalis dicere differentiam, dicas volatile, bipes gressiuum: si velis speciem, dicas hominem vel auem vel equum. Nunquid nam & de disciplina eadẽ differẽtia vel species dici potest,

propterea quod genera diuersa sunt, animal & disci- A
plina? Animal enim categoria est vsiæ, disciplina categoria qualitatis. Denique illa genera quæ alterna sibi societate ἐπαλλήλως coniuncta sunt, easdē differentias & easdem species habent, vt est vsia, huius species est animal. Sed idem animal genus est cæteris, ideóque & species & genus dicitur. Quoniam hæc igitur duo genera inuicem se tenent, quæ Aristoteles quoque ἐπαλλήλως nominauit, easdem differentias habent, vt si dicas vsian esse animal mortale, bipes, risus capax: eadem & de animali potes dicere, animal est homo mortalis, bipes, risus capax, eadem & de homine potes dicere. Certum est ergo inuicem sibi cōiunctis generibus, easdem & differentias & species inueniri. In diuersis autem generibus hoc prouenire non posse.

CAPVT VIII. *De prædicamentis in generali.*

RVRSVS Aristoteles ad ea quæ dicuntur, reuertitur, quanquam superius dixerimus alterum sine altero tractari non posse. Nam & qui dicit aliquid, de eo B
dicit quod est: & id quod est, non potest ab altero intelligi, nisi dicatur. Eorum ergo quæ nulla sui copulatione dicuntur, quodcunque singulare dictum fuerit, aut vsian significat, aut quantitatem, aut qualitatem, vt ad aliquid, aut iacere, aut facere, aut pati, aut vbi, aut quando, aut habere. Hæ sunt categoriæ decem, quarum prima vsia est, scilicet quę nouem cęteras sustinet. Reliquæ verò nouem, συμβεβηκότα, id est accidētia sunt. Ex quibus nouem, sunt alia in ipsa vsia, alia extra vsian, alia intra & extra. Qualitas, quantitas, & iacere in ipsa vsia sunt: mox enim vt vsian vel hominem vel equum dixerimus, aduertamus necesse est bipedalem, quadrupedalem, aut album aut nigrum, aut stantem aut iacentem. Hæc in ipsa vsia sunt, & sine hac ipsa esse non possunt: alia sunt extra vsian, vbi, quando, habere: & locus ad vsian nō pertinet, & tempus, & vestiri & armari, sed ab vsia separata sunt. Alia C
sunt communia, id est & intra & extra vsian: ad aliquid, & facere & pati: ad aliquid, vt magis & minus: vtraque enim dici non possunt, nisi coniuncto altero quo magis sit vel minus. Propterea ergo vnum in se habet, aliud extra se. Item facere, extra est & intra, vt cædere quisque non potest dici, nisi alterum cædat: vel legere, nisi ipse legens aliud sit, aliud quod legit. Ita ergo & in vsia hæc est, & extra vsian. Pati similiter, cædi enim vel vri nullus potest, nisi ab altero patiatur. Propterea hæc quoque & in vsia est & extra vsian. Hæc igitur cum singularia sunt, nihil affirmant: copulata vero faciūt ex se aliquem sermonem, vel προστακτικὸν, vel εὐκτικὸν, vel ἐρωτηματικὸν, vel κλητικὸν: vt hæc quoque Latino ore monstremus, vel imperatiuum, vel optatiuum, vel interrogatiuum, vel vocatiuum. Hæc quoque sermonis quasi quatuor genera su- D
spensa sunt atque simplicia interim, ideoque semiplena. Neque enim iam intelligitur vel quid imperatiuū sit, vel quid optatiuum, vel quid interrogatiuum, vel quid vocatiuum, nisi accesserit genus ἀποφαντικὸν, id est pronunciatiuum, quod habeat in se quandam confirmandi sententiam, quæ aliquid aut addat aut demat: quod Aristoteles κατάφασιν & ἀπόφασιν dixit, vt est, cælum hoc volubile est, cælum hoc non est volubile. Ipsum denique pronunciatiuum, quod diximus apophaticon, aut falsum est aut verum. Quamobrem omissis illis quatuor quæ magis ad grammaticos vel oratores pertinent, huius apophatici, quod ad philosophos pertinet, Aristoteles habuit mentionem.

CAPVT IX. *De vsia siue substantia.*

EXPOSITIS igitur omnibus quæ disputaturis necessaria videbantur, singulas categorias oportuit definiri. Sed vsia quoniam secundum artem definiri non poterat, quæ præcipit, vt definitio quo possit tendi latius, à genere sumat exordium, ipsa autem vsia genus non habet, cum omnia ipsa sustineat, per partes eam voluit definire, vt quid sit non solum eius definitione, verum partium quoque cognitione noscatur. Est igi- *Vsia propriè.*
tur vsia propriè & principaliter dicta, quę neq; in subiecto est, neque de subiecto significatur, vt est hic homo, vel hic equus. Secundæ dicuntur vsiæ, genus & species, id est animal & homo. Has ergo secundas sub- *Secundæ vsiæ quæ dicātur.*
stantias nominari dicit, propterea quod illa sit potior quæ neque in subiecto est, neque de subiecto prædicatur. Secundæ autem substantiæ idcirco dictæ sunt genus & species, quod solæ indicent primam. Vt si quis nolit vel nesciat dicere Socratem, dicat animal vel hominem, id est genus vel speciem, his vero dictis quid sit Socrates agnoscitur. Aliud autem si dicat, vel currit, vel ambulat, nihil possit agnosci. Manifestum est autem ea quæ de subiecto significantur, cum iis quæ subiectum sunt & nomē & rationem nominis habere communem, vt homo & de subiecto aliquo significatur homine, sed non solum nomen, verumetiam rationem eandem in subiecto inuenies, in eo quod de subiecto significatur poteris inuenire. Ipsarum deinde secundarum vsiarum potior est species genere: magis enim proxima est species primæ vsiæ quam genus. Si enim quis velit ostendere quid sit prima vsia, facilius monstrabit si dixerit speciem, quam si dixerit genus. Vt si quis Socratem volens dicere omisso eius nomine, magis eum significet si hominem dixerit, quam si animal. Animal enim & equum & aquilā possumus agnoscere. Deinde vt primæ substantiæ subiectæ sunt omnibus, & his omnia sustinentur, ita etiam species generi, atque ideo magis vsia ista, quam cætera. Viden dum est etiam, ne quam speciem solam putamus, eadem sit & genus: vt si quis animal dixerit, dixit & genus. Deinde si dicat hominem, equum, piscem, auem, pronunciemus omnia solas species esse. Cū enim sint homo & equus, species manifestæ sunt, piscis autem & auis, genera & species. Non enim vna forma est auium & piscium, propterea ergo & species & genera nominantur. Illæ autem quæ solum species sunt, sicuti est homo, equus, aquila, taurus, equa, virtute vsiæ sunt. Vt enim homo vsia est, sic & equus, & aquila, & taurus in suo genere. Decursis igitur partibus per quas vsia definita est, & alio modo voluit eam definire, si ostenderet ea quæ necesse est in ea naturaliter inueniri. Ea enim quæ insunt cuique, aut in solo & in omni, aut in solo & non in omni, aut in omni & non in solo, aut nec in solo nec in omni. Hæc Græci vocant, ἐν μόνῳ καὶ ἐν παντὶ, ἐν μόνῳ καὶ οὐκ ἐν παντὶ, ἐν παντὶ καὶ οὐκ ἐν μόνῳ, καὶ οὐκ ἐν μόνῳ καὶ οὐκ ἐν παντὶ. Vt si hominem definire volens, dicat risus capacem esse, hoc & in solo est, & in omni. Solus nanque homo ridet, & cunctis ridere naturale est. Secundo, in solo & non in omni, vt si hominem definiens, capacem disciplinæ dicat esse, hoc in solo quidem homine inueniri potest, non tamen in omni: neque enim omnes disciplinas aliquas didicerunt. Tertio, in omni & non in solo, vt si quis hominem definiens, dicat id hominem esse quod ambulat, & quod cibum capit: hoc in omni quidem est homine, non tamen in solo: nam & pecudes cibum capiunt, & feræ currunt. Quarto: nec in solo, nec in omni, vt si quis in hominis definitione id esse hominem dicat, quod album est, nec in solo, nec in omni est. Neque enim aut ho-

aut homo ſolus candidus inuenitur, & non bos aut equus, aut omnis homo albus eſt. Duo ergo ſunt quæ ad inueſtigandum aliquam viam monſtrant, & duo quæ certum aliquid ſignificare non poſſunt. Id quod eſt, nec in ſolo, nec in omni, nihil ex hoc poſſunt agnoſcere, ſiquidem generale eſt. Alterum in omni, non in ſolo, non habet differentiam, propterea-
que ſimiliter reſpuendum eſt. Duo ſunt reliqua quæ certis ſignis id in quo fuerint, poterunt demonſtrare, id eſt in ſolo & in omni. Dubitari enim non poteſt, quin cum inueneris, pronuncies quid ſit id in quo ineſſe cognoſcitur. Alterum eſt in ſolo, non in omni, nõ quidem virtutis eiuſdem, verum tamen quod ad definiendam rem neceſſariò quærendum ſit, ſi primum non potuerit inueniri. Nunc igitur vt deſignet vſiam, ab omni, non ſolo argumentari incipit, cum demonſtrat eſſe ſecundas vſias, quas idcirco ſecundas dicit eſſe, quia id in his inueniri poterit, quod in primis. Denique dicit commune hoc eſſe cuilibet vſiæ, vt in ſubiecto non ſit. Cum igitur nec genus nec ſpecies in ſubiecto inueniuntur, manifeſtum eſt hæc ſecundas vſias debere nominari. Deinde hinc quoque oſtendit genus & ſpeciem ſecundas vſias eſſe, quod omnia quę ſunt in ſubiecto, cum iis quæ ſibi ſubiecta ſunt interdum ſolum nomen, non tamen & rationem poſſunt habere communem. Genus autem & ſpecies cũ ſubiectis, id eſt cum aliquo homine certam & rationis habent & nominis ſocietatem. Monſtratis ergo ſecũdis vſiis, id eſt genere & ſpecie, differentia ſola reſtabat, quæ conſideranti diligentius, quaſi accidens eſſe videtur. Siquidem bipes vel mortale vel rationale cum animal dicitur, non quid ſit, ſed quale ſit potius demonſtratur, ideo que videtur vim tenere qualitatis. Verùm quando à genere prima oritur differentia, & ſic ſequitur ſpecies, in accidentibus non debet numerari. Atque ideo Ariſtoteles eam ſignificatione quidem mixtam dicit, virtute autem inter vſias habendam decreuit: eadem enim in hac inueniri pronunciat, quæ & in cæteris ſubſtantiis reperiuntur: id eſt cum ſubiecto poſſe, & nomen & rationem habere cõſimilem. Cum enim greſſiuum hominem dicimus, in ſubiecto idem & vocabulum & eius rationem eandem poſſumus inuenire. Socrates enim & homo eſt & greſſiuus. Similiter proſequitur cætera argumẽtando variata, demonſtrans quædam ineſſe vſiæ, quæ ſola & omnis habeat, quædam quæ ſola & nõ omnis, quædam quæ omnis & non ſola, quædam nec ſola nec omnis. Quæ quoniã in Ariſtotele ipſo manifeſta ſunt, ſuperfluum viſum eſt aperire: maximè cum hic ſermo non transferre omnia quæ à philoſopho ſunt ſcripta, decreuerit, ſed ea planius enarrare, quæ rudibus videbantur obſcura.

Cap. x. De quantitate.

DESCRIPTA igitur vſia, quoniam definiri non potuit propter eas cauſas quas ſuperius memoraui, accidentium definitionem neceſſarius ordo poſcebat. Quorum primũ eſt, quantum, nec ſine cauſa: nam cum aliquid viderimus, id neceſſe eſt quantum ſit æſtimare. Quantum vero ſit, inueniri non poteſt, niſi fuerit adhibita menſura collectum. Si ergo omiſſa latitudine ſolam quis longitudinem voluerit emetiri, lõgitudo ſine latitudine mẽſuræ ſubiectæ γραμμὴ dicitur. Non quòd ſit longitudo aliqua quę careat latitudine, ſed quod ſolam quis metiens longitudinem γραμμικῶ metiri dicitur. Emenſa verò cum longitudine latitudo, dicitur ἐπιφάνεια. Si autem & altitudo fuerit menſuræ ſociata, corpus cuncta perficiunt. Quod tamen non ita accipimus quemadmodum ſolemus accipere naturale, ne ad vſiã reuerti videamur. Deinde metimur & locum in quo aliquid conſtitutum eſt, tempus quoque menſuræ ſubiicitur: nã cum mouetur aliquid, ipſo motu neceſſe eſt & tẽporis habere menſurã, cum dicimus primo vel ſecundo vel tertio anno peruenit, vel menſe, vel die, vel hora, vel momẽto. Hoc modo igitur quantum ſit quidq; colligitur. Ipſius autem quanti aliud eſt cohærens, aliud ſeparatum. Cohærẽs eſt gramme, epiphania, corpus, locus & tẽpus. In his enim ſingularum partium terminos non poteſt habere menſura. Simul nanq; vt grammes medio punctum figens, quaſi certum menſuræ terminum dederis vtrarumq; partium, quę diuiſa gramme factæ ſunt, fit terminus ille communis, vt incertum ſit cui parti affixus terminus videatur: adeo pars vtraq; ſibi cohæret atq; coniuncta eſt. Epiphania quoq; ſimili de cauſa connexa dicitur & cohærẽs. Deniq; ſi quis hãc diuidere voluerit, in eius medio grammen imponat neceſſe eſt: cum gramme hæc quæ epiphaniam diuidit, ex hac duas partes fecerit, ipſarum duarum partium ipſa gramme terminus incipit eſſe communis: ſic enim ſibi connexa eſt, vt non appareat cui terminus videatur infixus. Similiter corpus ſi quis ſecare voluerit, diuidendi corporis terminus gramme vel epiphania ſit neceſſe eſt: ipſa enim præciſio quam gramme facit cum epiphania, neceſſe eſt in corpus deſcendat: atque ideo incertum eſt ſiue gramme ſiue epiphania cui parti terminum dederint, cum diuiſo corpore in vtraque parte epiphaniam neceſſe eſt inueniri. Ideoque corpus cohærens eſt, in quo faciendarum duarum partium communis eſt terminus. Tẽporis quoque ſimilis ratio eſt, cui diuidẽdo ſi velimus terminum dare, dicamus, modo. Modo autem inter præteritum & futurum tempus ita confuſum eſt, vt incertum ſit quo debeat ſeparari. Locus autem quomodo corpus quodcunq; circundat, & corporis partibus occupatur, ita cõmuni termino partitur, quemadmodũ partitur corpus: ac propterea eum neceſſe eſt cohærentem vt cętera nominari. Separata verò ſunt, numerus & oratio. Quis enim non aduertat propriis terminis vnum ſeparatum eſſe à duobus, duos à tribus? Et in oratione ſingulæ ſyllabæ ſeparatæ ſunt: natura enim & numero ſegregantur, cum alteram breuem, alteram longam, & vnam vel duas dicimus. Nimirum apparet hæc quæ diximus, & ad quantum pertinere, & ſeparata oportere nominari. Horum quãtorum eſt & alia differentia: nam ex his alia ſunt, quorũ partes poſitionem habent ex qua poſſit agnoſci quæ pars cuique iungatur: alia verò ſunt quorũ partes poſitionem habere nõ poſſunt. Poſitionem autem dico, cum videmus cuiuſque rei dexteram, lævam, ſuperiora, inferiora, antè, pòſt, longè, iuxta. Sunt ergo quorum partes ſibi manifeſta poſitione iunguntur hæc, gramme, epiphania, corpus, locus. Siue enim in gramme, ſiue in epiphania, ſiue in quolibet horum poſitis terminis partes feceris, quanquam ſibi cohærentes videantur atque coniunctę, tamen aduerti corporaliter licet, quæ pars vbi ſit, cui vicina ſit, cuique iungatur. Sunt verò quorum partes poſitionem non habent hæc, tẽpus, numerus, oratio. Vnũ enim cum dicimus, ipſum numerum ſolum dicentes non aliquid corporaliter numerantes, non videmus vel eius dextram vel ſiniſtram: quippe cum in verbo ſit tantum in ſono, & in nullo ſit corpore, poſitionem ſuarum partium nõ poteſt demonſtrare, niſi fortè ordinem dixerimus, quod vnũ ſequuntur duo: poſitio autẽ in his duntaxat non

Cohærentia quæ ſint.

Separata quæ ſint.

poreſt inueniri. Similiter & in tempore atq; ſermone, maximè cum hęc mox videantur labi, cum dixeris, & tempus currit, & ſermo cum nondũ dictus fuerit non eſt, & cum dictus fuerit non apparet. Manifeſtum eſt igitur hæc tria poſitionẽ diuerſarum partium nõ habere. Propriè igitur hęc ſola quę dicta ſunt quanta nominantur: ſi qua verò præter hæc inueniri potuerint, debent pro accidentibus poni. Sunt autem quædam quæ accidentibus ipſis accidunt, vt ſi dicamus, multũ album: propterea multum album dicitur, non quod ipſum album ſit immenſum, ſed quod epiphania in qua album eſt, multa cernatur. Manifeſtum eſt igitur cum multum album dicimus, ex epiphaniæ quantitate album quod illi accidit æſtimari. Similiter cum longos actus dicimus, non quòd actus immenſi ſint longi dicuntur, ſed ex temporis menſura quo continentur actus, actuum quantitas æſtimatur. Illud tamẽ ſpeciale debemus agnoſcere, quanto contrarium nihil eſſe. Epiphaniæ enim, ſiue grammæ, ſiue duobus cubitis, ſiue tribus contrarium eſt nihil. Niſi fortè errore quodam multum & exiguum putemus eſſe contraria, non aduertentes hæc in eorum numerum quæ ad aliquid dicuntur debere trãsferri. Nihil enim multum vel exiguum dicitur, niſi alteri fuerit comparatũ. Cum enim dicimus montem breuem, grãdiorem eſſe alterum cui comparatus eſt, indicamus. Vel cum dicimus grande milij granum, comparatione ſui generis in quo breuius aliquid inuenitur, illud eſſe grandius monſtramus. Ac propterea manifeſtum eſt, multum & exiguum, grande & breue, cum aliquo comparata ſui vocabulum reperire. Nec in hoc ſolo errat, qui putat multum & exiguum quanto debere coniungi, verum etiam ſi exiſtimet eſſe contraria, quod fieri penitus non poteſt. Nam ſi hæc quodã errore decepti contraria dicimus, fiet vt in vna re vno atq; eodem tempore contraria videantur incidere. Vna enim res, & maior à minore, & breuis à maiore vno atque eodem tempore poterit nominari: quod fieri nec rerũ natura patitur, nec ratio ipſa permittit. Ac propterea eorum repellenda ſententia eſt, qui hæc credunt eſſe contraria. Non magis in quanto contrarietas, quam in circulo videri poteſt. Veteres enim ſupra & infra propter cæli terræq; diſtantiam contraria ſibi eſſe dixerũt, vndiquaq; verſum aſſerentes terram ſubter eſſe, cælum ſuper. Contemplantibus enim nobis naturam rerum, terra, quæ videtur in medio, vbiq; ſubtus eſt: nã & antipodes noſtri, qui nobis dicuntur figere aduerſa veſtigia, cælum ſuper ſe habent. Claret igitur ſemper terrã in inferioribus conſtitutam. Deniq; illa quoq; à phyſicis iungitur ratio, quòd propterea ex diuerſitate locorũ terra cęlo cõtraria eſt, id eſt illud ſemper ſurſum, hęc deorſum, quòd omnia quę põdere grauia ſunt, naturaliter ferũtur ad terram. Ad cælum verò leuari neceſſe eſt, quæ videntur eſſe leuiora. Hinc igitur cęlum terrámque contraria ſibi eſſe dixerunt, quòd hanc deorſum, illud verò ſuperius naturalis neceſſitas collocauit. Ex hac igitur ratione videtur contrariorum omnium definitio conſtituta. Dicuntur enim illa eſſe contraria, quæ cum ſint ex vno eodémq; genere, multo tamen à ſe ſpacio ſeparantur. Sed hæc qui aſſerunt, habent aduertere ad aliquid dictis potius debere coniungi. Siquidem ſupra dici non poteſt, niſi & infra fuerit deſignatum. Quod ſi calumniari quibuſdã libet, ſupra & infra in categoria magis quę vbi dicitur videri poteſt: cum enim ſupra & infra dicimus, vbi aliquid geratur, agnoſcitur. Sed hęc, vt diximus, garrientium ſunt: nos vero in quanto admitti contrariũ credere non debemus. Aduertere interea licet huius occaſione tractatus aliud eſſe ſuper & ſubter naturale: aliud vero quod circa nos. Naturale enim non poteſt immutari, noſtrum autẽ migratione hominũ commutatur: vt ſi quis cum in inferioribus fuerit, ad ſuperiora conſcẽdat, aut è ſuperioribus velit ad inferiora deſcendere, omnia illi quæ antè fuerant, commutantur, cum deſcendenti inferiora quæ fuerant ſuperiora cernantur. Illud quoq; quanto ineſt, in omni quidẽ, non tamen in ſolo, vt non recipiat magis & minus, quod Græcè dictum eſt μᾶλλον καὶ ἧττον. Bipedale enim cum dicimus, non poſſumus aliud bipedale magis vel minus dicere. Simili enim modo bipedale ſecũdum eſt, quemadmodũ & primũ. Quod ſi aliud alio amplius fuerit, iam nõ bipedalis, ſed alterius menſuræ ſuſcipit nomẽ. Nec numerus magis aut minus ſuſtinet, ſiquidem tres magis aut minus tribus nominare demẽtia eſt. Et tẽpus nõ poteſt eſſe tempore magis aut minus. Claret igitur his expoſitis magis & minus in quãto inueniri non poſſe. Proprium verò quanti, & quod in omni & in ſolo inuenitur, illud eſt, vt omnia eius paria aut imparia dicantur. Vt numerus par & impar, nõ æqualis numerus, ſi par eſt, aut ſi impar, non inæqualis dicatur. Similiterq; eius omnia non æqualia, aut inæqualia, ſed paria aut imparia nuncupantur. Cętera verò quæ ad quantum non pertinent, ſimilia ſibi potius quam æqualia nominamus: vt album albo ſimile aut non ſimile dicatur. Hoc enim verbũ ſpecialiter iis quæ in quanto ſunt, videtur infixũ.

Quanto nihil eſt contrarium.

Contraria quæ dicantur

CATEGORIARVM tertia eſt quæ Latinè ad aliquid, Græcè πρός τι cenſetur. Et quidẽ hanc tertiã non ordo, ſed tractatus neceſſitas fecit: nam poſt quantum quale ſequebatur. Verùm quoniam in fine quanti quędam eiuſdem generis ad aliquid videbantur poſſe transferri, hanc categoriam, quæ quarta fuerat, neceſſario tertiam voluit ordinare, vt diſcuſſis atque monſtratis omnibus, quæ cuiq; conuenirent, frequens orta confuſio ſolueretur. Incipit autem nõ à definitionibus ſuis Ariſtoteles, ſed ab eorum terminis, qui ante ſe ad aliquid perperã definire voluerunt. Ita tamẽ hæc debemus audire, quaſi tractatui neceſſaria. Aſtutè enim & dat illis auxilium philoſophus, & medelam malè poſitis terminis quærit, poſtea ſuæ prolatione ſententiæ omnia quæ impropriè definita ſunt repulſurus, περὶ τοῦ πρός τι. Ad aliquid ergo categoriam vocamus eam, quæ id quod eſt dicitur ex altero, ſine cuius ſocietate eſſe non poſſit, & cuius vis omnis ex alterius coniunctione deſcendit: vt duplum ſimpli dicitur duplum, maius minoris dicitur maius, ſimile ſimili dicitur ſimile. Claret igitur ad aliquid non ſua vi, ſed alterius coniunctione conſiſtere. Eodem modo accipienda ſunt cætera quæ eiuſdem categoriæ eſſe noſcuntur, vt eſt habitus, affectio, diſciplina, poſitio, ſenſus. Hæc Ariſtoteles, ἕξιν, διάθεσιν, ὕπαρξιν, θέσιν, αἴσθησιν, nominauit. Et hæc nanque pendent ex altero. Siquidem habitus alicuius rei habitus dicitur, & affectio alicuius ad aliquid affectio, & ſcientia & poſitio & ſenſus ſimili ratione noſcũtur. Non nos autem perturbet, quod quędam huius categoriæ eſſe narrantur, quę & qualitati vidẽtur eſſe coniuncta. Habitus enim & affectio & ſcientia & cætera quæ cum his dicta ſunt, qualitati videntur maximè conuenire. Sed differentiam debemus aduertere, qua hę duę categorię, id eſt qualitas, & ad aliquid, ſiue πρός τι, ἢ ποιότης, à ſe inuicem ſeparantur. Quoties enim ſcientia cuiuſlibet rei quæ ſit ſcibilis, ſcientia dicitur, & ſen-

CAPVT XI. Ad aliquid.

& ſenſus rei eius quæ ſit ſenſibilis, ſenſus dicitur, tunc ad aliquid debemus accipere: at cum ſcientia aut diſciplina non rei cuiuſlibet, ſed hominis dicitur, qualitatem debemus agnoſcere. Hęc eſt interim differentia, licet ſi propriè hanc categoriam, quę ad aliquid dicitur, volumus definire, vt à cæteris ſeparetur, in omnes enim videtur incurrere, alio modo eam definire debemus, ne ſemper parum conſiderantibus error oriatur. Tunc ergo & verè & propriè ad aliquid dicitur, cum ſub vno ortu atque occaſu, & id quod iungitur, & id cui iungitur, inuenitur: vtputa ſeruus & Dominus, vtrunque vel ſimul eſt, vel ſimul nō eſt. Etenim cum Dominum dixeris, neceſſario exiſtet & ſeruus: cum verò Dominum tuleris, nec ſeruus apparet. Similiter duplum & ſimplum, alterutrum ſe vel perimunt vel oſtendunt: apparente enim duplo, naſcitur ſimplum, duplo pereunte, nec ſimplum poterit permanere. Similiterque ſi ſimplum non ſit, nec duplum eſt: at ſi ſimplum fuerit, & duplum neceſſario apparebit. Specialiter tamen ac regulariter, vt hæc categoria manifeſtius dignoſcatur, hæc via eſt, qua debemus aduertere, non rectè dici ad aliquid, niſi cum καθέκαστον πρὸς καθέκαστον ἀναφέρῃ, hoc eſt ſingulare ad ſingulare refertur. †Similiter cum dicimus duplū, ſine dubio nō generaliter, ſed ſpecialiter hoc duplum dicimus & huius ſimpli duplum dicimus. Ac propterea tunc verè ad aliquid categoria eſt, quoties, verbi gratia, Socratem Chryſippo dicimus eſſe vultu conſimilem. Cæterùm quo pacto vel quis vel cui ſit ſimilis, demonſtrabimus, niſi & quis ſimilis ſit, & cui ſit ſimilis perſonaliter indicemus? Sed ſunt quidam qui huic definitioni velint mouere ſuperfluam quæſtionem, aſſerentes inueniri poſſe ad aliquid dictum quod antè ſit, & poſtea naſcatur quod de ipſo debeat nuncupari, vt etiam videantur hæc duo nec ortu nec occaſu ſibi eſſe coniuncta: ac dant exempla ſcibilis & ſcientiæ, aſſerentes antè ſcibile fuiſſe, & poſt eius ſciētiam conſecutam. Verbi gratia ante geometricos γραμμὴ, vel circulus fuit, ſed eorum ſcientia poſtea à ſapientibus comprehenſa eſt: propterea quę antè fuiſſe ſcibile in quo poſſit ſcientia reperiri. Hoc argumento igitur monſtrant multa eſſe huius categoriæ, quibus non & ortus & occaſus videatur eſſe communis. Et ſenſibilis enim ſenſus que exemplum ſimili ratione conſtare contendunt: ſiquidem ſenſibilia ante fuerint. Elementa enim quibus omne corpus cōſtat, ante fuerunt quam corpus ex his aliquod naſceretur, in quo ſenſus exiſteret. His igitur argumentis oſtendunt definitionem categoriæ quæ ad aliquid dicitur, non rectè eſſe defixam. Hæc ſolent parum diligenter naturam rerum intuentes aſtruere. Omnia enim quæ ſunt, aut naturali potentia dicuntur eſſe, aut operatione faciendi, quas Græci δυνάμιν καὶ ἐνέργειαν vocāt. Quas ſi quis ſeparare voluerit, nec vlla ſocietate confundere, intelliget ad aliquid dictum non poſſe eſſe ſine altero cuius eſſe dicitur. Scibili enim γραμμῆ ſiue circulo in ipſo ortu naturæ ſcientia ſociata eſt. Simul namque vt ſcibile eſſe cœpit, habuit ſcientiam ſui, ſed necdum ἐνεργείᾳ, id eſt operatione mōſtrata eſt. Non ergo tunc cœpit eſſe ſcientia eius, quando cœpit operari, ſed cum ipſo ſcibili orta eſt, & operatio poſtea eſt conſecuta. Diſcernere enim nos oportet operationis exordium: tunc enim poſſumus aduertere ſcientiam cum ſcibili eſſe procreatam, operationem verò eius apparuiſſe poſtea indagatione prudentium. Quibus depulſis, optima definitio eſt ad aliquid relatorum, ſemper ea ſimul vel extingui vel naſci. Illud ſanè debemus memoria continere, non omnia ad aliquid dicta hiſdem caſibus referri ad ea quibus iunguntur, ſed alia genitiuo caſui, alia datiuo, pleraq; ablatiuo copulari. Et genitiuo quidem, vt ſeruus Domini, duplum ſimpli. Datiuo ſimile ſimili, par pari. Ablatiuo vero, ſenſibile ſenſu ſenſibile, ſcibile ſcientia ſcibile, & cætera huiuſmodi, quæ variis caſibus alterius ſocietate nectuntur. Ineſt autem huic categoriæ & ſoli & omni, vt inter coniuncta duo quæ ex ſe pendeant, ſit alterna cōuerſio, quę Græcè dicitur ἀντιστροφὴ. Vt duplum ſimpli dicitur, & ſimplum dupli, & ſeruus Domini, & Dominus ſerui. Apparet ergo hæc copulata vicaria in ſemet replicatione conuerti, ſi tamen ſcienter & prudenter iſta fiat conuerſio. Nam ſi imperite hæc vocabula conuertantur, oritur magna confuſio: vt ſiquis imperite dixerit, auis pennam, ſtulta conuerſio eſt, non enim penna omnis auis eſt. Siquidem ſunt quædam pennæ quæ non ſunt auium, vt cicadarū, muſcarum, cæterorumque animalium, quæ ſimiliter natura formauit. Quod ſi quis pennam pennati pennam dixerit, quaſi conuerſio recta eſt. Hoc loco libitum eſt, quaſdam tenebras quæ emergere ex categoriarum ſimilitudine adſolent aperire. Siquidem cum dicimus pennam pennati, & caput capitati, videmur vſiæ partes in accidentibus ponere. Penna enim ſine dubio pars vſię eſt, vel caput vel manus, quę ſi ad aliquid referantur, inter vſias & ad aliquid videbitur nulla eſſe diſcretio. Vt igitur amoueatur vniuerſa confuſio, aduertere nos oportet quo pacto & vere & proprie ad aliquid definitum ſit. Ita enim eius definitio ſe habet, vt dicatur ad aliquid, cuius id quod eſt pendet ex altero, cuique neceſſe ſit ſingulariter, id eſt καθέκαστον vicaria in ſemet mutatione conuerti. Hoc quis conſiderato reperiet, nec pennati pennam, nec capitati caput rectè poſſe ad aliquid nominari: non enim vt pennati pennam dicimus, ſic poſſumus dicere pennæ pennatum, vel capitis capitatum: id nanq; qui dixerit, irridebitur. Eſſe enim pennato, non ex penna deſcendit: neq; penna ex pennato conſtat. Similiterq; capitatum non conſtat ex capite, neque caput ex capitato videtur conſiſtere. At quod vere ad aliquid dicitur, conuerti per vices poteſt, vt ſuperius diximus, dominus ſerui dominus, & ſeruus domini ſeruus: & rurſus ſubtracto ſeruo, dominus non eſt, remoto domino nec ſeruus apparet. Pennatum vero eſſe poterit etiam penna pereunte, & rurſum penna pereunte pēnato poteſt eſſe. Cōſiderata ergo definitione huius categoriæ, poterit etiam confuſionis ex ſimilitudine exortæ diſcretio reperiri. Eodē pacto poſſumus hanc categoriam & ab oppoſitorum ſimilitudine ſeparare. Nam & oppoſita, quæ ἀντικείμενα Ariſtoteles vocat, quandam huius categoriæ ſimilitudinem reddunt: ſiquidem calidum & frigidum videntur ſibi oppoſitionis ſocietate coniuncta, ſed calidum non frigidi calidum, ſed frigido oppoſitum dicimus: & iuſtum nō iniuſti iuſtum, ſed iniuſto contrarium nominamus. Ariſtoteles quidem, vt in principio huius categoriæ diximus, multa exempla proponit, quæ ad hanc non ſub certa forma pertinere videantur, volens de cōſequentibus reprehendere vitia cęterorum, qui hāc ſecus definire voluerunt. Deniq; & virtutem malitiæ & ſcientiæ ignorantiam quaſi ad aliquid poſuit, eaque dixit poſſe recipere contrarium, non quo ita res poſtulet, ſed vt indocte differentium vitia poſſet oſtendere. Hæc nanq;, vt ſuperius explicauimus, oppoſita potius

quam

Ad aliquid quando dicitur.

al. ſiquidē.

Oppoſita.

quam ad aliquid dicta iudicanda ſunt. Mihi vero, vt & ipſi Ariſtoteli placet, magis & minus hæc categoria non omnis quidem nec ſola videtur poſſe ſuſcipere. Simile enim cuilibet & magis ſimile, & minus ſimile poſſumus dicere. Sed hoc non in omnibus, vt dixi, quæ ſunt ad aliquid poterit inueniri. Namq; nec magis pater, nec minus pater poteſt dici, nec minus filius, aut magis filius, nec minus duplum, aut magis duplum. Non nos autem fallat, vt putemus ad aliquid eſſe quoties, verbi gratia, dicimus, cuius equus vel cuius lignum, vel cuius fundus: hæc enim dominum, vel poſſidentis perſonam monſtrantia non ad aliquid dicta cenſenda ſunt. De qua categoria quantum potuimus, explanauimus: licet tanta huic cum cæteris videatur eſſe permixtio, vt ipſe quoq; Ariſtoteles huius diſcretionem haud facilè repererit, cuius etiã longa ac diuturna non ſit indecens retractatio.

CAPVT XII. *De qualitate*

NVNC de qualitate tractemus, ſecundum quam ea quæ ſunt, qualia nuncupantur. Multi autem quærũt quid ſit qualitas, & quid quale, quorum facilis ſeparatio eſt. Qualitatem náque dicimus dulcedinem, auſteritatem, albedinem, nigredinem. Quale vero intelligitur, quoties album aliquid, vel dulce, vel auſterum, vel nigrum dicimus. Licet Ariſtoteles indifferẽter pro qualitate, quale poſuerit, & qualitatem pro quali, proptereaque etiam nos eundem ſecuti ſimilia ſenſerimus. Hanc autem categoriam propterea cæteris difficiliorem volunt, quia facilius quam cæteræ in omnes videtur incurrere: vtputa in vſia inuenitur, cũ dicimus, homo grammaticus. In quanto, alba vel nigra epiphania. In ad aliquid, prudẽs pater, optimus filius. In facere, dure ſaltat. In pati, fert fortiter vulnera. In loco, obſcurus locus. In tempore, calidus menſis, aut frigidus. In iacere, pronus aut ſupinus iacet. In habere, decenter armatus. Erit igitur non paruæ prudentiæ, qualitatem cum cæteris penè confuſam mentis viuacitate ſecernere. Huius ſunt ſpecies numero quatuor, quas Ariſtoteles pro generibus poſuit, ſcilicet propterea, quia & ipſæ ſingulæ habent ſpecies ſuas. Id vero cum acciderit, ſubalterna nominantur, quę Græci ὑπάλληλα vocauerunt. Ergo primum genus eſt habitus, & affectio: ſecundum, potentia naturalis: tertium, paſſiuæ qualitates ſiue paſſiones: quartum, formæ ac figuræ. Hæc Ariſtoteles ἕξιν ἢ διάθεσιν dixit, φυσικὴ δύναμιν, παθητικὰς ποιότητας ἢ πάθη, σχήματα καὶ μορφάς. Habitus, affectio eſt animi longo tempore perſeuerans: vt eſt virtus & diſciplina, quæ perſeuerationе ſui & perpetuitate temporis æſtimantur, niſi fortè eas languor corporis aliquis, & caſu iniecta debilitas amputauerit. Affectio vero eſt mutabilis mentis impulſio, vel cupiditas leuis, quæ breui tempore deleatur. Habitus ergo & affectio videri poteſt. Ab hac nanque incipit, & ſi ipſa permanſerit, habitus naſcitur: affectio autem habitus videri non poteſt. Si enim ad habitum peruenerit, vocabulum propriũ non tenebit. Hoc loco non eſt incõgruum, quod ſæpe quæſitum eſt, breui tractatu diſſoluere ac docere, quid virtutem diſciplinamque diſcernat. Hoc profecto quod diſciplina in ea parte animæ quæ rationalis dicitur, tantummodo verſatur: virtus vero omnes animæ partes amplectitur, omnemque animam ſuo imperio gubernat ac regit: vt & iracundiam domet, & cupiditates animo amoueat, quod diſciplina facere haudquaquam valet. Potentia naturalis eſt, quoties quis videtur vel poſſe vel non poſſe aliquid per naturam facere: vt verbi gratia, plerunque viſis corporibus puerorum, & contemplatis artubus pronunciamus aliquid de futuro, eosq; dicimus vel pugillatores fore vel curſores, non quòd iam hac arte vel ſtudio teneantur, ſed quod videantur poſitione corporis hęc facilius impleturi. Similiter ſalubres vel imbecilles dicimus, qui aut facilè aut non facilè recipiant ægritudinem. Eodem modo nanq; & in his potentia naturalis aduertitur, quæ eos facit vel languoribus crebrius ſubiacere, vel retinere perennem ſoſpitatem. Durum quoq; & molle cum dicitur, oſtendit potentiam naturalẽ. Durum ſiquidem eſt, quod firmitate naturæ corruptionẽ ſui non facilè admittat. Molle vero, in quo eſt natura laxior, nec ad contraria repellenda ſufficiens. Tertiũ genus qualitatis ſiue ſpecies, paſſiuæ qualitates & paſſiones, quæ ſunt huiuſmodi, auſteritas, calidatio & frigidatio: ſic enim θερμότητα & ψυχρότητα placet dicere, & albedo & nigredo: quæ non idcirco paſſiuæ qualitates dicuntur, quòd patiantur aliquid, ſed quòd faciunt paſſionem. Mel nanque vt dulce ſit, non à dulcedine aliquid paſſum eſt, ſed dulcem guſtãtibus efficit paſſionem. Paſſiuę autem qualitates rectius dicuntur, albedo & nigredo, & horum media, id eſt rubor & pallor: hæc enim nõ niſi animæ vel corporis paſſione naſcuntur. Vt enim nigreſcat aliquis, corporis paſſio eſt, vt palleſcat vel rubeſcat, animæ, quæ cum turpitudinis verecundiam ferre nequiuerit, quaſi ad obtentum ſui, ſanguinis copiam in exteriores corporis partes fundit, eoq; fit vt pudore nimio rubeſcamus. Pallor quoque ſimili animæ paſſione conſiſtit, cum perculſa metu nimio ad cordis vlteriora cõfugit, eamque ſanguis inſequitur, adeò vt deſertum ſanguine quod eſt in cõſpectu corpus albeſcat. Hæc animæ paſſio ita à philoſophis vera eſſe firmatur, vt etiam ſi pallor vel rubor in corpore iugiter perſeueret, ſimili paſſione aſſerant eueniſſe. Hæ igitur qualitates ſi in corpore perſeuerent, quia ſecundum eas quales dicimur, ipſæ quoque qualitates paſſiuæ cenſentur. Sin vero ad breue tẽpus extiterint, ita vt citò diſcedãt, paſſiones eas potius nominamus. Non enim quis ſi ad tempus iratus eſt, aut erubuit, aut incaluit, aut refriguit, mox ad ſtatum naturæ iterum rediturus, rubicundus vel iracundus vel calidus vel frigidus appellari poteſt, ſi ad tempus aliquid paſſus eſt. Erit ergo inter paſſiuas qualitates & paſſiones iſta diſcretio, quòd paſſiones ad tempus exortæ facilè commutantur, paſſiuæ vero qualitates ſecundum quas quales dicimur, perpetuò perſeuerant. Quartam nũc qualitatis ſpeciem retractemus, in qua ſunt formæ & figuræ: & figuræ inanimalibus, formæ animalibus tribuuntur. Figuras enim tũc deſignamus, cum vel trigonum vel tetragonum vel conum vel cylindrum vel ſphæram dicimus. Formas autem cũ formoſos aſſerimus aliquos vel deformes. In eodẽ qualitatis genere ſunt, curuitas & rectitudo. Audemus enim εὐθύτητα ἢ καμπλότητα hoc pacto cõuertere. Ab iis nanque rectum vel curuum quippiam dicitur: læuitudo quoque & aſperitas & raritas ac dẽſitas, è quibus rarum, dẽſum, læue & aſperum deſignamus, qualitatum quidem numero ſociantur, ſed habẽt alteram interpretationem ſui. Siquidẽ denſum coarctationem nimiam coniunctarum partium videtur oſtẽdere: rarum contra, in quo interuallis frequentibus laxior partium videtur eſſe coniunctio: quinetiam leue illud proprie videtur oſtendere, in quo poſitio partium ita apte pariliterque digeſta eſt, vt nulla earum menſuræ alterius emineret. Contra aſperum diſcrepantia coniunctarum partium facit: aſperitatem nanque non gignit

Species qualitatis quatuor.

Habitus.

Affectio.

Potentia naturalis.

Passiuæ qualitates.

Differunt forma & figura.

gignit nisi inæqualitas partium, vt sit longior vna, altera inferior. Ac propterea hæc quidam volunt categoriæ alteri sociare, quæ apud Græcos πρός τι, apud nos iacere, siue vt† Augurius, quem ego inter doctissimos habeo, voluit, situs dicitur. Claret enim vnumquodque earum partium quæ corpus efficiunt, positione constare: veruntamen cum leue vel asperum vel densum vel rarum dicimus, qualia demõstramus, eáq; omnia quæ de his superius explicata sunt, ad interpretationem non vocabuli, sed naturæ videtur potius pertinere: qua de causa cogit ratio, vt hæc quoque inter qualia numeremus. Ab his igitur quas enumerauimus qualitatibus παρωνύμως qualia nominantur, vt leue à leuitate, à densitate densum, cęteraque his similia. Sed plerunque accidit, licet raro, vt qualia non παρωνύμως à sua qualitate descendant, vt à virtute nõ potest dici virtuosus, sed moderatus & industrius. Nec in Græco quidem ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, ἀρετὸς dicitur, sed σπουδαῖος. Vnde apparet qualia, etiam neglecta plerumque paronymorum deriuatione constare. Hæc hactenus: nunc qualitatis huius propter quam diuersas species explanauimus, consequentias, & proprium videamus. Et primum quidem contrarietatem recipere qualitates, nulla dubitatio est. Quis enim dubitat saluti contrarium esse languorem, iustitiæ iniustitiam, calorem frigori, malo bonum, non erudito literis eruditum? Sed hoc non in omni qualitate reperies: nam pallido vel fusco vel quadrato vel trigono, nihil potest esse contrarium. Nõ ergo erit incommodum regulam quandam dare, qua quæ qualitates contrarietatem non recipiant, possit aduerti. Erit igitur notum doctis, eas qualitates quæ contrariis mediæ sunt, & eas quæ ex formis figurisque nascuntur, contrarietatem penitus recusare. Contrariis autem medias dixi, vt est fuscum & pallidum: hæc enim duo de albedine nigredineque nascuntur, ac sunt his media, ipsa vero albedo & nigredo sibi sunt cõtraria, fusco autem pallidoque contrarium nihil est. Claret ergo contrariorum media, contraria non habere: quinetiam qualitas quæ ex forma vel figura consistit, contrarietatis ignara est. Quid enim quadrato vel trigono, quid circulo vel cono vel cylindro contrariũ quis opponat? Regulariter ergo teneamus contrarietatis receptricem, qualitatem, nec omnem posse esse, nec solam. Nec illud est omittendum, vt sciamus in contrariis qualitatum, sub eadem categoria esse alterum sub qua aliud inuenitur: vt iustitiæ iniustitia contraria est: iustitia igitur & iniustitia, qualitas est. Itẽ qualitas est albedo, quare nigredinem quoque esse qualitatẽ necesse est. Quo fit, vt regulariter contrariæ qualitates categoria semper eadem vinciantur. Quærentes interea quid sit proprium qualitatis, quoniam contrarietatẽ susципere nec solius est, nec totius, aliud perscrutemur. Video enim magis & minus, hoc est μᾶλλον καὶ ἧττον, in se recipere qualitatem. Nanque magis album, vel magis nigrum, vel magis musicum, vel minus musicum possumus dicere. Verum id quoq; nec in omni qualitate, nec in sola poterit inueniri. Quis enim prudentiam prudentia prudentiorem poterit dicere, vel albedinem clariorem albedine, vel doctrinã doctrina doctiorem, vel trigono magis trigonum, vel quadrato magis quadratum? Si enim trigonum fuerit, magis esse quam trigonum non potest. Aut si magis aut minus fuerit, iam trigonum non erit. Separare tamen placet ac discernere eas qualitates quæ magis & minus recipiunt, ab iis quæ hunc gradum comparationis recusent. Sit ergo hæc regula, qualitates ipsas magis & minus non posse susципere. Ea verò quæ ex his fiunt, comparata vel magis recipere posse vel minus: vt eloquentiam magis eloquentiam seu minus nullus dicere potest: eum verò qui eloquens dicitur, magis vel minus cæteris eloquentem possumus dicere. Claret ergo magis & minus in qualibus inueniri posse, nunquam posse in qualitates incidere. Figuræ quoque, vt superius explicatum est, non admittũt magis & minus: siquidem circulo, si aliquid addas vel minuas, circuli iam vocabulum nõ tenebit, & in alterius figurę nomen migrabit. Manifestè igitur designatum est, quæ qualitates huiusmodi gradus comparationis accipiunt, & quæ ab his videntur esse alienæ. Reliquũ est, vt qualitatis proprium, quod apud Græcos est ἴδιον, inuestigemus: nanque vsia habet hoc propriũ, vt singularis atque vna numero cõtraria in se susципiat: susципiat autem dixi, non habeat contraria. Meminisse autem nos oportet, quod vsiæ, cum de ea tractaremus, nihil esse diximus contrarium. Ergo vt eius est proprium susципere contraria, id est, sanitatem modo, modo ægritudinem: quanti verò, id est τὸ πόσον, vt par impárve dicatur: τὸ δέ πρός τι, ad aliquid, vt sint ἀντίστροφα, hoc est, vt in se conuertantur, ac sint sibi natura coniuncta: ita & qualitatis hoc proprium est, vt cuncta qualia similia aut dissimilia nominentur: & dulce enim dulci, & albo album, & stulto stultum, & leni lene, & calido calidũ, similia vel dissimilia propriè nuncupantur. Aliter enim si dicta fuerint, nũcupationem propriam non habebunt. Ne autem nonnulli in legẽdo turbentur, quod & affectio & habitus & disciplina, quæ in ad aliquid dictis, id est, ἐν τοῖς πρός τι posita, eidem qualitati quoque connexæ sunt, hanc discretionem damus, vt tunc categoriæ ad aliquid socientur quando sunt genera, cum verò species, qualitati: vt puta si disciplinam dixeris, quæ est genus cæterarum, ad aliquid referenda est, disciplina enim disciplinabilis vel discibilis rei disciplina dicitur: quod si musicam dixeris, musica disciplinæ species est, non genus, qualitati nectenda est: neque enim musici musicam possumus dicere, sed musici disciplinam. Similiter & affectio & habitus secundum genera & species, nunc ad aliquid, nunc qualitati nectuntur. Siquidem si affectũ vel habitum, hoc est διάθεσιν & ἕξιν, generis dixeris, id est disciplinæ, ad aliquid referuntur: sin autem affectũ siue habitum speciei esse dixeris, id est musicæ vel grammaticæ, qualitates debemus agnoscere. Quamuis ipse quoque Aristoteles magnus ingenio huic penè permixtioni concesserit ac dixerit, posse contingere, vt quod qualitatis fuerit, idem referatur ad aliquid, nec esse importunum, si vna res duarũ categoriarum vocabulo concludatur.

DICTA sunt autem omnia quæ ad quatuor categorias maximas atque difficiles pertinebant: nunc ordo commonet vt post qualitatem de facere & pati tractatus habeatur. Quæ duo videntur ex qualitatis fonte descendere: id nanque quod calidum facit, calidum sit necesse est. Calidũ verò quale esse cognoscimus. Similiter quod calidum fit, passione sui accipit qualitatem. Et qui docet, cum docet doctor est, & discipulum facit: vterque autem siue doctor siue discipulus qualis est: & cætera his similia considerata demonstrant rectè has duas categorias præpositа qualitate tractari. Hæc duo autem facere & pati multi dixerunt, non posse nisi iis quæ fuerint contraria prouenire. Id enim quod dulce est, dulce non facit, nisi id quod dulce nõ fuerit: nam si id

quod

CAPVT XIII. De facere & pati.

† l. Angorius.

Qualitates recipiunt cõtrarietatem.

Qualitates quæ non recipiunt contrarietatem.

Qualitates non susципiũt magis & minus.

quod patitur dulce fuerit per naturã ſui, alterius dulcedinem quo recipiat non habebit, neceſſe eſt ergo dulce nõ eſſe id quod patitur, vt dulcedinem recipiat alienam: ac propterea cum quod facit dulce eſt, & quod patitur dulce non eſt, neceſſariò dicuntur videri contraria. Nonnulli diuerſa ſenſerunt, aſſerentes nõ poſſe hoc niſi in ſimilibus inueniri, & ſub eodem genere conſtitutis: nec poſſe aliquid pati vel facere, niſi ſimile faciat, aut à ſimili patiatur. Dulce enim & amarum vel calidum & frigidum licet contraria videãtur, tamen cum ſub eodem ſenſu fuerint, ſimilia eſſe confirmant. Deniq; ab alienis penitusq; diſcretis patiendi faciendíve rationem dicunt non poſſe conſiſtere: vt verbi gratia: Quid enim faciet numerus in amaro, vel quid albedo pati poſſit à numero. Sed hæc ſit conflictio cæterorum: nobis autem regula illa ſufficiat, vt ſciamus facere & pati genere eſſe coniuncta, qualitate diſcreta. Etenim calidum quod frigido præſtat calorem ſui, ſub eodem genere eſt quo eſt frigidum, ſed diſcrepat qualitate quod calet: & doctus cũ docet indoctum, ſub eodem genere eſt, ſed qualitate diſcernitur. Claret ergo facere & pati genere eſſe ſimilia, contraria qualitate. Sed hęc duo, vt ſuperius diximus, adeo videntur qualitati non modò ordine, ſed etiam ratione coniungi, vt eadem recipiant quæ recipere diximus qualitatem. Namque & cõtrarietatem non reſpuunt, quam qualitas recipit, & magis & minus admittunt, quorum qualitatem tamen diximus receptricẽ. Harum verò categoriarum propriũ, quod eſt Græcè ἴδιον, quoniam ipſe quoq; Ariſtoteles, omiſit, nec à nobis lector inquirat.

CAPVT XIIII. *De iacere, ſiue ſitu.*

SEQVITVR vt de iacere dicamus, ſiue de ſitu, vt quidam putãt: quæ categoria in adaliquid relatis iam videtur eſſe tractata. Siquidem quod iacet, poſitum iacet: poſitum verò poſitionis eſt, & poſitio poſiti. Qua de cauſa, vt ipſe quoq; Ariſtoteles, quem ſequimur, fecit, ad alia tranſeamus.

CAP. XV. *De vbi & quando.*

VBI & quando videntur locus eſſe & tempus cum non ſint, ſed ſunt in loco & tempore: vt, Romæ in ſenatu ante horam tertiã poſt mẽſem Martium. Hæc, vt diximus, in loco ſunt & in tẽpore, nõ locus & tẽpus. Deniq; vt claras & nullius tractatus indigas has categorias Ariſtoteles quoq; tranſgreſſus eſt, quod nos etiam faciemus. De tempore enim & loco inter ſummos philoſophos vetus & magna quæſtio eſt, quibuſdam volentibus hæc corporata eſſe, aliis verò ſine corporibus æſtimari.

CAPVT XVI. *De habere.*

NON vno modo habere aliquid dicimur. Quantum enim tractando colligimus, ſub hoc verbo octo ſunt quaſi quædá ſpecies. Prima eſt, quoties animo habemus aliquid, vt iuſtitiam, caſtitatem, iniuſtitiam vel libidinem. Secũda, quoties in corpore habere aliquid dicimur, vt albedinem & nigredinem, varietatem, vel cætera quæ per qualitatem corpori inſidunt. Tertia de quãtitate deſcendit, quoties quatuor vel quinq; pedum habere dicimur longitudinẽ. Quarta, cum non in toto corpore, ſed in parte corporis aliquid habere firmamur, vt in digito anulũ, in pede calceos vel cothurnos. Quinta ſpecies eſt, cum non in corpore, ſed circa corpus habere aliquid dicimur, vt eſt veſtimẽtum atque indumenta omnia. Sexta, quoties ipſas partes corporis habere narramur, vt manus, pedes, caput, aut reliqua quę ſunt in compagine membrorum. Septimus verò locus eſt, quoties far vel vinum vas aliquod habere dicitur. Octauus habendi gradus eſt, qui poſſeſſionẽ noſtram vel dominium videtur oſtendere, cum ædes vel rus quis habere dicitur, vel ſepulchra maiorum. Hi ſunt habendi modi, quos deſignato numero comprehendimus, extra quẽ ſi quis potuerit inuenire, deſidię noſtræ culpa non erit, cum philoſophus ipſe liberũ dimiſerit arbitriũ inquirentibus. Sanè illud verbũ multi doctorum reſpuunt, atq; impropriè proferri cõfirmãt, cum mulier habere maritum dicitur, vel vir vxorem, vel pater filium, vel filius genitorem, propterea quòd aſſerunt nihil haberi poſſe quod habẽtem habeat: ſed rectius dici autumant eſſe mulieri virum, vel vxorem viro eſſe, patrem filio eſſe, famulis dominum. Siquidẽ huius verbi vim in hoc eſſe contendunt, vt ſignificare non poſſit & habere aliquem & haberi.

CAPVT XVII. *De poſtpredicamentis.*

TANDEM quaſi magni æquoris freta tranſgreſſi, categoriarum numerũ terminauimus, vt arbitror non inſuaſibiliter [vel inſuauiter] doctis, ſatis verò clarè volentibus diſcere: ſed quædam reſtant quæ calcẽ libri huius nos tangere contradicunt. Nam & in categoriis ſingulis de contrarietate tractatum eſt, cũ quæ reciperet contrariũ, & quæ reſpueret diceremus. Tamẽ quid ſit ipſum contrariũ, nullus adhuc tractatus oſtendit: & adhuc quædam verba remanent, quorum vis ac proprietas debeat explicari. Qua de cauſa ad oppoſitorũ tractatum neceſſarium tranſeamus.

CAPVT XVIII. *De oppoſitis.*

OPPOSITORVM ſpecies quatuor ſunt: opponitur nanq; aliud alteri: primo, aut figura eius categoriæ quæ ad aliquid dicitur: ſecundo, aut contrariorum modo: tertio, aut eorum quorum circa nos eſſe dicitur vel habitus vel priuatio, habitũ ſanè hoc loco ex habendo debemus accipere, nõ, vt in ſuperioribus definiuimus, eſſe habitum affectionẽ animi quandá ſempiternam. Quarto modo, cum aut cõfirmamus aliquid, vel negamus: vt verbi cauſa, ab iis quæ ad aliquid dicuntur, ponamus exemplum. Primum oppoſitũ videtur duplũ ſimplo, vel pater filio Secũdum verò cõtrariorum exemplum ſit, malum bono. Tertium eorum quoq; quę per habitum & priuationem dicuntur, ſicut cæcitas & viſio. Quarto illorũ etiam in quibus eſt negatio & affirmatio: ſicut, currit, nõ currit. Diſcretio verò cõtrariorum, & eorum quæ ad aliquid dicuntur, contemplantibus manifeſta eſt: ad aliquid enim dicta de ſibi oppoſitis nominantur: ſimplum nanq; oppoſitum dupli eſt, & duplum oppoſitum ſimpli. Cõtraria verò id quod dicuntur ex ſe habent, neq; alterius indigẽt. Quis enim malũ boni dixerit, aut quis bonum mali? Hęc eſt ergo harum duarũ ſpecierum quę ex oppoſitis veniunt, dilucida & clara diſcretio. Ipſa verò cõtraria in tres ſpecies diuiduntur: aut enim mediata ſunt, id eſt, habent aliquid inter ſe mediũ: aut ſine medio: aut vt in quibuſdam reperit ratio, habent quidem medium, ſed eius vocabulum nõ apparet, niſi vtriuſque oppoſiti negatione conſiſtat. Mediata ergo ſunt hæc, album & nigrum, inter quæ quando naſci poteſt pallidum vel fuſcum, mediata hæc oppoſita dicta ſunt. Quæ verò mediata ſunt, non neceſſe eſt vnum de duobus oppoſitis in corpore reperiri: ſi enim nigrum non fuerit, pòteſt eſſe fuſcum: aut ſi album defuerit, pallidũ poterit inueniri. At verò ex his oppoſitis quæ mediata non ſunt, vnum neceſſe eſt accidere de duobus, vt eſt ſalus & ægritudo. Horum medium nihil eſt, propterea quòd aut ſalutem neceſſe eſt, aut ęgritudinem humana corpora retinere. At illa quibus eſt quidem medium, ſed caret nomine, niſi huic oppoſitorum negatione formetur, ſunt hæc, iuſtus & iniuſtus: eſt aliquid in medio, ſed non habet nomen, atque ideo vtriuſque oppoſiti negatio ei vocabulum creat, vt nec iuſtum nec iniuſtum dicamus id quod eſt medium. Nunc ea

Tres ſpecies contrariorum.

oppoſita

oppoſita quæ per habitum priuationemque fiunt, diligentius retractemus: in his namque obſeruari oportet, vt ſint vtraque in eodem negotio, in eodem loco, in opportuno tempore. In eodem negotio ſunt, cæcitas & viſio, in videndo enim & in non videndo conſiſtunt. Hæc & in eodem loco ſunt, vtrique nanq; & cęcitati & viſioni in oculis locus eſt. Maximè tamen in his opportunitas temporis quæritur: nemo enim rectè caluus dicitur, niſi in eo tempore quo capillos habere debuerit, non habebit: nec ſine dentibus, quem νωδὸν Græci vocant, infantem quiſquam poterit dicere eum cui dentes adhuc ætas parua denegauit. Siquidē priuatio, quæ Græcè στέρησις dicitur, hanc vim tenet, vt oſtendat quemlibet habuiſſe aliquid per naturam, & non habere. Inter hæc meminiſſe nos conuenit, aliud eſſe viſionem & cæcitatem; aliud habere viſionem, & ea eſſe priuatum, ne ſi hæc eadem eſſe iudicemus, confundi ratio videatur. Quòd ſi quis hoc dubium putat aut parum certum, quid quáque rem ſequatur aduertat. Etenim ſi eſſet idem cæcus & cæcitas; de vno vtraque dicerentur. Dicimus autem hominē cęcum; ſed homo dici cæcitas non poteſt. Claret igitur, aliud cæcum eſſe, aliud cæcitatem. Nec affirmatio & negatio idem eſt, quòd ſunt ſub affirmatione negatione q; cadentia. Affirmatio enim ſiue negatio, eſt verbū confirmans aliquid aut negans. Alia verò ſunt, quæ ſub his inueniuntur, vt eſt, Socrates diſſerit, Socrates non diſſerit: ſimiliter tamen omnia ſibi habentur oppoſita: aliquoties autem mala malis opponuntur, quoties contrariorum media bona ſunt; vt eſt indigētia & redundantia, quæ Græci ἐνδείαν καὶ ὑπερβολὴν vocāt. His enim duobus malis ſibi oppoſitis, mediocritas media reperitur. Hanc rationem Peripatetici ſecuti, virtutes medias eſſe dixerunt, vt plus iuſto πλεονεξίαν, minus iuſto ἐλλειψίαν dicerēt: inter quæ mala, mediā iuſtitiam locauerunt. Similiter inter verſutiam & hebetudinē, prudentiam poſuerunt: inter libidinem inſenſibilitatémque, quam Græci ἀναισθησίαν vocant, temperantia conſtituta eſt: inter timiditatem & audaciam fortitudo. Ita occultum quoddam genus oppoſitorum repperit perſcrutata ratio, vt interdum mala malis inueniantur eſſe contraria. Sed Ariſtoteles harum quatuor ſpecierum quæ ex oppoſitis veniunt, proprietates & differentias latius & multis modis explicauit: nos autem & genus & ſpecies poſuiſſe ſufficiat, ne minutioribus occupati, faſtidium neceſſariis afferamus.

CAPVT XIX. De priori.

QVINQVE modis aliud altero prius dicitur: quorum primus eſt, cum dicimus aliquem tempore ſeniorem. Secundus modus eſt, in quo aliquid naſcitur ex priore: ſed priore pereunte, ſecundum perit: ſecundo pereunte, prius incolume perſeuerat, vt eſt vnū naturaliter prius duobus: ex eo enim naſcuntur duo; ſed ſine vno duo eſſe non poſſunt, ſine duobus ſtatus vnius manet: & duobus extantibus, eſſe vnum neceſſe eſt, vno verò apparente duo eſſe nulla neceſſitas cogit. Tertio modo ordo quidam prius alterum alteri facit, vt in diſciplinis & artibus liberalib. inuenimus: nanque in Grammatica prius eſt ſingularum diſcere formas & nomina literarum; dehinc ſyllabarum coniunctiones cognoſcere, tum verborum ſumere notionem. Poſtremus nobis eſt orationis vſus aſſumendus; propter quem cuncta eius quaſi præcurrentia membra cognoſcimus. Et in Rhetorica prioris locus ſimiliter collocatur: nam prius proœmium dicitur, dehinc narratio; pòſt depulſio, tunc confirmatio, poſtremus epilogus ponitur. His igitur exemplis tertium prioris modum ſufficiat demonſtraſſe. Quartus verò modus eſt non multum probabilis, & ab ipſo Ariſtotele improbatus exponitur, vt cum fortuna meliores vel clariores, priores vulgus adſolet dicere. Sed mea ſententia, vis huius prioris exploſa eſt. Hi ſunt quatuor eius, quod prius dicitur, modi: ſed occultior quidam quintus adiungitur, quoties ex duobus quæ in ſe inuicem conuertuntur, illud eſt potius quod eſſe alterum facit: vt exempli gratia: ſi eſt homo, rectè dicimus eum animal rationale, mortale, riſus capax. Et ſi vera eſt hominis iſta definitio, eſſe hominem verum eſt. Ita vtrūque in ſe conuertitur, hoc eſt & hominis veram eſſe definitionem, & definitionis hominem verum. Sed quoniam definitio vera eſſe non poterat, niſi prius natura hominis appareret, idcirco ex his duobus quæ in ſemet conuerti diximus, homo prioris locum tenet; cuius extantia definitionis ſuæ exprimit veritatem.

CAP. XX. De ſimul.

SEQVITVR vt proprietatem verbi quo ſimul eſſe quædam dicimus exprimamus. Ratio enim videtur exigere, vt poſt prioris tractatū de his diſputetur, quæ ſimul eſſe firmantur. Simul ergo dicuntur tribus modis: cum quælibet ſimul exiſtūt vno tempore vel apparent, ita vt neutrum de duobus vel prius ſit, vel alterum conſequatur, ſed vtriuſque ortus videatur eſſe communis, ſicut calor & ſplendor in ſole. Secundus locus eſt eorum, quæ naturaliter ſimul ſunt, nullum tamē eorum præſtat alteri: vt verbi gratia, ſi ſimplum & duplum ponamus, neceſſe eſt ſimul eſſe naturaliter, ſed neque duplum facit vt ſimplum ſit, neq; ſimplum efficit duplum. Hoc loco nos confundere non oportet, ne quoniam cum de adaliquid dictis tractaremus, id eſſe adaliquid diximus, quod pēderet ex altero, videamur nunc contrà ſuperius definita tractare. Omnia nanque adaliquid dicta, dici ex altero, non eſſe ex altero diſputauimus: nec vllus error eſt, ſi quis verborum noſtrorum ponderā diligentius perſcrutetur. Tertius locus eſt, quoties ex eodem genere manantia ſimul videntur eſſe natura, ſed ſpecie diſcernuntur: neque verò in eo quod dicuntur adaliquid, ſibi præſtant aliquid, vt eſt animal, idem genus eſt, ſed ſpecies lōgè diſcreta. Nec verò aut aquatile quicquam pedeſtri tribuit vt ſit, aut volatili pedeſtre, aut omnino aliud alteri, in eo quod eſt, vllam ſubſtantiam ſubminiſtrant, nullumque alteri aliud prius eſt, ſed ſimul omnia ab animali, id eſt ab vno genere orta naſcuntur.

CAPVT XXI. De motu.

OMNIS immutatio quæ μεταβολὴ Græcè eſt, fit tribus modis: aut ex non ſubiecto in ſubiectum, vt eſt ortus vel natiuitas, quam Græci γένεσιν vocant: aut ex ſubiecto in non ſubiectum, vt eſt interitus vel corruptio, quam φθορὰν Græci dixerunt: aut ex ſubiecto in ſubiectum, vt eſt motus, qui Græcè κίνησις dicitur. Sed & ipſe motus tres ſpecies habet, id eſt, incrementum, imminutionem, commutationem qualitatis ſiue loci. Hæc à Græcis αὔξησις, μείωσις, ἀλλοίωσις, ſiue φορὰ dicta ſunt. Nanque commutationem circa locum, φορὰν dici voluerunt, quā nos quoque tranſgreſſionem maluimus dicere, ſecūti doctores. Verùm hunc ordinem quem nos in præſenti quaſi diſcrepantes ab eo libro qui categoriarum dicitur, diligenti examinatione digeſſimus, ipſe quoque Ariſtoteles in naturalium libris expoſuit: in categoriis autem ſecutus docendi compendium, ſpeciem pro genere, id eſt motum pro immutatione non dubitauit aſſumere: vt motui diceret quaſi generi ſex ſpecies eſſe ſubiectas, γένεσιν, φθορὰν, αὔξησιν, μείωσιν, ἀλλοίωσιν ποιότητος, καὶ τὸν τόπον μεταβολὴν. Hæc

nos

nos Latino ſermone ortum diximus, interitum, augmentum, imminutionem, commutationem qualitatis, tranſgreſſionem loci. Hæ ſex ſpecies omni à ſe ratione diſcretæ ſunt: niſi fortè cuiquam parum doctè intelligenti, qualitatis commutatio, id eſt ἀλλοίωσις, etiam cæteris exiſtentibus fieri videatur, vt cum naſcitur aliquid, aut interit, aut creſcit, aut minuitur, tunc facta dicatur etiam commutatio. Sed id falſum ratio docet: nam quæ creſcunt aut minuuntur, quantitate immutantur, non commutantur qualitate. Commutatio enim propriè eſt qualitatis. Meminiſſe autē nos oportet aliud eſſe immutationem, aliud commutationem. Nanque immutatio genus eſt, commutatio ſpecies ſubiecta motui, quam immutationis ſpeciem diximus. Deniq; vt horum ſit manifeſta diſcretio, geometricum ponamus exemplū. Si tetragonum maius quod intra depictum eſt currentibus per medium lineis in breuia tetragona partiaris, eiq́ue poſt vnum breue tetragonū detrahas, minuiſti tetragonum maius: at ſi detracti loco addas gnomonem qui hemicycli ſpecie ponitur, plus tetragono maiori quam detraxeras reddidiſti: idq́ue quantitatis eſt non qualitatis, & immutationi potius quàm commutationi tribuitur, eoq́ue à ſe plurimum differunt. Fit autem differentia rerum omnium tribus modis: aut materia, aut opere, aut vtroque. Materia, ſi ſint annuli ſimiles A duo, vnusq́; ſit aureus, alter argenteus: opere, ſi ex auro diſſimiles annuli fabricentur: vtroque, ſi annulus ſit aureus, & ſtylus argenteus. Claret igitur has immutationis ſpecies nec materia ſibi, nec opere, nec vtroque coniungi: adeo autem ſeiunctæ ſunt, vt earū nonnullæ etiam ſibi contraire videantur. Quis enim dubitet γενέσεις φθοράν, id eſt ortui interitum eſſe contrarium, augmento imminutionem? Ipſa quoque commutatio ſiue qualitatis ſiue loci, licet non ex eodem ſpecierum numero, tamen habent quod ſibi contrarium videatur. Nam commutatio qualitatis eſt, cum ex albo fit aliquid nigrum, vel album de nigro, quę ſibi manifeſtè contraria ſunt. Loci quoque commutatio, quam tranſgreſſionem diximus, ſuperiorum & inferiorum contrarietatem patitur, & propterea eā quoque habere contraria apparet.

Hæc ſunt, fili chariſſime, quæ iugi labore aſſecuti, cum nobis Themiſtij noſtra memoria egregij phi- B loſophi magiſterium non deeſſet, ad vtilitatem tuam de Græco in Latinum conuertimus, ſcilicet vt ex iis quoque bonam frugem ſtudij à nobis profecti ſuſcipias, ſi te non diſſimilem noſtri, aliarum rerum quæ lubricæ atque inanes ſunt, cupiditas retentauerit. Nihil nanque omiſimus in hoc Libro quod poſſet aut delectare iam doctos, aut indoctos manifeſtius erudire.

CAPVT XXII. Concluſio operis.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
PRINCIPIA RHETORICES.

Meminit S. Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 6.

CAP. I. Oratoris officium.



RATORIS officiū eſt, propoſita quæſtione ciuili duntaxat, primum ipſam intelligere, generalis ſit an ſpecialis, ſimplex an coniuncta ex pluribus, abſoluta an comparatiua. Deinde cum intellexerit, inuenire in ea congruē- C tes partitioni locos, & his morales ſeu naturales accommodare ſententias. Exinde iudicare de inuentis, repudiare quæ parum commodè occurrerint: tum iis quæ iudicio examinarit, dare ordinem certum. Etenim quamuis multa pertinentia inuenta ſint, tamen niſi pro qualitate & magnitudine ſua certis & quaſi legitimis ſedibus collocentur, aut oberunt, aut non magnopere proficient. Subinde ordinationi rhetor explicationem rerum commodare D debebit. Quæ duabus partibus cōſtat, ſtructuræ qualitate & quantitate verborum. Hæc omnia memoria ſuſcipit, quam & plerique Græcorum, & M. Tullius in primis oratori affirmat neceſſariam, hoc, vt opinor, modo: venio nunc ad theſaurum rerum omniū memoriam, quæ niſi cuſtos inuentis ordinatisq́ue rebus adhibeatur, intelligimus omnia, etiamſi præclariſſima ſint, in oratore peritura. Memoriam pronunciatio ſequetur, res, vt Demoſtheni videtur, inter oratoria officia vel prima vel ſola. Quæ conſiſtit duobus, motu corporis, & ſono vocis. Hæc tantum ſummatim tetigiſſe ſatis eſt, quæ ſunt oratoris officia. Reliquum eſt

CAPVT II. Quis ſit finis oratoris.

videre quid ſit finis. FINIS eſt, vt opinor, in omnibus rebus, ad quem cuncta referuntur, cuius cauſa fiunt reliqua omnia, à Græcis τέλος dicitur. Quod etiam in philoſophorum penè omnibus diſputationibus quæritur, quis ſit finis bene viuendi, virtus, an voluptas? Finem igitur proprium oratoris officij alius alium probauerunt. Quibuſdam enim viſum eſt, ſummam oratoris officij in benedicendo eſſe; quibuſdam in rectè dicendo, quibuſdam in perſuadendo conſiſtere. Quinetiam illi qui bene aut verè dicere finem oratoris officij putauerunt, non abnuunt tamen horum ipſorum finem eſſe, perſuadere, vt ſit finis bene dicē- Oratoris officij finis, bene dicere. di perſuadere. Ergo quaſi conſenſu omnium finis eſt oratoris officij, perſuadere. Hoc quia in calumniam videbatur poſſe recedere, non enim ſemper perſuadet orator: nec ſi aliquando perſuadere non poſſit, facultatem & nomen oratoris amittit: addidit Hermagoras, quo calumniam effugeret, finem eſſe oratoris officij, perſuadere, quatenus cōditio rerum perſonarúmque patitur. Alia ſubinde ex eodem verbo perſuaden- Finis oratoris iuxta Hermagoram. di calumnia naſcitur, inuenta ſanè à Platone, tractata multum in Gorgia: ſed pòſt ac multo impudentius à quibuſdam technicis obtrectantibus Hermagoræ frequentata. Negant quippe proprium eſſe finem oratoris officij perſuadere, ſed communem penè cum vniuerſis: nam & mathematicos de iis quæ in notitiam ipſorum ceciderunt, perſuadere: & medicos de iis quę in arte ipſorum contineantur, perſuadere: opifices etiam & tabernarios, fabros, & ſi qui huiuſmodi ſunt, poſſe de eo quod agant, cuiuis probabiliter perſuadere, quaſi ratione faciant: ergo non eſſe integrū finem, qui ſolam communitatem habeat, careat proprietate: eſſe actum perſuadendi communem cum multis, & idcirco non eſſe perſuadere proprium finem oratoris officij. Huic quoque calumniæ Hermagoras percommodè obſiſtit. Dicit enim eſſe oratoris officium, perſuadere, quatenus rerum & perſonarum conditio patitur:

titur: dũtaxat in ciuilibus quæſtionibus: nam medicorum & philoſophorum & cæterę huiuſmodi quęſtiones extra regulam ciuilem, quam πολιτικὴν Græci vocant, collocantur.

CAPVT III. *De ciuilibus quæſtionibus, & differentia generalium & ſpecialium.*

SVNT autem ciuiles quæſtiones, quarum perſpectio in communem animi conceptionem poteſt cadere, quam Græci ἔννοιαν vocant. Verum vt facilius intelligas, quæ ſit hæc ipſa conditio quam demonſtratam eſſe volumus, omnia quæcunq; huiuſmodi ſunt, vt ea neſcire pudoris ſit, & quæ vel ignorantes quaſi ſciamus tamen cum ſimulatione prę nobis ferimus, quotieſcunque in dubitationem vocãtur, efficiunt ciuilem quæſtionem. Quod dico huiuſmodi eſt, ſi de pondere alicuius rei quæratur, ſi non videaris ſcire quot librarum ſit, non eſt erubeſcẽdum: ſi de longitudine non videris ſcire quot pedum ſit, nõ eſt erubeſcẽdum: ſi de cæteris huiuſmodi rebus quas perſequi longum eſt: & ideo quotieſcunque in dubitationem venerint, licet faciant quæſtionem, tamen ciuilem facere non poſſunt. At vbi quæritur, ſit ne aliquid iuſtum, an iniuſtum, honeſtum an inhoneſtũ, laudandum an reprehendendum, pręmio afficiẽdum an ſupplicio, vtile an inutile, & ſi qua huiuſmodi ſunt, nemo non etiam extra omnem artem & ſcientiã collocatus erubeſcat, ſi hæc neſcire videatur. Inde eſt quod omnes perſuaſum habeant, aut certè aliis perſuadere non dubitant, poſſe ſe concipere animo diſcrimen iuſti & iniuſti, honeſti & inhoneſti, cæterorumq; quæ ſuprà diximus: & idcirco quæ dubitationes in huiuſmodi rebus oriuntur, ciuiles vocantur quæſtiones, quaſi non propriæ paucorum, ſed communes vniuerſorum. Quæ cum ita ſint, meritoque communi conceptione animi perſpici poſſint, quęſtiones quę ἀπὸ τῆς ἐννοίας deprehendi poſſunt, ciuiles vocantur & ſunt, in quibus verſari & perſtare debebit orator. Duo ſunt primi & quaſi generales ciuilium modi quæſtionum, quorũ theſis, alter hypotheſis vocatur à Græcis. Nos priori nomen niſi Græcum dare nõ poſſumus, ne poſteriori quidem quã quod videamur dediſſe dedimus, quippe controuerſiam dicimus, quod nomen tam in τῷ θέσιν quam in τῷ ὑποθέσιν poteſt cadere: in vtroque enim quæſtio, hoc eſt controuerſia eſt. Porrò τῆς ὑποθέσεως ſignificatio & declaratur ex ipſo compoſito nomine, & eſt aliquid quod eſt ὑπὸ τῷ θέσιν, id eſt ſub illo genere quaſi ſpecies. Theſis eſt res quę admittit rationalem conſiderationem, ſine definitione perſonæ. Hypotheſis eſt, ſeu cõtrouerſia, vt improprio nomine vtamur, res quæ admittat rationalem contẽtionem cum definitione perſonæ: melius autem declarabuntur ſub exemplo. Theſis eſt quęſtio huiuſmodi, an nauigandum, an philoſophandum: hypotheſis eſt quæſtio huiuſmodi, an decernendum †duellum prælio. Nec deſunt qui hinc etiam Hermagoram criminẽtur: & Apollodorus in primis, qui negat quicquam aliud eſſe hypotheſin quam theſin, & nullius momẽti eſſe diſcrimen perſonarum, quanquam vtrunque hoc genus quęſtionis Hermagoras diſtinxiſſe videatur: nõ minus enim infinitam & interminatam eſſe hypotheſeos quam theſeos quæſtionem. Nam cum quæratur, ſit nec ne animaduertendum in Oreſtem, non perſonam eſſe, quæ faciat quæſtionem, ſed factum, & nihil intereſſe an ita quæratur, ſit nec ne animaduertẽdum in matricidam: quod ſi ita eſt, nihil inter hypotheſin, theſinque diſtaret. Ad hæc noſtri, primo omniũ qualitatem perſonarum quæſtionibus differentiam afferre, ipſisque etiam hypotheſibus, id eſt cõtrouerſiis ſæpe euenire, vt punita & impunita, honorata & inhonorata, quædam relinquenda videantur, non tam ex rerum qualitate, quã qualitate perſonæ. Deinde etiam illo diſtare hęc duo genera quęſtionum, quod in theſi perſpectio ſit alicuius rei qualis ſit, in hypotheſi contentio, & quantum intereſt inter perſpectionẽ & contentionem, tantum inter theſin & hypotheſin eſſe diſcriminis. Deinde in theſi quæri, quid omnes oporteat facere, in hypotheſi quid vnum aut alterum aut paulò plures, certè definitum hominum modũ: & etiam illa differentia accidit, quod in theſi quaſi ignorantes quærimus quid ſit optimum factu: in hypotheſi, quaſi ſcientes defendimus: tum quod omnis theſis de futuro eſt: hypotheſis rarò, quinimò nunquam niſi de prętcrito, aut eo quod iam agatur facit quæſtionem: nemo enim neque reus fieri poteſt, niſi fecerit aut feciſſe dicatur, neq; præmium aut aliquid huiuſmodi petere, niſi iam meritus ſit, aut meritũ eſſe ſe contendat. Huic loco opponunt tyrannidis & proditionis reos, & veneficij imperati, & ſi qua in eundem modum excogitari poſſunt. In quo ſtudio criminãdi fallũtur. Nam & in eo quod proditionis reus eſt, nõ de futura re quęritur, id eſt de ipſa proditione, ſed de eo an ſuſceperit conſilium proditionis, quod vtique pręceſſit: & de tyrannide æquè, an cogitarit tyrãnidem, & de parricidio non perpetrato, & de veneficio: ergo ſemper aut de præterito, aut de præſenti in hypotheſi naſcitur quæſtio, in theſi contra nunquam niſi de futuro: quę ſi ita ſunt, ſatis vtriuſque declarata eſt diuerſitas.

Cicero theſin propoſitũ aut conſultationẽ vocat: hypotheſin cauſam aut controuerſiam.

al. duelli.

NVNC quoniam quidem de differentia generalium, & ſpecialium quæſtionum ſatis dictum eſt, ſeparataque theſi ab hypotheſi, vt perinde diſtaret re ac nomine, cõſequens eſſe videtur dicere, quid ſit quod hypotheſin, id eſt controuerſiam efficiat. Eſt igitur circunſtantia rerum quam πρόσωπον Hermagoras vocat, ſine qua vlla omnino controuerſia non poteſt eſſe.

CAPVT IIII. *Quæ ſint circunſtantia controuerſiam facientes.*

Quid ſit autem πρόσωπον, facilius partitione quã definitione eius deprehendi poteſt. Sunt igitur partes circunſtantiæ, id eſt προσώπου, ſeptem, quas Hermagoras μόρια προσώπου vocat, Theodorus στοιχεῖα πραγμάτων, id eſt elementa: quod ex eorum coniunctione quæſtiones fiant, perinde atque ex coniunctione literarum, nomina & verba fieri videmus. Sed ſiue στοιχεῖα ſiue μόρια rectius dicantur, nos omiſſa cõtrouerſia nominis, quæ ſint ipſa dicamus. Sunt igitur hæc, quis, quid, quando, vbi, cur, quemadmodum, quibus adminiculis, quas Græci προσώπου ἀφορμὰς vocant. Horũ autem omnium aut rationalis plurimorum cõgregatio conflat quæſtionem, aut legalis. Sed nimirum ſingulorum proprietas exprimenda eſt. Quis, ſignificantiam habet perſonæ, quæ ſpectatur duobus modis, ex nomine & qualitate. Ex nomine, hoc modo: Quis? Camillus. C. Marius. L. Sylla. Ex qualitate: Quis? dines, pauper, imperator. Eſt autem definita in nominibus infinita in qualitatibus perſonarum perſpectio, quando in appellationem nihil prætet nomen cadit, in qualitatem & fortuna & ætas & conditio & diſciplina, & cætera quę ſunt infinita numero. Quid, ſignificantiam habet rei quæ facta ab aliquo vel dicta vel cogitata, fieri, dici, cogitari, futurum eſſe dictum cogitatum iri videatur, bona vel mala, honeſta vel inhoneſta, iuſta vel iniuſta, vtilis vel cõtrà, neceſſaria vel parua, magna vel parum viſitata vel noua. Quando, temporis ſignificationem habet, velut interdiu an noctu, ſacro an in irreligioſo die: etiam ex accidentibus, quæ interdum dant tempori ſuam qualitatẽ, velut in belli an pacis tempore, in ſeditione an in concordia, in libertate

bertate an in dominatione: & si qua in eundem modũ cadere possunt. Vbi, loci significationem habet, veluti in ciuitate an extra, in sacro loco an in prophano, in mari an in terra. Cur, significat causam faciẽdi vel dicendi vel cogitandi, res (vt mea fert opinio) ad constituendam quæstionem in primis necessaria. Quemadmodum, significationem habet ex facti, vel quod fiat, futurúmve sit demonstratione, veluti clàm, palã, per vim, per dolum, & si qua sunt similia, in eundem modũ cadunt. ἀφορμαὶ, quas nos adminicula dicimus, demonstrationem habent earum rerum per quas factum esse aliquid dicatur, vt est laqueus, gladius, venenum, literæ, internuncius, mandata, seruus, conscius, sicarius. Horum articulorum, vt suprà dixi, aut omniũ aut plurimorum rationales incursus facient ciuilem quæstionem.

CAP. V. *Quæstiones rationales sunt quatuor modis.*

RATIONALES quæstiones quas Hermagoras λογικὰς vocat, melius enim puto sic eas cognominari quam verbales: quia λογικαὶ non ex verbi, sed ex rationis significatione appellatæ sunt à technicis, cum alioquin λόγος interdum verbũ significet, interdum rationem. Igitur rationales, siue λογικαὶ quæstiones, fiũt modis quatuor. Hoc enim in illis quæritur, an sit, quid sit, quale sit, an induci in iudiciũ debeat. Vbi quæritur an sit, genus id quæstionis Hermagoras στοχασμὸν vocat: nos coniecturam possumus dicere. Item Theodorus περὶ τ' οὐσίας, id est, de substãtia. Nihil enim factum videri potest, quod non habuerit substantiam, neque futurum, quod non habiturum sit substantiam. Quidã hoc genus quęstionis ex eo, quod per id quęritur, an sit vocauerunt. Altera rationalis est quæstio, quam Hermagoras finem vocat: Theodorus περὶ τ' ἰδιότητος, id est de proprietate: quidam, quid sit: nonnulli, de eodem & altero, περὶ τοῦ αὐτοῦ πρὸς ἕτερον. Tertiam rationalem quæstionẽ vno nomine omnes qualitatem vocant. De quarta, magna cõtentio est, quam suprà de inducendo iudicio diximus. Plerique enim negant esse eam, quando id agant, ne res possit venire in quæstionibus. Sed inter omnes Hermagoræ præcellit auctoritas, qui & quęstionem putat, & in primis necessariam, & agitari in foro multum, & adhibendam etiam in cæteris statutis primo statim cõgressu, si causæ conditio patiatur. Nihil enim statuto tam interesse eorum quibus iudicium intenditur, quàm declinare iudicium. Porrò ipsam declinationem iudicij habere nonnullam iudicij speciem. Nam si ita res ageretur, vt quoties nollet aliquis causam iudicij, esset hoc in ipsius potestate, nulla erat quæstio. Nunc autem cum semper existant qui impediant, ipsa illa contẽtio, qua alter in iudicium vocat, alter recusat iudicium, facit quæstionem, quod controuersiæ genus Hermagoras ἀσύστατον appellat, nostrorum pauci reprehensionem, plerique translationem vocauerũt, vtrique sanè rationem secuti. Qui reprehẽsionem dixerunt, eo scilicet, quòd cum maximè inducatur in iudicium, causa reprehenditur, & quasi retrahitur: qui translationem, quod reus non omnino excludat actionẽ, sed in præsentem conditionem actionis excuset, in aliud genus iudicij transferat, vel habitum iam, vel futurum.

Aristot. ol ἐσι.

Aristot. τί ἐσι.

CAPVT VI. *De quatuor quæstionibus legalibus.*

SVNT item aliæ quæstiones quatuor, quas inuentores νομικὰς, nos legales appellamus. νομικὰ sunt scriptum & voluntas, quod illi ῥητὸν πρὸς διάνοιαν appellant: ἀντινομία, quam nos contentionem legum contrariarum vocamus: ambiguitas, quam illi ἀμφιβολίαν: collectio, quam illi συλλογὴν vocant. Verũ hæc paulo pòst diligentius tractabimus, ita vt significantia cuiusque euidentius exprimatur, & species generibus addatur.

Interim mihi videtur esse dicendum, quibus omnis quæstio articulis, & qualibus nodis subinde adstricta, ad perfectam speciem sui veniat. CAPVT VII. *Quibus quæstio articulis nectatur.*

EST aliquod dictum quod Græci φάσιν nominant, id seinditur in duas partes: & est eius alterum ἀπόφασις, & alterũ κατάφασις, intentionem verbo factam possumus dicere, id est verbum quo crimen intenditur, veluti, pulsasti, prodidisti, occidisti. Quod autem illi ἀπόφασιν, nos abnuentiam criminis eius, quod verbum accusator intenderit, veluti, non pulsaui, non prodidi, non occidi. Ex his duobus dicto & responso, vel intento & negato, media nascitur quæstio, hoc modo. Intentio est, occidisti: negatio, non occidi: quæstio, an occiderit. Sed vt iam à coniecturali modo recedamus: intentio est, iniuria occidisti: negatio, non iniuria occidi: quęstio, an iniuria occiderit. Vel in aliquo legali statu, Intẽtio est, non licebat tibi hoc facere per legem: negatio est, licebat mihi facere per legẽ: quæstio est, licuerit ne hoc facere per legem? Hanc quidam, vt nos vsque adhuc diximus, quęstionem vocauerunt, quidam statum nominauerunt, ab eo videlicet quòd in ea & exordium quæstionis, & summa consisteret. Primo enim quasi eminus, cum hinc dicatur factum esse, inde nõ esse factum, nulla pugna est, sed quasi futuræ pugnæ meditatio. Deinde cũ propius accessum est, & quasi ad manus ventum, altercationi & cõtentioni mutuæ media quæstio interuenit, sit nec ne factum: in ea vterq; consistit, omisso quod antè dicebat. Vnde ei quęstioni status nomen impositum est. Hoc idem Theodorus κεφάλαιον appellat, translatione vsus, videlicet à principali parte corporis: quod in hoc etiam complexu duorum, quæ vtrinque dicta sunt, quasi caput quoddã totius controuersię efficitur. Consequens huic locus est, aut perinde, aut magis etiam necessarius, quo demonstratur quid causa, quid continens, quid de quo contenditur. Causam Hermagoras αἴτιον vocat, συνέχον cõtinens, de quo contẽditur τὸ κρινόμενον. Est ergo causa, quæ nisi præcesserit, cõtrouersia fieri nõ potest. Quod dico tale est: Abdicatur à patre filius, controuersia idcirco non est, quia nulla cur abdicaretur à patre causa præcessit. Denique addamus causam, & statim cõtrouersia effecta est. Iurauit se non ducturum vxorem, & abdicatur. Quod iurauit, αἴτιον factum est, id est causa cur abdicationem mereretur. συνέχον vel continẽs est, quod ad refutandum αἴτιον, id est ad refellendam causam videtur afferri, vt est in hac materia. Militem qui iurauerat se deserturum, imperator occidit, & reus fit cędis. Hic enim αἴτιον, id est causa iudicij est, quod occidit: neque enim fieret reus, nisi occidisset: συνέχον, id est continẽs, est id propter quod occidisse dixit, iusiurandum scilicet militis, quod se deserturum iurauerat. Hoc interdum συνέχον Hermagoras, id est continens appellat, ab eo quòd omnis rei defensio ab eo cõtineatur, interdum αἴτιον αἰτίᾳ vocat, quasi causam causæ: nam quemadmodum reatus causa est, quòd militem occidit, ita occidendi causa, quod miles deserturum se esse iurauit. Nũc quoniam scimus quid sit causa, quid continens, videamus etiam quid sit de quo cõtenditur, id est quid sit τὸ κρινόμενον. Est autem nihil aliud quam exploratio continẽtis, τοῦ συνέχοντος. Quod dico tale est. Etenim in eadem controuersia perseuerandum puto, quo sint lucidiora quæ tradimus: αἴτιον est, quod occidit militem imperator: συνέχον est, quo reus nititur, id est ratio propter quam se occidisse dicit, est autem quod miles iurauit se deserturum: κρινόμενον est, examinatio huius ipsius quod ad defensionem

nem reus attulit. In quo ita quæritur, num alia causa imperatori fuerit, cur occiderit militem: & hoc prętexitur? vt videatur non quia iurauerit occisus, sed quaqua vel simultatis vel inuidiæ causa. Poterit etiã hoc modo articulus iste tractari, an etiam si iurauerit, parũ tamen hæc iusta causa fuerit, cur debuerit occidi: & tota perfectio totius συνέχοντος quod ad αἴτιον affertur, κρινόμενον vocatur. Euenit tamen nonnunquam, vt in vna controuersia nõ simul αἴτιον & σωέχον & κρινόμενον, sed sæpius ipsa omnia per vices reuoluta tractẽtur: vt in hac controuersia: Reus est Vlysses lege reipublicæ, quod procos occiderit. Hic enim αἴτιον est, quod occiderit: σωέχον, quod eos qui bona sua depopulabantur, & pudicitiæ vxoris insidiabantur, occidit: κρινόμενον est, nunquid tamen etsi hæc res præcesserit, alia tamen causa quam prætexit, occiderit? Vel nunquid ne pessimè quidem de se meritos indemnatos debuerit occidere? Deinde ad hoc κρινόμενον aliud σωέχον affert Vlysses, quo dicat se iussu Minernæ interemisse. Deinde hoc ipsum σωέχον fit κρινόμενον, quo quęritur vtrum nam propter iussum Mineruæ occiderit, & in tali re ne Mineruæ quidem obtemperare debuerit: est autem αἴτιον proprius accusatoris locus, σωέχον defensoris, κρινόμενον vtriusque commune.

CAPVT VIII. *Modi constroueſiarum.*

SVBINDE dicendum puto, quemadmodum & quot modis controuersia ἀσύστατος fiat. Tametsi ne dici quidem controuersias oportet quæ statum non habent, sed πλέγματα irrationabilia, id est ἄλογα. Fiunt autem ἀσύστατα modis quatuor: vnum, cũ aliquid deest ex circunstantia: quæ autem vis sit circumstantiæ, & suprà diximus, id est cum quæstionibus, aut causa, aut persona, aut locus, aut aliquid eorum deest quibus effici circumstantiam diximus. Hoc autem genus asystati in scholasticam materiã non potest cadere, idcirco quia esse non poterit vllum thema deficiente circunstantia. In veritate tamen nonnunquam euenit, vt aliquid horum desit, & per imprudentiã actoris profligata causa veniatur ad iudicem. Alter est modus asystati, quem κατ' ἰσότητα appellant. Nos tamen si nomen Latinum dare non possumus, tamen vim intelligere debemus: nam cum eadem vtrinque dicuntur, & nulla re, ne parua quidem, discernuntur, tamen huiusmodi πλέγμα propter æqualitatem vtriusq; partis statum implicat. Vt vicini adolescentuli, qui speciosas vxores habebant, noctu alter alterum obuium habuerunt, accusant inuicem adulterij: nam quicquid altera pars dixerit, hoc altera dicat necesse est. Verisimile est te adulterium voluisse committere, quia adolescẽs es. Te quoque verisimile est voluisse, quia adolescens es. Verisimile est, quia speciosam vxorẽ habeo. Te quoque verisimile est, quia & ego speciosam vxorem habeo. Facultatem tibi vicinitas præbuit: & tibi eadem vicinitas præbuit facultatẽ. Cur nocte in me? cur tu autẽ in me incidisti? Nihil est quod distinguatur, & idcirco vter eorum siue accusat alterum, se criminatur: siue se purgat, defendit eum quem criminari videtur. Tertium est asystati genus, quod Græci κατ' ἑτερομέρειαν appellant, id est secundum alterã partem, cum reo nulla defensio est, & aut color in facto nõ inuenitur, aut parum probabilis color inuenitur. Vnde etiam Democrates præceptor meus solitus erat dicere, eas etiam controuersias in quibus color diu quæritur, statum non habere. Verum ille constantius, nos si afferatur aliquid ad defensionẽ vel mediocriter probabile admittimus. Sed si euidenter confessa causa est vt oportet secundum heteromeriam explodemus.

Nonnunquam incidunt quæstiones, maximè in veritate, quæ summam accusatori, nullam reo largiuntur facultatem: verum eas non controuersias, sed communes locos dicimus: quippe est in his non probatio criminis, sed vt inexpressum atque euidens facinus expressio. Quartus est modus asystati vel caliginosissimus: adeò vt nonnunquam doctis etiam hominib. soleat obrepere. Habet enim nõnullam speciem probabilis consistentisq; materiæ. Ea est huiusmodi, in qua iudex ferendæ sententiæ rationem explorare non potest: hoc Græci ἄπορον vocant. Sed subiiciamus exemplum: Petebat ab alio vsuram quasi pecuniæ creditæ: ille accepisse se pecuniam cõfitebatur, sed depositam, & idcirco velle se restituere fortẽ sine vsura. Pendente interea iudicio, lex de nouis tabulis lata est: repetit ille quasi depositam, ille retinet quasi creditam. Non enim video quid sit hic, quod in sententia ferẽda iudex sequi possit, cum petitor idem interdum credidisse, interdum deposuisse se dicat, & ille alter interdũ depositam accepisse, interdum creditã, & neuter sua priore, sed vterq; alter alterius præterita sententia vtatur.

CAP. IX. *De figuris eõ troueſiarum.*

PERTINERE etiã nonnihil ad rem videtur scire figuras controuersiarum, quibus inuicẽ differant, quo magis in euidenti sit quemadmodum quamque tractemus. Sunt igitur themata, id est figuræ controuersiarum, quatuor: εὔδοξον, quod nos opinionis bonę possumus dicere: ἀμφίδοξον, quod nos opinionis ex vtroq; bono ac malo confusæ possumus dicere: παράδοξον, quod nos opinionis malæ possumus dicere: tametsi quidam parum diligenter Græcè loquentes, paradoxon pro his quæ sunt bonæ opinionis, accipiunt. Vnde vulgo etiam Olympionicas & cæteros victores sacrorum certaminum, paradoxos vocant, magis cõsuetudine quam ratione ducti: nam, vt opinor, παράδοξον est, quod est παρὰ τὴν δόξαν, id est contra opinionem bonam. Denique licet alias vulgares significationes probare malimus huius nominis, tamen hoc loco vt multa noua tam à technicis & mathematicis, quàm à philosophis cognominantur, accipere debemus non tam pro solito vsu consuetudinis, quam pro conditione præcepti. Quarta est species cõtrouersię, quę Græcè ἄδοξος dicitur, quam nos nõ vt vulgò malæ opinionis, sed nullius opinionis dicimus, id est humilẽ & sordidam. Sed euidenter hæc propositis exemplis liquebunt. εὔδοξος controuersia huiusmodi est, in qua tam persona quam res est honesta, velut, Scipio victis Pœnis petit in præmium vt spectet ludos laurea coronatus: & persona honesta est Scipionis, & quod petitur non improbum. ἀμφίδοξος est, in qua vel honestatem personæ turpitudo rei maculat, velut si idẽ Scipio petat præmij nomine mortem Tyberij Asellij: nam petitoris persona honesta est, quod autem petitur, inhonestum. Vel contrà, si abdicatus fortiter fecerit, & petat præmij nomine reditum in domum patris: persona quæ petit inhonesta abdicati, res quam petit honesta vt in domum patris redeat. παράδοξον est controuersiæ genus, vt suprà definiebam, in quo vtraq; sunt inhonesta, tam res quam persona: velut impudicitiæ reus fortiter fecit, petit præmij nomine accusatoris sui mortem: nam & persona petentis inhonesta est, siquidem fuit reus impudicitiæ, tametsi aliquid turpitudini derogauerit quod fortiter fecit, & res quã petit, improba. ἄδοξον, est controuersiæ genus sine opinione vtraque, humile & sordidum. Pauper vestimenta vendebat, extitit alius pauper qui vendicaret ea, & furto ablata sibi esse diceret: ille venditor ait se ab adultero

deprehenſo illa veſtimenta detraxiſſe: inuicem accuſant, ille adulterij, hic furti. Hic enim & perſonæ humiles pauperum, & res quæ videntur feciſſe quæſtionem abiectæ, veſtimentorum vendicatio & agnitio: & quanquam interuenerit crimen adulterij non abiectum, tamen quia plura ſunt ante πρίσιν humilia & ſordida, totius controuerſiæ ſpeciem ſibi vendicat.

CAP. X. *Quid vtilitatis præ ſe ferat figurarum eiuſmodi agnitio.*

DIGNOSCERE autem has controuerſiarum figuras, cum ad multa alia conuenit, tum vel in primis ad id, vt modum præfandi, id eſt principia edendi, cõgruentem qualitati materiam inuenire poſſimus: nõ enim eadem ſpecies debet eſſe principij in themate εὐδόξῳ & ἀμφιδόξῳ & παραδόξῳ, ſed ſua cuique forma tribuenda. Iam primũ in εὐδόξῳ genere materiæ Hermagoras negat eſſe præfandum: nam ſi beneuolẽtiæ, inquit, conciliandæ gratia præfari ſolemus in bonæ opinionis themate, quale illud eſt Scipionis, benigni ſunt hi apud quos locuturi ſumus: nihil autem attinet parare quod paratum eſt. Sed mihi longè aliter videtur, & pace tanti viri dixerim: neq; enim eſt ſemper ſpectãda auctoritas, vtique cum ratione vincatur. Cenſeo igitur nihil prohibere in εὐδόξῳ genere materię quo minus præfemur. Nihil enim, opinor, mali eſt, benignos iudices benigniores reddere præfando, vt cum offenſos aduerſariis videmus, offenſionem illam dicendo augere conamur. Denique aulœdos & citharœdos & cæteros huiuſmodi artifices, quanquam non polliceantur orationem, videmus tamen præloqui ante actionem. Et omnino curta & ſine capite oratio eſt, quæ ſine principio ab ipſis rebus orditur. Vtemur etiã principiis in bonæ opinionis controuerſiis, ſed breuioribus & erectioribus paulò, & confidentibus & plenis dignitatibus, ſine iactantia duntaxat, ne res pariat inuidiam: vt eſt illud apud M. Tullium contra concionem Metelli, in qua exultare videtur: ſic enim, vt opinor, inſequar fugientem, quoniam congredi non licet cum reſiſtente. Quod nũquam profectò tam magnificè dicere in exordio ſtatim orſus fuiſſet, niſi & ipſius actoris eſſet honeſta perſona, & res de qua locuturus erat, non improba. Itémque alio loco, cum de coniuratorum animaduerſione loqueretur: Video, Patres conſcripti, in me omnium veſtrum ora atque oculos eſſe conuerſos: & deinceps. Quæ omnia huiuſmodi ſunt, vt actor & ſplendori ſuo & rebus his de quibus locuturus eſt, quaſi honeſtiſſimis videatur merito cõfidere. Pleraq; huiuſmodi exordia apud Q. Gracchũ, quanto nobilioris fuit ſpiritus, quæ dicẽtem profectò Merucium, aut aliquem ex Cannenſi caterua nemo ferret. In ἀμφιδόξῳ genere materiæ moderatione quadam vtendum erit cum principiamus, vt & turpitudinem quæ ſubeſt, & dignitatẽ quæ eſt in re, aut perſona vel illuſtrando augeamus, vel ita variè vtrunque miſceamus, vt alterius partis turpitudinem alterius honeſtas tegat. Neque tamen cum tanta iactatione, quanta in illo ſuperiori genere materię, ſed quaſi cum quadam confidenti verecundia. Si in re turpitudo erit, quãtum fieri poterit, auocabimus iudicem ad perſonę dignitatem. Si in perſona, ad rei dignitatem quaſi de periculoſo in tutiorẽ locum refugiemus, ſed ſummatim leuiterque cedentes, vt deſpicere potius ſuſpicionem metus quàm timere videamur. Laborabimus autem in eo, vt confuſa vtraque dignitate rei & perſonæ, plus fiducię in honeſtate, quam metus in turpitudine habere videamur. Sed vt limpidius hoc genus principiandi deprehendatur, dabo exemplum quod habuit M. Tullius, cum pro M. Scauro loqueretur. Erat enim controuerſia ἀμφίδοξος: quippe qui niteretur dignitate perſonæ M. Scauri, premeretur turpitudine criminis de pecuniis repetundis. Vtrunque in principio ſtatim ita confudit orator, vt & turpitudinem criminis dignitate perſonæ cõtegeret, neque tamen largiter nimium, neque exultanter, ſed ita vt expromat nonnullam etiam metus ſuſpicionem. Maxime fuit optandum M. Scauro iudices, vt nullo ſuſcepto cuiuſdam odio, ſine offenſione ac moleſtia: & cætera. In παραδόξῳ, id eſt in malæ opinionis themate, vbi & perſona & dignitas pariter laborabit, longioribus principiis vtendum erit, & purgandis ſuſpicionibus opera tribuenda, & demiſſe loquendum cùm ſententiis tum verbis etiam propius blanditiam ſitis, & quærimonia quaſi falſi illati criminis, & falſæ infamiæ compoſitæ aduerſum nos per inuidiam, etiam ſubmiſſiore toto corpore conformato ad verecundiam, ſubmiſſo vultu, oculis terram intuentibus, neque illa acriter, ſed ſi poſſumus etiam timore ſimulato. In ἀδόξῳ, id eſt, in humili genere materiæ, proxima ſermoni debent eſſe principia: neque ſententiis alte petitis, neque verbis vltra modum ornatis, neque ſtructura grauiore, ſed quaſi reſoluta & ſimplici. Vis autem omnium ſententiarum quam his principiis adhibemus ea eſſe debebit, vt rem à proprietate reuocet ad cõmunitatem, & dicat omnium intereſſe illam rem vindicari. Propterea quòd quanto quæque minora ſunt, tanto crebrius & magis inter multos cadere poſſint. Nec tam oportere ſpectari magnitudinem rerum & perſonarum, quàm rationem æqui & iniqui, veri & falſi. Eandem enim eſſe horum in minimis vim quàm in maximis. Talia principia ſunt pleraque apud Demoſthenem in iis libris qui inſcribuntur Idiotici, & magis apud Lyſiam, & apud quoſdam ex noſtris veteribus. Certè Marcus Tullius cum pro Archia diceret, non aliter exorſus eſt.

Obtegendo minuamus aliquando quibdam videtur deeſſe.

DIVI

DIVI AVRELII AVGVSTINI

DE MVSICA LIBER PRIMVS.

D. Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 11.

De muſica. 1. retr. cap. 6

DEINDE, vt ſuprà commemoraui, ſex libros De muſica ſcripſi, quorum ipſe ſextus maximè innotuit, quoniã res in eo digna cognitione verſatur, quomodo à corporalibus & ſpiritalibus, ſed mutabilibus numeris perueniatur ad immutabiles numeros qui iam ſunt in ipſa immutabili veritate, & ſic inuiſibilia Dei per ea quæ facta
Rom. 1. c. 20 ſunt intellecta conſpiciantur. Quod qui non poſſunt, & tamen ex fide Chriſti viuunt, ad illa certius atque felicius conſpicienda poſt hanc vitam veniunt. Qui autem poſſunt, ſi deſit eis fides Chriſti, qui v-
1 Tim. 2. b. 5 nus mediator eſt Dei & hominum, cum tota ſapien-
Lib. 6. cap. 4 tia ſua pereunt. In hoc libro illud quod dixi, Corpora enim tanto meliora ſunt, quanto numeroſiora talibus numeris: anima verò iſtis quæ per corpus accipit carẽdo fit melior, cum ſeſe auertit à carnalibus ſenſibus, & diuinis ſapientiæ numeris reformatur. nõ ſic accipiendum eſt, quaſi nõ ſint futuri numeri corporales in corporibus incorruptibilibus & ſpiritalibus, cum multo ſpecioſiora & decentiora futura ſint: aut anima eos ſenſura non ſit, quando erit optima, quemadmodum hic eis carendo fit melior. Hic enim opus habet auertere ſe à carnalibus ſenſibus ad intelligibilia capiẽda, quia infirma eſt & minus idonea vtriſque ſimul adhibere intentionem ſuam. Et in his corporalibus nunc illecebra cauenda eſt, quamdiu anima illici ad delectationem turpem poteſt. Tunc autem tam firma erit atque perfecta, vt numeris corporalibus non auertatur à contemplatione ſapientiæ, & ita ſentiat eos vt non illiciatur ab eis, nec eis carendo fiat melior, ſed ita
Lib. 6. cap. 5 ſit bona & recta, vt nec latere poſſint eam nec occupare. Item quod dixi, Hæc autem ſanitas tunc firmiſſima erit atque certiſſima, cum priſtinę ſtabilitati certo ſuo tempore atque ordine hoc corpus fuerit reſtitutum: non ita dictum putetur, quaſi non ſint futura poſt reſurrectionem corpora meliora, quam primorũ hominum in paradiſo fuerunt, cum illa iam non ſint alenda corporalibus alimentis quibus alebantur iſta: ſed priſtina ſtabilitas hactenus accipienda eſt, quatenus ægritudinem ita nullam corpora illa patientur, ſicut nec iſta pati poſſent ante peccatum. Alio loco:
Lib. 6. ca. 14 Laborioſior eſt, inquam, huius mundi amor. Quod enim in illo anima quærit, conſtantiam ſcilicet æternitatémque, non inuenit: quoniam rerum trãſitu completur infima pulchritudo, & quod in illa imitatur conſtantiam, à ſummo Deo per animam traiicitur: quoniam prior eſt ſpecies tãtummodo tempore commutabilis, quam eſt ea quæ & tempore & locis. Hæc verba ſi eo modo accipi poſſent, vt nõ intelligatur infima pulchritudo, niſi in corporibus hominum, omniúmque animalium quæ cum ſenſu corporis viuunt, ratio manifeſta defendit. Hoc quippe in ea pulchritudine imitatur conſtantiam, quod in compage ſua manent eadem corpora in quantum manent: id autem à ſummo Deo in ea per animam traiicitur. Anima quippe ipſam compagem tenet ne diſſoluatur & diffluat: quod videmus in corporibus animalium ani-
Quod mundus non ſit animal. ma diſcedente contingere. Si autem infima pulchritudo in omnibus corporib. intelligatur, cogit iſta ſententia etiam ipſum mũdum animal credere, vt etiam id ipſum quod in illo imitatur conſtantiam, à ſummo
Lib. 7. de ciu. Dei, cap. 23. Deo per animam traiiciatur. Sed animal eſſe iſtũ mundum, ſicut Plato ſenſit, aliíque philoſophi quam plurimi, nec ratione certa indagare potui, nec diuinarum ſcripturarum auctoritate perſuaderi poſſe cognoui. Vnde tale aliquid à me dictum quo id accipi poſſit, etiam in libro De immortalitate animę temerè dictum notaui. Non quia hoc falſum eſſe confirmo, ſed quia nec verum eſſe comprehendo, quod ſit animal mundus. Hoc ſanè inconcuſſe retinendum eſſe non dubito, Deum nobis non eſſe iſtum mundum, ſiue anima eius vlla, ſiue nulla ſit. Quia ſi vlla eſt, ille qui eam fecit, eſt Deus noſter: ſi autem nulla eſt, nullorum Deus poteſt eſſe iſte, quanto minus Deus noſter. Eſſe tamen ſpiritalem vitalemque virtutem, etiam ſi non ſit animal mundus. Quæ virtus in angelis ſanctis ad decorãdum atque adminiſtrandum mundum Deo ſeruit, & à quibus non intelligitur, rectiſſimè creditur. Angelorum autem ſanctorum nomine, omnem ſanctam creaturam ſpiritalem, in Dei ſecreto atque occulto miniſterio conſtitutam nunc appellauerim: ſed ſpiritus angelicos ſancta ſcriptura nomine animarum ſignificare non ſolet. Proinde in eo quod circa finem libri huius dixi: Rationales & intellectuales numeri beatarum a-
Lib. 6. ca. 17 nimarum atque ſanctarum legem ipſam Dei, ſine qua folium de arbore nõ cadit, & cui noſtri capilli numerati ſunt, nulla interpoſita natura excipiẽtes, vſque ad terrena & inferna iura tranſmittunt, nõ video quemadmodum vocabulum animarum ſecundum ſcripturas ſanctas forſitan poſſit oſtendi: quandoquidem hic non niſi angelos ſanctos intelligi volui, quos habere animas nuſquam me legiſſe in diuinis eloquiis canonicisque recolo. Hic liber ſic incipit:

Cap. 15. 1. retr. cap. 5.

CAPVT I.

Muſica quid doceat.

MODVS, quis pes eſt? DISCIP. Pyrrichius. MAGISTER. Quot temporum eſt? D. Duũm. M. Bonus, qui pes eſt? D. Idẽ qui & modus. M. hoc eſt ergo modus quod bonus? D. Non. M. Cur ergo idem? D. Quia idem in ſono, in ſignificatione aliud. M. Concedis ergo eũdem ſonum eſſe cum dicimus, modus & bonus. D. Literarum ſono iſta video diſcrepare, cætera autem paria eſſe. M. Quid cum enunciamus, pone verbum, & ponè aduerbium, præter id quod ſignificatio diuerſa eſt, nihil tibi videtur ſonus diſtare? D. Diſtat omnino. M. Vnde diſtat, cum & iiſdem temporibus vtrunque, & iiſdem literis cõſtet? D. Eo diſtat quod in diuerſis locis habent acumen. M. Cuius tandem artis eſt iſta dignoſcere? D. A grammaticis hæc audire ſoleo, & ibi ea didici, ſed vtrum hoc eiuſdem artis ſit proprium, an aliunde vſurpatum neſcio. M. Pòſt iſta videbimus. Nunc illud quæro, vtrum ſi tympanum vel chordam bis percuteres tam raptim & velociter quam cum enũciamus, modus aut bonus, agnoſceres & ibi eadem tempora eſſe an nõ? D. Agnoſcerem. M. Vocares ergo pedem pyrrichium? D. Vocarem. M. Nomen huius pedis à quo niſi à grammatico didiciſti? D. Fateor. M. Ergo de omnibus huiuſmodi ſonis grammaticus iudicabit, an per teipſum iſtos pulſus didiciſti, ſed nomen quod imponeres à grammatico audieras? D. Ita eſt. M. Et auſus es nomen quod te grammatica docuit transferre ad eam rem quam non pertinere ad grammaticam confiteris? D. Video nõ ob aliud pedi nomen impoſitum, quàm propter temporum dimenſionem, quam vbicunque cognouero, eo transferre illud vocabulum cur non audeo? Sed & ſi aliqua vocabula ſunt imponenda, cum eiuſdẽ dimenſionis ſoni ſint. ſed ad grammaticos tamen non perti-

tinent, quid mihi est de nominibus laborare, cum res aperta sit. M. Nec ego id volo: sed tamen cum videas innumerabilia genera sonorum, in quibus certæ dimensiones obseruari possunt, quæ genera fatemur grammaticæ disciplinæ non esse tribuenda, nõne censes esse aliam aliquam disciplinam, quæ quicquid in huiusmodi sit vocibus numerosum artificiosúmq; cõtineat? D. Probabile mihi videtur. M. Quod nomen ei existimas? Nam opinor non tibi nouum esse omnipotentiam quandam canendi Musis solere concedi. Hęc est nisi fallor illa quę Musica nominatur. D. Et ego hãc esse existimo.

CAPVT II. *Musica quid sit.*

M. SED iam placet nobis de nomine minime laborare. Modo inquiramus, si videtur, quam diligentissime possumus, omnem huius quæcunq; est disciplinæ vim atque rationem. D. Inquiramus sanè. Nam hoc totum quicquid est, multum nosse desidero. M. Defini ergo musicam. D. Non audeo. M. Potes saltem definitionem meam probare. D. Experibor si dixeris. M. Musica est scientia bene modulandi. An tibi non videtur? D. Videretur fortasse, si mihi liqueret quid sit ipsa modulatio. M. Nũquid nam hoc verbum quod modulari dicitur, aut vnquam audisti, aut vspiã nisi in eo quod ad cantandum saltandúmque pertineret? D. Ita est quidem: sed quia video modulari, à modo esse dictum, cũ in omnibus penè factis modus seruandus sit, & multa etiam in canendo ac saltãdo quãuis delectent, vilissima sint, volo plenissime accipere quid prorsus sit ipsa modulatio, quo vno penè verbo tantæ disciplinæ definitio continetur. Non enim tale aliquid hic discendum est, quale quilibet cantores histrionésq; nouerunt. M. Illud superius quod in omnibus etiam præter musicam factis modus seruãdus est, & tamen in musica modulatio dicitur, nõ te moueat, nisi fortè ignoras dictionem oratoris propriè nominari. D. Non ignoro: sed quorsum istuc? M. Quia & puer tuus quamlibet impolitissimus & rusticissimus, cum vel vno verbo interroganti tibi respondet, fateris eum aliquid dicere? D. Fateor. M. Ergo & ille orator est? D. Non. M. Non igitur dictione vsus est cum aliquid dixerit, quamuis dictionem à dicendo dictam esse fateamur. D. Concedo: sed & hoc quò pertineat requiro. M. Ad id scilicet vt intelligas modulationem posse ad solam musicam pertinere, quamuis modus vnde flexum verbum est, possit etiam in aliis rebus esse: quemadmodum dictio propriè tribuitur oratoribus: quamuis dicat aliquid omnis qui loquitur, & à dicendo dictio nominata sit. D. Iam intelligo. M. Illud ergo quod abste postea dictum est, multa esse in canendo & saltando vilia, in quibus si modulationis nomen accipimus, penè diuina ista disciplina vilescit, cautissime omnino abste animaduersum est. Itaq; discutiamus primum quid sit modulari, deinde quid sit bene modulari: non enim frustra est definitioni additum. Postremò etiam quod ibi scientia posita est, non est contemnendum: nam his tribus, nisi fallor, definitio illa perfecta est. D. Ita fiat. M. Igitur quoniam fatemur modulationem à modo esse nominatam, nũquid nam tibi videtur metuendum ne aut excedatur modus, aut non impleatur nisi in rebus quæ motu aliquo fiunt? Aut si nihil moueatur, possumus formidare, ne præter modum aliquid fiat? D. Nullo pacto. M. Ergo modulatio non incongrue dicitur mouendi quædam peritia, vel certe qua fit vt bene aliquid moueatur. Nõ enim possumus dicere bene moueri aliquid si modum non seruat. D. Non possumus quidem. Sed necesse erit rursus istam modulationẽ in omnibus bene factis intelligere. Nihil quippe nisi bene mouendo, bene fieri video. M. Quid si fortè ista omnia per musicam fiant, quamuis modulationis nomen in eiuscemodi organis magis tritum sit, nec immeritò? Nam credo videri tibi aliud esse tornatum aliquid ligneum vel argẽteum, vel cuiuscunque materiæ, aliud autem ipse motus artificis, cum ipsa tornantur. D. Assentior multum differre. M. Nunquid nam ergo ipse motus propter se appetitur, & non propter id quod vult esse tornatum? D. Manifestum est. M. Quid si membra non ob aliud moueret, nisi vt pulchre ac decore mouerentur eum facere aliquid nisi saltare diceremus? D. Ita videtur. M. Quando ergo censes aliquam rem præstare & quasi dominari cum propter seipsam, an cum propter aliud appetitur? Quis negat cum propter seipsam? M. Repete nunc illud superius quod de modulatione diximus: nã cum ita eam posuerimus, quasi quandam mouẽdi esseperitiam, vide vtrum magis habere sedem debeat hoc nomen in eo motu qui velut liber est, id est propter se ipse appetitur, & propter se ipse delectat: an in eo qui seruit quodammodo: nam quasi seruiũt omnia quæ non sibi sunt, sed ad aliquid aliud referuntur. D. In eo scilicet qui propter se appetitur. M. Ergo scientiam modulandi iam probabile est esse scientiam bene mouendi, ita vt motus per se ipse appetatur, atque ob hoc per se ipse delectet. D. Probabile sanè. M. CVR ergo additum est bene, cum iam ipsa modulatio nisi bene moueatur, esse non possit? D. Nescio, & quemadmodum mihi ereptum sit ignoro. Nam hoc requirendum animo hæserat. M. Poterat omnino nulla de hoc verbo controuersia fieri, vt iam musicam sublato eo quod positum est, bene, tantum scientiam modulandi definiremus. D. Quis enim ferat, si enodare totum ita velis? M. musica est scientia bene mouẽdi. Sed quia bene moueri iam dici potest, quicquid numerositatis temporum atque interuallorum dimẽsionibus mouetur, iam enim delectat, & ob hoc modulatio nõ incongrue iam vocatur. Fieri autem potest, vt ista numerositas atque dimensio delectet, quando non opus est: vt si quis suauissime canens, & pulchre saltans, velit eo ipso lasciuire, cum res seueritatem desiderat, nõ bene vtique numerosa modulatione vtitur: id est, ea motione quæ iam bona, ex eo quia numerosa est, dici potest, male ille, id est incongruenter vtitur. Vnde aliud est modulari, aliud bene modulari. Nam modulatio ad quemuis cantorem, tantum qui non erret in illis dimẽsionibus vocum ac sonorum: bona vero modulatio ad hanc liberalem disciplinam, id est ad musicam, pertinere arbitranda est. Quòd si nec illa bona tibi motio videtur, ex eo quia inepta est, quamuis artificiose numerosam esse fatear, teneamus illud †notissimum, quod vbique seruandum est, ne certamen verbi, re satis elucente, nos torqueat, nihilque curemus vtrum musica modulandi, an bene modulandi scientia describatur. D. Amo quidem rixas verborum præterire atque contemnere, non tamen mihi displicet ista distinctio.

CAPVT III. *Quid sit bene modulari.*

†al. nostrũ.

CAPVT IIII. *Scientia & scientia imitatio.*

M. RESTAT vt quæramus cur sit in definitione scientia. D. Ita fiat: nam hoc flagitare ordinem memini. M. Respondе igitur, vtrum tibi videatur bene modulari vocem luscinia verna parte anni: nam & numerosus est & suauissimus ille cantus, & nisi fallor tempori congruit. D. Videtur omnino. M. Nũquid nam liberalis huius disciplinæ perita est? D. Non. M. Vides igitur nomen scientiæ definitioni perquam necessarium. D. Video prorsus. M. Dic mihi ergo quæso te, nónne tales tibi omnes videntur, qualis illa luscinia est, qui sensu quodam ducti bene canunt, hoc est numerose id faciunt ac suauiter, quamuis interrogati de ipsis numeris, vel de interuallis acutarum grauiúmq; vocum respondere non possint. D. Simillimos eos puto. M. Quid ij qui illos sine ista scientia libenter audiunt, cum videamus elephantos, vrsos, aliáque nonnulla genera bestiarum ad cantus moueri, auesq; ipsas delectari suis vocibus, non enim nullo extra posito commodo tam impense id agerent sine quadam libidine, nónne pecoribus comparandi sunt? D. Censeo: sed penè

sed penè in omne genus humanum tendit hęc contumelia. M. Nō est quod putas. Nam magni viri etsi musicam nesciunt, aut congruere plebi volunt, quæ non multum à pecoribus distat, & cuius ingens est numerus, quod modestissime ac prudentissime faciunt, sed de hoc nunc differendi locus non est: aut post magnas curas relaxandi ac reparandi animi gratia moderatissime ab iis aliquid voluptatis assumūt, quam interdum sic capere molestissimum est, ab ea vero capi vel interdum, turpe atque indecorum est. Sed quid tibi videtur, qui vel tibiis canunt vel cithara, atque huiusmodi instrumentis, nunquid nam possunt luscinię comparari? D. Non. M. Quid igitur distant? D. Quòd in istis artem quandam esse video, in illa vero solam naturā. M. Verisimile dicis, sed ars tibi videtur dicēda, etiamsi quadam imitatione id faciunt? D. Cur non? Nam video tantum valere in artibus imitationem, vt ea sublata, omnes penè perimantur. Præbent enim se magistri ad imitandum, & hoc ipsum est quod vocant docere. M. Videtur tibi ars ratio esse quædam, & ij qui arte vtuntur, ratione vti: an aliter putas? D. Videtur. M. Quisquis igitur ratione vti non potest, arte non vtitur. D. Et hoc concedo. M. Censéne muta animalia, quæ etiam irrationalia dicuntur, vti posse ratione? D. Nullo modo. M. Aut igitur picas & psittacos & coruos rationalia esse dicturus es animalia, aut imitationem nomine artis temerè vocasti. Videmus enim has aues & multa canere ac sonare quodam humano vsu, & non nisi imitando facere, nisi tu aliter credis. D. Quomodo hoc confeceris & quantum contra responsionem meam valeat, nondum planè intelligo. M. Quæsiueram ex te, vtrum citharistas & tibicines, & huiusmodi aliud genus hominum, artem diceres habere etiam si id quod in canendo faciunt, imitatione assecuti sunt. Dixisti esse artem, tantúmque id valere affirmasti, vt omnes penè tibi artes periclitari viderentur imitatione sublata. Ex quo iam colligi potest, omnem qui imitando assequitur aliquid, arte vti: & si fortè non omnis qui arte vtitur, imitando eā perceperit. Aut si omnis imitatio ars est, & ars omnis ratio, omnis imitatio ratio: ratione autem non vtitur irrationale animal, non igitur habet artem: habet autem imitationem, non est igitur ars imitatio. D. Ego multas artes imitatione constare dixi, non ipsam imitationem artem vocaui. M. Quæ igitur artes imitatione constant, non eas censes ratione constare? D. Imò vtroque puto eas constare. M. Nihil repugno, sed scientiam in quo ponis, in ratione an imitatione? D. Et hoc in vtroque. M. Ergo scientiam illis auibus dabis, quibus imitationem non adimis. D. Non dabo: ita enim dixi in vtroque esse scientiam, vt in sola imitatione esse non possit. M. Quid? in sola ratione videtur tibi esse posse? D. Videtur. M. Aliud igitur putas esse artem, aliud scientiam. Siquidem scientia & in sola ratione esse potest, ars autem rationi iungit imitationem. D. Non video esse consequens. Non enim omnes, sed multas artes dixeram, simul ratione atque imitatione constare. M. Quid scientiam? vocabis ne etiam illam quę his duobus simul constat, an ei solam partem rationis attribues? D. Quid enim me prohibet vocare scientiam, cum rationi adiungitur imitatio? M. Quoniam nunc agimus de citharista & tibicine, id est de musicis rebus, volo mihi dicas, vtrum corpori tribuendum sit, id est obtemperationi cuid ā corporis, si quid isti homines imitatione faciunt. D. Ego istam & animo simul & corpori tribuendam puto, quanquam idipsum verbum satis propriè abs te positum est, quod obtemperationem corporis appellasti. Non enim obtemperare nisi animo potest. M. Video te acutissimè imitationem non soli corpori voluisse concedere. Sed nunquid scientiam negabis ad solum animum pertinere? D. Quis hoc negauerit? M. Nullo modo igitur scientiam in sonis neruorum & tibiarum simul & rationi & imitationi tribuere sineris. Illa enim imitatio non est, vt confessus es, sine corpore, scientiam vero solius animi esse dixisti. D. Ex iis quidem quę tibi concessi, fateor hoc esse confectum. Sed quid ad rem? Habebit enim & tibicen scientiam in animo. Neque enim cum ei accedit imitatio, quam sine corpore dedi esse non posse, adimet illud quod animo amplectitur. M. Non adimet quidem: nec enim ego affirmo eos à quibus organa ista tractātur omnes carere scientia, sed non habere omnes dico. Istam enim ad hoc voluimus quæstionem, vt intelligamus si possumus, quàm rectè sit scientia in illa definitione musicæ posita, quam si tibicines & fidicines, & id genus alij, quilibet habent: nihil ista disciplina puto esse vilius, nihil abiectius. Sed attende quàm diligentissimè, vt quod diu molimur appareat. Certè enim iam mihi dedisti in solo animo habitare scientiā. D. Quid ni dederim? M. Quid sensum aurium? animóne an corpori, an vtrique concedis? D. Vtrique. M. Quid memoriam? D. Animo puto esse tribuendam. Non enim si per sensus percipimus aliquid quod memorię commendamus, ideo in corpore memoria esse putāda est. M. Magna fortasse ista quæstio est, neque huic opportuna sermoni. Sed quod propositō sat est, puto te negare nō posse, bestias habere memoriam. Nam & nidos post annum reuisunt hirundines, & de capellis verissimè dictum est:

Atque ipsæ memores redeunt in tecta capellæ. Georg. 3.

Et canis heroëm dominum iam suis hominibus oblitum recognouisse prædicatur. Et innumerabilia, si velimus, animaduertere possimus, quibus id quod dico manifestum est. D. Non ego istud nego, & quid te adiuuet, vehementer expecto. M. Quid putas? nisi quod scientiam qui soli animo tribuit, eamque omnibus irrationabilibus animalibus adimit, neque in sensu eam, neque in memoria, nam illud non est sine corpore, & vtrunque etiam in bestia est, sed in solo intellectu collocauit. D. Et hoc expecto quid te adiuuet. M. Nihil aliud, nisi omnes qui sensum sequūtur, & quod in eo delectat, memoriæ commendant, atque secundum id corpus mouentes, vim quandam imitationis adiungunt, non eos habere scientiam, quamuis perite ac doctè multa facere videantur, si rem ipsam quam profitentur aut exhibent, intellectus puritate ac veritate non teneant. At si tales esse istos theatricos operarios ratio demonstrauerit, nihil erit, vt opinor, cur dubites eis negare scientiam, & ob hoc musicam, quæ scientia modulandi est, nequaquam concedere. D. Explica hoc, videamus quale sit. M. Mobilitatem digitorum celeriorem vel pigriorem credo te non scientiæ, sed vsui dare. D. Cur ita credis id? M. Quia superius soli animo scientiam tribuebas, hoc autem quanquam imperante animo tamen esse corporis vides. D. Sed cū sciens animus hoc imperat corpori, magis hoc scienti animo, quam seruientibus membris tribuendum puto. M. Nónne censes posse fieri vt vnus alium scientia præcedat, cum ille imperitior multo facilius & expeditius digitos moueat? D. Censeo. M. At si motus celer & expeditior digitorum scientiæ tribuendus esset, tanto in eo quisque excelleret, quanto esset scientior. D. Concedo. M. Attende etiam istud. Nam opinor nōnunquam te animaduertisse fabros, vel huiusmodi opifices, ascia siue securi eundem locum feriendo repetere, & non aliò quam eo quo intendit animus ictum perducere, quod nos tētantes cum assequi nequimus, ab eis sæpè irridemur. D. Ita est vt dicis. M. Ergo cum id nos facere non valeamus, nunquid ignoramus quid feriri debeat, vel quantum debeat amputari? D. Sæpe ignoramus, sæpe scimus. M. Fac ergo aliquem nosse

omnia quę fabri facere debeant,& perfectè noſſe,minus tamen valere in opere,ſed eiſdem ipſis qui facillimè operantur,multa dictare ſolertius, quam illi per ſe indicare poſſent, an id vſu euenire negas? D. Non nego. M. Non igitur ſolum mouendi celeritas atque facilitas, ſed etiam motionis modus ipſe in mẽbris, vſui potius quam ſcientiæ tribuendus eſt. Nam ſi aliter eſſet, eo quiſq; manibus melius vteretur quo eſſet peritior: quod licet ad tibias citharáſve referamus, ne quod ibi digiti atq; articuli faciunt, quia difficile nobis eſt, ſcientia potius quam vſu & ſedula imitatione ac meditatione fieri putemus. D. Non queo reſiſtere, nam & medicos audire ſoleo doctiſſimos viros, ſæpe in ſecandis, vel quoquo modo comprimendis membris in eo quod manu ac ferro fiat, ab imperitioribus antecedi,quod genus curandi chirurgiam nominant, quo vocabulo ſatis ſignificatur operaria qnædã in manibus medendi conſuetudo. Perge itaque ad cætera, & iam iſtam confice quæſtionem. M. ILLVD reſtat, vt opinor,vt inueniamus,ſi poſſumus, has ipſas artes quæ nobis per manus placent,vt illius vſus potentes eſſent,non continuo ſcientiam,ſed ſenſum ac memoriam ſecutas:ne fortè mihi dicas fieri quidem poſſe,vt ſcientia ſine vſu ſit,& maior plerunque quam eſt in eis qui vſu excellunt,ſed tamen etiam illos ad vſum tantum, non potuiſſe ſine vlla ſcientia peruenire. D. Aggredere: nam ita deberi manifeſtum eſt. M. Nunquam ne huiuſmodi hiſtriones audiſti ſtudioſius? & plus fortaſſe quam vellem? Vnde fieri putas,vt imperita multitudo explodat ſæpe tibicinem nugatorios ſonos efferentem, rurſumque plaudat bene canenti, & prorſus quanto ſuauius canitur, tanto amplius & ſtudioſius moueatur? Nunquid nam id à vulgo per artem muſicam fieri credendum eſt? D. Non. M. Quid igitur? D. Natura id fieri puto, quæ omnibus dedit ſenſum audiendi, quo iſta iudicantur. M. Rectè putas. Sed iam etiam illud vide, vtrum & tibicen ipſe hoc ſenſu præditus ſit. Quod ſi ita eſt, poteſt eius ſequens iudicium mouere digitos cum tibias inflauerit, & quod ſatis commodè pro arbitrio ſonuerit, id notare ac mandare memoriæ, atque id repetendo conſuefacere digitos eò ferri ſine vlla trepidatione & errore: ſiue ab alio accipiat id quod cantet, ſiue ipſe inueniat,illa de qua dictum eſt ducente atque approbante natura. Itaque cum ſenſum memoria,& articuli memoriam ſequuntur, vſu iam edomiti atque præparati, canit cum vult tanto melius atque iucundius, quanto illis omnibus præſtat quæ ſuperius ratio docuit cum beſtiis nos habere communia, appetitum ſcilicet imitandi,ſenſum atque memoriam. Nunquid habes aduerſum iſta quod dicas? D. Ego vero nihil habeo. Iam audire cupio cuiuſmodi ſit illa diſciplina, quam profecto à cognitione viliſſimorum animorum video ſubtiliſſimè vindicatam. M. NONDVM eſt ſatis quod factum eſt,nec ad eius explicationem tranſire nos ſinam,niſi quemadmodum conſtitit inter nos poſſe hiſtriones ſine iſta ſcientia ſatisfacere voluptati aurium popularium, ita etiam nullo modo eſſe poſſe hiſtriones muſicę ſtudioſos peritóſque conſtiterit. D. Mirum ſi hoc effeceris. M. Facile id quidem eſt,ſed attentiore te mihi opus eſt. D. Nunquam equidem quod ſciam remiſſior in audiendo fui,ab vſque ſermo iſte ſumpſit exordium:ſed nunc me fateor multo erectiorem reddidiſti. M. Gratum habeo tanquam tibi te commodes magis. Itaque reſponde ſi placet, vtrum tibi videatur ſcire quid ſit aureus ſolidus, qui eum æquo precio vendere cupiens, decem nummos eum valere putauerit? D. Cui hoc videatur? M. Nunc age dic mihi,quid charius habendũ ſit,quod noſtra intelligentia continetur, an quod nobis fortuito imperitorum iudicio tribuitur? D. Nulli dubium eſt, longè illud primum præſtare cæteris omnibus, †quæ ne noſtra quidem putanda ſunt. M. Num ergo negas omnem ſcientiam intelligentia contineri? D. Quis negat? M. Et muſica igitur ibi eſt. D. Video ex eius definitione id eſſe conſequens. M. Quid plauſus populi,& omnia illa theatrica præmia, nónne tibi ex eo genere videntur, quod in poteſtate fortunæ & imperitorum iudicio poſitum eſt? D. Nihil magis arbitror eſſe fortuitum obnoxiúmque caſibus & plebeiæ dominationi nutibúſque ſubiectum, quam illa ſint omnia. M. Hoccine igitur precio cantus ſuos venderent hiſtriones, ſi muſicam ſcirent? D. Non parum quidem hac concluſione commoueor, ſed nonnihil habeo quod contradicam. Nam ille venditor ſolidi cum iſto comparandus non videtur: non enim accepto plauſu aut qualibet ſibi largita pecunia, ſcientiam ſi quam fortè habeat qua populum delectauit amittit: ſed onuſtior nummo, & laude hominum lætior, cum eadem diſciplina incolumi atque integra domum diſcedit: ſtultus autem eſſet, ſi commoda illa contemneret, quæ non adeptus multò eſſet ignobilior atque pauperior, adeptus autem nihilo eſſet indoctior. M. Vide ergo vtrum vel iſto conficiamus quod volumus. Nam credo videri tibi multo eſſe prę-ſtantius, id propter quod aliquid facimus, quàm id-ipſum quod facimus. D. Manifeſtum eſt. M. Qui ergo cantat vel cantare diſcit, non ob aliud niſi vt laudetur à populo,vel omnino abs quouis homine, nónne iudicat meliorem laudem illam eſſe quam cãtum? D. Negare non poſſum. M. Quid ille qui malè de aliqua re iudicat, videtur tibi eam ſcire? D. Nullo modo, niſi fortè quoquo modo corruptus. M. Ergo qui verè putat melius eſſe aliquid quod deterius eſt, nullo dubitante ſcientia eius caret. D. Ita eſt. M. Quando igitur mihi vel perſuaſeris vel oſtenderis quemlibet hiſtrionum nõ ideo illam ſi quam habeat facultatem vel aſſecutum eſſe vel exhibere, vt populo placeat propter quæſtum aut famam, concedam poſſe quenquam & muſicę habere ſcientiam,& eſſe hiſtrionem. Si autem probabile eſt,neminem eſſe hiſtrionum qui non ſibi profeſſionis finem in pecunia ſeu gloria conſtituat ac proponat, fateri neceſſe eſt aut muſicam neſcire hiſtriones, aut magis expetendam eſſe ab aliis laudem, vel quæque alia fortuita commoda, quàm à nobiſmetipſis intelligentiam. D. Video me qui ſuperiora conceſſerim, etiam iſtis cedere debere. Non enim mihi vllo modo videri poteſt de ſcæna inueniri poſſe talem virum, qui artem ſuam propter ſeipſam, non propter extrapoſita commoda diligat, cum de gymnaſio vix talis inueniatur: quanquam ſi quis exiſtit vel extiterit,non eo contemnendi muſici, ſed honorandi aliquando hiſtriones poſſint videri. Quamobrem explica iam, ſi placet, tantam iſtam, quæ iam vilis mihi videri non poteſt, diſciplinam.

M. FACIAM, imò tu facies. Nam ego nihil quàm rogabo te ac percontabor: tu vero totum hoc quicquid eſt, & quod nunc neſciens quærere videris, reſpondendo explicabis. Itaque iam ex te quæro, vtrum quiſquam poſſit, & diu & velociter currere? D. Poteſt. M. Quid tarde & velociter? D. Nullo modo. M. Aliud ergo eſt diu, aliud tardè. D. Aliud omnino. M. Item quæro, quid putes diuturnitati eſſe contrarium, ſicuti eſt tarditati velocitas. D. Non mihi occurrit vſitatum nomen. Itaque diuturno nihil video quod opponam, niſi non diuturnum, vt ei quod dicitur, diu, contrarium ſit, non diu, quia & velociter ſi nolim dicere, & pro eo non tardè dicerem, nihil aliud ſignificaretur. M. Verum dicis. Nihil enim deperit cum ita loquimur veritati. Nã & mihi ſi eſt hoc nomen,quod tibi non occurriſſe dicis, aut ignoratur à me, aut in præſentia non venit in mentem. Quamobrem ſic agamus,vt

CAP. V. *Senſus muſices ineſt natura.*

CAPVT VI. *Cantores theatricos neſcire artem.*

al. quod noſtra intelligentia continetur.

CAPVT VII. *Diu & non diu.*

mus, vt hęc bina contraria appellemus hoc modo, diu & non diu, tardè & velociter. Ac primum de diuturno & non diuturno differamus, si placet. D. Ita fiat.

CAPVT VIII. *Proportio in motu, vt in modis.*

M. MANIFESTVM ne tibi est, id dici diu fieri, quod per longum, id autem non diu, quod per breue tempus fit? D. Manifestum. M. Motus igitur qui fit, verbi gratia, in duabus horis, nónne ad eum qui per horam fit, duplum habet tempus? D. Quis hinc dubitauerit? M. Recipit ergo id quod diu vel non diu dicimus dimẽsiones huiusmodi & numeros, vt alius motus ad alium tanquam duo ad vnum sit, id est vt bis tantum habeat: alius item ad alium tanquam tria ad duo, id est vt tantas tres partes temporis habeat, quantas alias duas: atque ita per cæteros numeros licet currere, vt non sint spacia infinita & interminata, sed habeant ad se duo motus aliquem numerum: aut eundem, vt quantum temporis vnus tantum teneat alter: aut non eundem, vt vnum ad duo, duo ad tria, tria ad quatuor, aut vnum ad tria, duo ad sex, & quicquid potest aliquid ad sese dimensionis obtinere. D. Planius ista quæro. M. Reuertere ergo ad illas horas, & quod satis putabam dictum, cum de vna hora & de duabus dixissem, per omnia considera. Certè enim non negas posse fieri aliquem motum tempore vnius horæ, & alium duarum. D. Verum est. M. Quid alium duarum, alium trium non fateris? D. Fateor. M. Et alium tribus horis fieri, alium quatuor, rursus alium vna, alium tribus, aut alium duabus, alium sex, nónne manifestum est? D. Manifestum est. M. Cur ergo & illud non manifestum sit? Nam hoc dicebam cum duos motus habere ad se posse aliquem numerum dicerem, velut vnum ad duo, duo ad tria, tria ad quatuor, vnum ad tria, duo ad sex, & si quos alios recensere volueris. His enim cognitis, est & potestatis persequi cætera, siue septem ad decem, siue quinque ad octo, & quicquid omnino est in duobus motibus ita partes dimensas habentibus adinuicem, vt possint dici tot ad tot, siue equales numeri sint, siue alius maior, alius minor. D. Iam intelligo, & fieri posse concedo.

CAPVT IX. *Motus rationales & irrationales.*

M. ILLVD etiam, vt opinor, intelligis, omnem mensuram & modum immoderationi & infinitati rectè anteponi. D. Manifestissimum est. M. Duo igitur motus qui ad sese, vt dictum est, habent aliquam numerosam dimensionem, iis qui eam non habent anteponendi sunt. D. Et hoc manifestum est atque consequens. Illos enim certus quidam modus, atq; mensura quæ in numeris est, sibimet copulat, qua qui carent, non vtique sibi aliqua ratione iunguntur. M. Appellemus ergo, si placet, illos qui inter se dimensi sunt rationabiles, illos autem qui ea dimensione carent, irrationabiles. D. Placet verò. M. Iam illud attẽde, vtrum tibi videatur maior concordia in motibus rationabilibus eorum qui æquales sunt inter se, quam eorũ qui sunt inæquales? D. Cui hoc non videatur. M. Porrò inæqualium, nónne alij sunt in quibus possumus dicere, quota parte sua maior aut coæquetur minori, aut eum excedat? Alij autem in quibus non idem dici potest, sicut in his numeris, duo & quatuor, vel sex & octo? Cernis profectò in illis duobus numeris superioribus dimidia parte maiorem minori coæquari, in iis rursum quos posterius dixi, minorem à maiore quarta parte maiores excedi. In iis autem aliis, quales sunt tria & decem, vel quatuor & vndecim, videmus quidem nonnullam conuenientiam, quia partes ad se habent, de quibus dici possit, tot ad tot. Sed nunquid talem, qualis est in superioribus? Nam neq; quota parte minori maior æquetur, neque quota parte minorem maior excedat, dici vllo modo potest. Nam neq; tria quota pars sit denarij numeri, neque quatuor quota pars sit vndenarij, dixerit quispiam. Cum autem dico, vt consideres quota sit pars, liquidam dico, & sine vllo additamento, sicuti est dimidia, tertia, quarta, quinta, sexta, & deinceps, non vt trientis & semiunciæ, & hoc genus præcisionum aliquid addatur. D. Iam intelligo. M. Ergo ex his inęqualibus motib. rationabilibus, quoniam duo genera subiectis etiã numerorum exemplis proposui, quos quibus anteponẽdos arbitraris? Illósne in quibus illa quota pars dici potest, an in quibus non potest? D. Illos mihi ratio videtur anteponendos iubere, in quibus potest dici, vt demonstratum est, quota parte sui maior aut coęquetur minori, aut eũ excedat, iis in quibus idem non euenit. M. Rectè. Sed visne etiam his nomina imponamus, vt cũ eos deinceps commemorare necesse fuerit, expeditius loquamur? D. Volo sanè. M. Appellemus ergo istos quos præponimus connumeratos, illos autem quibus hos præponimus dinumeratos, propterea quia isti superiores nõ solum singuli numerantur, sed etiam ea parte qua maior minori ęquatur vel eum excedit, se metiuntur & numerant: illi autẽ posteriores singillatim tantummodo ad se numerantur, ea verò parte qua vel æquatur minori maior vel excedit nõ se metiuntur & numerant. Non enim potest in eis dici, aut quoties habeat minorem maior, aut illud quo excedit maior minorem, quoties habeat & maior & minor. D. Accipio & ista vocabula, & quantum valeo faciam vt meminerim.

CAP. X. *Motus complicati & sesquiales.*

M. AGE nunc videamus connumeratorum quæ possit esse partitio. Nanque arbitror esse perspicuum. Vnum enim genus est connumeratorum, in quo minor numerus metitur maiorem, id est aliquoties eum habet maior, sicut numeros duo & quatuor esse diximus. Videmus enim duo à quatuor bis haberi, quæ ter haberentur, si non quatuor, sed sex & duo poneremus, quater autem si octo, quinquies autem si decem. Aliud genus est, in quo ea pars qua excedit maior minorem, ambos metitur, id est aliquoties habent eam, & maior & minor, quod in illis numeris iam perspeximus, sex & octo. Nam pars illa qua exceditur minor, duo sunt, quos vides esse in octonario numero quater, in senario ter: quare hos quoq; motus, de quibus agitur, & numeros per quos illustratur quod in motibus discere volumus, notemus atq; signemus vocabulis. Nam eorum distinctio iam dudum, nisi fallor, apparet. Quocirca si tibi iam videtur, illi vbi multiplicato minore fit maior, vocentur complicati. Illi autem sesquiali veteri iam nomine. Nam sesque appellantur vbi duo numeri ad se ea ratione affecti sunt, vt tot partes habeat ad minorem maior, quota parte sui eum præcedit. Nam si est tria ad duo, tertia parte sui præcedit maior minorem: si quatuor ad tria, quarta: si quinque ad quatuor, quinta, atque ita deinceps. Eadem ratio est & in sex ad quatuor, octo ad sex, decem ad octo: & inde licet hanc rationem in consequentibus, & in maioribus numeris animaduertere atque explorare. Nominis autem huius originem nõ facilè dixerim, nisi fortè sesque quasi se absque dictum, id est absque se, quia quinq; ad quatuor, absque quinta parte sui maior, hoc est quod minor. Quibus de rebus quæro quid tibi videatur. D. Mihi vero & illa ratio dimensionum atque numerorum videtur verissima, & vocabula quæ abs te imposita sunt, congrua mihi videntur commemorandis eis rebus quas intelleximus, & huius origo nominis quã nunc explicasti, non est absurda, etiam si fortè non ea sit quam secutus est qui hoc nomen instituit.

Numeri sesquati qui & vnde appellentur.

CAPVT XI. *Motus et numeros infinitus.*

M. PROBO & accipio sententiam tuam, sed vides ne omnes istos rationabiles motus, id est qui ad sese habent aliquam numerorum dimensionem, in infinitum posse per numeros pergere, nisi rursus eos certa ratio coërcuerit, & ad quendam modum formámq; reuocauerit? Nam vt primo de ipsis æqualibus dicam, vnum ad vnum, duo ad duo, tria ad tria,

quatuor ad quatuor, ac deinceps si persequar quis finis erit cum ipsius numeri finis nullus sit? Nanque ista vis numero ineſt, vt omnis dictus finitus sit, non dictus autem infinitus. Et quod æqualibus euenit, hoc etiam inæqualibus euenire, potes animaduertere, siue complicatis, siue sesquatis, siue connumeratis, siue dinumeratis. Si enim vnum ad duo constituas, & in ea multiplicatione permanere velis: dicendo vnum ad tria, vnum ad quatuor, vnum ad quinque, & deinceps, non erit finis: siue sola dupla, vt vnum ad duo, duo ad quatuor, quatuor ad octo, octo ad sedecim, & deinde, hic quoque nullus est finis: ita & tripla sola & quadrupla sola, & quicquid horum tentare volueris, in infinitum progrediuntur. Ita etiam sesquati. Nam duo ad tria, tria ad quatuor, quatuor ad quinque cum dicimus, vides nihil prohibere cætera prosequi, nullo resistente fine: siue isto modo velis in eodem genere perseuerans, vt duo ad tria, quatuor ad sex, sex ad nouem, octo ad duodecim, decem ad quindecim, & deinceps, siue in hoc genere, siue in cæteris, nullus finis occurrit. Quid opus est de dinumeratis iam dicere, cum ex iis quæ iam dicta sunt quiuis intelligere possit, in iis quoque gradatim surgentibus nullum esse finem? An tibi non videtur? D. Quid hoc vero verius dici potest? Sed iam illam rationem quæ istam infinitatem reuocat ad certum modum, formámque præscribit, quam excedere non oporteat, auidissimè cognoscere expecto. M. Hanc quoque vt alia temetipsum nosse cognosces, cum me interrogante vera responderis. Nam primo abs te quæro, quoniam de numerosis motibus agimus, vtrum ipsos debeamus consulere numeros, vt quas in eis leges certas fixásque monstrauerimus, eas in illis motibus animaduertendas obseruandásque iudicemus. D. Placet vero, non enim quicquam ordinatius fieri posse arbitror. M. Ergo ab ipso si videtur principio numerorum capiamus huius considerationis exordium, & videamus quantum pro viribus mentis nostræ talia valeamus intueri, quæ nam sit ratio, vt quamuis per infinitum (vt dictum est) numerus progrediatur, articulos quosdam homines in numerando fecerint, à quibus ad vnum rursus redeant, quod est principium numerorum. In numerando enim progredimur ad decem, atque inde ad vnum reuertimur: at si denariam complicationem persequi velis, vt hoc modo progrediaris, decem, viginti, triginta, quadraginta, vsque ad centum est progressio, si centenariam, centum, ducenta, trecenta, quadringenta, in mille est articulus à quo redeatur: quid iam est opus vltra quærere? Vides certè quos articulos dicam, quorum prima regula denario numero præscribitur. Nam vt decem, decies habent vnum: ita centum, decies habent decem: & mille, decies habent centum: & ita deinceps quousque libitum est progrediuntur in huiuscemodi quasi articulis, quod in denario numero præfinitum est. An aliquid horum non intelligis? D. Manifestissima sunt omnia, & verissima.

CAPVT XII. *De concordia numerorum, iuxta Pythagoricos.*

M. Hoc ergo quantum possumus diligenter perscrutemur, quæ nam sit ratio vt ab vno vsque ad decem sit progressus, & inde rursus ad vnum reditus fiat. Vnde abs te quæro, vtrum quod vocamus principiũ, possit omnino esse: nisi alicuius rei principium? D. Nullo modo potest. M. Item quod dicimus finem, potest ne nisi alicuius rei finis esse? D. Etiam id non potest. M. Quid à principio ad finem, num putas perueniri posse, nisi per aliquod medium? D. Non puto. M. Ergo vt totum aliquid sit, principio & medio & fine constat. D. Ita videtur. M. Dic itaque nunc, principium, medium, & finis, quo numero tibi contineri videantur. D. Arbitror ternarium numerum te velle vt respondeam. Tria enim quædam sunt de quibus quæris. M. Rectè arbitraris. Quare in ternario numero quandam esse perfectionem vides, quia totus est, habet enim principium, medium & finem. D. Video planè. M. Quid illud? Nónne ab ineunte pueritia didicimus, omnem numerum aut parem esse, aut imparem? D. Verum dicis. M. Recordare ergo & dic mihi, quem soleamus dicere parẽ esse, aut imparem? D. Ille qui potest in duas partes æquales diuidi, par: qui autem non potest, impar vocatur. M. Rem tenes. Cum igitur ternarius primus sit, & totus impar, principio enim & medio & fine constat, vt dictum est, nõne oportet etiam parem esse totum atque perfectum, vt in eo & principium medium finisque inueniatur? D. Oportet sanè. M. At iste quisquis est, non potest habere indiuiduum medium sicut impar. Si enim haberet, non posset in duas æquales partes diuidi, quod esse proprium paris numeri diximus. Indiuiduum autem medium est vnum, diuiduum duo. Medium autem est in numeris, à quo ambo latera sibimet sunt æqualia. *Medium in numeris quid.* An aliquid obscurè dictum est, minúsque assequeris? D. Imò mihi hæc manifesta sunt. Et dum quæro totum numerum parem, quaternarius primus occurrit. Nam in duobus quomodo possunt tria illa inueniri per quæ totus est numerus, id est principium, medium & finis? M. Idipsum omnino abs te responsum est quod volebam, & ipsa ratio cogit fateri. Repete itaque ab ipso vno tractationem, atque considera, videbis profectò ideo vnum non habere medium & finem: quia tantum principium est, vel ideo esse principium, quia medio & fine caret. D. Manifestum est. M. Quid ergo dicemus de duobus? Num possumus in eis intelligere principium & medium, cum medium esse non possit, nisi vbi finis: aut principium & finem, cum ad finem nisi per medium non queat perueniri? D. Vrget ratio confiteri. Et quid de hoc numero respondeam, prorsus incertus sum. M. Vide ne iste quoque numerus possit principium esse numerorum. Nam si medio caret & fine, quod, vt dixisti, cogit ratio confiteri: quid restat, nisi vt sit hoc quoque principium? An dubitas duo principia constituere? D. Vehementer dubito. M. Benefaceres, si ex aduerso sibi constituerentur duo principia. Nunc autem hoc alterum principium de illo primo est, vt illud à nullo sit, hoc vero ab illo: vnum enim & vnum duo sunt, & principia ita sunt ambo: vt omnes numeri quidem ab vno sint, sed quia per complicationem atque adiunctionem quandam fiunt: origo autem complicationis & adiunctionis duali numero rectè tribuitur, fit vt illud sit primum principium à quo numeri omnes: hoc autem alterum per quod numeri omnes esse inueniantur: nisi quid habes aduersum ista quod differas. D. Ego verò nihil, & sine admiratione ista non cogito, quamuis & interrogatus abs te ipse respondeam. M. Subtilius ista quæruntur, atque abstrusius in ea disciplina quæ est de numeris. Hic autem nos ad institutum opus quanto citius possumus, redeamus. Quocirca quæro, vni duo iuncta quid faciunt? D. Tria. M. Ergo hæc duo principia numerorum sibimet copulata, totum numerum faciunt atque perfectum. D. Ita est. M. Quid numerando, post vnum & duo quem numerum ponimus? D. Eadem tria. M. Idẽ igitur numerus qui fit ex vno & duobus, post vtrumque in ordine collocatur, ita vt nullus alius interponi queat. D. Ita video. M. Atqui & illud videas oportet, in nullis reliquis numeris id posse contingere, vt cum duos quoslibet sibimet in numerandi ordine copulatos notaueris, consequatur eos ille qui ex ambobus conficitur, nullo interposito. D. Id quoque video, nam duo & tria, qui sibi numeri copulati sunt, in summa quinq; faciunt: non autẽ quinq; continuatim sequuntur, sed quatuor. Rursus tria & quatuor septẽ faciunt,

inter

inter quatuor autem ac ſeptem quinque atq; ſex ordinati ſunt: & quanto progredi voluero, tanto plures interponuntur. M. Magna ergo hæc concordia eſt in prioribus tribus numeris: vnum enim & duo & tria dicimus, quibus nihil interponi poteſt. Vnum autem & duo, ipſa ſunt tria. D. Magna prorſus. M. Quid illud? Nulla ne conſideratione dignum putas, quod iſta concordia quanto eſt arctior atque conſtrictior, tanto magis in vnitatem quandam tendit, & vnum quiddam de pluribus efficit? D. Imò maxima: & neſcio quomodo & miror & amo iſtam quam commendas vnitatẽ. M. Multum probo, ſed certè quælibet rerum copulatio atque connexio, tunc maximè vnum quiddam efficit, cùm & media extremis, & mediis extrema conſentiunt. D. Ita certè oportet. M. Attende igitur vt hoc in iſta connexione videamus. Nam cum vnum, duo, tria, dicimus: nónne quantum vnum à duobus, tãtum duo à tribus ſuperantur? D. Veriſſimum eſt. M. Dic iam nunc mihi, in iſta collatione quoties vnum nominauerim? D. Semel. M. Tria quoties? D. Semel. M. Quid duo? D. Bis. M. Semel ergo & bis & ſemel, quoties fit in ſumma? D. Quater. M. Rectè igitur iſtos tres quaternarius numerus ſequitur, ei quippe tribuitur iſta proportione collatio. Quæ quantum valeat, eo iam aſſueſce cognoſcere, quod illa vnitas quam te amare dixiſti in rebus ordinatis, hac vna effici poteſt, cuius Græcum nomen ἀναλογία eſt, noſtri quidam proportionem vocauerunt, quo nomine vtamur, ſi placet. Non enim libenter, niſi neceſſitate Græca vocabula in Latino ſermone vſurpauerim. D. Mihi verò placet: ſed perge quò intenderas. M. Faciam. Nam quid ſit proportio, quantúmque in rebus iuris habeat, & ſuo loco in hac diſciplina diligentius requiremus, & quanto in eruditione promotior eris, tanto eius vim melius naturámque cognoſces. Sed vides certè, quod in præſentia ſatis eſt, tres illos numeros, quorum mirabaris concordiam, ſibimet in eadem connexione niſi per quaternarium numerum non potuiſſe conferri. Quamobrem poſt illos ſe ordinari, ſicut illa concordia arctiore cum his copuletur, quantum intelligis iure impetrauit vt iam non vnum, duo, tria tantum, ſed vnum, duo, tria, quatuor, ſit amiciſſimè copulata progreſſio numerorum. D. Omnino aſſentior. M. At cætera intuere, ne arbitreris nihil habere proprium quaternarium numerum, quo reliqui omnes numeri careant, quod valeat ad iſtam connexionem de qua loquor, vt ab vno vſque ad quatuor certus numerus ſit, & pulcherrimus progrediendi modus? Conuenerat quippe inter nos ſuperius, tunc ex pluribus vnum aliquid maximè fieri, cum extremis media, & mediis extrema conſentiunt. D. Ita eſt. M. Cum ergo collocamus vnum & duo & tria, dic quæ ſunt extrema, quod medium? D. Vnum & tria extrema video, duo medium. M. Reſponde nunc, ex vno & tribus quid conficiatur? D. Quatuor. M. Quid duo. D. Quia vnus in medio numerus eſt, non poteſt niſi ſibi conferri. M. Quamobrem dic etiam, duo bis quid faciunt? D. Quatuor. M. Itaque ergo medium extremis: & medio extrema conſentiunt. Quamobrem ſicut excellit in tribus, quod poſt vnum & duo collocantur, cum ex vno & duobus conſtent: ſic excellit in quatuor, quod poſt vnum & duo & tria numerantur, cum conſtent ex vno & tribus, vel bis duobus, quæ extremorum cum medio, & medij cum extremis, in illa quæ Græcè ἀναλογία dicitur, proportione cõſenſio eſt. Quod vtrum intellexeris, pande. D. Satis intelligo. M. Tenta ergo in reliquis numeris, vtrum non inueniatur quod quaternarij numeri proprium eſſe diximus. D. Faciam. Nam ſi conſtituamus duo, tria, quatuor, extrema collata fiunt ſex, hoc facit & medium ſibi collatum, non tamen ſex, ſed quinque conſequuntur. Rurſus tria, quatuor & quinque conſtituta, extrema octo faciunt, medium quoque bis ductum. At inter quinque & octo, non iam vnum, ſed duos, ſenarium ſcilicet & ſeptenarium numeros interpoſitos video. Atque illa ratione quantum progredior, tantum hæc faciunt interualla maiora. M. Video te intellexiſſe, & omnino ſcire quod dictum eſt: ſed iam nunc ne immoremur, animaduertis certè ab vno vſque ad quatuor iuſtiſſimam fieri progreſſionem: ſiue propter imparem ac parem numerum, quoniam primus impar totus tria, & primus par totus quatuor, de qua re paulo ante tractatũ eſt: ſiue quia vnum & duo principia ſunt, & quaſi ſemina numerorum, è quibus ternarius conficitur, vt ſint iam tres numeri, qui ſibi dum proportione conferuntur, quaternarius eluceſcit & gignitur, & propterea eis iure coniungitur, vt vſque ad illum fiat ea quam quærimus moderata progreſſio. D. Intelligo. M. Bene ſanè. Sed meminiſti ne tandem quid inſtitueramus inquirere? Nam, vt opinor, propoſitum erat, ſi quomodo inuenire poſſemus, cũ in illa infinitate numerorum certi articuli eſſent à numerantibus conſtituti, quid eſſet cauſæ cur ipſe primus articulus in denario numero eſſet qui per omnes cæteros valet plurimum, id eſt cur ab vno vſq; ad decem progreſſi numerantes rurſum ad vnum remearent? D. Recordor planè inquiſitionis huius cauſa nos tantum circuiſſe: ſed quid effecerimus quod ad eam ſoluendam pertineat, non inuenio. Siquidem illa omnis noſtra ratiocinatio ad id concluſa eſt, vt nõ vſque ad denarium, ſed vſque ad quaternarium numerum ſit iuſta & moderata progreſſio. M. Tu ne igitur non vides, ex vno & duobus, & tribus & quatuor quæ ſumma conficiatur? D. Video iam, video, & miror omnia, & ortam quæſtionem ſolutam eſſe confiteor: vnum enim & duo & tria & quatuor ſimul decẽ ſunt. M. Ergo iſtos quatuor primos numeros, ſeriémq; & connexionem eorũ honorabilius haberi quam cætera, in numeris conuenit.

CAPVT XIII. De proportionatorum motuum decore.

TEMPVS eſt autem ad illos motus redire tractandos & diſcutiendos, qui huic diſciplinæ propriè tribuuntur, & propter quos iſta de numeris, de alia ſcilicet diſciplina, quantum pro negocio ſatis viſum eſt, conſideraui mus. Itaque nunc abs te quæro, quoniam intelligendi gratia in horarũ ſpacio motus conſtituebamus, quos ad ſe inuicem habere aliquam numeroſam dimenſionem ratio demonſtrabat, vtrum, ſi quiſquam mora vnius horæ currat, & alius deinceps duarum, poſſis non inſpecto horologio vel clepſydra, vel aliqua huiuſmodi temporum notatione ſentire illos duos motus, quod vnus ſimplus, alius duplus ſit: vel etiam ſi id non poſſis dicere, illa tamen congruẽtia delectari, atque aliqua voluptate affici. D. Nullo modo poſſum. M. Quid ſi quiſpiam numeroſe plaudat, ita vt vnus ſonitus ſimplum, alter duplum temporis teneat, quos iambos pedes vocant, eóſq; continuet atque cõtexat: alius autem ad eundem ſonum ſaltet, ſecũdum ea ſcilicet tempora mouẽs membra: nónne aut etiam dicas ipſum modulum temporum, id eſt, quod ſimplum & duplum ſpacia in motibus alternãt, ſiue in illo plauſu qui auditur, ſiue in illa ſaltatione quæ cernitur: aut ſaltẽ delecteris eadem numeroſitate quã ſentias: tametſi nõ poſſis numeros eius dimẽſionis edicere? D. Ita vero eſt vt dicis: nam & illi qui hos numeros nouerunt, ſentiũt eos in plauſu atq; ſaltatione, quiq́ue ſint facilè dicũt: & qui eos non nouerunt, nec poſſunt dicere, non negant tamen ex his ſeſe voluptate aliqua perfrui. M. Cũ igitur ad ipſam rationẽ diſciplinę huius, ſi quidẽ ſcientia eſt bene modulãdi, non poſſit negari omnes pertinere motus qui bene modulati ſunt, etiã eos potiſſimũ qui non referuntur ad aliud aliquid, ſed in ſeipſis finẽ decoris delectationisq́; conſeruãt: hi tamen motus, vt tunc à me rogatus rectè vereq́; dixiſti,

ſi longo

si longo spacio temporis fiant, inque ipsa dimensione quæ decora est, horam vel etiam maius tempus obtineant, non possunt cõgruere nostris sensibus. Quamobrem cum procedẽs quodammodo de secretissimis penetralibus musica, in nostris etiam sensibus, vel in his rebus, quę à nobis sentiuntur, vestigia quædam posuerit: nónne oportet eadem vestigia prius persequi, vt commodius ad ipsa, si potuerimus, quę diximus penetralia, sine vllo errore ducamur? D. Oportet verò, & hoc iamiamque vt faciamus, efflagito. M. Omittamus ergo illas vltra capacitatem sensus nostri porrectas tẽporum metas, & de his breuibus interuallorum spaciis, quę in cantando saltandóque nos mulcent, quantum ratio nos duxerit, disseramus. Nisi tu forte aliter putas illa vestigia indagari posse, quæ in nostris sensibus, hisq; rebus quas valemus sentire hãc disciplinam posuisse, prædictum est. D. Nullo modo aliter puto.

DIVI AVRELII AVGVSTINI DE MVSICA, LIBER II.

CAP. I. *Syllabarum spatia aliter musici aliter grammatici docent.*

ATTENDE igitur diligenter, & nunc demum accipe quasi alterum nostræ disputationis exordium. Ac primum respõde, vtrum bene didiceris eam quam grammatici docent, syllabarum breuium longarúmque distãtiam: an verò siue ista noris siue ignores, mauis vt ita quæramus, quasi omnino rudes harũ rerum simus, vt ad omnia nos ratio potius perducat, quam inueterata consuetudo, aut præiudicata cogat auctoritas? D. Ita planè malle me, non modò ipsa ratio, sed istarum etiam syllabarum imperitia (quid enim fateri dubitem) impellit. M. Age iam, saltem illud eloquere, vtrum tuipse per te nunquam animaduerteris in locutione nostra alias syllabas raptim & minimè diu, alias autem productius & diutius enũciari? D. Negare non possum, non me ad ista etiam surdum fuisse. M. Atqui scias velim totam illam scientiam, quæ grammatica Græcè, Latinè autem literaria nominatur, historiæ custodiam profiteri: vel solam, vt subtilior docet ratio: vel maximè, vt etiam pinguia corda concedunt. Itaque verbi gratia cum dixeris, cano, vel in versu fortè posueris, ita vt vel tu pronuncians producas huius verbi syllabam primam, vel in versu eo loco ponas, vbi esse productum oportebat, reprehendet grammaticus, custos ille videlicet historiæ: nihil aliud asserens, cur hanc corripi oporteat, nisi quod hi qui ante nos fuerunt, & quorum libri extant tractanturque à grammaticis, ea correpta, non producta vsi fuerint. Quare hic quicquid valeat, auctoritas valet. At verò musicæ ratio, ad quam dimensio ipsa vocum rationabilis & numerositas pertinet, non curat nisi vt corripiatur vel producatur syllaba, quæ illo vel illo loco est secundum rationem mensurarum suarum. Nam si eo loco vbi duas longas syllabas poni decet, hoc verbum posueris, & primam quæ breuis est, pronunciatione longam feceris, nihil musica omnino succenset: tempora enim vocum ea peruenere ad aures, quæ illi numero debita fuerunt. Grammaticus autem iubet emendari, & illud te verbum ponere cuius prima syllaba producenda sit, secundum maiorum, vt dictum est, auctoritatem, quorum scripta custodiunt.

CAPVT II. *Qui versus perperã pronunciatus, & grammaticũ offendat & musicum.*

QVAMOBREM nos, cum rationes musicæ persequendas suscepimus, etiam si nescis quæ syllaba corripienda, quæ producenda sit, possumus tamẽ non impediri hac ignorantia tua, satisque habere, quod te animaduertisse dixisti alias syllabas correptiores, alias productiores. Quare illud nunc quæro, vtrum sonus versuum aliquando te aliqua per aures voluptate commouerit? D. Prorsus sæpissimè, ita vt nunquã ferè sine delectatione versum audiuerim. M. Si quis ergo in versu, quo audito delectaris, eo loco quo ratio eiusdẽ versus nõ postulat, vel producat syllabas, vel corripiat, num eodem modo delectari potes? D. Imò audire hoc sine offensione non possum. M. Nullo modo igitur dubium est, quin te in sono quo te delectari dicis, dimensio quędam numerorum delectet, quo perturbato delectatio illa exhiberi auribus non potest. D. Manifestũ est. M. Dic mihi deinceps quod ad sonum versus attinet, quid intersit, vtrum dicam: *Arma virumq; cano, Troiæ qui primus ab oris*: an, Qui primis ab oris? D. Mihi verò vtrunque quantum ad illam dimẽsionem pertinet, idem sonat. M. Et hoc mea pronunciatione factũ est, cum eo scilicet vitio quod barbarismum grammatici vocant: nam Primus, longa est, & breuis syllaba: Primis autem, ambæ producendæ sunt: sed ego vltimam earum corripui, ita nihil fraudis passæ sunt aures tuæ. Quamobrem illud etiam atq; etiam tentandum est, vtrum me pronunciante sentias, quod fit in syllabis diu & non diu, vt nostra disputatio, me interrogãte, ac te respondente, sicut instituimus, possit procedere. Itaq; iam eundem versum in quo barbarismum feceram, repetam, & illam syllabam quam ne tuæ aures offenderentur, corripui, producam, vt grammatici iubent: tu mihi renunciato, vtrum illa versus dimẽsio sensum tuum eadem afficiat voluptate: sic enim pronunciem, *Arma virumq; cano, Troiæ qui primis ab oris.* Æneid. 1. D. Nunc verò negare non possum, nescio qua soni deformitate me offensum. M. Non iniuria: quanquam enim barbarismus factus non sit, id tamen vitiũ factum est, quod & grammatica reprehẽdat & musica. Grammatica, quia id verbum, cuius nouissima syllaba producenda est, eo loco positum est vbi corripienda poni debuit: musica verò tatummodo, quia producta quælibet vox est eo loco quo corripi oportebat, & tempus debitum quod numerosa dimensio postulabat, redditum non est. Quocirca si iam satis discernis quid sensus, quid auctoritas postulet, sequitur vt videamus, ille ipse sensus cur aliàs delectetur in sonis vel productis vel correptis, aliàs offendatur: id est enim quod ad diu, & non diu pertinet, quam partem nos explicandam suscepisse credo quod memineris. D. Ego verò & illud discreui, & hoc memini, & ea quæ sequũtur intẽtissimè expecto.

CAPVT III. *Syllabarum tempora.*

M. QVÆ putas, nisi vt incipiamus sibimet syllabas cõparare, & videre quos numeros ad sese habeant, sicut de motibus iam inter nos tam longa superius ratione tractatum est? Motus est enim etiam omne quod sonat, & syllabæ vtiq; sonant: an quicquam horum negari potest? D. Nullo modo. M. Cũ ergo syllabæ inter se conferuntur, motus quidam inter se conferuntur, in quibus possint numeri quidam temporis mensura diuturnitatis inquiri. D. Ita est. M. Num igitur potest sibi vna syllaba comparari? Nam omnem comparationem, nisi tu aliud putes, singularitas fugit. D. Nihil puto aliud. M. Quid vna vni, aut vna vel duæ, duabus vel tribus, & deinceps in pluribus, quin possint sibimet conferri, num negas? D. Quis hoc negauerit? M. Rursus hoc vide, quamlibet syllabam breuem minimeque diu pronunciatam, & mox vt eruperit desinentem, occupare tamen in tempore aliquid spatij, & habere quandam morulam suam. D. Video necesse esse quod dicis. M. Dic nunc, vnde numerũ exordiamur. D. Ab vno scilicet. M. Non absurdè igitur hoc in tempore quasi minimum spatij, quod breuis obtinet syllaba, vnum tempus veteres vocauerunt: à breui enim ad lõgam progredimur. D. Verum est. M. Sequitur iam, vt illud quoque animaduertas, quoniam vt in numeris ab vno ad duo est prima progressio, ita in syllabis, qua scilicet à breui ad longam progredimur, longam

duplum

duplum temporis habere debere. Ac per hoc si spaciũ quod breuis occupat, rectè vnum tempus vocatur: spacium item quod longa occupat, rectè duo tẽpora nominari. D. Rectè prorsus, nam id rationem postulare consentio. M. AGE nunc collationes ipsas videamus: nam vna breuis syllaba ad vnam breuem syllabam quæro quam rationem tibi habere videatur, vel hi motus inter sè quid vocentur. Meministi enim, nisi fallor, in superiore sermone nos omnibus motibus, qui inter se aliqua numerositate conueniunt, imposuisse vocabula. D. Æquales eos memini nominatos, tantundem enim ad se habent temporis. M. Sed istam collationem syllabarum qua sibi iam cõferuntur vt habeant ad se aliquos numeros, nũ censes sine vocabulo esse relinquendam? D. Non puto. M. Atqui scias, veteres pedem nuncupasse talem collationẽ sonorum. Sed quousq; pedem progredi ratio sinat, diligenter animaduertẽdum est. Quamobrem iam dic etiam, breuis & longa syllaba qua sibi ratione conferantur. D. Opinor, ex illo genere numerorũ, quos complicatos esse vocauimus, istam collationem manare: siquidem in ea simplum ad duplũ collatũ esse video, id est vnum tempus breuis syllabæ ad duo tẽpora longæ syllabæ. M. Quid si ita ordinentur, vt prius lõga, deinde breuis syllaba pronũcietur? Num quia ordo mutatus est, ideo complicatorum numerorum ratio non manet? Nam vt in illo pede simplum ad duplũ, ita in isto duplum ad simplum inuenitur. D. Ita est. M. Quid in pede duarum longarum, nónne duo tempora duobus temporibus comparantur? D. Manifestũ est. M. Ex qua ergo ratione ducitur ista collatio? D. Ex eorũ scilicet qui æquales appellati sunt. M. Age nunc dic mihi, ex quo à duabus breuibus orsi ad duas syllabas longas peruenimus, quot pedum collationes tractauerimus? D. Quatuor: nam primò de duabus breuibus dictũ est, secũdò, de breui & longa, tertiò, de lõga & breui, quartò, de duabus lõgis. M. Num possunt esse plures quam quatuor, cũ duæ syllabæ sibimet conferuntur? D. Nullo modo: nam cum syllabæ hunc modum acceperint, vt breuis vnum tempus, longa duo habeat, cúmq; syllaba omnis aut breuis aut lõga sit, quo pacto sibi possint duæ syllabę comparari atq; copulari, vt pedem faciant, nisi aut breuis & breuis sit, aut breuis & longa, aut longa & breuis, aut longa & longa? M. Dic etiam quot habeat tempora binarum syllabarum minimus pes, quot item maximus? D. Duo ille, iste quatuor. M. Videsne vt progressio nisi vsq; ad quaternariũ numerum fieri non potuerit, siue in pedibus, siue in temporibus? D. Video planè, & recordor rationẽ progressionis in numeris, atque illam vim hic etiam inesse sentio cum magna animi voluptate. M. Nónne ergo censes, cum pedes syllabis cõstent, id est distinctis & quasi articulatis motibus qui sunt in sonis, syllabæ verò tendantur temporibus, oportere fieri etiam vsq; ad quatuor syllabas progressionem pedis, sicut iã factam vsq; ad quaternarium numerum, & ipsorum pedũ & temporum cernis? D. Ita planè vt dicis sentio, & hoc videri perfectæ rationi cognosco, & debitum flagito.

M. AGE nunc ergo prius, vt ordo ipse postulat, ternarum syllabarum pedes quot esse possint, videamus, sicut binarum quatuor esse comperimus. D. Ita fiat. M. Meministi ab vna breui syllaba, id est vnius temporis istam nos inchoasse rationem, & cur ita oporteret, satis intellexisse. D. Memini ab illa lege numerandi, quod ab vno incipimus, quod principium numerorũ est, placuisse nobis non oportere discedere. M. Cũ igitur in pedibus binarum syllabarum ille sit primus qui duabus breuibus cõstat: cogebat enim ratio vni tempori prius vnum tempus iungi quam duo, quem tandem arbitraris in pedibus ternarũ syllabarum primũ esse debere? D. Quem nisi eum qui à tribus breuibus cõfit? M. Et iste quot temporum est? D. Trium scilicet. M. Quomodo ergo huius partes sibi conferuntur? Nã omnem pedem propter illam numerorum collationẽ duas habere partes, quæ sibimet aliqua ratione conferantur, necesse est, idque superius egisse nos memini: sed nunquid possumus hunc trium breuium syllabarum pedem in duas æquales partes diuidere? D. Nullo modo. M. Quomodo ergo diuiditur? D. Nihil aliud video, nisi vt prima pars habeat vnam syllabam, secũda duas, aut prima duas, secunda vnam. M. Dic etiã hoc, de qua regula numerorum sit? D. De complicatorum genere esse cognosco. M. Age nunc illud attende, tres syllabæ in quibus est vna longa, cæterę breues, quoties variari possint, id est, quot pedes facere, & responde si inueneris. D. Vnum pedem video esse, qui longa & duabus breuibus constet, aliud non intelligo. M. Itáne solus tibi videtur habere vnam in tribus longam qui eam primo habet loco? D. Nullo pacto istuc putauerim, cum possint etiam duæ breues priores esse, longa vltima. M. Considera, vtrum sit aliquid tertium. D. Est planè: nam hæc longa etiam in medio duarum breuiũ collocari potest. M. Vide etiam ne sit aliquid quartum. D. Omnino non potest. M. Potésne iam respõdere, tres syllabæ habentes in se vnam longam & duas breues, quoties variari possint, id est quot pedes facere? D. Possum sanè: nam ter sunt variatæ, & tres fecerunt pedes. M. Quid isti tres pedes, quomodo sunt ordinandi, iámne ipse colligis, an adhuc minutatim es perducendus? D. Displicet enim tibi ordo ille quo ipsam varietatem comperi: nam primo aduerti vnam longam & duas breues, deinde duas breues & vnam longam, postremo breuem & longam & breuem. M. Itáne vero tibi non displiceat qui sic ordinat, vt à primo ad tertium veniat, à tertio ad secundum, ac non potius à primo ad secundum, & deinde ad tertium? D. Displicet prorsus. M. Sed quid hic tandem tale aduertisti rogo. Cum omnino in hac tripartita differentia illum pedem primum posueris, qui primo loco habet lõgam, quia sensisti vnitatem ipsam longæ syllabæ principatum tenere: siquidem ipsa ibi vna est, & propterea eam debere ordinem gignere, vt ille sit primus pes vbi prima ipsa est: simul etiam videre debuisti eum esse secundum, vbi ipsa secunda est, & eum tertium, vbi eadem tertia est. An adhuc in illa sententia manendum putas? D. Imo eam sine dubitatione condemno. Hunc enim esse meliorem ordinem, vel potius hunc esse ordinem, quis non assentiatur? M. Nunc ergo dic qua numerorum regula isti quoque diuidantur pedes, eorum qui sibi per partes conferantur? D. Primum & postremum æquali regula diuidi video, quia & ille in longam & duas breues, & iste in duas breues & lõgam diuidi potest, vt singulæ partes habeant bina tempora, & ob hoc sint æquales. In secundo autem quoniam mediam habet longam syllabam, siue priori siue posteriori parti tribuatur, aut in tria & vnum, aut in vnum & tria tempora diuidatur. Ac per hoc in eius diuisione complicatorum numerorum ratio valet. M. Volo mihi iam dicas per teipse si potes, post istos qui à nobis tractati sunt quos pedes ordinandos putes. Tractati enim sunt primo binarum syllabarum quatuor, quorum ordo ductus est à numerorum ordine, vt à breuibus syllabis ordiremur. Deinde iam productiores ternarum syllabarum pedes tractandos suscepimus, & quod facile erat, ex superiore ratione à tribus breuibus orsi sumus. Quid deinde sequebatur, nisi vt vna longa cum duabus breuibus quot formas ederet videremus? Visum est, & tres pedes post illum primum ita vt oportebat ordinati sunt: qui deinceps sequerentur, nónne per teipsum videre iam debes, ne omnia minutissimis interrogatiunculis

CAPVT IIII. Pedes dissyllabi.

Res quid sit.

al. &.

al. &.

CAP. V. Pedes trisyllabi.

erua-

eruamus? D. Recte dicis: nam quis non videat eos iam A ad ſe collocatas habent. Sequitur vt de quatuor breuibus duabus detractis, pro his duas longas ſubiiciamus, videamúſque quot formas ac pedes, cum breues ac longæ binæ ſint, poſſint edere. Primo igitur video duas breues & duas longas eſſe ponendas, quod à breuibus rectius exordium. Is autem pes habet duplicem diuiſionem. Aut enim in duo & quatuor, aut in quatuor & duo diuiditur tempora, vt aut duę breues priorem partem teneant, & poſteriorem duæ longæ, aut vt priorem duæ breues, & longa, poſteriorem autem longa quæ reliqua eſt. Fit alius pes, cum duæ iſtæ breues quas in capite poſueramus, ita vt ordo ipſe poſtulat, in medio fuerint collocatæ, & eſt huius pedis diuiſio in tria & tria tempora. Nam priorem partem occupant longa & breuis, poſteriorem breuis & lõga. Cum autem ponuntur in vltimo, nam hoc ſequitur, faciunt pedem geminæ diuiſionis, cuius aut prior pars habeat duo tempora in vna longa, poſterior quatuor, in longa, & duabus breuibus: aut prior quatuor in duabus longis, poſterior in duabus breuibus duo. Horum autem trium pedum partes, quod ad primum & tertium attinet, complicatorum numerorum ratione ſibi comparantur, medius æquales eas habet. Iam deinceps iſtæ duæ breues quæ coniunctæ ponebantur, diſiunctæ ponendæ ſunt: quarum minima diſiunctio eſt, à qua etiam incipiendum, vt vnam ſyllabam longã inter ſe habeant, maximæ autem duas. Sed cum vna eſt inter eas, duobus modis fit, & duo pedes gignuntur. Prior autem eſt horum modorum, vt in capite breuis ſit, deinde longa, inde breuis & longa quæ reliqua eſt. Alter modus eſt, vt in ſecũdo & in vltimo ſint breues, in primo & tertio loco longæ. Ita erit longa & breuis, & longa & breuis. Maxima vero illa diſiũctio eſt, cum duæ longæ in medio ſunt, breuium autem vna in primo, altera in extremo loco. Et diuiduntur ij tres pedes in quibus breues diſiunctæ ponuntur in tria & tria tẽpora, id eſt primus horum in breuem & lõgam, & breuem ac longam: ſecundus in longam ac breuẽ, & longam ac breuem: tertius in breuem ac longam, & longam ac breuem. Ita fiunt ſex pedes duabus breuibus & duabus longis ſyllabis varie inter ſe, quoad poſſunt, locatis. Reſtat vt de quatuor breuibus detrahantur tres, & pro his tres longæ conſtituantur, & vna breuis: & quia vna breuis in capite, quam tres longę conſequuntur, facit alium pedem, ſecundo loco poſita ſecundum, tertium tertio, quartum quarto. Quorum quatuor duo primi in tria & quatuor tẽpora diuiduntur, duo autẽ poſteriores in quatuor & tria, & omnes ſeſquatorum ratione numerorum partes ſibi collatas habent: nam prior pars primi eſt breuis & longa, tenens tria tempora, poſterior duæ longæ in quatuor tẽporibus. Secundi prior pars longa & breuis, ergo tria tempora: poſterior duæ longæ, quatuor tempora. Tertius priorem partem habet in duabus longis, quatuor temporibus: poſteriorem autem partem breuis & longa obtinet, id eſt tria tempora. Quarto priorem partem ſimiliter faciunt duæ lõgæ, quatuor temporum, ac poſterior in lõga ac breui eſt, tribúſq; temporibus. Reliquus pes eſt quaternarum ſyllabarũ, vbi omnes auferuntur breues, vt quatuor longis pes conſtet. Hic in duas & duas longas ſecundum ęquales numeros, id eſt in quatuor & quatuor videlicet diuiditur tempora. Habes quod per meipſum explicari voluiſti: perge iam rogando perſequi cætera.

B

C

D

M. Nvnc quaternarum ſyllabarum pedes conſequenter atque ordine videamus, & ipſe iam dic quem primum horum eſſe oporteat, addita etiã ratione diuiſionis eius. D. Scilicet quatuor breuium, qui diuiditur in duas binarum ſyllabarum partes, æqualium ratione numerorum duo & duo tempora poſſidẽtes. M. Tenes. Iam itaq; perge ipſe, & perſequere cætera. Nihil enim opus eſſe iam puto te per ſingula interrogari, cum ſit vna ratio demẽdi deinceps breues ſyllabas, & pro his longas ſubiiciendi, donec ad omnes longas veniatur: & cum demuntur breues, longæq; ſubduntur, quas varietates faciant, & quot pedes gignant conſiderãdum, ea ſcilicet ſyllaba principatum ordinis retinente, quæ vna fuerit inter cæteras vel lõga vel breuis. In his enim omnibus iam ſuperius es exercitatus. Vbi autem duæ breues ſunt & duæ lõgæ, quod in præcedentibus non erat, quas cenſes principatum habere debere? D. Iam hoc quoque manifeſtum de ſuperioribus. Siquidem magis tenet vnitatẽ breuis ſyllaba quæ vnum habet tempus, quam lõga quæ duo. Et propterea in omni capite atque principio eum pedem conſtituimus qui ex breuibus conſtat. M. Nihil igitur te impedit, quin omnes iſtos perſequaris pedes audiente ac iudicante me, non interrogante. D. Faciam ſi potero: nam primo de quatuor breuibus prima breuis vna detrahenda eſt, & pro ea longa ponenda in primo loco propter vnitatis dignitatem. Hic autem pes diuiditur bis, aut in longam & tres breues, aut in longam & breuem & duas breues, id eſt aut in duo & tria, aut in tria & duo tempora. Secundo autem loco poſita longa, facit alium pedem, qui vno modo recte diuiditur in tria ſcilicet & duo tempora, vt prior pars teneat breuem & lõgam, poſterior duas breues. Porrò tertio loco conſtituta longa, facit eum pedem, qui rurſus vno modo rite diuiditur, ſed ita vt prior pars habeat duo tempora in duabus breuibus ſyllabis, poſterior tria in longa & breui. Quartum pedem facit longa vltima, qui duobus modis diuiditur, vt ille vbi prima eſt. Nam vel in duas breues & breuem ac longam, vel in tres breues & longam partiri eum licet, in duo ſcilicet & tria, aut in tria & duo tempora. Omnes autẽ illi quatuor pedes, vbi cum tribus breuibus varie longa collocatur, ſeſquatorum numerorum ratione partes ſuas

CAP. VI. *Pedes tetrasyllabi.*

M. Nvnc quaternarum ſyllabarum pedes conſequenter atque ordine videamus, & ipſe iam dic quem primum horum eſſe oporteat, addita etiã ratione diuiſionis eius. D. Scilicet quatuor breuium, qui diuiditur in duas binarum ſyllabarum partes, æqualium ratione numerorum duo & duo tempora poſſidẽtes. M. Tenes. Iam itaq; perge ipſe, & perſequere cætera. Nihil enim opus eſſe iam puto te per ſingula interrogari, cum ſit vna ratio demẽdi deinceps breues ſyllabas, & pro his longas ſubiiciendi, donec ad omnes longas veniatur: & cum demuntur breues, longæq; ſubduntur, quas varietates faciant, & quot pedes gignant conſiderãdum, ea ſcilicet ſyllaba principatum ordinis retinente, quæ vna fuerit inter cæteras vel lõga vel breuis. In his enim omnibus iam ſuperius es exercitatus. Vbi autem duæ breues ſunt & duæ lõgæ, quod in præcedentibus non erat, quas cenſes principatum habere debere? D. Iam hoc quoque manifeſtum de ſuperioribus. Siquidem magis tenet vnitatẽ breuis ſyllaba quæ vnum habet tempus, quam lõga quæ duo. Et propterea in omni capite atque principio eum pedem conſtituimus qui ex breuibus conſtat. M. Nihil igitur te impedit, quin omnes iſtos perſequaris pedes audiente ac iudicante me, non interrogante. D. Faciam ſi potero: nam primo de quatuor breuibus prima breuis vna detrahenda eſt, & pro ea longa ponenda in primo loco propter vnitatis dignitatem. Hic autem pes diuiditur bis, aut in longam & tres breues, aut in longam & breuem & duas breues, id eſt aut in duo & tria, aut in tria & duo tempora. Secundo autem loco poſita longa, facit alium pedem, qui vno modo recte diuiditur in tria ſcilicet & duo tempora, vt prior pars teneat breuem & lõgam, poſterior duas breues. Porrò tertio loco conſtituta longa, facit eum pedem, qui rurſus vno modo rite diuiditur, ſed ita vt prior pars habeat duo tempora in duabus breuibus ſyllabis, poſterior tria in longa & breui. Quartum pedem facit longa vltima, qui duobus modis diuiditur, vt ille vbi prima eſt. Nam vel in duas breues & breuem ac longam, vel in tres breues & longam partiri eum licet, in duo ſcilicet & tria, aut in tria & duo tempora. Omnes autẽ illi quatuor pedes, vbi cum tribus breuibus varie longa collocatur, ſeſquatorum numerorum ratione partes ſuas ad ſe collocatas habent. Sequitur vt de quatuor breuibus duabus detractis, pro his duas longas ſubiiciamus, videamúſque quot formas ac pedes, cum breues ac longæ binæ ſint, poſſint edere. Primo igitur video duas breues & duas longas eſſe ponendas, quod à breuibus rectius exordium. Is autem pes habet duplicem diuiſionem. Aut enim in duo & quatuor, aut in quatuor & duo diuiditur tempora, vt aut duę breues priorem partem teneant, & poſteriorem duæ longæ, aut vt priorem duæ breues, & longa, poſteriorem autem longa quæ reliqua eſt. Fit alius pes, cum duæ iſtæ breues quas in capite poſueramus, ita vt ordo ipſe poſtulat, in medio fuerint collocatæ, & eſt huius pedis diuiſio in tria & tria tempora. Nam priorem partem occupant longa & breuis, poſteriorem breuis & lõga. Cum autem ponuntur in vltimo, nam hoc ſequitur, faciunt pedem geminæ diuiſionis, cuius aut prior pars habeat duo tempora in vna longa, poſterior quatuor, in longa, & duabus breuibus: aut prior quatuor in duabus longis, poſterior in duabus breuibus duo. Horum autem trium pedum partes, quod ad primum & tertium attinet, complicatorum numerorum ratione ſibi comparantur, medius æquales eas habet. Iam deinceps iſtæ duæ breues quæ coniunctæ ponebantur, diſiunctæ ponendæ ſunt: quarum minima diſiunctio eſt, à qua etiam incipiendum, vt vnam ſyllabam longã inter ſe habeant, maximæ autem duas. Sed cum vna eſt inter eas, duobus modis fit, & duo pedes gignuntur. Prior autem eſt horum modorum, vt in capite breuis ſit, deinde longa, inde breuis & longa quæ reliqua eſt. Alter modus eſt, vt in ſecũdo & in vltimo ſint breues, in primo & tertio loco longæ. Ita erit longa & breuis, & longa & breuis. Maxima vero illa diſiũctio eſt, cum duæ longæ in medio ſunt, breuium autem vna in primo, altera in extremo loco. Et diuiduntur ij tres pedes in quibus breues diſiunctæ ponuntur in tria & tria tẽpora, id eſt primus horum in breuem & lõgam, & breuem ac longam: ſecundus in longam ac breuẽ, & longam ac breuem: tertius in breuem ac longam, & longam ac breuem. Ita fiunt ſex pedes duabus breuibus & duabus longis ſyllabis varie inter ſe, quoad poſſunt, locatis. Reſtat vt de quatuor breuibus detrahantur tres, & pro his tres longæ conſtituantur, & vna breuis: & quia vna breuis in capite, quam tres longę conſequuntur, facit alium pedem, ſecundo loco poſita ſecundum, tertium tertio, quartum quarto. Quorum quatuor duo primi in tria & quatuor tẽpora diuiduntur, duo autẽ poſteriores in quatuor & tria, & omnes ſeſquatorum ratione numerorum partes ſibi collatas habent: nam prior pars primi eſt breuis & longa, tenens tria tempora, poſterior duæ longæ in quatuor tẽporibus. Secundi prior pars longa & breuis, ergo tria tempora: poſterior duæ longæ, quatuor tempora. Tertius priorem partem habet in duabus longis, quatuor temporibus: poſteriorem autem partem breuis & longa obtinet, id eſt tria tempora. Quarto priorem partem ſimiliter faciunt duæ lõgæ, quatuor temporum, ac poſterior in lõga ac breui eſt, tribúſq; temporibus. Reliquus pes eſt quaternarum ſyllabarũ, vbi omnes auferuntur breues, vt quatuor longis pes conſtet. Hic in duas & duas longas ſecundum ęquales numeros, id eſt in quatuor & quatuor videlicet diuiditur tempora. Habes quod per meipſum explicari voluiſti: perge iam rogando perſequi cætera.

M. Faciam: ſed ſatis ne conſideraſti progreſſionem iſtam vſque ad quaternarium numerum, quæ in ipſis numeris demonſtrata eſt, quantum in his etiam pedibus valet? D. Ita ſanè in his vt in illis hanc progrediendi rationem probo. M. Quid illud, nónne vt cõtextis ſyllabis pedes facti ſunt, ita etiam contextis pedibus aliquid fieri poſſe exiſtimandum eſt, quod iam

CAPVT VII. *Verſus certo pedũ, vt pes ſyllabarum numero conſtat.*

neque

neque ſyllabæ neq; pedis nomine cenſeatur? D. Omnino exiſtimo. M. Quid tandem putas eſſe? D. Verſum arbitror. M. Quid ſi perpetuo contexere quiſpiam pedes aliquos velit, ita vt eis modum ac finem nõ imponat, niſi aut defectus vocis, aut aliquis alius caſus interpellans, aut temporis ratio, aut aliud aliquid tranſeundi†, etiámne verſus à te nominabitur, habens vel viginti vel triginta vel centum etiam, ſiue amplius pedes, vt voluerit ac potuerit ille qui eos quamlibet longa perpetuitate contexit? D. Non ita eſt: neq; enim aut vbi pedes quoſlibet quibuſlibet permixtos animaduertero, aut per infinitam longitudinem multos connexos, verſum appellabo, ſed & genus & numerũ pedum, id eſt qui & quot pedes verſum cõficiant aliqua diſciplina conſequi, & ex ea iudicare potero, vtrũ verſus aures meas pepulerit. At hæc quæcunque eſt diſciplina verſibus regulam & modum non vtique vt libitũm eſt, ſed aliqua ratione conſtituit: non enim aliter, ſiquidem diſciplina eſt, aut oportebat, aut poterat. M. Hanc ergo rationem inueſtigemus, & aſſequamur, ſi placet: nam ſi auctoritatem ſolam intueamur, is erit verſus, quem verſum dici voluit Aſclepiades neſcio qui, aut Archilochus, poëtæ ſcilicet veteres, aut Sappho poëtria, & cæteri, quorum etiam nominibus verſuum genera vocantur, qui primi animaduertẽtes cecinerunt. Nam & Aſclepiadicus verſus dicitur, & Archilochius, & Sapphicus, & alia ſexcenta auctorũ vocabula Græci verſibus diuerſi generis indiderunt. Ex quo non abſurde cuipiam videri poteſt, quod ſi quis vt volet pedes quot volet, & quos volet ordinauerit, quia nemo ante ipſum hunc ordinem ac menſurã pedibus conſtituerit, recte ac iure conditor noui generis verſuum, propagatórque dicetur. Aut ſi hęc licẽtia intercluditur homini, cum quæſtione quærendum eſt quid tandem illi meruerunt, ſi nullam rationem ſecuti, qui connexionem pedum quos illis connectere placuit, verſum appellari, haberique fecerunt? An tibi aliter videtur? D. Ita vero eſt vt dicis, & prorſus aſſentior, ratione potius quam auctoritate verſum eſſe generatum, quam peto iamiamque videamus.

† Forte intercedat.

CAPVT VIII. *Varia pedum nomina.*

M. VIDEAMVS ergo qui pedes ſibimet copulãdi ſint, deinde quid his copulatis fiat, non enim verſus fit ſolus, poſtremo de verſus tota ratione tractabimus. Sed num cenſes commode iſta nos poſſe perſequi, niſi pedum nomina teneamus? Quanquam hoc ordine à nobis digeſti ſint, vt poſſint ipſius ſui ordinis nominibus nuncupari. Dici enim poteſt, primus, ſecundus, tertius, atque hoc modo cæteri. Sed quia nõ ſunt contemnenda vetuſta vocabula, nec facilè à cõſuetudine recedendum, niſi quę rationi aduerſatur, vtendum eſt his nominibus pedum quæ Græci inſtituerunt, & noſtri iam vtũtur pro Latinis. Quæ planè ita vſurpemus, vt non quæramus origines nominum. Multum enim habet iſta res loquacitatis, vtilitatis parum. Neque enim eo minus vtiliter in loquendo appellas panem, lignum, lapidem, quod neſcis cur hęc ita ſint appellata. D. Ita prorſus vt dicis ſentio. M.

1 Primus pes vocatur pyrrhichius, ex duabus breuibus, temporum duũm: vt Fuga.

2 Iambus, ex breui & longa: vt Parens, temporum trium.

3 Trochæus, vel chorius, ex longa & breui: vt Meta, temporum trium.

4 Spondæus, ex duabus longis: vt Æſtas, temporum quatuor.

5 Tribrachus, ex tribus breuibus: vt Matula, temporum trium.

Dactylus, ex longa & duabus breuibus: vt Mænalus, temporum quatuor.

7 Amphibrachus, ex breui & longa & breui: vt Carina, temporum quatuor.

A Anapæſtus, ex duabus breuibus & lõga: vt Ërato, temporum quatuor. 8

Bacchius, ex breui & duabus longis: vt Achates, temporum quinque. 9

Creticus vel amphimacrus, ex longa & breui & lõga: vt Inſulæ, temporum quinque. 10

Palimbacchius, ex duabus longis & breui: vt Natura, temporum quinque. 11

Moloſſus, ex tribus longis: vt Æneas, temporum ſex. 12

Proceleumaticus, ex quatuor breuibus: vt Auicula, temporum quatuor. 13

Pæon primus, ex prima lõga & tribus breuibus: vt Legitimus, temporum quinque. 14

Pæon ſecundus, ex ſecunda longa & tribus breuibus: vt Colonia, temporum quinque. 15

Pæon tertius, ex tertia lõga & tribus breuibus: vt Menedemus, temporum quinque. 16

B Pæon quartus, ex quarta longa & tribus breuibus: vt Celeritas, temporum quinque. 17

Ionicus à minore, ex duabus breuibus & duabus longis: vt Diomedes, temporum ſex. 18

Choriambus, ex longa & duabus breuibus & longa: vt Armipotens, temporum ſex. 19

Ionicus à maiore, ex duabus lõgis & duabus breuibus: vt Iunonius, temporum ſex. 20

Diiambus, ex breui & longa & breui & longa: vt Propinquitas, temporum ſex. 21

Dichorius vel ditrochæus, ex longa & breui, & longa & breui: vt Cantilena, temporum ſex. 22

Antiſpaſtus, ex breui & duabus longis & breui: vt Saloninus, temporum ſex. 23

Epitritus primus, ex prima breui & tribus lõgis: vt Sacerdotes, temporum ſeptem. 24

Epitritus ſecundus, ex ſecunda breui & tribus longis: vt Conditores, temporum ſeptem. 25

C Epitritus tertius, ex tertia breui & tribus lõgis: vt Demoſthenes, temporum ſeptem. 26

Epitritus quartus, ex quarta breui & tribus longis: vt Feſcenninus, temporum ſeptem. 27

Diſpondæus, ex quatuor longis: vt Oratores, temporum octo. 28

D. HABEO iſta. Nunc diſſere qui ſibi pedes copulentur. M. Iudicabis hoc facile, ſi ęqualitatem ac ſimilitudinem, inæqualitati & diſſimilitudini præſtantiorem eſſe iudicas. D. Neminem eſſe arbitror, qui non ita iudicet. M. Hanc ergo prius maxime in contexendis pedibus ſequi oportet, nec ab ea omnino deuiandũ, niſi cum aliqua cauſa iuſtiſſima eſt. D. Aſſentior. M. Non igitur dubitabis pyrrhichios ſibimet pedes contexere, nec iambos nec trochæos, quiſque etiam chorij nominantur, nec ſpondæos, atq; ita cæteros ſui generis profecto ſibimet ſine vlla dubitatione copulabis. Eſt enim ſumma æqualitas cum eiuſdẽ generis & nominis pedes ſeſe conſequuntur: an tibi nõ videtur? D. Nullo modo mihi aliter videri poteſt. M. Quid illud? Nónne approbas alios aliis pedes æqualitate ſeruata eſſe miſcendos? Quid enim auribus poteſt iucũdius eſſe, quã cum & varietate mulcentur, nec æqualitate fraudantur? D. Satis probo. M. Num cenſes alios ęquales habẽdos pedes, niſi qui eiuſdem menſurę ſunt? D. Ita exiſtimo. M. Quid, eiuſdẽ menſuræ putandine ſunt, niſi qui temporis tantundem occupãt? D. Verum eſt. M. Quos ergo inuenis pedes totidem temporum, ſine auriũ offenſione contexis? D. Video eſſe conſequens.

CAP. IX. *De pedum ſyzigiis.*

M. RECTE quidem: ſed adhuc nonnihil quæſtionis res habet. Nam cum amphibrachus pes quatuor ſit temporum, negant eum quidam poſſe miſceri vel dactylis vel anapæſtis vel ſpondæis vel proceleumaticis, nam hi ſunt omnes quaternorum temporum pedes: & non ſolum iſtis eum negant poſſe miſceri, ſed

CAP. X. *Amphibrachius nec per ſe nec aliis mixtus verſum conficit.*

nec ex ipso solo repetito & sibimet connexo, recte & quasi legitime procedere numerum putant. Quorum opinionem considerare nos oportet, ne quid habeat rationis, quod sequi & approbare conueniat. D. Aueo prorsus audire quid afferant. Non enim parũ me mouet, cum duo de triginta pedes sint, quos ratio persecuta est, hunc solum excludi à continuatione numerorum, cum tantum spatij teneat in tempore quantũ dactylus, & alij quos pares enumerasti, quos cõnectere nemo prohibetur. M. Atqui opus est, vt hoc dispicere valeas & considerare cęteros pedes, quemadmodum sibimet eorum partes conferantur. Ita enim videmus huic vni quiddam accidere nouum ac singulare, vt non frustra minime adhibendus ad numeros iudicatus sit. Sed hoc nobis considerantibus, opus est hæc duo nomina mandare memoriæ, leuationem & positionem. In plaudendo enim quia leuatur & ponitur manus, partem pedis sibi leuatio vendicat, partem positio. Partes autem pedum dico illas de quibus superius, cum eos ordine persequeremur, satis dictũ est: quocirca si hoc probas, incipe recensere breuiter mẽsuras partium in omnibus pedibus, vt quid huic vni de quo agitur proprium acciderit, noueris. D. Video primum pyrrhichium tantũ habere in leuatione quãtum in positione. Spondæus quoque, dactylus, anapæstus, proceleumaticus, choriambus, diiambus, dichorius, antispastus, dispondæus, eadem ratione diuiduntur: nam tantundem temporis in his ponit plausus, quantum leuat. Video secundum iambum simpli & dupli habere rationem, quam rationem cerno & in chorio & in tribracho & molosso, & in vtroque ionico. Iam huius amphibrachi leuatio & positio, nã ipsa mihi ex ordine occurrit, cui pares cæteros quærã, simpli & tripli ratione constat. Sed non inuenio prorsus alium deinceps, cuius sibi partes tanto interuallo conferantur. Nam cum eos considero in quibus vna breuis est & duæ longæ, id est bacchium, creticum & palimbacchium, sesquialteri numeri ratione leuationẽ ac positionem in his fieri video. Eadem ratio est & in iis quatuor, in quibus vna longa est & tres breues, qui quatuor pæones ex ordine numerantur. Reliqui sunt quatuor epitriti similiter ex ordine nuncupati, quorum leuationem ac positionem sesquitertius numerus continet. M. Num igitur parum tibi iusta causa videtur esse, cur iste pes ad seriem numerosam vocum non admittatur, quòd solius partes tam longe à se differãt, vt vna simpla sit, alia tripla? Vicinitas enim quædam partium tanto est approbatione dignior, quanto est proxima æqualitati. Itaque in ista regula numerorum, cum ab vno vsque ad quatuor progredimur, nihil vnicuique est seipso propinquius. Quare illud in primis approbandum est, cum in pedibus tantundem habeant partes adinuicem: deinde copulatio simpli & dupli eminet in vno & duobus. Sesquialtera vero copulatio in duobus & tribus apparet, etiam sesquitertia, tribus & quatuor. Simplum vero & triplum quanquam complicatorum numerorum lege teneatur, nõ tamen in ordine illo sibimet cohæret: non enim post vnum tria numeramus, sed ab vno ad ternarium numerum binario interposito peruenitur. Hæc ratio est qua excludendus iudicatur amphibrachus pes ab ea copulatione de qua quærimus, quæ si abs te probatur, cætera videamus. D. Probatur sanè: nam manifestissima atque certissima ratio est. M. Cvm ergo placeat quoquo modo se in syllabis habeãt, tamen si eiusdem spatij sint in tempore, recte sibi & sine detrimento æqualitatis pedes posse misceri, excepto dũtaxat amphibracho, quæri nõ immerito potest, vtrum recte misceantur, qui quanquam sint æquales tempore, non eadem tamen percussione concordant, qua eleuatione ac positione partes pedis sibimet confert.

Ἄρσις καὶ θέσις.

CAP. XI. *Pedum rationabilis mixtura.*

Nam dactylus & anapæstus & spondæus non solum æqualium temporum sunt, sed etiam percutiuntur æqualiter. In omnibus enim tantum leuatio, quantum positio sibi vendicat. Itaque hi sibi miscentur iustius quam quilibet ionicus cæteris sex temporũ pedibus. Vterque quippe ionicus ad simplum & duplum percutitur, duo scilicet tempora quatuor temporibus cõferens. His molossus etiam in hac re congruit. Cæteri vero pedes ad tantundem, nam in his leuationi ac positioni terna tempora tribuuntur. Ergo tametsi omnes legitime feriantur, nam & illi tres simpli & dupli ratione, & alij quatuor æquis partibus feriuntur, tamen quia plausum inæqualẽ facit ista permixtio, haud scio an iure repudietur, nisi quid habes ad hæc? D. Procliuior sum in istam sententiam. Nam inæqualis plausus quomodo sensum non offendat ignoro. Si autẽ offendit, non vtique id potest sine vitio huius permixtionis accidere. M. Atqui scias veteres miscendos iudicasse istos pedes, & horum mixtione versus compositos condidisse. Sed ne te auctoritate premere videar, accipe aliquid horum versuum, & vide vtrum offendat auditum. Si enim non modo non offenderit, sed etiã delectauerit, nulla erit ratio huius mixtionis improbandæ. Versus autem ij sunt quos aduertas volo:

At consona quæ sunt, nisi vocalibus aptes, Terentianus.
Pars dimidium vocis opus proferet ex se:
Pars muta soni comprimet ora molientum:
Illis sonus obscurior impeditiorq́.,
Vtcunque tamen premitur ore semiclusо.

Satis esse arbitror ad iudicandum id quod volo. Quare dic quæso vtrum nihil tuas aures numerus iste permulserit? D. Imo nihil mihi videtur currere ac sonare festiuius. M. Considera igitur pedes, inuenies profecto cum sint quinque versus, duos primos solis ionicis currere, tres posteriores habere admixtum dichorium, cum omnes omnino sensum nostrum communi æqualitate delectent. D. Iam hoc animaduerti, & facilius te pronunciante. M. Quid ergo dubitamus consentire veteribus non eorum auctoritate, sed ipsa iam ratione victi, qui censent eos pedes qui eiusdem temporis sunt rationabiliter posse misceri, si habeant legitimam, quamuis diuersam percussionem? D. Cedo iam prorsus: nam me ille sonus quicquam contradicere non sinit.

CAPVT XII. *Pedes sex syllabarum.*

M. Intende item ad istos versus, Volo tandem tibi parcas, labor est in chartis: Et apertum ire per auras animum permittas. Placet hoc: nam sapienter remittere interdum Aciem rebus agendis decenter intentam. D. Etiam hoc satis est. M. Præsertim cũ isti versus sint inconditi necessitate, quos ad tempus fabricatus sum. Veruntamen & in iis quatuor requiro iudiciũ sensus tui. D. Quid aliud & hic possum dicere, quã pulchre illos congruẽterque sonuisse? M. Sentis ne etiam duos superiores altero ionico cõstare qui dicitur à minore, duos autem posteriores diiambum habere permixtum? D. Et hoc te pronunciando insinuante persensi. M. Quid illud? nónne te mouet quod in illis Terẽtiani versibus ionico ei qui à maiore dicitur, dichorius: in iis autem nostris alteri ionico qui à minore nominatur, diiambus mixtus est? An nihil interesse arbitraris? D. Imò interest, & videor mihi rationem ipsam videre: nam quoniam ionicus à maiore à duabus incipit longis, eum sibi potius copulandum poscit, vbi longa prima est, id est dichorium. Diiambus verò quod incipit à breui, congruentius alteri miscetur ionico à duabus breuibus incipienti.

M. Bene intelligis, quare hoc quoque tenendum est, istam etiam congruentiam, excepta æqualitate temporum, in pedibus miscendis aliquantum valere oportere: non enim plurimum, sed tamen nonnihil valet. Nam pro omni pede sex temporum, omnẽ pedem sex tempo-

temporum poni posse,ita sensu interrogato iudices licet:primum molossi exemplum sit nobis,virtutes: ionici à minore,moderatas:choriambi,percipies: ionici à maiore,concedere:diiambi,benignitas: dichorij,ciuitásque:antispasti,volent iusta. D. Habeo ista. M. Contexe igitur ista omnia atque pronuncia, vel me potius pronunciante accipe, quo ad iudicandum liberior sensus vacet. Nam vt continuati numeri æqualitatem, sine vlla offensione aurium tibi insinuem, hoc totũ cõtextum ter pronũciabo,quod satis esse non dubitauerim. Virtutes moderatas percipies, cõcedere benignitas ciuitásque volent iusta. Virtutes moderatas percipies,concedere benignitas ciuitásque volẽt iusta. Virtutes moderatas percipies, cõcedere benignitas ciuitásque volent iusta. Num fortè aliquid in hoc pedum cursu aures tuas æqualitate aut suauitate fraudauit? D. Nullo modo. M. Delectauit ne aliquid? quanquam & hoc quidem consequens est in hoc genere, vt delectet omne quod non offendit. D. Nõ possum aliter me dicere affectum,quã videtur tibi. M. Probas ergo omnes istos pedes senũm temporum rectè sibi posse copulari atque misceri? D. Probo.

CAPVT XIII. *Ordo pedum quomodo mutetur cõcinnè.*

M. NIHIL ne formidas, ne quis arbitretur tanta æqualitate istos pedes hoc ordine collocatos sonare potuisse: si autem ordinem permutes,nõ idem posse? Nam nihil quidem affert,sed experiri nõ est difficile. Istuc ergo facito cum vacabit,non aliter inuenies quam sensum tuum multiformi varietate & vna æqualitate mulceri. D. Faciã: quanquam hoc exemplo nemo est qui non præuideat necessariò id euenturum. M. Rectè existimas:sed quod ad propositum pertinet, admoto plausu ista percurrã, vt de hoc quoque diiudicare possis, vtrum aliquid an nihil claudicet: atque vt simul aliquid experiaris de commutatione illius ordinis,quam nihil claudicationis illaturam esse prædiximus,iam nunc ipsum ordinẽ muta,&, vt libitum est, eosdem pedes collocatos aliter atque à me collocati sunt,personandos mihi plaudendósque permitte. D. Primum volo esse ionicum à minore, secundum ionicum à maiore, tertium choriambum, quartum diiambum, quintum antispastũ, sextum dichorium,septimum molossum. M. Intende ergo & aurem in sonum,& in plausum oculos: non enim audiri, sed videri opus est plaudentem manu, & animaduerte acriter quanta temporis mora in eleuatione,quãta in depositione sit. D. Totus istic sum,quãtum valeo. M. Accipe igitur collocationem illam cum plausu tuam, Moderatas cõcedere percipies benignitas volent iusta ciuitásque virtutes. D. Sentio quidem nequaquam plausum istum claudicare, & tantum leuare quantum ponere,sed vehementer admiror quomodo eo percuti potuerint illi pedes, quorum diuisio simpli & dupli ratione constat,sicut sunt ambo ionici & molossus. M. Quid hic fieri tamẽ arbitraris,cum in his tria leuentur tempora, totidémque ponantur? D. Nihil aliud hic prorsus video quam eam longam syllabam,quæ in ionico à maiore,& in molosso secunda, in ionico autem à minore, tertia est, plausu ipso diuidi, vt quoniam duo habet tempora, vnum superiori parti, alterum posteriori tribuat,atque ita terna tempora leuatio positióque sortiãtur. M. Nihil hic omnino aliud dici aut intelligi potest. Sed cur non etiam ille amphibrachus, quem ab ista numerositate penitus eiiciebamus, hac conditione misceatur spondæo, dactylo, & anapæsto,vel per se ipse numerosus aliquid in musica continuatus efficiat? Potest enim simili ratione media quoq; pedis eius syllaba,quæ longa est,plausu diuidi, vt cum singula tẽpora singulis lateribus dederit,non iam vnum & tria,sed bina tempora leuatio positióque sibi vendicent: nisi habes aliquid quod resistat. D. Nihil sanè habeo quod dicam, nisi hũc etiam esse admittẽdum. M. Aliquid ergo plaudamus quaternorum numerorum temporúmque pedibus ordinatũ atque cõtextum,quibus iste commixtus sit,& eodem modo sensu exploremus, vtrum nihil imparile offendat. Et ideo attende in hunc numerum propter iudicandi facilitatem cum plausu tertio repetitũ: Sumas optima,facias,honesta. Sumas optima, facias honesta. Sumas optima,facias honesta. D. Iamiam obsecro parce auribus meis: nam etiam plausu non admoto, ipse per se horum pedum cursus in illo amphibracho vehementissimè claudicat. M. Quid igitur putandum est esse causæ, vt in hoc fieri non possit quod in molosso & in ionicis potuit? An quoniam in illis æqualia sunt medio latera? In numero enim pari si sit medium suis æquale lateribus, primus senarius occurrit. Ergo illi senorum temporum pedes,quoniam duo tempora in medio possident,& bina in lateribus,libenter quodãmodo illud medium cecidit in latera,quibus amicissima æqualitate coniungitur. Non autem idem fiet in amphibracho, vbi sunt imparia medio latera, siquidẽ in illis singula, in illo duo tempora sunt. Huc accedit quod in ionico & molosso medio in latera soluto, terna fiunt tempora,in quibus rursum medio paria latera inueniuntur, quod item defit amphibracho. D. Ita res est vt dicis: nec immeritò amphibrachus in illa serie offendit auditum, hic verò etiam delectat.

CAPVT XIIII. *Qui pedes quibus misceantur.*

M. AGE nunc tu per te ab ipso exordire pyrrhichio, & secundum supradictas rationes, quos pedes quibus misceri oporteat,quantum potes,breuiter explica. D. Nullus pyrrhichio, non enim alius inuenitur totidem temporum. Iambo posset chorius, sed propter inęqualem plausum vitandum est,alter à simplo, à duplo alter incipit. Ergo tribrachus vtrisque accommodari potest. Spondæum & dactylum & anapęstum, & proceleumaticum amicos inter se & copulabiles video. Non enim tantũ temporibus, sed plausu etiam sibi congruunt. Enimuerò exclusus amphibrachus, nulla potuit ratione reduci, cui parilitas temporũ auxiliari quid,diuisione plausúque discordante,non potuit. Bacchio creticum,& pæones primum, secũdum & quartum. Palimbacchio autem eundem creticum, & pæones primum & tertium & quartum in temporibus,& plausu concordare manifestum est. Ergo cretico & pæonibus primo & quarto, quoniam & à duobus & à tribus temporibus eorum incipere diuisio potest: & cæteri omnes quinum tẽporum pedes possunt sine vlla claudicatione copulari. Iam illorum qui sex temporibus constant, omnium inter se miram quandam esse concordiam,satis disputatum est. Quandoquidem illi quoq; ab aliis in plaudendo non dissonãt, quos aliter diuidi exegit cõditio syllabarum: tantam vim habent cum medio laterum æqualitas. Porrò septenum temporum pedes cum sint quatuor, qui epitriti nominantur, primum & secundum inuenio sibi posse copulari. Amborũ enim diuisio incipit à tribus temporibus, idcirco nec spatio tẽporis nec plausu dissident. Rursus libenter sibi copulãtur tertius & quartus,quia vterque in diuidendo incipit à quatuor temporibus,quare & metiuntur & plauduntur æqualiter. Restat octo temporum pes qui dispõdæus vocatur,cui sicut pyrrhichio par nullus est. Habes à me quod poposcisti,& facere potui. Perge ad reliqua. M. Faciã: sed post tam longum sermonem respiremus aliquantulũ, & illorum versuum meminerimus,quos mihi extemporalis paulò antè ipsa lassitudo suggessit. Volo tãdem tibi parcas,labor est in chartis, Et apertum ire per auras animum permittas: Placet hoc,nam sapientem remittere interdum Aciem rebus agendis decet intentam. D. Placet sanè,ac libenter obtempero.

DIVI AVRELII AVGVSTINI DE MVSICA, LIBER III.

CAP. I. *Rhythmus ac metrū quid.*

TERTIVS hic sermo postulat, vt quoniam de pedum amicitia quadam concordiaque satis dictū est, videamus quid ex his contextis continuatisque gignatur. Quare primùm ex te quæro, vtrum possint copulati sibi pedes, quos copulari oportet, perpetuum quendam numerum creare, vbi nullus finis certus appareat: velut cum symphoniacis cabella & cymbala pedibus feriuntur, certis quidem numeris, & his qui sibi cum aurium voluptate iunguntur, sed tamen tenore perpetuo, ita vt si tibias non audias, nullo modo ibi notare possis, quousque procurrat connexio pedum, & vnde rursus ad caput redeatur. Velut si tu velis centum vel amplius, quousque libitum est, pyrrhichios, vel alios qui inter se amici sunt pedes, continua connexione decurrere. D. Iam intelligo, & fieri posse concedo quandam pedum cōnexionem, in qua certum est vsque ad quot pedes progrediēdum sit, atque inde redeundum. M. Num certum esse dubitas, cū certam faciendorum versuum disciplinam esse nō neges, & qui versus te semper cum voluptate audisse cōfessus sis? D. Manifestum est, & hoc esse, & ab illo superiore genere distare. M. Ergo quoniam oportet distingui etiā vocabulis ea quæ ad se distincta sunt, scias illud superius genus copulationis, rhythmum à Græcis, hoc autem alterum metrum vocari: Latinè autem dici possent, illud numerus, hoc mensio vel mensura. Sed quoniam hæc apud nos nomina latè patent, & cauendum est ne ambiguè loquamur, commodius vtimur Græcis. Vides tamen, vt opinor, quam rectè vtrūque nomen his rebus sit impositum: nam quoniam illud pedibus certis prouoluitur, peccatúrq; in eo si pedes dissoni misceantur, rectè appellatus est rhythmus, id est numerus: sed quia ipsa prouolutio nō habet modum: nec statutum est in quoto pede finis aliquis emineat, propter nullam mensuram continuationis non debuit metrum vocari. Hoc autem vtrunque habet: nam & certis pedibus curritur, & certo terminatur modo. Itaque non solum metrum propter insignem finem, sed etiam rhythmus est, propter pedum rationabilem connexionem: quocirca omne metrum rhythmus, non omnis rhythmus etiam metrum est. Rhythmi enim nomen in Musica vsque adeò latè patet, vt hæc tota pars eius quę ad diu & non diu pertinet, rhythmus nominata sit. Sed de nomine, cū res appareat, non esse satagendum, & doctis & sapientibus placuit. An aliquid contradicendum aut dubitādum putas de his, quæ à me dicta sunt? D. Imò prorsus assentior.

ῥυθμὸς, μέτρον, concinnitas, mensura.

CAP. II. *Quid interſit inter verſum & metrum.*

M. NVNC ergo mecum illud cōsidera, vtrum sicut omnis versus metrum est, ita omne metrum etiam versus sit. D. Considero quidem, sed quid respondeam non inuenio. M. Vnde id tibi censes accidisse? An quia de vocabulis quæstio est? Non enim vt de rebus ad disciplinam pertinentibus, ita de nominibus possumus respondere interrogati. Propterea quia res omnium mentibus communiter sunt insitæ, nomina verò, vt cuique placuit, imposita, quorum vis auctoritate atq; cōsuetudine maximè nititur: vnde etiam esse linguarum diuersitas potest, rerum autē in ipsa veritate constitutarum profectò non potest. A me igitur accipe quod ipse nullo pacto respondere posses: non versum solum, metrum veteres vocauere. Itaque quod ad te attinet, vide atq; responde, non enim iam de nominibus agitur, vtrum inter hæc duo aliquid distet, quod quidam numerus pedum ita certo fine claudatur, vt nihil ad rem pertineat, vbi fiat quidam articulus antequam veniatur ad finem: alius autem non solum certo quodam fine claudatur, sed etiam certo quoque loco quædam eius partitio emineat, vt quasi membris conficiatur duobus. D. Non intelligo. M. Attende ergo in hæc exempla: *Ite igitur Camœnæ Fonticolæ puellæ, Quæ canitis sub antris Melliſluos sonores, Quæ lauitis capillum Purpureum Hippocrene Fonte, vbi fusus olim Spumea lauit almus Ora iubis aquosis Pegasus, in nitentem Peruolaturus Aethram.* Cernis profectò quinq; superiores versiculos eodem loco partem orationis habere terminatam, id est, in choriambo pede, cui subiūgitur bacchius, vt versiculum compleat. Nanq; hi vndecim, choriābo & bacchio pedibus constant. Cæteros verò excepto vno, scilicet *Ora iubis aquosis*, non eodem loco habere terminatam partem orationis. D. Cerno istuc quidem, sed quò pertineat nō video. M. Eò scilicet vt intelligas, hoc metrū non quasi legitimum locum habere, vbi ante finem versus finiatur pars orationis: nam si ita esset, omnes eodem loco hunc haberēt articulum, aut certè rarissimè in his inueniretur qui non haberet: nunc verò cum sint vndecim, sex ita sunt, quinque non ita. D. Et hoc accepi, & adhuc quò ratio tendat expecto. M. Attēde ergo etiam in ista peruulgatissima: *Arma virumq; cano, Troiæ qui primus ab oris.* Et ne longū faciamus, quia carmen notissimum est, ab hoc versu vsq; ad quem volueris explora singulos, inuenies finitam partem orationis in quinto semipede, id est, in duobus pedibus & semisse: nam hi versus constant pedibus quaternorum temporū: quare iste finis de quo agitur partis orationis, quasi legitimus in decimo tempore est. D. Manifestū est. M. Iam ergo intelligis inter illa duo genera quæ ante ista exempla proposueram, nōnihil distare: quod aliud scilicet metrum antequam claudatur, nō habet certum & statutum aliquem articulum, sicut in illis vndecim versiculis exorauimus: aliud verò habet, sicut in heroico metro quintus semipes satis indicat. D. Iā liquet quod dicis. M. Atqui scias oportet, à veteribus doctis, in quibus magna est autoritas, illud superius genus nō esse versum appellatum, sed hunc definitum & vocatum esse versum, qui duobus quasi membris cōstaret, certa mensura & ratione coniunctis. Sed tu non multum labores de nomine, quod nisi à me vel à quolibet alio tibi indicaretur, nullo modo de hoc interrogatus, respōdere posses. Sed quod ratio docet, in id præcipuè & maximè animum intende, velut hoc ipsum quod nunc agimus: ratio enim docet inter hæc duo genera distare aliquid, quibuslibet vocabulis nuncupentur. Itaq; hoc bene interrogatus, possis dicere ipsa veritate confisus: illud autem nisi autoritatem secutus, nō possis. D. Apertissimè iam ista cognoui, & quanti pendas hoc de quo me tam crebrò admones, iam existimo. M. Hæc ergo tria nomina, quibus differendi causa necessario vsuri sumus, memorię mādes velim: rhythmum, metrum, versum, quæ sic distinguuntur, vt omne metrum etiam rhythmus sit, non omnis rhythmus etiam metrum. Item omnis versus & metrum sit, non omne metrum etiā versus. Ergo omnis versus est rhythmus & metrum: nam hoc, vt arbitror, esse consequens vides. D. Video sanè: nam & luce clarius est.

AEneid. 1.

Verſus quid ſit.

CAPVT III. *Rhythmi ex pyrrhichio.*

M. PRIVS igitur, si placet, de rhythmo, in quo nullum metrum est, deinde de metro vbi versus non est, postremò, de ipso versu quantū possumus differamus. D. Placet verò. M. Sume ergo tibi ab ipso capite pedes pyrrhichios, & de his rhythmum contexe. D. Etiam si id possum facere, qui modus erit? M. Satis est, vt eū tendas, exempli enim gratia id faciamus vsque ad decem pedes: nam vsque ad hunc pedum numerum nō progreditur versus, quod suo loco diligēter tractabitur. D. Bene quidē tu non multos pedes mihi proposuisti copulandos, sed videris mihi non recordari, iam te satis discre-

diſcreuiſſe,quid inter grammaticum & muſicũ interſit,cum ego tibi reſpõdiſſem,ſyllabarum longarum & breuium cognitionem me non habere, quæ à grãmaticis traditur:niſi fortè permittis,vt non verbis,ſed aliquo plauſũ rhythmum iſtum exhibeam: nam iudiciũ aurium ad temporum momenta moderãda me poſſe habere non nego: quæ verò ſyllaba producenda vel corripienda ſit,quod in auctoritate ſitum eſt, omnino neſcio. M. Fateor nos ita,vt dicis,grammaticum à muſico diſcreuiſſe, & in hoc te genere inſcitiam tuã eſſe confeſſum. Quare à me accipe hoc exẽpli genus: Ago celeriter agile quod ago tibi quod anima velit. D. Habeo iſtuc. M. Hoc ergo quotieſlibet repetendo,efficies rhythmi huius longitudinem quãtam voles,quãquam hi decem pedes ad exemplũ ſufficiant. Sed illud quæro,ſi tibi quiſpiam dicat,non pyrrhichiis,ſed proceleumaticis pedibus hunc rhythmũ conſtare,quid reſpondebis? D. Prorſus ignoro: nam vbi decem pyrrhichij ſunt,quinq; proceleumaticos metior,& eo maior dubitatio eſt,quod de rhythmo conſulimur, qui ſcilicet perpetuò fluit. Vndecim enim pyrrhichij vel tredecim,& quolibet impari numero, non poſſunt habere integrum proceleumaticorum numerum. Si ergo eſſet certus finis in hoc de quo agitur rhythmo,ibi ſaltẽ dicere poſſemus pyrrhichio potius quã proceleumatico eum currere, vbi omnes integri proceleumatici nõ inuenirentur: nũc verò & ipſum infinitum nobis conturbat iudicium, & ſi quando numerati quidẽ pedes,ſed pari numero nobis proponũtur,ſicut ſunt decem & duodecim. M. Atqui nec de ipſo impari numero pyrrhichiorum, quod tibi viſum eſt, liquidò viſum eſt. Quid enim ſi vndecim propoſitis pedibus pyrrhichiis dicatur rhythmus quinque habere proceleumaticos & ſemipedem,nunquid reſiſti poteſt, cum multos inueniamus verſus claudi ſemipede? D. Iã dixi me neſcire quid de hac re dici poſſit. M. Num etiam illud neſcis,proceleumatico priorem eſſe pyrrhichium? Siquidem duobus pyrrhichiis proceleumaticus conſit: ſicut prius eſt vnum quam duo,& duo quam quatuor: ita proceleumatico prior eſt pyrrhichius. D. Veriſſimũ eſt. M. Cum ergo in hanc ambiguitatem incidimus,vt poſſit in rhythmo & pyrrhichius metiri & proceleumaticus,cui principatum daturi ſumus,priori,ex quo iſte conſtat:an poſteriori,ex quo ille nõ cõſtat? D. Nemo dubitabit priori eſſe dãdum. M. Quid ergo dubitas de hac re conſultus reſpondere, pyrrhichium potius quam proceleumaticum iſtum rhythmum eſſe nuncupandum? D. Iam omnino non dubito: pudet tã manifeſtam rationem non me citò animaduertiſſe.

CAPVT IIII. *Rhythmus continuus.*

M. VIDES ne illud etiam iſta ratione cogi,vt quidam pedes ſint,qui rhythmũ continuare non poſſint? Nam quod in proceleumatico inuentum eſt, cui tollit pyrrhichius principatum, hoc & de diiambo & de dichorio & de diſpondæo inuentũ puto,niſi tibi aliud videtur. D. Quid mihi aliud videri poteſt, cum probata illa ratione hoc quod ſequitur improbare non poſſim? M. Vide etiam iſta,& compara ac iudica. Nam videtur,cum tale incertum euenit, plauſu potius debere diſcerni quo pede curratur: vt ſi pyrrhichio velis currere,vnum tibi tempus leuandum,vnum ponendũ ſit:ſi proceleumatico duo & duo:ita & pes apparebit: & nullus pedũ erit à rhythmi continuatione ſecluſus. D. Huic magis faueo ſententiæ:quę nullum pedem ab hac cõtextione eſſe immunem ſinit. M. Rectè facis, & quo magis hoc approbes,conſidera de tribracho pede quid reſpondere poſſimus, ſi nihilominus quiſq; contendat nõ pyrrhichio aut proceleumatico iſtum rhythmum, ſed tribracho currere. D. Video iudicium ad plauſum illum eſſe reuocandum,vt ſi vnum tẽpus eſt in leuatione,duo in poſitione, id eſt, vna & duæ ſyllabæ,aut contrà duæ in leuatione, vna in poſitione, tribrachus rhythmus eſſe dicatur. M. Rectè intelligis. Quamobrem iam dic mihi vtrum ſpondæus pes pyrrhichio rhythmo poſſit adiungi. D. Nullo modo: non enim continuabitur plauſus ęqualis,cũ leuatio & poſitio in pyrrhichio ſingula,in ſpondæo verò bina tempora teneant. M. Poteſt ergo proceleumatico adiungi? D. Poteſt. M. Quid cũ ei adiungitur, interrogati vtrum rhythmus proceleumaticus an ſpondaicus ſit,quid reſpondebimus? D. Quid cenſes,niſi ſpondęo dandũ eſſe principatũ? Cum enim plauſu iſta controuerſia nõ diiudicetur in vtroq;,nam in vtroq; bina leuamus ac ponimus tẽpora, quid aliud reſtat niſi vt ille regnet, qui in ipſo pedũ ordine prior eſt? M. Rationem te ſecutum eſſe,ſatis approbo,& vides,vt arbitror, quid ſequatur. D. Quid tandẽ? M. Quid putas,niſi tam proceleumatico quam pyrrhichio rhythmo nullũ alium pedẽ poſſe miſceri? quoniam quiſquis miſcebitur, totidẽ temporum,non enim aliter poteſt miſceri, in eum rhythmi nomen transferatur neceſſe eſt. Omnes enim priores in illo ſunt,qui totidẽ temporibus cõſtant. Et quoniã iis qui priores inuenti fuerint,cogit nos ratio quam vidiſti principatũ dare, id eſt,ex eo rhythmum nũcupare,non erit iam proceleumaticus rhythmus,aliquo alio quatuor temporum mixto, ſed ſpondaicus aut dactylicus aut anapæſticus. Amphibrachũ enim ab iſtorum copulatione numerorum rectè remotũ eſſe conuenit. D. Fateor ita eſſe. M. Nunc ergo ex ordine conſidera iambicum rhythmum, quoniam pyrrhichiũ & proceleumaticum,qui duplicato pyrrhichio gignitur, ſatis diſcuſſimus. Quare dicas velim huic quem cẽſes admiſcendum pedem, vt iambicus rhythmus ſuũ nomen obtineat. D. Quem niſi tribrachum, qui & tẽporibus, & plauſu congruit: & quia poſterior eſt,regno pellere non poteſt? Nam chorius eſt quidẽ poſterior, & totidem temporum, ſed non eodem modo plauditur. M. Age iam,vide rhythmum trochaicum,& ad eadem de hoc quoq; reſponde. D. Idem reſpondeo: nam poteſt & huic non ſolum ſpatio temporis, ſed plauſu etiam concinere tribrachus. Cauendũ autẽ iambum quis nõ videat? qui etiã ſi æqualiter plauderetur, principatum tamen mixtus auferret. M. Quid ſpondaico rhythmo, quem tandem copulabimus pedẽ? D. Sanè in hoc largiſſima copia eſt: nam & dactylum & anapęſtum & proceleumaticum nulla imparilitate temporum,nulla claudicatione plauſus, nulla principatus ademptione impediẽte huic video miſceri poſſe. M. Video iam te facilè poſſe cętera ordine perſequi: quocirca remota interrogatione mea, vel potius tãquam de omnibus interrogatus reſponde breuiter,dilucideque quantum potes,quomodo ſinguli qui reſtant pedes,aliis legitimè immixtis,obtineant ſuum nomen in rhythmo? D. Faciã: neq; enim vllius negotij eſt,tãta rationum luce præmiſſa. Nã tribracho nullus miſcebitur, omnes enim priores ſunt, qui ei ſunt tẽporibus pares. Dactylo anapęſtus poteſt: nam & eſt poſterior tẽpore, ac plauſu currit æqualiter: vtriq; autem proceleumaticus eadem ſcilicet ratione copulatur. Iã bacchio creticus,& de pæonibus primus, ſecundus & quartus miſceri poſſunt. Porrò ipſi cretico, omnes qui poſt illum ſunt quinq; temporum pedes iure miſcentur, ſed non omnes eadem diuiſione. Alij nanq; ad duo & tria, alij ad tria & duo tempora diuiduntur. Ille autẽ creticus vtroq; modo diuidi poteſt,quia media breuis cuilibet parti tribuitur. Palimbacchius autem, quia eius diuiſio à duobus temporibus incipiens,in tria deſinit,congruos & copulabiles habet pæones omnes, præter ſecundũ. Moloſſus de triſyllabis reſtat, à quo primo incipiunt ſex temporum pedes,qui omnes eidem cõiungi poſſunt: partim propter ſimpli dupliq; rationẽ, partim propter illam quam nobis plauſus oſtendit partitionem longæ ſyllabæ,quæ ſingula tẽpora parti vtriq;

concedit,quia in ſenario numero par lateribus mediũ est. Ob quam cauſam & moloſſus, & ambo ionici nõ ſolum in ſimplũ & duplum,ſed etiam in æquas partes per terna tempora feriũtur. Hinc efficitur vt deinceps omnibus ſex temporum pedibus, omnes totidẽ temporum poſteriores copulari queant,ſolusque antiſpaſtus,qui nullum ſibi velit miſceri,remaneat. Hos conſequuntur quatuor epitriti, quorum primus admittit ſecundum,ſecũdus nullum,tertius quartum, quartus nullum. Reſtat diſpondæus, rhythmum ſolus etiã ipſe facturus,quia nec poſteriorem quẽquam inuenit, nec æqualem. Itaq; omnium pedes nouẽ ſunt,qui nullum alium mixtum admittentes,rhythmum faciunt: pyrrhichius,tribrachus,proceleumaticus, pæon ſecũdus, pæon quartus,antiſpaſtus,epitritus ſecundus,& quartus,& diſpondæus: reliqui eos,qui ſe poſteriores ſunt, copulari ſibi patiũtur, ita vt rhythmi nomẽ obtineãt, etiam ſi pauciores in ea ſerie numerentur: hoc eſt, vt opinor,ſatis à me quod voluiſti,explicatum atq; digeſtum: tuum eſt iam videre quid reſtat. M. IMO mecum etiam tuum: ambo enim quærimus. Sed quid tandem reſtare arbitraris,quod ad rhythmum attinet? Nónne illud conſiderandum eſt, vtrum aliqua dimẽſio pedis,quamuis octo tempora non excedat, quę diſpondæus obtinet, excedat tamen numerum quatuor ſyllabarum? D. Quære quæſo. M. Imò tu,quare me potius quam teipſum rogas? An tibi non videtur ſine vlla fraude vel offenſione auriũ, ſiue quod ad plauſum, ſiue ad diuiſionem pedum, ſiue quod ad ſpatium temporis pertinet, pro vna longa ſyllaba duas poſſe poni breues? D. Quis hoc negauerit? M. Hinc ergo eſt,quod pro iambo vel chorio tribrachũ ponimus, & pro ſpondæo dactylum vel anapæſtum vel proceleumaticum, cum vel pro ſecunda eius, vel pro prima duas breues ponimus,vel quatuor pro vtraq;. D. Aſſentior. M. Fac igitur hoc idem in ionico quolibet, vel alio quopiam quadriſyllabo ſex temporũ pede, & pro vna eius quacunq; longa duas breues conſtituas,nũ quicquã menſuræ deperit,aut plauſui reſiſtit? D. Nihil omnino. M. Conſidera ergo quot ſyllabæ fiunt. D. Quinq; fieri video. M. Vides certè poſſe quatuor ſyllabarum numerũ excedi. D. Video ſanè. M. Quid ſi pro duabus,quæ ibi ſunt longę,quatuor breues poſueris,nónne in vno pede ſex ſyllabas neceſſe eſt metiri? D. Ita eſt. M. Quid ſi cuiuſlibet epitriti omnes longas ſoluas in breues,num etiam de ſeptem ſyllabis dubitandũ eſt? D. Nullo modo. M. Quid ipſe diſpondæus? nónne octo efficit, cum pro omnibus longis binas breues locamus? D. Veriſſimum eſt. M. Quæ igitur ratio eſt,qua cogimur & tam multarum ſyllabarum metiri pedes, & pedẽ qui adhibetur ad numeros,non excedere quatuor ſyllabas,antè tractatis rationibus confitemur? Nónne tibi videntur inter ſe iſta pugnare? D. Imò maximè,& quomodo iſthuc pacari poſſit,ignoro. M. Etiam hoc facile eſt, ſi teipſum rurſum interroges,vtrum rationabiliter inter nos paulo antè conſtiterit, ideo pyrrhichium, & proceleumaticum plauſu debere diiudicari atq; diſcerni, ne ſit vllus pes legitimæ diuiſionis, qui rhythmũ non faciat,id eſt,vt ex eo rhythmus nominetur. D. Hoc verò memini, & non inuenio cur mihi placuiſſe pœniteat: ſed quorſum iſta? M. Quia ſcilicet hi omnes pedes quaternarum ſyllabarum, excepto amphibracho, rhythmum faciũt,id eſt, principatum in rhythmo tenent,eũmq; vſu & nomine efficiunt: illi verò qui plures quam quatuor ſyllabas habent, multi quidem pro his poni poſſunt, ſed ipſi per ſe rhythmum facere, ac rhythmi nomen obtinere non poſſunt, & ideo ne pedes quidem iſtos appellandos putauerim. Quamobrẽ repugnantia illa quæ nos mouebat,iam,vt opinor,cõpoſita eſt & ſopita, quandoquidem licet & plures ſyllabas quã quatuor pro aliquo pede ponere, & pedem tamen non appellare, niſi eum quo rhythmus efficiatur. Oportebat enim pedi conſtitui aliquẽ modũ progreſſionis in ſyllabis. Is autẽ modus conſtitui optimus potuit, qui de ipſa numerorum ratione tranſlatus in quaternario conſtitit. Itaq; lõgarum ſyllabarum quatuor pes eſſe potuit. Cum autem pro eo breues octo conſtituimus,quoniam tantum ſpacij habent in tempore, pro altero poni poſſunt. Quia verò legitimam progreſſionem,id eſt quaternarium numerũ excedũt, pro ſe ipſi poni, ac rhythmum gignere non ſenſu aurium,ſed diſciplinæ lege prohibentur, niſi cõtradicere aliquid paras. D. Paro ſanè,& iam faciam. Nã quid impediebat vſque ad octonarium numerum ſyllabarum progredi pedẽ, cum eundem numerum ad rhythmũ admitti poſſe videamus? Neq; enim me mouet, quod pro alio dicis admitti: imò hoc me magis admonet quærere,vel potius quęri,quod non etiam ſuo nomine admittitur qui pro alio poteſt. M. Non mirũ eſt, quod hic falleris,ſed facilis explicatio veri eſt: nam omittam tanta quæ pro quaternario numero iam antè diſputata ſunt, cur vſq; ad illum fieri debeat progreſſio ſyllabarum. Fac me iam ceſſiſſe tibi & conſenſiſſe vſq; in octo ſyllabas pedis debere longitudinem porrigi: num reſiſtere poteris eſſe iam poſſe octo longarum ſyllabarum pedem? Certè enim ad aliquem numerũ ſyllabarum cum peruenit pes,non ſolùm ad eum peruenit qui breuibus, ſed etiam qui longis ſyllabis conſtat. Quo fit vt adhibita rurſus ea lege, quæ abrogari non poteſt, qua duas breues pro vna longa poni licet, ad ſedecim ſyllabas pertendamus. Vbi ſi rurſus pedis incrementum ſtatuere volueris, in trigintaduas breues proficiſcimur: huc quoq; ratio tua pedem te compellit adducere,& rurſus lex illa duplum numerũ breuium pro longis locare: atq; ita nullus cõſtituetur modus. D. Iam cedo rationi, qua vſq; ad quaternariũ ſyllabarum numerum promouemus pedem. Pro his autem legitimis pedibus poni oportere pedes pluriũ ſyllabarum, dum breues duæ vnius longæ locum occupant,non recuſo. M. FACILE eſt ergo te etiam illud videre atq; concedere, alios pedes eſſe pro his,penes quos rhythmi eſt principatus,alius qui cum his collocantur. Nam vbi pro longis ſingulis geminãtur breues,pro eo qui rhythmum obtinet,alios collocamus, velut pro iambo & trochæo tribrachum, aut pro ſpondæo dactylum,aut anapæſtum aut proceleumaticum. Vbi verò non idem fit,non pro eo, ſed cum eo ponitur quiſquis miſcetur inferior: vt cum dactylo anapęſtus,cum ionico verò vtrolibet diiambus vel dichorius: & reliqui ſimiliter ſuo iure cũ cæteris. An parum tibi dilucidum vel falſum videtur? D. Iam intelligo. M. Reſponde ergo vtrum illi,qui pro aliis ponũtur, poſſint etiam ipſi per ſe facere rhythmum? D. Poſſunt. M. Omnéſne? D. Omnes. M. Ergo & quinq; ſyllabarum pes poteſt ſuo nomine rhythmũ facere, quia pro bacchio vel cretico vel quolibet pęone poni poteſt. D. Nõ poteſt quidem, ſed iam iſtum non vocari pedẽ, ſi progreſſio illius vltra quaternarium numerum tranſeat, ſatis memini. Ego cum omnes poſſe reſpondi, pedes vtique poſſe reſpondi. M. Laudo etiam in nomine retinendo diligẽtiam & vigilantiam tuã. Sed ſcias multis etiam eſſe viſum ſenarum ſyllabarum pedes nũcupandos, ſed amplius quod ſciam, nemini placuit. Et illi quibus hoc placuit,negauerunt ad rhythmũ, aut ad metrum per ſe gignendum tam longos pedes adhibere oportere. Itaq; nomina quidem his indiderunt. Quocirca veriſſimus eſt ille progreſſionis modus,qui vſq; ad quatuor ſyllabas peruenit, quandoquidem hi omnes pedes,quibus diuiſis duo fieri non poſſunt,cõiuncti pedem facere potuerunt: & ita qui in ſextã ſyllabam vſque progreſſi ſunt, nomen tantum pedis in eos,qui quartam exceſſerunt, transferre auſi ſunt: ad princi-

CAP. V. *An ſint pedes ſupra ſyllabas quatuor.*

CAP. VI. *Pedes longiores quatuor ſyllabis, carent nomine.*

principatum verò, qui est in rhythmis & metris, nullo modo eos aspirare siuerunt. Sed cum pro longis breues duplicantur, etiam ad septimam atque octauam, vt iam ostendit ratio, syllabam peruenitur: ad quē numerum nemo tetendit pedem. Sed quoniā video constare inter nos quemlibet plurium quam quatuor syllabarum, cum pro longa duas breues ponimus, non cū his legitimis pedibus, sed pro his posse poni, neq; per seipsos rhythmum creare, ne in infinitum eat quod ratione finiendum est, satis iam inter nos de rhythmo existimo disputatum: transeamus ad metra, si placet.

CAPVT VII. *De metro, quibus & quot constituatur pedibus.*

D. Placet verò. M. Dic igitur, metrúmne arbitraris pedibus fieri, an pedes metro? D. Non intelligo. M. Pedésne coniuncti metrū creent, an metris coniunctis pedes creantur? D. Scio iam quid dicas, & coniunctis pedibus metrum fieri puto. M. Cur tandem id fieri putas? D. Quia inter rhythmum & metrū hoc interesse dixisti, quod in rhythmo contextio pedū nullum certum habet finem, in metro verò habet: ita ista pedum cōtextio & rhythmi & metri esse intelligitur: sed ibi infinita, hic autem finita constat. M. Ergo vnus pes metrum non est. D. Non vtique. M. Quid vnus pes & semipes? D. Ne hoc quidem. M. Quare? An quia metrum pedibus confit, nec vtique possunt dici pedes, vbi nusquam duo sunt? D. Ita est. M. Inspiciamus igitur metra illa quæ à me paulò antè commemorata sunt, & videamus quibus pedibus constent: non enim te in hoc genere animaduertēdo rudem esse adhuc decet. Ea sunt autem,

Ite igitur Camœnæ
Fonticolæ puellæ,
Quæ canitis sub antris
Mellifluos sonores.

Satis hæc esse ad id quod intēdimus puto: tu iam metire ista, & quos habeant pedes renuncia. D. Omnino non possum: eos enim metiendos puto, qui sibi legitimè copulari queunt, nec valeo me hinc expedire. Si enim primum choreum fecero, sequitur iambus, qui temporibus par est, sed non similiter plauditur: si dactylum, non sequitur alius qui ei saltem temporibus coæquetur: si choriambū, eadem difficultas est: quod enim restat, nec temporibus cum eo, nec plausu conuenit. Quare aut hoc metrum non est, aut falsum est quod inter nos de pedum copulatione dissertum est: nam quid aliud dicam non inuenio. M. Metrum quidem esse & eo quod plus est quam pes, certumque finem habet, & ipsarum aurium iudicio conuincitur. Nō enim tam suaui sonaret æqualitate, aut motu tam concinno clauderetur, si non inesset illa numerositas, quæ profectò esse nisi in hac parte musicæ non potest. Falsa verò esse, quæ inter nos constiterūt, miror quod existimes: nō enim aut numeris quicquam est certius, aut illa pedum commemoratione & collocatione ordinatius. Nam ex ipsa numerorum ratione, quę nullo modo fallit, expressum est quicquid in eis ad mulcendas aures, & ad obtinēdum in rhythmo principatum, valere perspeximus: sed vide potius cum sæpe repeto, *Quæ canitis sub antris*: demulceóque ista numerositate sensum tuum. Quid distat inter hoc, & si adderem ad finem huius breuem aliquam syllabam, & itē istoc eodem modo repeterem, Quæ canitis sub antrísve? D. Vtrunq; mihi iucunde illabitur auribus. Hoc tamen posterius, quo vnam syllabam addidisti breuem, plus tenere spacij ac temporis, siquidem longius factū est, cogor fateri. M. Quid cum illud superius, *Quæ canitis sub antris*, ita repeto, vt post finem nihil sileam, eadémne ad te iucūditas peruenit? D. Imò nescio quid claudum me offendit, nisi fortè illam vltimam plus quam cæteras longas produxeris. M. Ergo siue idipsum amplius quod producitur, siue quod sileturproduxero, censes ne in tempore habere aliquid spatij? D. Quis aliter potest? M. Recte censes. Sed dic mihi etiam quantum spatium putas esse? D. Metiri hoc omnino difficile est. M. Verum dicis, sed nónne tibi videtur breuis syllaba id metiri, quā cum addimus, neq; longę vltimę vltra solitam productionem, neq; vllum silētium in eius metri repetitione sensus desiderauit? D. Omnino assentior: nam rectè illud superius pronunciante te atque repetente, hoc posterius ego apud me ipse repetebam pariter tecum: ita sensi idem spacium temporis ambobus occurrere, cum silentio tuo breuis mea vltima conueniret. M. Teneas igitur oportet hæc silentiorum spacia certa in metris esse. Quare cū inueneris aliquid deesse pedi legitimo, considerare te oportebit, vtrum dimensio atque annumerato silentio compensetur. D. Teneo iam istuc, persequere cætera. M. Video iam nos quærere debere ipsius silentij modum: iámque in hoc metro, vbi post choriambū bacchium comperimus, quia vnum tempus deest vt sex temporum esset sicut choriambus, facillimè id aures senserunt, & in repetitione tanti spatij silētium interponere coëgerunt, quātum syllaba occuparet breuis: et si post choriambum locetur spōdæus, duo nobis tēpora cum silentio peragenda sunt ad caput redeuntibus: veluti hoc est, Quæ canitis fontē. Nam te sentire iam credo silendum esse, vt cū redimus ad caput, plausus non claudicet. Sed vt experiri queas quanta silētij huius mēsura sit, adde vnam syllabam longam, vt fiat, Quæ canitis fontem vos, atq; hoc cum plausu repete: videbis tantū occupare temporis plausum, quantū in superiore occupabat, cum ibi duæ lōgæ post choriambum, hic tres sint locatæ. Vnde apparet duūm ibi temporum interponi silentium. At si post choriambum iambus locetur, sicut hoc est, Quæ canitis locos, tria tempora silere cogimur: quod vt exploretur, addūtur siue per alterum iambum, siue per chorium, siue per tribrachum vt sit: aut, Quæ canitis locos bonos: aut, Quæ canitis locos monte: aut, Quæ canitis locos nemore. His enim additis, cum sine silentio iucunda & æqualis repetitio mouet, & plausu adhibito tantum spatij hæc tria singula tenere inueniuntur, quātum illud in quo silebamus, manifestum fit, trium temporū ibi esse silentium. Potest post choriambum vna syllaba longa constitui, vt quatuor tempora sileātur. Nam etiam sic choriambus diuidi potest, vt simplo & duplo leuatio sibi positióque conueniant. Huius metri exemplum est, Quæ canitis res. Cui si addas vel duas lōgas, vel longā & duas breues, vel breuem & longam & breuem, vel duas breues & longam, vel quatuor breues, implebis sex temporum pedem, vt nullo desiderato silentio repetatur. Talia sunt, Quę canitis res pulchras, Quæ canitis res in bona, Quæ canitis res bonūve, Quæ canitis res teneras, Quę canitis res modo bene. Quibus cognitis atque concessis, credo tibi iam satis apparere, nec minus vno tempore sileri posse, nec plus quatuor temporibus sileri oportere. Nam & ipsa est illa de qua iā multa dicta sunt moderata progressio, & in omnibus pedibus nulla leuatio aut positio amplius quàm quatuor occupat tempora. Itaq; cum aliquid canitur siue pronūciatur quod habeat certum finem, & plus habeat quam vnum pedem, & naturali motu ante cōsiderationem numerorum sensum quadam æquabilitate demulceat, iam metrum est. Quanquam enim minus habeat quam duos pedes, tamen quia excedit vnum & silere cogit, non sine mensura, sed quantum implēdis temporibus satis est quæ alteri debentur pedi, pro duobus pedibus auditus accipit, quod duorum pedum occupat tempora donec ad caput redeatur, dum annumeratur sono etiam certum atque dimensum interualli silentium. Sed iam mihi dicas velim, vtrum his quæ dicta sunt cognitis assentiaris? D. Cognoui & assentior. M. Mihíne credens, an

CAPVT VIII. *Silentia in membris.*

Metrū quod dicatur.

per te ipſe vera eſſe perſpiciens. D. Per me ipſe ſanè, A quamuis dicente te vera hæc eſſe cognoſco.

CAP. IX. *Modus temporum ac pedum in metro.*

M. AGE ergo nunc quoniam inuenimus vnde metrum eſſe incipiat, inueniamus etiam quouſque procedat. Nam metrum incipit à duobus pedibus, ſiue ipſo ſono plenis, ſiue ad implendum quod deeſt annumerato ſilentio. Quare oportet te iam reſpicere ad illam quaternariam progreſſionem, mihiq; renunciare vſque ad quot pedes metrum tendere debeamus. D. Facile iſtuc quidem eſt. Nam octo pedes eſſe ratio ſatis docet. M. Quid illud: Recordariſne dixiſſe nos eum verſum à doctis appellatum, qui duobus membris certa ratione dimenſis copulatisq; conſtaret? D. Bene memini. M. Cum ergo non ſit dictum duobus pedibus, ſed duobus membris conſtare verſum, cúmque manifeſtum ſit verſum nõ vnum pedem habere, ſed plures, nónne ipſa res indicat longius membrum eſſe quã pedem? D. Ita verò. M. At ſi membra æqualia ſint in verſu, nónne præpoſterari poterit, vt prima pars ſine B diſcrimine vltima, vltima prima fiat? D. Intelligo. M. Ergo hoc ne accidat, ſatisque appareat diſcernaturq; in verſu aliud eſſe membrum quo incipit, aliud quo deſinit, non poſſumus recuſare inæqualia membra eſſe oportere? D. Nullo modo. M. Id ergo prius in pyrrhichio conſideremus, ſi placet, in quo iam credo videri tibi minus tribus temporibus membrum eſſe nõ poſſe, quoniam id primum eſt plus quam pes. D. Aſſentior. M. Ergo minimus verſus quot tempora poſſidebit? D. Dicerem ſex, niſi me illa prępoſteratio reuocaret. Septem ergo habebit, quia minus quàm tria membrum habere non poteſt. Plus autem habere, nõdum prohibitum eſt. M. Rectè intelligis. Sed dic quot pedes pyrrhichios habeant ſeptem tempora? D. Tres ſemis. M. Debetur ergo vnius temporis ſilentium, dum ad principium reditur, vt ſpacium pedis poſſit impleri. D. Debetur ſanè. M. Hoc annumerato quot tempora erunt? D. Octo. M. Vt ergo minimus, qui etiam primus C eſt pes, minus quam duo: ita minimus qui primus eſt verſus, minus habere, quam octo tempora non poteſt. D. Ita eſt. M. Quid maximus verſus, quo ampliorem eſſe nõ oporteat, quot tandem temporum eſſe debet? Nónne ſtatim videbis, ſi ad illam progreſſionem retulerimus animũ, de qua toties tam multa dicta ſunt? D. Iam intelligo ampliorem quam trigintaduũm temporum verſum eſſe non poſſe. M. Quid de metri longitudine, cenſéſne ampliorem eſſe debere quam verſum cum metrum id quod eſt minimum, tamen minus ſit quàm minimus verſus? D. Non cenſeo. M. Cum ergo metrum incipiat à duobus pedibus, verſus à quatuor: aut illud à ſpacio duorum pedum, hoc à quatuor annumerato ſilentio: metrum autem octo pedes non excedat, nónne cum & verſus metrum ſit, neceſſe erit eum tot pedes non excedere? D. Ita eſt. M. Rurſus cum verſus non ſit longior quam trigintaduũm temporum, & metrum ſit etiam longitudo verſus, ſi con- D iunctionem duorum membrorum talem non habeat qualis in verſu præcipitur, ſed tantùm certo fine claudatur, neque debeat longius eſſe quam verſus, nónne manifeſtum eſt vt verſum pedes octo, ita metrum trigintaduo tempora excedere non oportere? D. Aſſentior. M. Erit ergo idem ſpacium temporis, & idem numerus pedum & metro & verſui, communisque quidam terminus, vltra quem progredi vtrunque non debeat: quamuis metrum quadruplicatis pedibus, à quibus eſſe incipit: verſus autem quadruplicatis temporibus, à quibus & ipſe eſſe incipit, finiatur: vt creſcendi ſcilicet modum quaternaria illa ratione ſeruata metrum cum verſu communicauerit in pedibus, verſus cum metro in temporibus. D. Intelligo & probo, atque ſic habere iſtam concordiam cõſenſionémque delector.

DIVI AVRELII AVGVSTINI DE MVSICA, LIBER IIII.

CAP. I. *Vltima ſyllaba quare indifferens in metro.*

REDEAMVS ergo ad metri conſiderationem, propter cuius progreſſum ac lõgitudinem de verſu tecum aliquid agere coactus ſum, cuius tractandi poſtea nobis eſt conſtitutus locus. Sed primo illud quæro, vtrum non repudies, quòd vltimam ſyllabam, quæ metrum terminat, ſeu longa ſeu breuis ſit, poëtæ atq; eorum iudices grammatici nihil ad rẽ pertinere arbitrati ſunt? D. Omnino repudio: non enim mihi videtur eſſe rationis. M. Dic mihi, obſecro, quod metrum ſit in pyrrhichio minimum? D. Tres breues. M. Quantum ergo ſilẽdum eſt dũ repetitur? D. Vnum tempus quod eſt vnius breuis ſyllabæ ſpacium. M. Age iam percute hoc metrum, nõ voce ſed plauſu. D. Feci. M. Percute etiam hoc modo anapæſtum. D. Et hoc feci. M. Quid tibi viſum eſt intereſſe? D. Prorſus nihil. M. Quid cauſæ, cur ita ſit, poteſne dicere? D. Videtur mihi ſatis apparere: nam quod in illo ad ſilẽtium, hoc in iſto ad productionem vltimę ſyllabę refertur: nam eodem modo ibi breuis vltima, vt hic longa percutitur, & poſt tantundem interuallum reditur ad caput. Sed ibi quieſcitur donec ſpacium pyrrhichij pedis, hic donec longæ ſyllabæ impleatur. Ita in vtroque par mora eſt, qua interpoſita remeamus. M. Non igitur abſurdè illi vltimam ſyllabam metri, ſeu longa ſeu breuis ſit, nihil ad rem pertinere voluerunt: vbi enim finis eſt, ſilentium ſequitur, quantum ad ipſum metrum attinet quod finitur. An eos in hac cauſa repetitionem vllam vel reditum ad caput conſiderare debuiſſe exiſtimas, ac non tantummodo quia finitur, quaſi deinceps nihil C dicendum ſit? D. Iam aſſentior, vltimam ſyllabam indifferenter eſſe accipiendam. M. Rectè. Sed ſi hoc propter ſilentium fit, quoniam ita conſideratus eſt finis, quaſi deinceps nihil ſoniturus ſit qui finierit, & ob hoc ſpacium temporis in ipſa quiete largiſſimum, nihil diſtat quæ ibi ſyllaba locetur, nónne illud eſt conſequẽs, vt ipſa vltimæ ſyllabę indifferentia, quę & propter largum ſilentij ſpacium conceditur, ad id proficiat, vt ſiue id breuis ſyllaba ſiue longa ſit, eandem ſibi aures pro longa vendicent? D. Video planè eſſe conſequens.

CAP. II. *Quot ſyllabis minimũ conſtituatur pyrrhichium metrum, quandiu quoque ſilendum.*

M. VIDES ne etiam illud, cum diximus minimum metrum eſſe pyrrhichium, tres breues ſyllabas, vt vnius breuis ſpacio ſileatur, dum ad initium reuertimur, nihil intereſſe, vtrum hoc metrum, an pedes anapæſtos repetamus? D. Iam hoc quidem paulò antè illa percuſſione percepi. M. Nónne ergo quicquid hic eſt confuſum, diſtinguendum aliqua ratione arbitraris? D. Omnino arbitror. M. Dic vtrum aliam videas eſſe rationem, quæ iſta diſtinguat, niſi vt metrum pyrrhichium non illud ſit minimum, quod tibi videbatur in tribus breuibus, ſed in quinque. Poſt vnum enim pedem ac ſemipedem ſilere mora ſemipedis eius qui debetur implendo pedi, atque ita redire ad initium, & hoc minimum metrum in pyrrhichio conſtituere non nos ſinit anapæſti parilitas, vt iam demonſtratum eſt: quare poſt duos pedes & ſemipedem ſilendum eſt illud vnum tempus, ſi confuſione carere volumus. D. Cur enim non duo pyrrhichij ſunt minimum metrum in pyrrhichio, & quatuor ſyllabæ breues potius, poſt quas ſilere opus non ſit, quàm quinque poſt quas opus ſit? M. Vigilanter quidem, ſed non caues ne ab hoc te ita proceleumaticus, vt ab illo anapæſtus excludat? D. Verum dicis. M. Placet ergo hic modus in quinque breuibus, & ſilentio vnius temporis? D. Placet verò.

M. Vide-

M. Videtur mihi oblitum esse te, quemadmodum in rhythmo dixerimus posse discerni vtrum pyrrhichio an proceleumatico curreretur. D. Bene admones: nam plausu istos numeros abinuicem distinguendos comperimus, quare iam neq; hic istum proceleumaticum metior, quem plausu adhibito à pyrrhichio discernere potero. M. Cur igitur non eũdem plausum adhibendum vidisti, vt ab illis tribus breuibus id est pyrrhichio & semipede, post quẽ oportet vnũ tempus silere, discerneretur anapæstus? D. Iam intelligo, & in viam redeo, metrumq; in pyrrhichio minimũ tres syllabas breues, quæ annumerato silentio duorum pyrrhichiorum, tempus occupant, esse confirmo. M. Probant ergo aures tuæ hoc genus numeri:

Si aliqua bene vis, benedic, bene fac animus,
Si aliqua malè vis, malè dic, malè fac, animus medium

est. D. Satis probãt, præsertim cum iam recordatus sim quemadmodũ eos plaudi oporteat, ne cũ metro pyrrhichio anapæsti confundantur pedes. M. Vide & ista:

Si aliquid es, age bene, malè qui agit, nihil agit, & ideo miser erit. D. Suauiter etiam ista se insinuant, nisi vno loco, vbi finis tertij cum initio quarti copulatur. M. Idipsum omnino est, quod à tuis auribus desideraui. Nõ enim frustra sensus offenditur, cum omnium syllabarum nullo interposito silentio tempora singula expectat: quam expectationem profectò fraudat concursus duarum consonantium, t & n, quæ præcedentem vocalem longam esse cogunt, & in duo tempora extendunt, quod genus grammatici positione lõgam syllabam vocant. Sed propter illam vltimę syllabę indifferentiam, nemo criminatur hoc metrum, cum id syncerę atq; seuerę aures etiã sine accusatore condẽnent. Nam vide quęso quantum intereſt, si pro eo quod est,

Malè qui agit, nihil agit: dicatur,
Malè qui agit homo, perit.

D. Hoc sanè liquidum atq; integrum est. M. Hoc ergo nos obseruemus propter Musicæ syncritatem, quod poëtæ non obseruant propter facilitatem canendi: vt quoties, exempli causa, nobis necesse est aliqua metra interponere, in quibus nihil debetur pedi quod silentio compensetur, eas ponamus vltimas syllabas quas lex eiusdem numeri flagitat, nec cũ aliqua offensione aurium & falsitate mensuræ, à fine ad initium redeamus, concedentes tamen illis vt ita metra talia finiant, quasi deinceps nihil dicturi, & ideo extremam syllabam seu longam seu breuem impunè constituãt: nam in continuatione metrorum apertissimè conuincuntur aurium iudicio, non se debere ponere vltimã, nisi quæ ipsius metri iure ac ratione ponenda est. Hæc autem cõtinuatio fit, cum pedi nihil debetur propter quod silere cogamur. D. Intelligo, & gratum habeo quod talia polliceris exempla: quibus nullam patiatur sensus iniuriam.

CAPVT III. *Pyrrhichiorũ metrorum ordo & numerus.*

M. AGE nunc ordine, de his quoque renuncia pyrrhichiis:

Quid erit homo
Qui amat hominem,
Si amet in eo
Fragile quod est?
Amet igitur
Animum hominis,
Et erit homo
Aliquid amans.

Quid hæc videntur? D. Quid nisi suauissimè atque integerrimè currere? M. Quid ista?

Bonus erit amor,
Anima bona sit:
Amor inhabitat,
Et anima domus.
Ita bene habitat,
Vbi bona domus,
Vbi mala, malè.

D. Etiam ista continuata suauissimè accipio. M. Nunc tres semipedes, vide:

Animus hominis est
Mala bonáve agitans.
Bona voluit, habet.
Mala voluit, habet.

D. Hæc quoq; interposito vnius temporis silẽtio, iucunda sunt. M. Sequuntur quatuor pleni pyrrhichij, hos accipe, & iudica:

Animus hominis agit
Vt habeat ea bona,
Quibus inhabitet homo,
Nihil ibi metuit.

D. In his quoq; certa & iucunda mensura est. M. Audi iam nunc nouem syllabas breues: audi & iudica:

Homo malus amat & eget,
Malus etenim ea bona amat,
Nihil vbi satiat eum.

D. Prome nunc quinque pyrrhichios. M.

Leuicula fragilia bona,
Qui amat homo, similiter habet.

D. Iam hoc sat est, & probo, nũc adde semipedẽ. M. Faciam. Vaga leuia fragilia bona,

Qui amat homo similis erit eis.

D. Bene prorsus, & sex iam expecto pyrrhichios. M. Et hos audi:

Vaga leuicula fragilia bona,
Qui adamat homo, similis erit eis.

D. Satis est, adde semipedem. M.

Fluida leuicula fragilia bona
Quæ adamat anima, similis erit eis.

D. Sat est & bene est, da iam septem pyrrhichios. M.

Leuicula fragilia, gracilia bona,
Quæ adamat animula, similis erit eis.

D. Accedat his semipes, nam hoc elegãter se habet. M.

Vaga fluida leuicula fragilia bona,
Quæ adamat animula, fit ea similis iis.

D. Octo pedes iam restare video, vt iam istas minutias euadamus. Quanquam enim approbent aures naturali quadam dimẽsione quod sonas, nolim te tamen tot breues syllabas quærere, quas, ni fallor, contextas inuenire in coniunctionem verborum difficilius est, quam si eis miscere longas liceret. M. Nihil te fallit, & vt tibi probem gratulationem meam, quod hinc aliquando transire permittimur: metrum quod restat huius generis sententia faciliore componam.

Solida bona bonus amat, & ea quæ amat, habet.
Itaque nec eget amor, & ea bona Deus est.

D. Habeo cumulatissimè perfecta metra pyrrhichij. Sequuntur iambica, de quibus mihi singulis bina exempla sufficiunt, quę nulla interpellatione audire delectat.

CAPVT IIII. *De metris iambicis.*

M. GERAM tibi morẽ. Sed ista quę iam peregimus quot sunt? D. Quatuordecim. M. Quot etiam iambica fore credis? D. Æquè quatuordecim. M. Quid si eis velim pro iambo tribrachum ponere, nõne multiformior varietas erit? D. Manifestum est quidem: sed ego exẽpla ista in solis iambis audire cupio, ne longum faciamus: pro quauis enim longa syllaba duas breues posse poni, facilis disciplina est. M. Faciam quod vis: gratúmque habeo quod intelligẽtia sequaci minuis laborem meum: sed aurem ad iambicum præbe. D. Isthic sum, incipe. M.

Bonus beatus. 1.
Malus miser sibi est malum. 2.
Bonus beatus, Deus bonum eius. 3.
Bonus beatus est, Deus bonum eius est. 4.
Bonus vir est beatus. 5.
Videt Deum beate.
Bonus vir, & sapit bonum, 6.
Videns Deum beatus est.
Bonus Deum videre qui vult, 7.

Bene viuit hic,videbit.
8 Bonum videre,qui cupit diem,
9 Bonus ſit hic,videbit & Deum.
10 Beatus eſt bonus,fruens enim eſt Deo,
Malus miſer,ſed ipſe pœna ſit ſua.
11 Beatus eſt videns Deum,nihil cupit plus,
Malus bonum foris requirit,hinc egeſtas,
12 Beatus eſt videns Deum,nihil boni amplius,
Malus bonum foris requirit,hinc eget miſer.
13 Beatus eſt videns Deum, nihil boni amplius vult,
Malus foris bonum requirit,hinc æger miſer fit.
14 Beatus eſt videns Deum,nihil boni amplius volet,
Malus foris bonum requirit,hinc eget miſer bono.

CAP. V. *De metro trochaico.*

D. TROCHÆVS eſt,prome trochaica:nam iſta ſe habẽt optimè.M.Faciam,& eodẽ modo quo iambica.

1 Optimi non egent.
2 Veritate non egetur.
3 Veritas ſat eſt,ſemper hæc manet.
4 Veritas vocatur ars Dei ſupremi.
5 Veritate factus eſt mundus iſte quem vides.
6 Veritate facta cuncta,quæque gigni & videmus.
7 Veritate facta cuncta ſunt,omniumq; forma veritas.
8 Veritate cuncta facta cerno,veritas manet,mouentur iſta.
9 Veritate facta cernis omnia,veritas manet,mouentur omnia.
10 Veritate facta cernis iſta cuncta,veritas tamen manet, mouentur iſta.
11 Veritate facta cuncta cernis optimè, veritas manet, mouentur hæc,ſed ordine.
12 Veritate facta cuncta cernis ordinata, veritas manet, nouans mouet quod enouatur.
13 Veritate facta cuncta ſunt & ordinata cuncta, veritas nouat manens,mouentur vt nouentur hæc.
14 Veritate facta cuncta ſunt, & ordinata cuncta, veritas manens nouat,mouentur vt nouentur iſta.

CAP. VI. *De metro ſpõdaico.*

D.Spondæum ſequi video.Nam & trochæus ſatis auribus fecit.M.Hæc ſunt metra ſpondæi.

1 Magnorum eſt libertas.
2 Magnum eſt munus libertatis.
3 Solus liber fit,qui errorem vincit.
4 Solus liber viuit,qui errorem iam vicit.
5 Solus liber verè fit,qui erroris vinclum vicit.
6 Solus liber verè viuit, qui erroris vinclum iam vicit.
7 Solus liber non falſo viuit, qui erroris vinculum iam deuicit.
8 Solus liber iure ac verè deuicit,qui erroris vinclũ magnus deuicit.
9 Solus liber iure ac non falſo viuit,qui erroris vinclum funeſtum deuicit.
10 Solus liber iure ac vere magnus viuit, qui erroris vinclum funeſtum iam deuicit.
11 Solus liber iure ac non falſo magnus viuit, qui erroris vinclum funeſtum prudens deuicit.
12 Solus liber iure ac non falſo ſecurus viuit, qui erroris vinclum funeſtum prudens iam deuicit.
13 Solus liber iure ac non falſo ſecurus iam viuit, qui erroris vinclum tetrum ac funeſtum prudens deuicit,
14 Solus liber iure ac non falſo ſecuram vitam viuit, qui erroris vinclum tetrum ac funeſtum prudens iam deuicit.

CAPVT VII. *Tribrachi metra quot ſint.*

D. NEC de ſpõdæo habeo quod requiram, veniamus ad tribrachum. M. Ita verò. Sed cum omnes quatuor ſuperiores pedes,de quibus dictum eſt,quatuor & dena metra pepererint, quæ fiunt ſimul ſex & quinquaginta, plura ſunt expectãda de tribracho. In illis enim cum ſpatium ſemipedis in ſilentio eſt, plus vna ſyllaba non ſileturin hoc autem cum ſilemus, num cẽſes vnius breuis ſyllabæ ſpatio tantummodo ſilere oportere : an & duarum breuium mora ſilentio contineri poſſet? Quandoquidem nemo dubitauerit duplicem

A huius eſſe diuiſionẽ. Nanq; aut ab vna incipit, finitur ad duas:aut cõtrà incipiens à duabus, vna terminatur. Quare hunc neceſſe eſt viginti & vnũ metra procreare.D.Veriſſimũ eſt. Nanq; incipiunt à quatuor breuibus,vt duo tempora ſileamus.Deinde quinq; ſunt,vbi vnum ſilemus. Tertio ſex,vbi nihil ſilendũ eſt. Quarto ſeptem,vbi rurſus duo tempora ſilẽda ſunt. Inde octo,vbi vnum.Sexto nouẽ,vbi nullum.Atque ita cum ſingulæ addũtur,donec ad vigintiquatuor ſyllabas veniatur,qui octo ſunt tribrachi, viginti vnum omnino metra cõplentur. M.Expeditiſſime rationẽ ſecutus es, ſed cenſeſne vbiq; à nobis exempla eſſe promẽda? An ea quæ illis quidem primis pedibus ſubiecimus, ſatis putandum eſt luminis cæteris eſſe præbitura? D. Meo quidem iudicio ſatis. M. Nec ego nunc aliud requiro quam tuum.Veruntamẽ quoniam iam optimè ſcis in pyrrhichiis metris mutato plauſu poſſe tribrachũ dupliciter percuti,quæro vtrum pyrrhichij primum me-
B trum poſſit etiam tribrachi metrum habere? D. Non poteſt: maius enim metrum oportet eſſe quã pedem. M. Quid ſecundum? D.Poteſt:nã breues quatuor pyrrhichij duo ſunt:tribrachus vnus eſt & ſemipes, ita vt ibi nullum,hic duo tempora ſileamus.M. Mutato igitur plauſu habes in pyrrhichiis etiam tribrachi exempla vſq; ad ſedecim ſyllabas,id eſt vſq; ad quinque tribrachos & ſemipedem, quibus debes eſſe contentus. Cætera enim potes vel voce vel aliquo plauſu per te ipſe contexere. Si tamen adhuc aurium ſenſu explorandos huiuſcemodi numeros arbitraris.D.Faciam equidem quod videtur:videamus quæ reſtant.

CAPVT VIII. *De pedibus dactylo poſtponẽdis propter ſilentiũ.*

M. DACTYLVS ſequitur,qui ſemel diuidi poteſt: an aliter putas?D.Imò ita eſt.M. Quota ergo eius pars poteſt eſſe in ſilentio? D. Dimidia ſcilicet. M.Quid ſi poſt dactylum trochæo conſtituto, velit quiſpiã ſilere vnum tempus, quod in breui ſyllaba dactylo debetur implendo,quid reſpondebimus?Non enim poſſumus
C dicere minus quam ſpatium ſemipedis ſileri non oportere.Ratio enim ſuperius tractata non minus, ſed amplius quam ſemipedis tempus ſilendum eſſe perſuaſerat.Nam vtiq; minus quam ſemipes ſiletur in choriãbo,vbi poſt ipſum choriambum bacchius collocatur, cuius exemplũ eſt,Fonticolæ puellæ.Vnius enim breuis ſyllabę ſpatio hic nos ſilere cognoſcis,quod ſex tẽporibus debetur implendis.D.Verum dicis.M.Conſtituto ergo trochęo poſt dactylum,licebit ne etiã vnum tempus ſilere?D. Ita cogor fateri.M. Quis te tandẽ cogeret,ſi meminiſſes ſuperiorum ? Hoc enim tibi accidit,quod de indifferentia vltimæ ſyllabę,& quomodo ſibi vltimam longam vindicent aures, vbi reſtat ſpatium quò porrigatur,etiam ſi breuis ſit, quid demonſtratum fuerit oblitus es.D.Iam intelligo: nam vtiq; ſi vltimam ſyllabam breuem, quando reſtat ſilentium, longam aures accipiunt,ſicut ſuperiore ratione exemplisque cognouimus,nihil intererit vtrum poſt dacty-
D lum trochæus an ſpondæus locetur. Quamobrẽ cum repetitio diſtinguenda ſilentio eſt, vnam longam ſyllabam oportet poſt dactylum ponere, vt duorum temporum ſpatio ſileamus. M. Quid ſi pyrrhichius ponatur poſt dactylum, recte ne fieri putas? D. Non rectè: nam vtrũ idem ſit,an iambus,nihil intereſt: ſiquidem pro iambo eum neceſſe eſt accipi propter vltimam, quam longam exigunt aures:quia reſtat ſilentiũ.Iambum autem non oportere reponi poſt dactylum, propter diuerſitatem leuationis & poſitionis, quarũ neutram oportere in dactylo habere tria tempora,quis nõ intelligat? OPTIME omnino atque ſagaciter. Sed quid tibi tandem videtur de anapæſto, an eadem ratio eſt?D.Prorſus eadẽ. M. Iam ergo bacchium conſideremus, ſi placet, & dic mihi quod primũ eius metrum eſt. D. Quatuor ſyllabas puto eſſe, vnã breuem, & tres longas: quarũ duæ ad bacchium pertinent,vna

CAP. IX. *Ex bacchiis pedibus ver-*

verò

verò vltima ad inchoationem eius pedis qui cum bacchio poni potest, vt id quod ei debetur, sit in silentio: in aliquo tamen exemplo velim hoc auribus explorare. M. Facilè quidem est exempla subiicere, quibus tamen non te arbitror ita vt superioribus posse delectari: nam isti quinorum temporum pedes, vt etiã septenorum, non tam suauiter currunt, quàm ij qui aut in æquas partes diuiduntur, aut in simplam & duplã, vel duplam & simplã: tantũ interest inter sesquatos motus & æquales aut complicatos, de quibus satis in primo illo nostro sermone tractauimus. Itaq; hos pedes, quinque ac septem scilicet temporum, vt spernentius poëtæ, ita soluta libentius assumit oratio, quod videri facilius in exemplis, quæ postulasti potest: nam ista,

Laborat magister docens tardos.

Hoc reuolue interposito trium temporum silentio, quod vt sentires facilius, ideo post tres pedes longam posui, quod est initium cretici, qui cum bacchio poni potest. Nec adeo primi metri exemplum dedi, quod B est quatuor syllabarum, ne vnus pes non esset satis ad commonendum sensum tuum quantum post illum, atque vnam longam silere deberes. Quod ecce nunc edam, atque ipse repetam, vt in meo silentio tria tempora sentias: Labor nullus, amor magnus. D. Satis apparet solutæ orationi hos esse congruentiores pedes, & nihil opus est exemplis cætera excurrere. M. Verum dicis, sed num tibi cum silendum est, vna tantum longa videtur poni posse post bacchium? D. Non sanè: sed etiam breuis & longa: qui eiusdem bacchij semipes primus est: nã si nobis inchoare creticum licuit, quia cum eodem bacchio poni potest, quanto magis id de ipso bacchio facere licebit, cum præsertim non totum de cretico posuerimus, quod primæ parti bacchij sit æquale temporibus?

CAP. X. *Pleno pedi quid addatur ante silentium.*

M. IAM ergo, si placet, me audiente atq; iudicante, tu ipse per cætera excurre, & quid ponatur post plenum pedem, quanto silentio reliquum impletur in omnibus pedibus qui restãt, C exequere. D. Breuissimum iam opinor atque facillimum est quod requiris: nam quod de bacchio dictum est, id etiam de secundo pæone dici potest. Post creticum autem & vnam longam syllabam licet ponere & iambum & spondæum, ita vt aut tria tẽpora, aut duo, aut vnum sileatur. Quod autem de hoc dictum est, id & in primum & in vltimum pæonem cadit. Iam post palimbacchium vel vnam longam vel spõdæum collocari decet, quocirca & in hoc metro aut tria tempora, aut vnum silebitur. Eadem conditio est pæonis tertij: sanè vbicunque spondæus, ibi & anapæstus iure ponitur. Post molossum verò, quod ad eius attinet diuisionem, aut vnam longam, vt quatuor, aut duas ponimus, vt duo tempora sileamus. Sed quoniam & sensu & ratione exploratum est, ordinari cum eo posse omnes senũm temporum pedes, erit post eum locus & iambo, & tria tempora silenda remanebunt: erit & cretico, & vnum tacebitur, hac cõditione erit & bac- D chio. At si in duas breues primam cretici, & secũdam bacchij solueris, erit & pæoni quarto. Quod autem de molosso, id etiam de cæteris sex temporum pedibus dixerim. Iam proceleumaticum arbitror ad cæteros qui quatuor temporibus constant, esse referẽdum, nisi cum tres breues post eum locamus. Quod ita est ac si anapæstum locemus, propter vltimam syllabam quæ cum silentio longa accipi solet. Primo verò epitrito iambus rectè subiungitur, & bacchius & creticus & pæon quartus. Hoc dictum sit & de secundo, vt tempora sileantur, aut quatuor aut duo. Duos autem reliquos epitritos rectè possunt consequi spondæus & molossus: ita vt & primam spondæi, & primam, vel secundam molossi in duas breues soluere liceat. Ergo in his metris aut tria tempora, aut vnum tacebitur. Dispondæus restat, post quem si posueri- A mus spondæum, quatuor tempora silenda erunt. Si molossum, duo, manente licentia soluendi longam in duas breues, vel in spondæo, vel in molosso, excepta vltima. Habes quod me percurrere voluisti, nisi aliquid fortè emendabis.

CAPVT XI. *Iambus post dichorium malè ponitur.*

M. IMO non ego, sed tu, cum aurem ad iudicandum adhibueris: nam quæro à te, vtrum cum dico & plaudo isthuc metrum,

Verus optimus: & hoc,
Verus optimorum: & hoc,
Veritatis inops: tam iucundè hoc tertium

quàm illa superiora tuus sensus accipiat, quod ea repetendo, & cum debitis silentiis plaudendo facilè iudicabit. D. Manifestum est quod iucundè illa, hoc iniucundè accipiat. M. Non ergo rectè post dichorium iambus ponitur. D. Ita est. M. Rectè autem posse poni post cæteros, assentitur quisquis hæc metra cum disciplina interponendorum silentiorum repetierit:

Fallacem caue.
Malè castum caue.
Multiloquum caue.
Fallaciam caue, &
Inuidum cauẽ, &
Infirmum caue.

D. Sentio quod dicis, & approbo. M. Vide etiã vtrum te nihil offendat, cum interposito duorum temporum silentio, hoc metrum repetitur: & vtrumque inæqualiter pergit. Num enim ista sonant vt ista?

Veraces regnant.
Sapientes regnant.
Veriloqui regnant.
Prudentia regnat.
Boni in bonis regnant.
Pura cuncta regnant.

D. Imò hæc æqualiter & suauiter, illud autem absurdè. M. Hoc ergo tenebimus in metris sex temporum pedum, dichorium iambo, antispastum spõdæo malè claudi. D. Tenebimus sanè. M. Quid causæ cur ira sit? Nõne approbabis, si animaduerteris leuatione ac positione in duas partes diuidi pedem, ita vt si qua in eo syllaba media est, vel vna vel duæ, aut parti attribuantur priori vel posteriori, aut in vtraque partiantur? D. Noui quidem istuc, & verum est, sed quid ad rem? M. Hoc quoque attende quod dicam, tũc videbis facilius quod requiris. Nam manifestum tibi esse arbitror, alios esse sine mediis syllabis pedes, vt pyrrhichius, & cęteros binarum syllabarum, alios in quibus medium, aut primæ parti, aut extremæ, aut vtrique, aut neutri spacio conueniat. Primæ, vt in anapæsto, vel palimbacchio, vel in pæone primo. Extremæ, vt in dactylo vel in bacchio, vel in pæone quarto. Vtrique, vt in tribracho, siue in molosso siue in choriambo siue in quolibet ionico. Neutri, vt in cretico siue in pæonibus secundo & tertio, siue in diiambo, dichorio, antispasto. Nam qui pedes in tres æquales partes diuidi possunt, media pars in his conuenit cum prima & extrema. Qui autem non possunt, aut cum prima tantùm, aut cum extrema, aut cum neutra. D. Et hoc æquè † est verum, & quò tendat expecto. M. *al. scio.* Quò tãdem putas, nisi vt videas iambum post dichorium ideo malè poni cum silentio, quia medium eius est, nec primæ parti æquale nec extremæ, & idcirco à leuatione ac positione discordat? Hoc etiam de spondæo intelligitur, qui similiter post antispaston cum silentio non amat poni. An quicquam tibi aduersum ista dicendum? D. Mihi verò nihil, nisi quod ista offensio quæ fit auribus, cum ita hi pedes collocantur, in comparatione fit eius suauitatis quæ oblectat auditũ, aut cum post cęteros senũm temporum hi cum silẽtio ponuntur pedes. Nam si aliis tacitis me consulueris, quemadmodum sonarẽt, exemplis subiectis, aut post

dichorium iambus,aut poſt antiſpaſtum ſpondæus,cũ A
ſilẽtio poſiti,dicam quod ſentio,fortaſſe approbarem
& laudarem. M. Nõ equidem reſiſto tibi. Satis eſt mihi
tamen,quod hęc collatio in comparatione talium nu-
merorum,ſcilicet melius ſonantium,ſicut dicis,offen
dit. Eo enim eſt improbanda, quod cum eiuſdem ge-
neris etiam illi ſint pedes quos hic labi ſemipedibus
clauſos iucundius confitemur, ab his diſcrepare non
debuit. Sed nónne tibi videtur ſecundum iſtam ratio-
nem,nec poſt epitritum ſecundum iambum cũ ſilen-
tio poni oportere ? Nã & in hoc pede iambus ita me-
dium locum tenet, vt nec prioris nec poſterioris par-
tis tẽporibus æquetur. D. Cogit me ſuperior ratio con
CAPVT XII. *Summarius numerus pedum ac metrorum, D LXXI.* cedere. M. AGE nunc, redde mihi omnium
metrorum numerum,ſi placet,quæ iam tractauimus,
id eſt eorum quæ à ſuis plenis pedibus incipiunt,clau-
duntur autem aut ſuis pedibus plenis,ita vt ſilentium
cum ad caput reditur, non interponamus: aut nõ ple-
nis pedibus cum ſilentio,quos tamẽ eis congruere ra- B
tio docuit,incipiente numero à duobus non plenis vſ-
que ad octo plenos, ita tamen vt trigintaduo tempora
non excedantur. D. Operoſum quidem eſt quod im-
ponis,eſt tamen operæprecium. Sed memini nos pau-
lò antè iam peruenisſe ad ſeptuagintaſeptem metra à
pyrrhichio vſque ad tribrachum : cum illi binarũ ſyl-
labarum pedes quatuordecim ſinguli crearent, quæ
fiunt ſimul quinquaginta & ſex. Tribrachus autẽ vi-
gintivnum,propter geminam diuiſionem. His igitur
ſeptuaginta & ſeptem addimus quatuordecim dacty-
li,& anapæſti totidem. Pleni enim ſi locentur nullo ſi-
lentio, incipiẽte metro à duobus vſque ad octo pedes,
ſeptena pariunt. Additis verò ſemipedibus cum ſilen-
tio,incipiente metro ab vno pede & ſemis,peruenien
te ad ſeptem ſemis,alia ſeptena: & fiunt iã omnia cen-
tum & quinque. Bacchius verò nõ poteſt metrũ ſuum
ad octo pedes perducere,ne trigintaduo tempora trã-
eat,neque quiſquam quinũm temporum pes,ſed poſ- C
ſunt iſti vſque ad ſex peruenire. Bacchius verò & qui
ei par eſt,non modò temporibus,ſed etiam diuiſione:
pæon ſecundus à duobus pedibus vſque ad ſex proce-
dentes cum integri ordinantur ſine ſilẽtio,quina me-
tra pariunt: cum ſilentio autem incipientes ab vno ſe-
mis,& ad quinque ſemis peruenientes, alia quina cum
vna longa poſt eos ponitur,& item quina,cùm breuis
& longa. Quindena igitur creãt,quæ in ſummam re-
dacta triginta ſunt, & fiunt iam metra omnia centum
& triginta quinque. Creticus verò,& qui pariter diui-
duntur,pæones primus & quartus,quoniam poſt illos
& vnam longam, & iambum & ſpondæum & anapæ-
ſtum licet ponere,ad ſeptuaginta quinque peruenirũt.
Cum enim tres ſint pedes, quina creant ſine ſilentio,
cum ſilentio autem viginti,quæ ſimul (vt dictum eſt)
fiunt quinque & ſeptuaginta,quibus additis ſuperiori
ſummæ,decem & ducenta complectũtur. Palimbac-
chius & qui ei diuiſione concordat tertius pæon, qui- D
na pariunt integri ſine ſilentio: cum ſilentio autẽ qui-
na cum vna longa,quina cum ſpondæo,quina cum a-
napæſto. Hæc addimus ad maiorem ſummam, & ha-
bemus metra omnia ducenta quinquaginta. Moloſ-
ſus & cæteri ſex temporum pedes, qui cum illo ſimul
ſeptem fiunt,quaterna creant integri: cum ſilentio au
tem quoniam & vna longa poſt vnumquemq; eorum
locari poteſt, & iambus & ſpondæus & anapæſtus &
bacchius & creticus, pæon quartus vicena & octona
complent,quę ſimul fiunt centum nonagintaſex,quę
ducta cum illis quaternis ducenta vigintiquatuor cõ-
plentur: ſed hinc octo deducẽdi ſunt, quia poſt dicho-
riũ iambus,& poſt antiſpaſtũ ſpondęus malè ordinan-
tur. Reliqua ſunt ducenta ſedecim, quæ addita maio-
ri ſummæ,faciunt metra omnia quadringẽta ſexagin-
taſex. Proceleumatici ratio haberi nõ potuit cum his
pedibus quibus congruit, propter ſemipedes qui poſt
hunc plures ponuntur. Nam & vna ſyllaba longa poſt
eum poni poteſt cum ſilentio, ſicut poſt dactylum &
eius conſortes,& tres breues,vt vnum tempus ſilendũ
ſit,quo efficitur vt vltima breuis pro longa accipiatur.
Epitriti metra gignunt terna integri, incipiẽte metro
à duobus pedibus,peruenięte ad quatuor. Si enim ad-
das quintum,triginta duo tempora, quod nõ oportet,
excedes. Cum ſilentio verò primus & ſecundus epi-
tritus terna pòſt locato iambo, terna bacchio, terna
cretico,terna pæone quarto,quæ fiunt cum illis ternis
quæ ſunt ſine ſilẽtio, triginta. Tertius verò & quartus
epitriti,reſtante ſilentio gignunt cum ſpondæo terna,
& terna cum anapæſto,terna cum moloſſo,terna cum
ionico minore,terna cum choriambo, quæ fiũt ſimul
cum illis ternis, quæ ſine ſilentio genuerunt triginta
& ſex. Ergo epitriti omnes ſexaginta & ſex metra pa-
riunt: quę cum viginti & vno proceleumatici ſuperio-
ri ſummæ addita, faciunt quingẽta quinquagintatria.
Diſpondæus reſtat gignens & ipſe tria integer, adhi-
bito autem ſilentio cum ſpondæo tria, & tria cum a-
napæſto,tria cum moloſſo, tria cum ionico † à mino- *al.* à maio-
re, tria cum choriambo : quæ in ſummam ducta cum *re.*
illis tribus quæ creat integer,fiunt decem & octo. Ita
erunt metra omnia quingenta ſeptuaginta & vnum.

M. ESSENT quidem, niſi tria detrahenda eſſent, CAPVT XIII. *Pars pedis quibus locis ponitur. Hoc exemplũ ex Terentiano ſumptum, Varro recenſet inter verſus ionicos à maiore ſimile eſt illud Catulli, Super alta vectus Atys.*
quia poſt ſecũdum epitritum dictum eſt iambum ma-
lè poni. Sed hoc quidem bene ſe habet, quare iam dic
mihi,quomodo tibi autem tangat metrum hoc,
Triplici vides,vt ortum triuiæ rotetur ignis. D. Perſuaui-
tet. M. Potéſne dicere quibus pedibus conſtet? D. Non
poſſum: neque enim inuenio quomodo ſibi congruãt
quos metior, ſiue enim pyrrhichium à capite conſti-
tuam, ſiue anapæſtum, ſiue pæonem tertium, non his
conueniunt qui ſequuntur, & inuenio quidem creti-
cum hic poſt tertium pęonem,vt reliqua ſit longa ſyl-
laba,quam creticus poſt ſe non reſpuit collocari. Sed
his pedibus hoc metrum conſtare rectè non poſſet,
niſi interpoſito ſilentio trium temporum: nunc verò
nihil ſiletur,cum hoc repetendo permulcet auditum.
M. Vide igitur, vtrum incipere debeat à pyrrhichio,
deinde metiamur dichorium,tum ſpondęum,qui cõ-
plet tempora, quorum duo ſunt in principio : poteſt
item caput tenere anapæſtum,deinde diiambum me-
tiri, vt extrema longa collocata quatuor temporibus
anapæſti perficiat ſex tempora,quæ cum diiambo cõ-
ueniunt,ex quo intelligas licet, partes pedum non ſo-
lùm in fine poni, ſed etiã in capite metrorum. D. Iam
intelligo. M. Quid ſi demam vnam vltimam lõgam,vt
tale ſit metrum, *Segetes meus labor:*
nónne animaduertis cum ſilentio duorum tempo-
rum repeti ? Ex quo manifeſtum eſt, & aliquam par-
tem pedis poſſe in principio metri poni,& aliquam in
fine,& aliquam in ſilentio. D. Et hoc manifeſtum eſt.
M. Sed hoc fieri ſi dichorium metiaris integrũ in hoc
metro. Nam ſi diiambo à capite anapæſtus ponatur,
cernis partem pedis in principio poſitam, quæ habet
iam quatuor tempora. Duo autem quæ debentur, ſi-
lentur in fine. Ex quo diſcimus, poſſe metrum inci-
pere à parte pedis, & definere ad plenum pedem, ſed
nunquam ſine ſilentio. D. Et hoc perſpicuum eſt. M.
Quid hoc metrum ? Potes ne metiri & dicere quibus
pedibus conſtet:

Iam ſatis terris niuis,atque diræ Horatius I. carminum.
Grandinis miſit pater, & rubente
Dextera ſacras iaculatus arces?

D. Poſſum conſtituere in capite creticum: & duos me-
tiri reliquos ſenũm temporum pedes, vnum ionicum
à maiore,alterum dichorium, & ſilere vnum tempus
quod adiungitur cretico vt ſex tempora compleãtur.
M. Nonnihil defuit conſiderationi tuæ : nam cum di-

chorius

chorius est in fine, restante silentio, vltima eius quæ breuis est, post longa accipitur. An hoc negabis? D. Imo fateor. M. Non ergo cõstitui decet in fine dichorium, nisi nullo in repetitione consequente silentio, ne non iam dichorius, sed epitritus secũdus sentiatur. D. Manifestum est. M. Quomodo ergo metimur hoc metrum? D. Nescio. M. ATTENDE ergo vtrum bene sonet, cum ita pronuncio, vt post tres primas syllabas vnum tempus sileam. Ita enim in fine nihil debebitur, vt decẽter ibi possit esse dichorius. D. Iucundissimè sonat. M. Hoc quoque igitur adiungamus arti, vt nõ solùm in fine, sed & ante finem cum oportet sileamus. Tunc autem oportet cum id quod debetur implendis temporibus pedum, aut indecẽter siletur in fine propter vltimam breuẽ, vt in hoc quod dictum est: aut cum duo constituuntur non pleni pedes, vnus in capite, alter in fine, qualis iste est,

CAP VT XIIII. *Quibus locis silere liceat.* al. breues.

Gentiles nostros inter oberrat equos.

Sensisti enim, vt opinor, me post quinque syllabas longas moram duorum temporum siluisse, & tantundem in fine silendum est, dum reditur ad caput. Si enim hoc metrum ad legem sex temporum metiaris: erit tibi primus spondæus, secundus molossus, tertius choriambus, quartus anapæstus. Spondæo igitur debentur duo tempora, vt sex temporum pedem impleat: & anapæsto: itaque duo silentur post molossum ante finem, & duo post anapæstum in fine. Si autem ad legem temporum quatuor, vna longa erit in capite, deinde duos metimur spondæos, deinde duos dactylos, & pòst vna longa concludetur. Silemus itaque duo tempora post geminum spondæum ante finem, & duo in fine, vt ambo pedes impleantur, quorum dimidias partes in capite atque in extremo posuimus. Nonnunquam tamen quod duobus non plenis pedibus debetur in principio ac fine collòcatis, finali tamen silentio redditur, si tãtum sit vt dimidij spatium pedis non excedat, qualia hæc duo sunt:

Syluæ laborantes, gelúque
Flumina constiterint acuto.

Horum enim primus incipit à palimbacchio, inde excurrit in molossum, & bacchio terminatur. Silentur ergo duo tempora, quorum vnum bacchio, alterum palimbacchio cum reddideris, sena vbique tempora implebuntur. Hoc autem posterius dactylo inchoatur, inde pergit in choriambum, clauditur bacchio. Tria igitur tempora silere oportebit. Hinc vnum bacchio, duo dactylo reddimus, vt in omnibus sint sena tempora. Prius autem redditur quod debetur implendo extremo pedi, quàm in principio constituto. D. Nec aliter omnino fieri aures sinunt. M. Nec mirum. Id enim cum repetimus, adiungitur capiti quod prorsus extremum est. Itaque in hoc metro quod dictum est, Flumina constiterint acuto: cum tria tempora senis vbique implendis debeantur, si ea non silentio velis, sed voce reddere, possintque reddi & per iambum & per chorium & per tribrachum, quia omnes terna tempora possident, nullo modo ea per chorium reddi sensus ipse permittit, in quo prior est longa syllaba: breuis posterior. Id enim prius sonare debet, quod bacchio debetur extremo, id est breuis syllaba, non longa quæ dactylo primo: licet hoc explorare his exemplis,

Flumina constiterint acuto gelu.
Flumina constiterint acutè gelida.
Flumina constiterint in altum nocte.

D. Cui dubium est, duo illa suauiter repeti, hoc autem tertium nullo modo? M. Item cum singula tempora singulis debentur pedibus minus plenis, si ea voce reddere velis, non sinit sensus in vnam syllabam coarctari. D. Mira omnino iustitia. Non enim conuenit quod separatim reddendum est, non etiam constitui separatim. M. Quocirca in illo metro,

Syluæ laborantes gelúque:

si vnam longam pro silentio fini addas, sicuti est,

Syluæ laborantes gelu duro,

non probant aures: sicut probant cum dicimus,

Syluæ laborantes gelu & frigore:

quod sagacissimè sentis, cum singula repetis. Item non oportet cum duo minus pleni pedes ponuntur, maiorem in principio quàm in fine poni, nam & hoc condemnat auditus. Tanquam si dicas,

Optimum tempus adest tandem!

vt primus pes sit creticus, secundus choriambus, tertius spondæus, vt tria tempora sileamus, quorum duo debentur vltimo spondæo ad sena implenda, & vnum primo cretico. At si dicatur,

Tandem tempus adest optimum!

eadem interposita trium temporum mora in silentio, quis non sentiat iucundissimè repeti? Quare aut tanti spacij decet esse in fine minus plenum pedem, quanti est in principio: vt illud, Syluæ laborantes gelúque: aut minorem in principio, & in fine maiorem, veluti est, Flumina constiterint acuto. Neque iniuria, quia vbi est æqualitas, nulla discordia: vbi autem dispar est numerus, si à minore ad maiorem veniamus, vt in metiendo & numerando solet, facit ipse rursus in numerando ordo concordiam. Ex quo illud est etiam consequens, vt cùm ij de quibus agitur, minus pleni ponuntur pedes, si duobus locis interponitur silentium, id est ante finem & in fine, tantum ante finem sileatur, quantum debetur extremo, tantum autem in fine, quantum scilicet principio: quia medium tendit ad finem, si vnam longam pro silentio fini addas: sicuti, Syluæ laborantes gelu duro. A fine verò ad principium redeundum est. Si autem vtrique tantundem debetur, nulla controuersia est, quin tantum ante finem, quantum in fine silendum sit. Sileri autem oportet non nisi vbi terminatur pars orationis. In iis autem numeris qui non verbis finiuntur, sed aliquo pulsu vel flatu, vel ipsa etiã lingua, nullum in hac re discrimen est, postquam voce percussioneve sileatur, modo vt legitimum secundum supradictas rationes intercedat silentium. Quamobrem & à duobus potest minus plenis pedibus metrũ incipere, si tamen vtriusque coniunctum spacium minus non sit, quàm posset esse vnius & dimidij pedis. Nam vt suprà diximus, tunc rectè poni duos minus plenos pedes, cum id quod debetur ambobus, non transit spacio pedem dimidium. Exemplum est, Montes acuti: vt aut in fine tria tempora sileamus, aut vnũ tempus post spondæũ, & duo in fine. Aliter enim hoc metrum conuenienter metiri non potest. SIT hoc etiam in disciplina, vt cum ante finem silemus, nõ ibi pars orationis breui syllaba terminetur, ne secundũ illam sæpe commemoratam regulam, pro longa eam sensus accipiat, sequente silentio. Itaque in hoc metro, Montibus acutis, non possumus silere post dactylũ tempus vnum, quod post spondæũ in superiore poteramus, ne nõ iam dactylus, sed creticus sentiatur: atque ita non duobus minus plenis pedibus, quod nunc demonstramus, sed pleno dichorio & vltimo spondæo metrum constare videatur, duũm temporũ silentio in fine reddẽdo. Sed illud notandũ est, in principio posito minus pleno pedi, aut ibidem reddi debitum per silentium: sicuti est, Iam satis terris niuis atque diræ. Aut in fine: velut, Segetes meus labor. Minus autem pleno pedi qui in fine ponitur, aut ibidem restitui silentio, quod debetur: vt in illo, Ite igitur Camœnæ:

aut in aliquo de mediis loco: veluti in hoc,

Ver blandum viget aruis, adest hospes hirũdo.

Vnum enim tempus quod debetur vltimo bacchio: vel post totũ numerũ sileri potest, vel post primũ eius numeri

CAP. XV. *Silentium in medio.*

pedem

pedem moloſſum, vel ſecundum ionicum à minore. Quod verò mediis fortè minus plenis pedibus debiti eſt, non niſi ibidem reddi poteſt: vt eſt,

Tuba terribili ſonitum dedit ære curuo.

Si enim ſic metiamur hoc metrum, vt primum faciamus anapæſtum, ſecundum ionicum quemlibet in ſyllabis quinque, ſoluta ſcilicet longa vel prima vel vltima in duas breues, tertium choriambum, vltimũ bacchium: tria erunt tempora in debito, vnum extremo bacchio reddendum, & duo anapæſto primo, vt ſena compleantur. Sed hoc totum ſpatium triũ temporum in fine ſileri poteſt. At ſi ab integro pede incipias, quinque ſyllabas primas pro quolibet ionico metitus ſequitur choriambus: inde iam pedem integrum non inuenies, quocirca vnius longę ſpacio ſilere oportebit: quo annumerato, choriambus alter implebitur: bacchio reliquo metrum clauſuro, cui tempus vnum debitum ſilebis in fine. Vnde iam eſſe opinor perſpicuum, cum in mediis ſiletur locis, aut ea reſtitui tempora quæ in fine debentur, aut ea quæ ibi debẽtur vbi ſiletur. Sed aliquando nõ eſt neceſſe vt ſileatur in mediis, cum poteſt aliter metrum metiri, vt in eo quod paulo antè poſuimus. Aliquando autem neceſſe eſt, vt in hoc, Vernæ temperies auræ tepent, ſunt deliciæ. Nam manifeſtum eſt, iſtum numerum aut quaternorum temporum, aut ſenorum pedibus currere. Si quaternorum, ſilendum eſt vnum tempus poſt ſyllabam octauam, & in fine duo metiatur, primo ſpondæo, ſecundo dactylo, ſed à tertio ſpondæo, quarto dactylo annumerato poſt longam ſilentio: quia poſt breuem non oportet, quinto ſpondæo, ſexto dactylo, vltima longa qua numerus clauditur, cui duo tempora debita ſilentur in fine. Si autem ſenorum temporum hinc metimur pedes, primus erit moloſſus, ſecundus ionicus à minore, tertius creticus qui fit dichorius adiũcto ſilentio unius temporis, quartus ionicus à maiore & longa vltima, poſtquam quatuor tempora ſilebuntur. Poſſet alio modo currere, vt vna longa in principio locaretur, quã ſequeretur ionicus à maiore, deinde moloſſus, deinde bacchius, qui fieret antiſpaſtus, adiuncto ſilentio vnius temporis, vltimus choriambus metrum clauderet, ita vt quatuor temporum in fine ſilentium, redderetur vni lõgæ in principio conſtitutæ. Sed aures iſtam dimenſionem repudiant, quia pars pedis in principio collocata, niſi maior quàm dimidia fuerit, nõ rectè illi poſt plenum pedem finali ſilentio redditur vbi debetur: ſed aliis interpoſitis pedibus, ſcimus quidem quãtum debeatur: ſed non comprehenditur ſenſu, vt tanto ſpacio ſileatur, niſi minus debeatur in ſilentio quam poſitum eſt in ſono: quia cum maiorem partem pedis vox peregerit, minor quæ reliqua eſt, vbicunque facilè occurrit. Quamobrẽ metri quod ſub hoc exemplo poſuimus,

Vernæ temperies auræ tepent, ſunt deliciæ:

cum ſit vna neceſſaria, quam diximus, dimẽſio, ſi poſt decimam eius ſyllabam tempus vnũ ſileatur: & quatuor in fine, eſt alia voluntaria, ſi quis poſt ſextam ſyllabam velit ſilere duo tempora, & vnum poſt vndecimam, & duo in fine. Vt ſit in principio ſpondæus, ſequatur hunc choriambus, tertio ſpondæo ſilentium duũm temporum annumeretur, vt vel moloſſus vel à minore ionicus fiat, quartus bacchius, adiuncto itidem ſilentio vnius temporis fiat antiſpaſtus, quinto choriambo numerus terminetur in voce, duobus temporibus in fine per ſilentium redditis, in principio locato ſpondæo. Eſt item alia. Si enim velis, poſt ſextam ſyllabam vnum tempus ſilebis, & poſt decimam vnũ, poſt vndecimam tantundem, & duo in fine: vt ſit primus ſpondæus, ſecundus choriambus, tertius palimbacchius fiat antiſpaſtus vno ſilentij tempore annumerato, quartus ſpondęus fiat dichorius vnius temporis interiecto, & vnius temporis conſequente ſilentio, choriambus vltimus numerum claudat, ita vt ſileamus duo tempora in fine, quæ primo debentur ſpondæo. Eſt & tertia dimenſio, ſi poſt primum ſpondæum tempus vnum ſileatur, & reliqua quæ in proximo ſuperiore ſeruẽtur, niſi quòd in eius fine vnum tempus ſilebitur, quia ſpondæus ille qui ſolet in principio locari, conſequente vnius temporis ſilentio, factus eſt palimbacchius, vt plus vno tempore nihil ei debeatur, quod in fine ſilendum eſt. Vnde iam perſpicis metris interponi ſilentia, quædam neceſſaria, quædã voluntaria. Et neceſſaria quidem, cum aliquid pedibus debetur implẽdis: voluntaria verò, cum pleni ſunt pedes atque integri. Quod autem ſuperius dictum eſt, amplius quatuor temporibus ſilendum non eſſe, de neceſſariis ſilentiis dictum eſt, vbi debita tempora explentur. Nam in iis quæ voluntaria ſilentia nominauimus, licet etiam pedem ſonare, & pedem ſilere: quod ſi paribus interuallis fecerimus, non erit metrum, ſed rhythmus, nullo certo fine apparente vnde redeatur ad caput. Quamobrem ſi exempli gratia ſilentiis velis diſtinguere, vt poſt primum pedem alterius pedis tempora ſileas, non hoc perpetuò ſeruandum eſt. Licet autem varietate qualibet connumeratis ſilentiis vſque ad legitima tempora metrum producere: velut in hoc,

Nobis verum in promptu eſt, tu ſi verum dicis.

Licet hic poſt primum ſpõdæum quatuor tempora ſilere, & alia quatuor poſt ſequentes duos. Poſt tres autem finales nihil ſilebitur: iam enim triginta duo tempora terminata ſunt: ſed multo eſt aptius, & quodammodo iuſtius, vt vel in fine tantùm, vel etiam in fine ſileatur. Quod ſubtracto vno pede fieri poteſt, vt ita ſit: Nobis verum in promptu eſt, tu dic verum.

Hoc & in metris cæterorum pedum tenendum eſt, ſcilicet neceſſariis ſilentiis, ſiue finalibus ſiue mediis reddi debita, vt pedes impleantur. Non autem ſileri oportet amplius quam pedis partem, quam leuatio poſitióve occupat. Voluntariis autem ſilentiis & partes pedum & integros pedes ſilere cõceditur, ſicut exemplis ſupradictis monſtrauimus. Sed hactenus interponendorum ſilentiorum ratio tractata ſit.

CAPVT XVI. *De pedum commixtione.*

NVNC de pedum commixtione, & de ipſorũ metrorum copulatione pauca dicamus, quoniã iam multa dicta ſunt cum quæreremus, quos ſibimet oporteat miſceri pedes, & quod ad metrorum attinet copulationem, nonnulla dicenda ſunt cum de verſibus diſſerere cœperimus: iunguntur enim ſibi pedes atque miſcentur ſecundum regulas, quas in ſecundo ſermone aperuimus. In hoc autem illud ſciendum eſt, genera metri quæ à poëtis iam celebrata ſunt, habuiſſe auctores & inuentores ſuos, à quibus quaſdam certas leges poſitas conuellere prohibemur. Non enim oportet, cum illi eas ratione finxerint, aliquid ibi mutare: quamuis ſecundum rationem ſine aurium offenſione poſſimus: cuius rei cognitio non arte, ſed hiſtoria traditur: vnde creditur potius quàm cognoſcitur. Neque enim ſi Phaliſcus, neſcio qui, metrum ita compoſuit, vt hæc ſonant, Quando flagella ligas, ita liga, vitis & vlmus vti ſimul eant: ſcire hoc poſſumus, ſed tantummodo credere audiendo & legendo. Illud eſt diſciplinæ quod ad nos pertinet, videre vtrùm hoc tribus dactylis conſtet & pyrrhichio vltimo, vt plerique muſicæ imperiti autumant. Non enim ſentiunt, pyrrhichium poni non poſſe poſt dactylum: an vt ratio docet, primus pes ſit in hoc metro choriambus, ſecundus ionicus, longa ſyllaba in duas ſoluta breues, vltimus iambus, poſt quem tria tempora ſilebuntur: quod ſemidocti homines ſentire poſſent, ſi à docto ſecundum vtranque legem pronunciaretur & plauderetur. Ita enim naturali & cõmuni

ſenſu

ſenſu iudicarent, quid diſciplinæ norma præſcriberet. Verum tamen quod poëta ille hos numeros immobiles eſſe voluit, cum hoc metro vtimur, cuſtodiendum eſt: non enim fraudat auditum, quanquam æquè nihil fraudaret, ſi vel pro choriambo diiambum vel ipſum ionicum nulla in breues facta ſolutione poneremus, & quicquid aliud congruiſſet. In hoc igitur metro nihil mutabitur non ea ratione qua inæqualitatem vitamus, ſed ea qua obſeruamus auctoritatem. Docet ſanè ratio, alia inſtitui metra immobilia, id eſt in quibus mutare nihil oportet, vt hoc ipſum eſt de quo ſatis locuti ſumus: alia mobilia, in quibus locare pedes alios pro aliis licet, ſicuti eſt:

Æneid. 1. *Troiæ qui primus ab oris, arma virumq́, cano.*

Nam hic pro ſpondęo anapæſtum quolibet loco licet ponere. Alia nec tota immobilia, nec tota mobilia: vt eſt: *Pendeat ex humeris dulcis chelys,*

Hoc Terentianus citat ex Pŏponio. *Et numeros edat varios,*
Quibus aſſonet omne virens
Latè nemus, & tortis errans qui flexibus vdis.

Hic enim vbique & ſpondęus & dactylus poni poſſet, præter vltimum pedem, quę metri auctor ſemper eſſe dactylum voluit. Et in iis quidem generibus tribus nŏ nihil valere auctoritatem vides. Quod autem in pedum commixtione ad rationem ſolam pertinet de iis rebus quæ ſentiuntur iudicantem, ſciendum eſt, eas partes pedum, quæ poſt certos pedes ſilentio reſtante inſuauiter locantur, vt iambus poſt dichorium atque ſecundum epitritum, & ſpondęus poſt antiſpaſtum etiam poſt alios pedes malè locari, quibus iſti permixti fuerint: nam manifeſtum eſt, iambum poſt moloſſum bene poni, ſicut hoc exemplum indicat, ſæpe repetitum cum ſilentio in fine temporum trium: Ver blandum viret floribus: at ſi pro moloſſo primum dichorium conſtituas, vt eſt: Vere terra viret floribus: reſpuit hoc auditus atque condemnat. Id etiam in cæteris ſenſu explorante facile eſt experiri. Ratio nâque certiſſima eſt, cum ſibi copulătur qui inter ſe ſunt copulabiles pedes, eas partes debere in fine ſubiŭgi quæ omnibus conueniunt in illa ſerie collocătis, ne inter ſocios quodammodo diſcordiæ aliquid oriatur. Illud magis mirandum eſt, quod cum ſpondæus & diiăbum & dichorium ſuauiter claudat, tamen cum hi duo pedes ſiue ſoli, ſiue cum aliis copulabilibus quoquo modo mixtis in vna ſerie fuerint, ſpondæus in fine approbante ſenſu poni non poteſt. Quis enim dubitet, aures libenter accipere iſta ſingula repetita: &, Timenda res non eſt: & item ſeparatim, Iam timere noli. At ſi ita iungas, Timenda res iã timere noli: niſi in ſoluta oratione audire nolim. Nec abſurdŭ minus eſt, ſi quolibet loco aliŭ connectas, veluti moloſſum hoc modo: Vir fortis timenda res, iam timere noli. Vel etiam ita: Timenda res iam timere vir fortis noli. Cuius abſurditatis cauſa eſt, quod pes diiambus etiam ad duplum & ſimplum plaudi poteſt, vt ad ſimplŭ & duplŭ plaudi poteſt dichorius. Spondæus autem duplæ parti eorum æqualis eſt, ſed cum eum ille trahit ad primă, hic ad extremam, exiſtit nonnulla diſcordia: & ita ratio tollit admirationem. Nec minus miraculum edit antiſpaſtus, cui ſi nullus pedum, aut certè ſolus diiambus miſceatur, patitur iambo metrum claudi, cum aliis autem poſitus nullo modo: & cum dichorio quidĕ propter ipſum dichorium. Itaque hoc minimè miror. Cŭ cęteris verò ſenorum temporum pedibus, cur memoratum trium temporum pedem in fine repudiet, neſcio quæ eſt cauſa, ſecretior fortaſſe quam vt à nobis erui atque oſtendi queat. Sed hoc ita eſſe his exemplis probo. Nam iſta duo metra,

Poteſtate placet,
Poteſtate potentium placet:

nemo ambigit ſuauiter ſingula repeti cum ſilentio trium temporum in fine. At iſta inſuauiter cum eodem ſilentio,

Poteſtate præclara placet.
Poteſtate tibi multum placet.
Poteſtate iam tibi ſic placet.
Poteſtate multum tibi placet.
Poteſtatis magnitudo placet.

Quod ad ſenſum attinet, peregit officium ſuŭ in hac quæſtione, & quid acceperit, & quid exploſerit indicauit: ſed de cauſa cur ita ſit, ratio conſulenda eſt. Ac mea quidem in tanta obſcuritate nihil aliud videt, niſi cum diiambo antiſpaſtum dimidiam partem priorem habere communem. Nam vterq; à breui & longa incipit: poſteriorem autem cum dichorio: lŏga enim & breui ambo finiuntur. Itaq; antiſpaſtus vel ſolus tanquam ſuam priorĕ dimidiam, vel cŭ diiambo cŭ quo eam cŏmuniter habet, collocatus, patitur in fine metri eſſe iambum, & cum dichorio pateretur ſi eidĕ dichorio talis terminus conueniret: cum cæteris autem non patitur, quibus tali ſocietate iungitur.

CAPVT XVII. *De metrorŭ copulatione.*

QVOD verò ad metrorum copulationem attinet, ſatis eſt in præſentia videre, poſſe ſibi diuerſa metra copulari, quæ tamen plauſu, id eſt leuatione ac poſitione conueniant. Diuerſa ſunt autem vel quătitate, vt cŭ maiora copulantur minoribus, qualia iſta ſunt, videlicet,

Horat. lib. 1. carminum. *Iam ſatis terris niuis atque diræ*
Grandinis miſit pater, & rubente
Dextera ſacras iaculatus arces
Terruit vrbem.

Nam hoc quartum, quod vno choriambo & vna in fine longa terminatur, quàm paruum ſit tribus ſuperioribus inter ſe ęqualibus ſubiectum vides. Vel pedibus, ſicut hic,

Ibidem. *Grato Pyrrha ſub antro,*
Cui flauam religas comam.

Cernis quippe horum duorum ſuperius cŏſtare ſpondæo & choriambo, & longa vltima, quæ ad ſex tempora implenda ſpondæo debebatur. Hoc autem poſterius ſpondæo & choriambo, & duabus vltimis breuibus, quæ item cum primo ſpondæo implĕt ſex tempora. Paria ſunt ergo iſta temporibus, ſed in pedibus nonnihil diuerſitatis tenent. Eſt & alia differentia iſtarum copulationum, quod alia ita copulentur, vt nulla ſibi licentia interponi velint, ſicut hæc duo recentiſſima: alia inter ſe ſileri aliquid poſtulent, ſicut hæc:

Horatius lib. 1. carminŭ. *Vides vt alta ſtet niue candidum*
Soracte, nec iam ſuſtineant onus
Syluæ laborantes, geluq́,
Flumina conſtiterint acuto.

Nam ſi hæc ſingula repetantur, priora duo vnŭ tempus in fine ſileri flagităt, tertium duo, quartŭ tria. Copulata verò à primo ad ſecŭdum tranſeuntem vnum tempus ſilere cogunt, à ſecundo ad tertiŭ duo, à tertio ad quartŭ tria. A quarto autem ſi ad primum redeas, tempus vnŭ ſilebis. Sed quæ eſt ratio redeundi ad primum, eadem eſt ad aliam talem copulationem tranſeundi. Hoc genus copulationŭ rectè nos appellamus circuitum, qui περίοδον Græcè dicitur. Circuitus ergo minor eſſe non poteſt, quam qui duobus mẽbris conſtat, id eſt duobus metris. Nec eſſe maiorem voluerŭt eo, qui vſque ad quatuor membra procedit. Licet igitur minimum bimembrem, medium trimembrẽ, & vltimum quadrimembrem vocare. Hos enim Græci δίκωλον, τρίκωλον, τετράκωλον vocant. De quo toto genere quoniam diligentius tractaturi ſumus, vt dixi, in eo ſermone qui nobis de verſibus erit, nunc interim hoc ſatis ſit. Sanè arbitror iam te intelligere, innumerabilia genera eſſe metrorum, quæ quingenta quadraginta ſeptem inueneramus, cum & de ſilentiis non niſi finalibus exempla eſſent data, & nulla pedum

commi-

commixtio facta esset,& nulla solutio longarũ in duas breues, quæ pedem vltra syllabas quatuor porrigeret. At si adhibita omni silentiorum interpositione, & omni pedum commixtione, & omni solutione longarum colligere numerum metrorum velis,tãtus existit vt nomen eius fortasse nõ suppetat. Sed hæc exempla quæ à nobis sunt posita, & quæcunque alia poni possunt,quanquam ea & appetat in efficiendo, & approbet in audiendo natura communis, tamen nisi ea docti & exercitati hominis pronunciatio commendet auribus, sensusque audientium non sit tardior quàm humanitas postulat, non possunt ea quæ tractauimus vera iudicari.Sed quiescamus aliquantulum,& de versu deinceps disseramus. D. Ita fiat.

DIVI AVRELII AVGVSTINI DE MVSICA, LIBER V.

CAP. I. *Quomodo differãt rhythmus, metrũ & versus.*

QVID sit versus,inter doctos veteres non parua luctatione quæsitum est, nec fructus defuit. Nam inuenta res est, & ad notitiam posterorum mandata literis, graui atque certa non tantùm auctoritate,verùm etiam ratione firmata est. Interesse igitur animaduerterũt inter rhythmum & metrum aliquid, vt omne metrum rhythmus, nõ etiã omnis rhythmus metrũ sit. Omnis enim legitima pedum connexio numerus est: quam quoniam metrum habet,nõ esse numerus nullo modo potest, id est non esse rhythmus. Sed quoniam non est idem,quãuis legitimis pedibus, nullo tamẽ certo fine prouolui: & item legitimis progredi pedibus, & certo fine coërceri: hæc duo genera etiam vocabulis discernenda erant, vt illud superius rhythmus tãtum proprio iam nomine, hoc autem alterum,ita rhythmus vt metrum etiam vocaretur. Rursus quoniam eorum numerorum qui certo fine clauduntur,id est metrorum, alia sunt, in quibus non habetur ratio cuiusdam diuisionis circa mediũ, alia quibus sedulo habetur:erat etiam hæc differentia notanda vocabulis. Quapropter illud,vbi non habetur hæc ratio rhythmi genus, propriè metrum vocatũ est: hoc autem vbi habetur,versum nominauerunt. Cuius appellationis originem fortasse progrediẽtibus nobis ratio ipsa monstrabit. Neque hoc ita prescriptum putes, vt illa etiam metra versus vocare non liceat. Sed aliud est cum abutimur nomine, licentia cuiusdam vicinitatis:aliud, cum rem vocabulo suo enunciamus. Sed nominum commemoratio hactenus facta sit. In quibus,vt iam didicimus,concessio interloquentiũ & vetustatis auctoritas totum valet. Cætera,si placet,more nostro inuestigemus sensu nuncio, indice ratione, vt illos etiam veteres auctores non instituisse ista quasi quæ in natura rerum integra & perfecta non fuerint, sed ratiocinando inuenisse, & appellando notasse cognoscas.

CAP. II. *Metra in duas partes diuisibilia.*

QVARE primum à te quæro, vtrum ob aliud pes aurem mulceat, nisi quod in eo duæ illæ partes,quarũ vna in leuatione, altera in positione est, numerosa sibi concinnitate respondent? D. Iam hoc quidem mihi antè persuasum est atque compertum. M. Quid metrum, quod manifestum est pedum collocatione confici, num ex eo rerum genere esse arbitrandum est quod diuidi non potest, cum omnino & nihil indiuiduum per tempus tendi queat, & quod ex diuiduis pedibus cõstat,absurdissimè indiuiduum putetur? D. Nullo modo hoc genus diuisionem recipere, abnuerim. M. At omnia quæ recipiunt diuisionẽ, nónne pulchriora sunt si eorũ partes aliqua parilitate concordent, quam si discordes & dissonæ sint? D. Nulli dubium est. M. Quid ipsius parilis diuisionis,qui tandem numerus auctor est,an dualis? D. Ita est. M. Vt ergo in duas partes concinentes diuidi pedem & eoipso aurem delectare comperimus, si etiam metrum tale inueniamus, nónne cæteris nõ talibus iure anteponetur? D. Assentior. M. RECTE sanè. Quare iam illud respondе, cum in omnibus quæ aliqua temporis parte †metiũtur,aliud præcedat,aliud subsequatur, aliud incipiat, aliud terminet, nihil ne tibi videatur inter partem præcedentem atque incipientem, & illam quæ subsequatur ac terminet interesse oportere? D. Interesse arbitror. M. Dic ergo quid interfit inter has duas partes versus,quarum vna est: *Cornua velatarum:* altera verò est, *Vertimus antemnarum.* Non enim vt idem poëta obuertimus, sed si ita versus enuncietur:

CAP VT III. *Versus vnde dictus.* *al. metimur.*

Cornua velatarum vertimus antemnarum. AEneid. 3.

nónne sæpius repetendo efficitur incertum, quæ pars prior sit,quæ posterior? Neque enim minus idem stat versus,cum ita profertur:

Vertimus antemnarum cornua velatarum.

D. Planè incertum fieri video. M. Censes ne vitãdum? D. Censeo. M. Vide igitur vtrum hic satis vitatum sit. Vna pars versus est,& ea præcedens: *Arma virumq; cano:* altera subsequens, *Troiæ qui primus ab oris:* quæ vsqueadeò inter se differunt: vt si ordinem vertas, & hoc modo pronuncies: AEneid. 1.

Troiæ qui primus ab oris,arma virumque cano. alios pedes metiri necesse sit. D. Intelligo. M. At vide,vtrum ista ratio in aliis seruata sit. Nam cuius dimẽsionis est pars incipiens, *Arma virumque cano:* eiusdem esse agnoscis, *Italiam fato. Littora multum ille.* Et, *Vi superum sæuæ. Multa quoque & bello. Inferretq; deos. Albaniq; patres.* Et ne multis persequar cæteros,quantum voles, has priores partes versuum eiusdẽ dimensionis inuenies, id est quinto semipede articulatas. D. Rarissimè omnino nõ ita est,ita vt posteriores sint istis non minus inter se pariles: *Troiæ qui primus ab oris. Profugus Lauinaq; venit. Terris iactatus & alto. Memorem Iunonis ob iram. Passus dum conderet vrbem. Latio genus vnde Latinum. Atque altæ mœnia Romæ.*

M. Manifestissimum est igitur, quòd quinq; & septem semipedes versum heroicum in duo membra partiũtur,quæ sex pedibus quaternorum temporum cõstare notissimum est:& sine concinnitate quidem duorum membrorũ,siue ista, siue aliqua alia, versus nullus est. In quibus omnibus hoc ratio demõstrauit esse seruàndum,vt non possit pars prior in posteriore,& posterior in priore loco poni. Quod si aliter fuerit,non iam versus,nisi nominis abusione,dicetur. Erit autẽ rhythmus & metrum,qualia rarissimè lõgis carminibus interponere quæ versibus contexuntur, non indecorum est: quale idem ipsum est quod paulo antè cõmemoraui:

Cornua velatarum vertimus antemnarum.

Quamobrem non mihi versus ex eo appellatus videtur, vt nonnulli putant, quod à certo fine ad eiusdem numeri caput reuertamur,vt nomen ductum sit ab iis qui vertunt dum via redeunt: nam hoc illi cum his etiam metris,quę versus non sunt,apparet esse commune: sed magis fortasse à contrario nomen inuenit: vt quemadmodum grammatici deponẽs verbum quod r literam non deponit, sicuti est,lucror & conqueror, appellauerunt,ita quod duobus membris confit,quorum neutrum in alterius loco salua lege numerorum constituitur,quia verti non potest,versus vocetur. Sed vtramlibet harum originem vocabuli tu, si licet, probes,vel vtranque improbes,& aliam quæras: aut contemnas mecum totum hoc quæstionis genus, nihil ad hoc tempus pertinet. Cum enim satis res ipsa quæ hoc nomine significatur, appareat, non est de verbi stirpe laborandum: nisi quid habes ad hæc. D. Ego verò nihil, sed perge ad cætera.

M. SE-

CAPVT IIII. *Terminus versuum varius.*

M. SEQVITVR vt de versus termino requiramus. Nam & hic aliquam differentiam notãdam atque signandam esse voluerunt, vel potius ipsa ratio. An tu non arbitraris melius esse vt finis, quo prouolutio numeri coërcetur, non perturbata temporum æqualitate, tamen emineat, quam si cum cæteris partibus quæ finem non faciunt, confundãtur? D. Quis dubitat hoc esse melius quod est euidentius? M. Considera ergo, vtrum rectè insignem finem versus heroici spondæum pedem quidam esse voluerint. Nam in quinq; aliis locis vel hunc vel dactylum licet ponere, in fine autem non nisi spondæum. Nam quod trochæum putãt, propter indifferentiam fit vltimæ syllabæ: de qua in metris satis locuti sumus. Sed secũdum hos iambicus senarius, aut non erit versus, aut erit sine ista finis eminentia, vtrunq; autem absurdum est. Nam neq; quisquam vnquam, siue doctissimorum hominũ, siue mediocriter, vel etiam tenuiter eruditorum versum esse dubitauit: *Catullus.* *Phaselus ille quem videtis hospites.*

Sed quicquid in verbis est tali numerositate formatũ, & grauissimi auctores eo quo peritissimi nullum sine insigni fine versum putandum esse censuerunt. D. Verum dicis. Quare aliam termini huius notam quærẽdam esse autumo, non hanc quæ in spondæo ponitur approbandam. M. Quid hoc? num dubitas quęcunque ista sit, aut in pedis esse, aut in temporis differẽtia, aut in vtroque? D. Qualiter potest? M. Quid tandẽ horum trium probas? Ego enim, quoniam idipsum finire versum, ne longius quam oportet excurrat, non pertinet nisi ad temporis modum: non arbitror aliunde istam notam debere sumi quàm ex tempore. An tibi aliud placet? D. Imò assentior. M. Vides ne etiam illud, cum tempus hic differentiam habere non possit, nisi quod aliud est longius, aliud breuius, quia cum versus finitur, id agitur, ne pergat longius, in breuiore tempore notam finis esse oportere? D. Video quidem: sed quò pertinet quod additum est hic? M. Eò scilicet quod nõ vbique temporis differentiam in sola breuitate ac lõgitudine accipimus. An tu æstatis ac hyemis differentiam, aut esse temporis negas, aut in spacio potius breuiore vel longiore, ac non in vi frigoris caloris qué cõstitutá, vel humoris, vel siccitatis: & si quid tale aliud? D. Iam intelligo: & hanc quam quærimus termini notam, à temporis breuitate ducendam esse consentio. M. Attende igitur hunc versum:

Roma Roma, cerne quanta sit deûm benignitas. qui trochaicus dicitur, & metire illum, atque responde quod inueneris de membris eius & numero pedum. D. De pedibus quidem facile respondebo: liquet enim eosdem septem semis esse. De membris autem non satis aperta res est: multis enim locis partem orationis finiri video: verum tamen opinor esse istam partitionẽ in octauo semipede, vt præcedens membrum sit, *Roma Roma cerne quanta:* subsequens autem, *Sit deûm benignitas.* M. Quot semipedes habet? D. Septem. M. Ipsa ratio te duxit omnino. Cum enim nihil sit æqualitate melius, eamque in diuidendo appetere oporteat, si minus potuerit obtineri, vicinitas eius quærenda est, ne ab ea longius aberremus. Itaque cum hic versus omnes quindecim semipedes habeat, nõ potuit æquius quam in octo & septem diuidi: nam eadem est in septem & octo vicinitas. Sed ita non seruaretur nota finis in tempore breuiore, vt eam seruandam ratio ipsa præcipit: nam si talis versus esset:

Roma cerne quanta sit tibi deûm benignitas:

vt inciperet membrum in his semipedibus septem,

Roma cerne quanta sit: & in his octo alterum terminaretur, *Tibi deûm benignitas:* non posset versum semipes claudere. Octo enim semipedes quatuor integros pedes faciunt. Simul incideret alia deformitas, vt non eosdem pedes in mẽbro extremo quos in primo metiremur, & prius membrum potius finiretur nota breuioris temporis, id est semipede, quã posterius, cui hoc finis iure debetur. Nam in illo tres trochæi semis,

Roma cerne quanta sit: in hoc quatuor iambi scanderentur, *Tibi deûm benignitas.* Nunc verò & trocheos in vtroq; membro scandimus, & semipede versus claudit, vt spatij breuioris notam terminus teneat. Nam sint in priore quatuor, *Roma Roma cerne quanta*: in posteriore autem tres semis, *Sit deûm benignitas.* An contradicere aliquid paras? D. Nihil omnino, & libenter assentior. M. Teneamus igitur has leges incõcussas, si placet, vt neq; membrorum duorum tendens ad æqualitatem partitio versui desit, sicuti huic deest,

Cornua velatarum obuertimus antemnarum.

Neque ipsa æqualitas membrorum cõuertibilem, vt ita dicam, faciat partitionem: vt in hoc fit,

Cornua velatarum vertimus antemnarum.

Neque cum ista vitatur conuersio, nimis à se membra discedant, sed quãtum possunt proximis numeris propè æquentur, ne dicamus hæc ita posse diuidi, vt octo semipedes præcedant, *Cornua velatarum vertimus:* & quatuor subsequãtur, id est, antemnarum. Nec membrum posterius paris numeri semipedes habeat, sicuti est, *Tibi deûm benignitas*, ne pleno pede versus finitus non habeat terminũ breuiore tempore notatũ. D. Habeo iam ista, & mando memoriæ quantum valeo.

CAP. V. *Heroici finis.*

M. QVONIAM igitur iam tenemus, non debere versum finiri pleno pede, quomodo nobis heroicum versum metiendum putas, vt & metrorum lex illa seruetur, & hęc termini nota? D. Video duodecim esse semipedes, & quia propter illam conuersionẽ vitandam senos semipedes habere membra non possunt, neque à se longè oportet discedere, vt sint tres & nouem, aut nouem & tres, neque paris numeri semipedes posteriori membro dandi sunt, vt sint octo & quatuor, aut quatuor & octo, ne pleno pede versus finiatur, in quinque & septem, aut septem & quinque diuisio facienda est. Nam & hi numeri sunt ambo impares proximi, & certè propinquius sibi accedunt mẽbra quam in quaternario & octonario numeris accederent. Quod vt firmissimum teneam, video partem orationis in quinto semipede semper aut penè semper terminari, vt est in primo Vergilij versu, *Arma virúmque cano:* & in secundo, *Italiam fato:* & in tertio, *Littora multum ille:* in quarto item, *Vi superum sæuæ:* atque ita deinceps in toto penè carmine. M. Verum dicis: sed videndum tibi est, quos pedes metiaris, vt nihil superiorum legum iam inconcusse constitutarum violare audeas. D. Quanquam mihi satis ratio appareat, tamen nouitate conturbor. Non enim solemus in hoc genere nisi spondęum pedem & dactylum scandere, quod nemo ferè est tam indoctus quin audierit, etiam si minus id facere possit. Hanc ergo peruulgatissimam consuetudinem, & nunc si sequi voluero, lex illa terminis est abroganda. Præcedens enim membrum semipede clauderetur, posterius autẽ pleno pede, quod contrà esse debuit. Sed quia illã legem iniquissimum est tollere, & in numeris iam didici posse fieri, vt non à pleno pede ordiamur, restat vt nõ hic dactylum cum spondæo, sed anapęstum locari iudicemus, vt incipiat versus à longa syllaba, deinde duo pedes vel spondæi vel anapæsti, alterum membrum superius terminent, cum tres rursus alterum vel anapæsti vel quolibet loco spõdæus, siue omnibus, & in fine vna syllaba, qua versus legitimè terminatur. M. Probas mihi: & id ego quoque rectissimum esse iudico, sed non facile ista populo persuadentur. Tanta enim est vis consuetudinis, vt ea inueterata, si falsa opinione genita est, nihil sit inimicius veritati. Nanque ad faciendum versum nihil interesse intelligis, vtrum in hoc genere anapæstus cum spondæo, an dactylus collo-

Æneid. 1.

collocetur:ad metiendum tamen rationabiliter,quod A non aurium ſed mentis eſt proprium, vera & certa ratione hoc non irrationabili opinione diſcernitur: neque nunc à nobis primum inuenta eſt, ſed multo eſt hac inueterata conſuetudine antiquius animaduerſa. Quare ſi eos legent qui vel in Græca vel in Latina lingua diſciplinæ huius doctiſſimi fuerunt,non mirabuntur nimis qui fortè hoc audierint: quanquá pudet imbecillitatis, cum rationi roborandæ hominum auctoritas quæritur,cum ipſius rationis ac veritatis auctoritate,quæ profectò eſt omni homine melior, nihil deberet eſſe præſtantius. Non enim vt in producenda corripiendáve ſyllaba non niſi auctoritatem veterum hominum quærimus, vt quemadmodum ſint vſi verbis quibus nos quoque loquimur, ita & nos vtamur: quia & in huiuſcemodi re nullam obſeruationem ſequi,deſidiæ eſt: & nouam inſtituere, licentiæ: ita in metiendo verſu inueterata voluntas hominũ, ac non æterna rerum ratio cogitanda eſt,cum & moderatam B eius longitudinem prius naturaliter aure ſentiamus, deinde approbemus rationabili cõſideratione numerorum, & eum inſigni fine claudendum eſſe iudicet quiſquis iudicat certius: eúmque quam cætera metra eſſe inſigniter finiendum, qui finem habet in breuiore tempore notarum manifeſtum:ſiquidem temporis longitudinem coërcet & frenat quodammodo.

CAP. VI. *Rurſus de ſine verſus.* QVÆ cum ita ſint, qui poteſt poſterius eius membrum niſi non pleno terminari pede? Prioris autem membri exordium aut plenum pedem eſſe, vt in illo trochaico,

Roma Roma,cerne quanta ſit Deũm benignitas.

aut partem pedis oportet,vt in heroico,

Æneid. 1. *Arma virumq; cano Troiæ qui primus ab oris.*

Quapropter omni iá dubitatione ſublata, etiá iſtum verſum metire,ſi placet, & mihi de membris eius pedibúſque reſponde,

Catullus. *Phaſelus ille quem videtis hoſpites.*

D. Membra quidem huius in quinq; & ſeptem ſemipedes video diſtributa,vt prius ſit,Phaſelus ille: poſterius autem,Quem videtis hoſpites:pedes verò iambos cerno. M. Quæro: nihil ne caues pede pleno verſum terminare? D. Verum dicis,& vbi fuerim,neſcio. Quis enim non videret ſicut in heroico exordiendum eſſe à ſemipede,quod cùm in hoc genere fit, non iambis, ſed trochæis verſum metimur, vt eum legitimè ſemipes claudat? M. Ita eſt vt dicis: ſed vide quid tibi de hoc reſpondendum putes,quem Aſclepiadeum vocant,

Horatius 1. carminum. *Mecœnas atauis edite regibus.* Nam pars orationis in ſextam ſyllabam terminatur,neq; inconſtanter,ſed in omnibus ferè huius generis verſibus. Itaq; eius primum eſt membrum, Mecœnas atauis: ſecundum verò, Edite regibus. Quod quánam ratione fiat, dubitari poteſt. Si enim metiaris in hoc pedes quaternorum temporum,erunt quinque in priore,in poſteriore autem membro quatuor ſemipedes. Lex autem vetat membrum poſterius pari numero conſtare ſemipedũ, ne pleno pede verſus terminetur. Reſtat ergo vt pedes conſideremus ſenorum temporum, ex quo fit vt membrum vtrumque ſic ternis ſemipedibus conſtet. Nam vt integro pede præcedens membrum finiatur, à duabus longis incipiendum eſt. Deinde totus choriambus verſum diuidit, vt ſequente etiam alio choriambo membrum poſterius inchoëtur, claudente verſum ſemipede in duabus breuibus ſyllabis. Tot enim tempora cum ſpondæo in capite locato, implent ſex temporum pedem. Niſi quid habes ad hæc. D. Nihil prorſus. M. Placet ergo, totidem ſemipedibus conſtare vtrunque membrum? D. Cur non placeat? Neque enim metuenda eſt hîc illa conuerſio, quia poſito poſteriore membro in præcedentis loco, ita vt quod eſt primum,ſecundum fiat, non eadem lex manebit pedum. Quapropter nulla cauſa eſt, curidem ſemipedum numerus in hoc genere membris negetur,cum ſine vllo conuerſionis vitio parilitas iſta poſſit teneri,finis etiam inſignioris lege ſeruata,cùm verſus non pleno pede terminatur, quod conſtanti ſſimè ſeruandum eſſe perplacet. M. REM ipſam omnino vidiſti, quare iam quoniam comperit ratio, verſuum eſſe duo genera, vnum in quo idem numerus ſemipedum,aliud in quo diſpar in membris ſit,diligenter conſideremus, ſi placet, quónam modo iſta imparilitas ſemipedum ad quandam parilitatem referatur, obſcuriore aliquantum, ſed ſanè ſubtiliſſima ratione numerorum. Nam quæro ex te, cùm duo & tria dicam,quot numeros dicam? D. Duos. M. Ergo & duo vnus,& tria vnus eſt numerus, & quemlibet aliũ dixerimus. D. Ita eſt. M. Nónne tibi ex hoc videtur vnum cum quolibet numero non abſurdè poſſe conferri? Siquidem vnum duo eſſe non poſſumus dicere, B duo autem vnum eſſe quodammodo, & item tria & quatuor vnum eſſe,non falſo dici poteſt. D. Aſſentior. M. Attende aliud:dic mihi,duo ter ducta,quid faciunt in ſumma? D. Sex. M. Num ſex & tria totidem ſunt? D. Nullo modo. M. Nunc tria quater ducas velim,ſummámque reſpondeas. D. Duodecim. M. Vides itẽ duodecim plures eſſe quam quatuor? D. Et longè. M. Sanè ne iam immorer, figenda regula eſt: à duobus, & deinceps quoſlibet numeros duos conſtitueris, minor per maiorem multiplicatus, eum excedat neceſſe eſt. D. Quis hoc dubitauerit? Quid enim tam paruum in plurali numero quam duo? quem tamen numerum ſi millies duxero, ita excedet mille, vt duplum fiat. M. Verum dicis: ſed conſtitue vnum, & quemlibet deinde maiorem numerum, & quemadmodum in illis faciebamus,minorem per maiorem multiplica, nũ eodem modo maior ſuperabitur? D. Non planè,ſed maiori minor æquabitur. Nam vnum bis duo, & vnum C decies decem, & vnum millies mille, & per quemlibet alium numerum multiplicauero, vnum neceſſe eſt æquetur. M. Habet ergo vnum cum cæteris numeris ius quoddam æqualitatis,non modò quòd quicunque numerus vnus numerus eſt,ſed etiam quod toties ductus tantundem facit. D. Manifeſtiſſimum eſt. M. Age nunc,refer animum ad ſemipedum numeros, quibus in verſu fiunt membra inæqualia,& miram quandam æqualitatem iſta quam tractauimus ratione reperies. Nam, vt opinor, verſus minimus inæquali ſemipedum numero in membris eſt duobus, habens ſemipedes quatuor & tria, quod eſt in hoc, Hoſpes ille quem vides: cuius primum membrum quod eſt, Hoſpes ille: ſecari æqualiter poteſt in duas partes binorũ ſemipedum: ſecundum autem quod eſt, Quem vides: ita diuiditur,vt vna pars duos ſemipedes habeat, altera vnum:quod ita eſt,quaſi duo & duo ſint,iure illo æ- D qualitatis, de quo ſatis egimus, quod habet vnum cũ omnibus numeris. Ex quo fit vt iſta diuiſione tantum ſit quodammodo ſuperius membrum quantum poſterius. Itaq; vbi fuerint quatuor & quinque ſemipedes,ſicut hoc eſt,Roma Roma cerne quanta ſit:nõ ita probatur: & propterea metrum erit potius quam verſus,quia ita ſunt membra inæqualia vt ad nullá æqualitatis legem ſectione aliqua poſſint referri. Cernis quippe, vt opinor, ſuperioris membri quatuor ſemipedes,Roma Roma:in binos poſſe diſcedere:ac poſteriores quinq;,Cerne quanta ſit:in duos & tres ſemipedes diuidi,vbi nullo iure apparet æqualitas. Neque enim poſſunt aliquo modo tantum valere quinque ſemipedes propter duos & tres,quantũ quatuor valent, quomodo inuenimus ſuperius in breuiore verſu tantum valere tres ſemipedes propter vnũ & duo,quantũ quatuor valent. An aliquid non es aſſecutus, aut non placet? D. Imò verò & manifeſta omnia & rata ſunt.

CAPVT VII. *Quomodo ſemipedum imparilitas in verſuum membris ad parilitatem referatur.*

M. Age

M. Age nunc quinque & tres ſemipedes cõſideremus, A quales eſt ille verſiculus, Phaſelus ille quem vides: & videamus quomodo iſta inæqualitas aliquo æqualitatis iure teneatur. Nam hoc genus nõ ſolum metrum, ſed etiam verſum eſſe, omnes conſentiunt. Itaq; cùm primum membrum in ſemipedes duos & tres ſecueris, & ſecundum in duos & vnum, coniungas particulas quas in vtroque pares inueneris, quia & in primo membro habemus duo: & in ſecundo reſtãt duæ particulæ, vna in tribus ſemipedibus de priore membro, altera in vnõ de poſteriore. Has ergo & ſociabiliter iungimus, quia vnum cum omnibus habet ſocietatẽ, & in ſumma vnum & tria, quatuor fiunt, quod eſt tantundem quantum eſt duo & duo. Per hanc igitur ſectionem etiam quinque & tres ſemipedes ad concordiam rediguntur. Sed reſponde, vtrum intellexeris?

CAP. VIII. *Partes ſemipedum.*

D. Ita verò, & admodum probo. M. SEQVITVR vt de quinque & ſeptẽ ſemipedibus diſſeramus, quales ſunt verſus illi nobiliſſimi, heroicus, & quem iambicum vulgò vocant, etiam ipſe ſenarius. Nam, B

Arma virumq́, cano Troiæ qui primus ab oris.

ita diuiditur vt primum eius membrum ſit: *Arma virumq́, cano*, qui ſunt quinque: & ſecundum, *Troiæ qui primus ab oris*, qui ſunt ſeptem ſemipedes. Et, *Phaſelus ille quem videtis hoſpites*: primum membrum habet, *Phaſelus ille*: in ſemipedibus quinque, ſecundum in ſeptem, *Quem videtis hoſpites*. Sed tanta illa nobilitas in lege iſta æqualitatis laborat. Cùm enim ſuperiores quinque ſemipedes in duos & tres diuiſerimus, poſteriores autem ſeptẽ in tres & quatuor: cõgruunt ſibi quidem particulæ ternorum ſemipedum. Sed ſi duæ reliquæ ita inuenirẽtur, vt vna earum conſtaret vno ſemipede, alia quinque, coniungerentur & lege illa qua vnum cum omnibus numeris coniungi poteſt, & in ſumma ſex fierent, quod ſunt etiam tres & tres. Nunc verò quia duo & quatuor inueniuntur, ſummam quidem reddent ſenariam: ſed nullo æ- C qualitatis iure tantum valent duo quantum quatuor, vt in huiuſcemodi quaſi neceſſitudine copulentur. Niſi fortè quis dixerit ſatis eſſe ad aliquam regulam parilitatis, quòd vt tres & tres, ita duo & quatuor ſex fiunt, cui rationi repugnandum non arbitror: eſt enim & hæc aliqua æqualitas. Sed illud nolim vt maiore cõ gruentia quinque & tres: quàm quinque & ſeptem ſemipedes conuenerint. Non enim tantum nomen eſt illius verſus quantum iſtorum, & vides in illo nõ modò tantam ſummam inuentam collatis vnò & tribus, quanta eſt in duobus & duobus, ſed etiam multò concordiores partes eſſe, cùm iungũtur vnum & tria, propter illam vnius cum cęteris omnibus numeris amicitiam, quàm cùm duo & quatuor copulentur, ſicut in iſtis eſt. An tibi aliquid obſcurum eſt? D. Nihil prorſus. Sed neſcio quomodo me offendit, cur iſti ſenarij cùm ſint celebratiores cæteris generibus, & principatum quendam in verſibus habere dicantur, aliquid in D mẽbrorum concordia minus habent, quàm illi famæ obſcurioris verſus. M. Bono animo eſto: nam ego tibi tantam in illis oſtendam concordiam, quãtam ſoli ex omnibus habere meruerunt: vt videas, nõ iniuria eos eſſe prælatos. Sed quia ipſa tractatio aliquanto eſt longior, quamuis omnino iocundior, reſtare nobis debet extrema, vt cùm de cæteris, quantum ſatis videbitur, diſputauerimus, iam omni cura liberati, ad horũ ſcrutanda penetralia veniamus. D. Mihi verò placet, ſed iam velim vt iſta quæ ptiora ſuſcepimus, explicata eſſent, vt iam illud audirem commodius. M. Iſtorum

CAP. IX. *De paritate in membris verſuum vario ſemipedum numero conſtantium.*

comparatione quæ antè diſſeruimus, fiũt illa dulciora quæ expectas. NVNC itaq; conſidera, vtrũ in duobus membris quorum primum exhibeat ſemipedes ſex, alterũ ſeptem, reperiatur ea æqualitas vt ritè eſſe verſus queat. Nam poſt quinque & ſeptem ſemipedes hunc eſſe diſcutiendum vides. Huius autẽ exemplum eſt: Roma Roma, cerne quanta ſit Deũm benignitas. D. Video primũ membrũ poſſe in partes diſtribui, quæ habeant ternos ſemipedes, ſecundum in tres & quatuor. Quare iunctis æqualibus fiunt ſex ſemipedes, tres verò & quatuor ſeptem ſunt, & non æquantur illi numero. M. Sed ſi duo & duo in ea parte vbi quatuor ſunt, & duo & vnum, in ea parte vbi tres ſunt, conſideremus, iunctis partibus quæ binos habẽt, fit ſumma quaternaria: iunctis autem illis quarum in vna duo ſunt, in alia vnum, ſi etiam iſta tanquam ſint quatuor accipiamus, propter vnius cum cæteris numeris concordiam, octo ſimul fiunt, magisque excedunt ſummam ſenariam, quàm cùm ſeptem fuiſſent. D. Ita eſt vt dicis. M. Et ideo iſto genere copulationis à lege verſuum ſeparatò, attende vt ordo poſtulat, in eà nunc membra, quorum primum habet octo ſemipedes, ſeptem ſecundum. Iſta verò copulatio habet quod quærimus. Nam præcedentis membri partem dimidiam cum parte ſubſequentis maiore, quæ dimidiæ proxima eſt, iungens, quoniam quaterni ſemipedes ſunt, octonarij numeri ſummam facio. Reſtant ergo quatuor ſemipedes de priore, tres de poſteriore membro. Duo hinc, duo inde copulata, fiunt quatuor. Duo rurſus inde reſtant, & vnum hinc, qui ad legem illius conuenientiæ copulati, qua vnum reliquis par eſt, quodammodo ſumuntur pro quatuor. Ita iam octonarius ſuperiori octonario congruit. D. Sed cur huius exemplum non audio? M. Quia ſæpe commemoratum eſt, tamen ne ſuo loco prætermiſſum putes, ipſum eſt: Roma Roma, cerne quanta ſit deũm benignitas. vel hoc etiam: Optimus, beatus ille qui procul negocio. Quare iam inſpice nouem & ſeptem ſemipedum connexionem, cuius exemplum eſt: Vir optimus beatus ille qui procul negocio. D. Facilis eſt cognitu iſta congruentia. Superius enim membrum in quatuor & quinque, poſterius in tres & quatuor ſemipedes diuiditur. Pars ergo ſuperioris minor cum parte poſterioris maiore coniuncta, octonarium numerum facit: & maior ſuperioris cũ minore poſterioris, item octonarium. Nam illa coniunctio eſt quatuor & quatuor, iſta quinq; & tres ſemipedes. Huc accedit, quòd quinque in duo & tres ſemipedes, tres autem in duo & vnum ſi diuiſeris, apparet alia conueniẽtia duorum cum duobus, & vnius cum tribus, quia vnum cum omnibus numeris ſuperius commemorata lege confertur. Sed niſi me ratio fallit, nihil reſtat vlterius quòd de membrorum copulatione requiramus. Iam enim ad octo peruentum eſt pedes, quem numerum verſui, ſicut ſatis cognouimus, non fas eſt excedere. Quare iam age illa ſenariorum verſuum heroici & iãbici vel trochaici, quo intentionẽ meã & excitaſti & diſtuliſti, pande ſecreta. M. FACIÁM, imò faciet ipſa ratio, quæ mihi tibiq́ue communis eſt. Sed meminiſtine, quæſo, cùm ageremus de metris, dixiſſe nos & ipſo ſenſu admodum probaſſe, illos pedes quorum partes ad ſeſquã conueniunt, ſiue in duobus & tribus, vt eſt creticus vel pæones, ſiue in tribus & quatuor, vt epitriti, excluſos à poëtis propter minoris venuſtatis ſonum, ſolutæ orationis ſeueritatẽ, decorare congruentius, cùm his clauſulæ colligantur? D. Memini: ſed quorſum hæc ſpectant? M Quoniam illud volo prius intelligamus, huiuſcemodi pedibus à poëtarum tractatione ſeiunctis, nõ remanere, niſi eos quibus ad tandundem, vt ſpondæus eſt, aut eos quibus ad duplum, vt iambus, aut eos quibus ad vtrunque partes conueniunt, vt choriambus. D. Ita eſt. M. At ſi hæc eſt poëtarum materies & ſola, oratio autem ſoluta verſibus inimica eſt, nõ verſus vllus niſi ex hoc genere pedum faciendus eſt. D. Aſſentior. Videoenim poëmata verſibus atq; aliis lyricorum poëtarum metris fieri

CAP. X. *Senarios verſus decentiſſimos non eſſe, niſi vel heroicos ſint vel iambici.*

grandiora, ſed adhuc quò ratio iſta tendat, ignoro.
M. Ne propera: diſputabimus enim iam de ſenariorum verſuum excellentia: & prius tibi cupio demonſtrare, ſi potero, decentiſſimos ſenarios, niſi duorum iſtorum generum eſſe non poſſe, quæ omnium etiam ſunt celeberrima, quorum vnum eſt heroicum: vt, *Arma virumq; cano, Troiæ qui primus ab oris.* Quod genus verſus metitur ſpondæo & dactylo, ſubtiliori autem ratione ſpondæo & anapæſto. Alterũ quod iambicum dicitur, & eadem ratione inuenitur trochaicum. Nam credo tibi manifeſtum eſſe longis ſyllabis, niſi breues interponantur, obtundi quodam modo ſpatia ſonorum Item niſi breuibus longæ, nimis concîſa & quaſi tremula fieri, neutra eſſe temperata, quamuis tẽporum æqualitate aures impleant. Quamobrem nec illi verſus qui ſex pyrrhichios, & ſex proceleumaticos habent, aſpirant ad heroici dignitatem, nec illi ad trochaici qui ſex tribrachos habent. Huc accedit, quia in iſtis quos cæteris ipſa ratio præponit, ſi membra præpoſteraris, totum ita commutabitur, vt alios etiam pedes neceſſariò metiamur. Itaq; inconuerſibiliores, vt ita dicam, ſunt quàm illi qui aut omnibus breuibus, aut longis omnibus conſtant. Et ideo ſiue quinque & ſeptem, ſiue ſeptem & quinque ſemipedibus membra in his temperatioribus ordinentur, nihil intereſt. Neutro enim horum ordine conuerti verſus poteſt ſine tanta commutatione, vt aliis pedibus currere videatur. In iſtis autem ſi carmen cœptum erit talibus verſibus, quorum priora membra quinos ſemipedes habeant, non oporteat eos miſcere in quibus ſeptem priores ſunt, ne liceat omnes conuertere. Non enim à conuerſione reuocat vlla pedum commutatio. Sed tamen heroicis conceditur ſpondæos omnes rariſſimè interponere, quod quidem poſterior ætas hæc noſtra minimè probauit. Trochaicis autem ſiue iambicis, cùm pedem tribrachum quolibet loco interponere liceat, habere tamen in huiuſcemodi carminibus verſum ſolutum in omnes breues, turpiſſimum iudicatum eſt. Remotis igitur epitritis pedibus à lege verſuum ſenaria, non ſolùm quod ſolutæ orationi ſunt aptiores, verumetiam quòd ſi ſex fuerint, triginta & duo tempora excedunt, ſicut diſpondæi, remotis etiam quinum temporum pedibus, quòd ſibi eos licentius ad clauſulas vendicauit oratio: moloſſis item & aliis temporum ſenum, quamuis in poematis venuſtiſſimè vigeant, ab hoc de quo nunc agimus numero temporum excluſis, reſtant verſus omnium breuium ſyllabarum, qui vel pyrrhichios vel proceleumaticos vel tribrachos habent, & omnium longarum qui ſpondæos. Qui quanquam admittantur ad ſenarium modum, dignitati tamen & temperationi horum qui breuibus longisque variantur, & ob hoc multò minus conuerti poſſunt, cedant neceſſe eſt.

Aeneid. 1.

CAP. XI. *Senarij quomodo commodius metiendi.*

SED quæri poteſt cur meliores verſus iudicati ſint ſenarij, in quibus anapæſtum ſubtilis illa ratio metitur, & ij in quibus trochæum, quàm ſi dactylum ibi, & hìc iambum metiretur: ſine præiudicio enim ſententiæ, quoniam nunc de numeris agimus, ſi verſus ita eſſet: *Troiæ qui primus ab oris arma virumq; cano.* vel de illo genere: *Qui procul malo pius beatus ille.* vterque horum nec minus ſenarius eſſet, nec minus breuium longarumque ſyllabarum temperatione moderatus, nec magis conuerti poterat, & in vtroque membra ita ordinata ſunt, vt & in quinto & in ſeptimo ſemipede pars orationis terminetur: cur ergo meliores iſti putẽtur, ſi potius ita ſint, *Arma virumq; cano Troiæ qui primus ab oris.*

Beatus ille qui procul pius malo? In qua quæſtione facilius & procliuius dixerim fortè eueniſſe, vt iſti prius animaduerterentur aut frequentarentur, aut ſi id nõ eſt fortuitum, melius credo viſum fuiſſe, vt heroicus duabus longis, quàm duabus breuibus & longa clauderetur, quod in longis aures commodius acquieſcunt. Ille autem alter in finali ſemipede longam ſyllabam potius haberet quàm breuem: res quidem ſic ſe habet, vt quicunque horum priores eligerentur, neceſſariò aliis auferrẽt locum, qui membris iiſdem prępoſteratis fieri poſſent. Quocirca ſi melor iudicatus eſt, cuius exemplum eſt, *Arma virumq; cano, Troiæ qui primus ab oris*: ineptè iam fieret iſto conuerſo aliud genus, ſicuti eſt: *Troiæ qui primus ab oris arma virumq; cano.* Quod etiam de trochaico genere intelligendum eſt. Nam ſi eſt horum honeſtior: *Beatus ille qui procul negocio*: quod genus iſto præpoſterato fieret, vt eſt: *Qui procul negocio beatus ille:* fieri profectò non oportet: tamen ſi quis audeat & faciat tales verſus, manifeſtum eſt eum alia genera ſenariorum eſſe facturum, quibus iſta ſunt meliora. Hi ergo ſenariorum omnium pulcherrimi, non potuerunt ambò obtinere ſynceritatem ſuam aduerſus hominum licentiam. Nam in trochaico genere, non ſenario ſolo: ſed † ſemis incipit vſque ad magnitudinem extremam quę octo pedes habet. Miſcendos autem poëtæ putauerunt quaternorum temporum pedes omnes qui adhibentur ad numeros. Et Græci quidem alternis locis primo & tertio, & ita deinceps, ſi à ſemipede verſus incipit: ſin ab integro trochæo, ſecundo & quarto loco atque ita deinceps ſeruatis interuallis, memorati longiores collocant pedes. Quæ corruptio vt tolerabilis fieret, non ſingulos pedes in duas partes, quarum vna leuationis, altera poſitionis eſt, plaudendo diuiſerunt, ſed vnum pedem leuantes, alterum ponentes, vnde ipſum ſenarium trimetrum vocant, ad epitritorum diuiſionem plauſum retulerunt. Sed ſi hoc ſaltem conſtanter teneretur, quamuis pedes epitriti magis orationis ſint quàm poematis, nec iam ſenarius, ſed ternarius verſus inueniretur, non tamen omnimodò illa numerorum labefactaretur æqualitas. Nunc verò quatuor temporum pedes, dummodò in locis memoratis ponantur, licet non in omnibus ponere, ſed vbilibet eorum, & quoties libet. Noſtri verò veteres, nec ipſa locorum interualla intermiſcendis huiuſcemodi pedibus, ſeruare potuerunt. Quare in hoc genere poëtæ iſta corruptione atque licentia planè aſſecuti ſunt, quod eos voluiſſe arbitrandum eſt, vt eſſent in fabulis poëmata ſolutæ orationi ſimillima. Sed quoniam ſatis dictum eſt, cur inter ſenarios iſti verſus magis nobilitati ſint, nunc videamus cur ipſi ſenarij meliores ſint verſus quàm cæteri in quolibet alio pedum numero conſtituti: niſi quid habes aduerſus iſta quæ ediſſeras. D. Prorſus aſſentior: & iam metrorum illam æqualitatem, cui me attentiſſimum paulo antè reddidiſti, ſi vel nunc fas eſt cognoſcere vehementer expecto. M. TOTVS ergo ades, atque reſponde, vtrùm tibi videatur quælibet longitudo poſſe in quotlibet partes ſecari. D. Satis mihi iſta perſuaſa ſunt: nec dubitari poſſe arbitror, quin omnis longitudo quæ linea dicitur, habeat dimidiam ſui partem, ac per hoc in duas lineas breues decuſſatim ſecari queat: & quia ipſæ duæ lineæ quæ iſta ſectione fiunt, procul dubiò lineæ ſunt, etiam in ipſis hoc fieri poſſe manifeſtum eſt. Itaque & quantulacunque longitudo in quotlibet partes ſecari poteſt. M. Expeditiſſimè atque veriſſimè. Quare nunc illud vide, vtrum rectè aſſeueretur, omnem longitudinem ad latitudinem porrigendam, quæ ab ipſa oritur, tantum valere quantum latitudinis quadratum occupat. Si enim minus aut amplius in latum ſpatium protenditur quàm longa eſt linea vnde protenditur, quadratum non fit: ſin tantum, nihil aliud quàm quadratum fit. D. Intelligo & aſſentior, quid enim verius? M. Illud ergo iam ſequi, vt opinor, vi-

al. vnde minimus

CAP. XII. *Quòd partes heroicorũ verſuum maiorẽ omnibus habeant, quoad ſemipedes, numerorum concordiam.*

Sicut magnitudo in ſe ducta facit quadratam figuram, ita numerus in ſe ductus facit quadratum numerum.

des,

des,vt si pro linea in lõgum ordinati calculi pares ponantur, non perueniat illa longitudo ad quadratam formam, nisi per eundem numerum multiplicati calculi fuerint: vt si verbi gratia duos calculos ponas, quadratum nõ facias, nisi aliis duobus ad latitudinem iunctis:sin tres,sex adiungendi sunt,sed terni distributi ad duos ordines similiter in latitudinem. Si enim ad longitudinem additi fuerint,nulla figura fit. Longitudo enim sine latitudine figura non est. Atque ita proportione licet considerare alios numeros, vt enim bis bina, & ter terna quadratas figuras in numeris faciũt, ita quater quaterna, quinquies quina,sexies sena, atq; ita per infinitum in cæteris. D. Etiam ista rata & manifesta sunt. M. Attende nunc vtrum sit aliqua temporis longitudo. D. Quis dubitauerit nullum esse tempus sine aliqua longitudine? M. Quid versus? Potestne non obtinere aliquam temporis longitudinẽ? D. Imò necesse est obtineat. M. Quid in ea longitudine pro calculis melius collocamus, pedésne, qui duas in partes,id est, leuationem & positionem necessariò distribuuntur:an ipsos semipedes potius, qui singulas leuationes positionesque obtinent? D. Semipedes congruentius iudico pro illis calculis poni. M. Age nunc commemora membrum versus heroici breuius,quot semipedes habeat. D. Quinque. M. Dic exemplum.

Aeneid. 1. D. *Arma virumq; cano.* M. Num igitur aliud desideras, nisi vt alij septem semipedes cum istis quinque aliqua æqualitate conueniant? D. Nihil prorsus aliud. M. Quid? septem semipedes possúntne aliquem versum complere per se? D. Possunt verò : nam tot semipedes habet primus ac minimus versus, annumerato in fine silentio. M. rectè dicis: sed vt versus esse possit, quomodo in duo membra diuiditur? D. In quatuor scilicet,& tres semipedes. M. Duc ergo in legem quadrati has partes singulas, & vide quid faciunt quatuor quater. D. Sedecim. M. Quid tria ter? D. Nouem. M. Quid totum simul? D. Vicies quinquies. M. Septem ergo semipedes quoniam possunt habere duo membra, singulis membris suis ad quadratorum rationem relatis, vigesimumquintum numerum in summa faciunt,& est vna pars versus heroici. D. Ita est. M. Altera igitur pars quæ habet quinque semipedes, quoniam non potest in duo membra diuidi, & debet aliqua æqualitate concinere,nónne tota in quadratum ducenda est? D. Nihil aliud censeo, & iam tandem agnosco æqualitatem mirabilem. Quinque enim quinquies ducta eadem viginti quinque consummant. Nec ergo immeritò senarij versus cæteris celebratiores nobilioresq; facti sunt. Dici enim vix potest quantum inter illorum æqualitatẽ in membis imparibus, & aliorum omniũ intersit.

CAPVT XIII. *Epilogus.* M. NON te ergo fefellit pollicitatio mea, vel potius ipsa nos quá vterq; nostrũm sequitur, ratio Quare vt istum iam sermonem concludamus aliquando, cernis certè cùm sint metra penè innumerabilia, versum tamen esse non posse, nisi duobus membris sibimet concinnatis: aut totidem semipedibus, sed non conuertibiliter terminatis, vt

Horatius lib. 1. Carminũ. est: *Mecœnas atauis edite regibus:* aut dispari numero etiam semipedũ,sed tamen aliqua æqualitate coniunctis, vt sunt quatuor & tres, aut quinque & tres, vel quinque & septem, aut sex & septem, aut octo & septem, vel septem & nouem. A pleno enim pede, trochaicus, vt est: *Optimus beatus ille qui procul negocio.* Et à non pleno potest versus exordiri: vt est, *Vir optimus beatus ille qui procul negocio:* terminari autem nisi non pleno prorsus non potest. Sed isti nõ plenipedes, siue integros semipedes habeant, sicuti est iste quem nunc posui,siue minus quàm dimidium pedem, sicut in illo choriambico duæ vltimæ breues, *Mecœnas atauis edite regibus*, siue plus quàm dimidium, vt in eius capite duæ primæ longæ: aut in fine alterius choriambici bacchius: cuius exemplum, *Te domus Euandria, te sedes celsa Latini.* Omnes ergo isti non plenipedes, sed semipedes nuncupantur. Iam verò non solùm talia poëmata versibus fiunt, vt in his vnum genus teneatur, qualia Epicorum poëtarum sunt,vel etiam comicorum,sed illos quoque ambitus quos περιόδους Græci vocant, nõ tantùm illis metris quæ lege versuum non tenentur, Lyrici poëtæ faciunt, sed etiam versibus. Nam ille Flacci, *Nox erat, & cælo fulgebat luna sereno: Inter minora sidera:* bimẽbris ambitus est, & versibus constans. Qui duo versus sibimet conuenire non possunt, nisi vterque ad senorum temporum referatur pedes. Nam modus heroicus cum modo iambico vel trochaico non conuenit, quia illi pedes ad tantundem, hi ad duplum partiuntur. Fiunt ergo ambitus aut omnibus metris, aut omnibus versibus,vt illi sunt de quibus in superiori sermone disputatum est, cùm de ipsis metris ageremus: aut tantum versibus, vt ij de quibus nunc dictum est: aut vt & versibus, & aliis metris temperentur, quale illud est: *Diffugere niues, redeunt iam gramina campis, Arboribusq; comæ.* Quo autem ordine locẽtur vel versus cum aliis metris, vel maiora membra cum minoribus,nihil interest ad aurium voluptatem, dummodo non breuior quàm bimembris,non amplior quàm quadrimẽbris sit ambitus. Sed iam si nihil habes quod contradicas, finis sit huius disputationis, vt deinceps quod ad hanc partem Musicæ attinet quæ in numeris temporum est, ab his vestigiis eius sensibilibus, ad ipsa cubilia, vbi ab omni corpore aliena est, quanta possumus sagacitate veniamus.

Euandri. Hunc versum Terentianus refert inter phalecios.

Horatius in carmine epodo.

Horatius 4. carminum.

D. AVRELII AVGVSTINI
DE MVSICA, LIB. VI.

CAP. 1. *Repetit transitum faciens ad sequentia.* SATIS diu penè, atque adeò planè pueriliter per quinque libros in vestigiis numerorum ad moras temporum pertinentium morati sumus: quàm nostram nugacitatem apud beneuolos homines facilè fortassis excuset officiosus labor: quem non ob aliud suscipiendum putauimus, nisi vt adolescentes, vel cuiuslibet ætatis homines,quos bono ingenio donauit Deus,non præproperè,sed quibusdam gradibus à sensibus carnis atque carnalibus literis quibus eos non hærere difficile est,duce ratione auellerentur: atque vni Deo & Domino rerum omnium, qui humanis mentibus nulla natura interposita præsidet, incommutabilis veritatis amore adhæresceren t. Illos igitur libros qui leget, inueniet nos cum grammaticis & poëticis animis,non habitandi electione, sed itinerandi necessitate versatos. Ad hũc autem librum cùm venerit,si,vt spero, & supplex deprecor, Deus & Dominus noster propositum meum voluntatemq; gubernauerit,& eò quò est intenta perduxerit, intelliget non vilis possessionis esse vilem viam, per quam nunc cum imbecillioribus, nec nos ipsi admodũ fortes ambulare maluimus, quàm minus pennatos per liberiores auras præcipitare. Ita nos, quantum arbitror, aut nihil aut non multum peccasse iudicabit,si tamen de numero spiritalium virorum iste fuerit. Nam turba cætera de scholis linguarum tumultuantium, & adplaudentium strepitum vulgari leuitate lætantium, si fortè irruerit in has literas,aut contemnet omnes,aut illos quinque libros sufficere sibi arbitrabitur. Istum verò in quo fructus illorum est,vel abijciet quasi non necessarium,vel differet quasi pòst necessarium. Reliquos verò qui ad ista intelligenda eruditi non sunt,si sacramentis Christianæ veritatis imbuti, in vnum & verum Deum summa charitate nitentes, cúncta pue-

tilia transuolauerunt, fraternè admoneo ne ad ista descendant, & cùm hîc laborare cœperint, de tarditate sua conquerantur, ignorantes itinera difficilia & molesta pedibus suis, volando se posse etiam ignorata transire. Si autem ij legunt qui & infirmis aut inexercitatis gressibus hac ambulare non possum, & nullas pietatis alas habent, quibus ista neglecta præteruolet, non se inserant inconuenienti negocio: sed præceptis saluberrimæ religionis, & nido fidei Christianę pennas nutriant, quibus superuecti laborem ac puluerem huius itineris euadant, magis ipsius patriæ quàm viarum flexuosarum amore flagrantes. His enim hæc scripta sunt, qui literis secularibus dediti, magnis implicantur erroribus, & bona ingenia in nugis conterunt, nescientes quid ibi delectet. Quod si animaduerterent, viderẽt quà effugerent illa retia, & quisnam esset beatissimæ securitatis locus. M. QVAMOBREM tu cum quo mihi nunc ratio est, familiaris meus, vt à corporeis ad incorporea transeamus, respondе, si videtur, cũ istum versum pronunciamus, *Deus creator omnium*, istos quatuor iambos quibus cõstat, & tempora duodecim vbinam esse arbitreris: id est, in sono tantùm qui auditur, an etiam in sensu audientis qui ad aures pertinet, an in actu etiam pronunciantis, an quia notus versus est, in memoria quoque nostra hos numeros esse fatendum est? D. In his omnibus puto. M. Nusquámne amplius? D. Quid aliud restet non video, nisi fortè interior & superior aliqua vis sit vnde ista procedunt. M. Non ego quæro quid suspicandum sit: quare si hæc quatuor genera ita tibi apparent, vt nullum aliud videas quod æquè manifestum sit, discernamus ea, si placet, ab inuicem, & videamus vtrum singula esse sine inuicem possint. Nam credo non te esse negaturum, fieri posse, vt in aliquo loco aliquis sonus existat huiuscemodi morulis & dimensionibus verberans aërẽ vel stillicidio vel aliquo alio pulsu corporũ, vbi nullus adsit auditor. Quod cùm sit, num prẹter illud primum genus, cùm ipse sonus hos numeros habet, vllum horum quatuor reperitur? D Nullum aliud video. M. Quid iste alter qui est in sensu audientis, potẽstne esse, si nihil sonet? Non enim quæro vtrum habeant illæ aures vim percipiendi si quicquam sonuerit, qua vtique non carent si desit sonus. Non enim & cùm silentium est, nihil à surdis differunt, sed quæro vtrum ipsos numeros habeant, etiam si nihil sonet. Siquidem aliud est, habere numeros, aliud posse sentire numerosum sonum. Nam & si sentientem corporis locum digito tangas, quoties libet sentitur tactu ille numerus: & cùm sentitur, non eo caret sentiens. Et vtrum insit etiam tangente nullo, non sensus ille, sed numerus, similiter quæritur. D. Non facilè dixerim, carere sensum numeris talibus in se constitutis, etiam antequam aliquid sonet. Non enim aliter aut eorum mulceretur concinnitate, aut absurditate offenderetur. Idipsum ergo quicquid est, quo aut annuimus aut abhorremus, non ratione sed natura, cùm aliquid sonat ipsius sensus, numerum voco. Non enim tunc fit, in auribus meis cùm sonum audio, hæc vis approbandi & improbandi. Aures quippe non aliter bonis sonis quàm malis patent. M. Vide potiùs ne ista duo sint minimè confundẽda. Nam si versus quilibet modò correptius, modò productius pronuncietur, spatium temporis non idem teneat necesse est, quamuis eadem pedum ratione seruata. Vt ergo ipso suo genere aures mulceat, illa vis facit qua concinna adsciscimus, & absurda respuimus. Vt autem breuiore tempore sentiatur cùm celerius, quàm cùm tardius promitur, non interest aliquid nisi quamdiu aures tangantur sono. Affectio ergo hæc aurium cùm tanguntur sono, nullo modo talis est, ac si non tangantur. Vt enim differt audire ab eo quod est nõ audire, ita differt, hanc vocem audire ab eo quod est alteram audire. Hæc igitur affectio nec vltra porrigitur, nec infrà cohibetur, quoniam est mensura eius soni qui facit eam. Altera est ergo in iambo, altera in tribracho, productior in productiore iambo, correptior in correptiore, nulla in silentio. Quòd si in numerosa voce fit, etiam ipsa numerosa sit necesse est. Neque esse potest, nisi cùm adest effector eius sonus. Similis est enim vestigio in aqua impresso, quod neque ante formatur quàm corpus impresseris, neque remanet cùm detraxeris. Naturalis autem illa vis quasi iudiciaria, quæ auribus adest, non desinit esse in silentio, nec nobis eam sonus †inserit, sed ab ea potiùs, siue probandus, siue improbandus excipitur. Quare ista duo, nisi fallor, distinguenda sunt: & fatendum, numeros qui sunt in ipsa passione aurium, cùm aliquid auditur, sono inferri, auferri silentio. Ex quo colligitur, numeros qui sunt in ipso sono, posse esse sine istis qui sunt in eo quod est audire, cùm hi sine illis esse non possint. D. ASSENTIOR. M. Attende igitur hoc tertium genus, quod est in ipso vsu & operatione pronunciantis, & vide vtrum possint esse hi numeri sine illis qui sunt in memoria. Nam & taciti apud nosmetipsos possumus aliquos numeros cogitando peragere ea mora temporis, qua etiam voce peragerentur. Hos in quadam operatione animi esse, manifestum est, quæ quoniam nullum edit sonum, nihilque passionis infert auribus, ostendit hoc genus sine illis duobus esse posse, quorum vnum in sono est, alterum in audiente, quando audit. Sed vtrum existeret, nisi adiuuante memoria, quęrimus. Quanquá si anima hos numeros agit, quos in venarum pulsu inuenimus, soluta quæstio est. Nam & in operatione hos esse, manifestum est, & nihil ad eos adiuuamur memoria. Quòd si de his incertum est, vtrum operantis animæ sint, de istis certè quos reciproco spiritu agimus, nulli dubium est, quin & temporum interuallis numeri sint, & eos sic anima operetur, vt etiam voluntate adhibita multis modis variari queant, nec tamen vt agantur, vlla opus est memoria. D. Videtur mihi hoc genus sine tribus cæteris esse posse. Quamuis enim pro temperatione corporum varios venarum pulsus, & respirationis interualla fieri non ambigam, tamẽ operante anima fieri, negare quis audeat? Qui cursus etsi pro diuersitate corporum aliis celerior est, aliis tardior, nisi tamen adsit anima quæ id agat, nullus est. M. Considera igitur & quartum genus, eorum scilicet numerorum qui sunt in memoria: nam si eos recordatione depromimus, & cùm in alias cogitationes deferimur, hos rursum relinquimus velut in suis secretis reconditos, non opinor occultum eos esse posse sine cæteris. D. Non dubito eos esse sine cæteris, sed tamẽ nisi auditi vel cogitati non mandarentur memoriæ, & ideo quanquam illis desinentibus maneant, iisdem tamen præcedentibus imprimũtur. M. NON refisto tibi, & te vellem iam quærere, quod tandem horum quatuor generum prẹstantissimum iudices: nisi arbitrarer dum illa tractamus, nescio vnde apparuisse nobis quintum genus, quod est in ipso naturali iudicio sentiendi, cùm delectamur paritate numerorum, vel cùm in eis peccatur, offendimur. Non enim contemno quod tibi visum est, sine quibusdam numeris in se latentibus, hoc sensum nostrum nullo modo agere potuisse. An fortè ad istorum quatuor aliquod genus hanc tantam vim pertinere arbitraris? D. Ego verò ab illis omnibus hoc genus distinguendum puto. Siquidem aliud est, sonare quod corpori tribuitur, aliud audire quod in corpore anima de sonis patitur, aliud operari numeros vel productius vel correptius, aliud ista meminisse, aliud de his omnibus, vel annuendo vel abhorrendo quasi quodam naturali iure ferre sententiam. M. Age nunc, dic mihi quinque

CAP. II. *Sonorum numerus quid & quomodo deprehendatur.*

al. infert.

CAPVT III. *Numeri num in vsu sint pronunciantis sine numeris in memoria.*

CAP. IIII. *De sensus iudicio naturali.*

quinque horum quod maximè excellat. D. Hoc quin- A
tum puto. M. Rectè putas: non enim de illis posset, nisi
excelleret, iudicare. Sed rursus quæro, cæterorũ qua-
tuor quod maximè probes? D. Illud profectò quod est
in memoria: quia video ibi diuturniores esse nume-
ros, quàm cùm sonant, vel cùm audiuntur, vel cùm a-
guntur. M. Præponis ergo factos facientibus. Ná istos
qui sunt in memoria, ab illis aliis imprimi paulo antè
dixisti. D. Nollem præponere. Sed rursus quomodo nõ
præponam diuturniora minus diuturnis, non video.
M. Non te istud moueat. Non enim sicut æterna tem-
poralibus, ita ea quæ diutius abolentur, iis quæ bre-
uiore tempore transeunt, præferenda sunt. Quia &
sanitas vnius diei profectò est melior, quàm multorũ
dierum imbecillitas. Et si optanda optandis compare-
mus, melior est vnius diei lectio, quàm plurium scri-
ptio, si eadem res vno die legatur, quæ pluribus scri-
bitur: ita numeri qui sunt in memoria, etsi diutius ma
neant quàm illi à quibus imprimuntur, nõ eos tamen B
anteponere oportet eis quos agimus non in corpore,
sed in anima. Vtrique enim prætereunt, alij cessatio-
ne, alij obliuione. Sed illi quos operamur, etiam non-
dum cessantibus nobis successione sequentium vidẽ-
tur auferri, dum primi secundis, & secundi tertiis,
atque ita deinceps priores posterioribus prætereundo
concedunt locum, donec vltimos perimat ipsa cessa-
tio. Obliuione verò plures simul numeri, quãuis pau-
latim absterguntur. Nam nec ipsi aliquandiu manent
integri. Quod enim post annum verbi gratia in me-
moria non inuenitur, etiam post vnum diem iam mi-
nus est, sed non sentitur ista diminutio. Non tamen
falsò ex eo conijcitur, quia non vtique pridie quàm
compleatur annus repentè totum euolat. Vnde intel-
ligi datur, ab illo tempore quo inhæret memoriæ, in-
cipere labi. Hinc est illud quod plerunque dicimus,
Tenuiter memini, cùm aliquid post tẽpus recordan-
do repetimus, antequam planè totum excidat. Qua- C
propter vtrunque hoc numerorum genus mortale
est. Veruntamen facientes factis iure anteponuntur.
D. Accipio, & probo. M. Iam ergo tria reliqua intuere,
& eorum quoque quod sit optimum & cæteris præfe-
rendum, edissere. D. Non est hoc facile. Nam ex illa
regula qua factis facientes oportet anteferre, cogor
sonantibus numeris palmam dare: hos enim senti-
mus audientes, & cùm hos sentimus, hos patimur. Hi
ergo faciunt eos qui sunt in aurium passione cùm au-
dimus, hi autem rursus quos sentiendo audimus & ha
bemus, faciunt alios in memoria, quibus à se factis re-
ctè præferuntur. Sed hîc quia & sentire & meminisse
animæ est, non moueor, si aliquid quod in anima sit,
alicui quod item in ea sit anteponam. Illud me con-
turbat, quomodo sonantes numeri, qui certè corpo-
rei sunt, vel quoquo modo in corpore: magis laudandi
sint, quàm illi qui cùm sentimus in anima esse repe-
riuntur. Sed rursus conturbat quomodo non magis D
laudandi sint, cùm hi faciant, illi ab his fiant. M. Mi-
rare potius quomodo facere aliquid in anima corpus
potest. Hoc enim fortasse non posset, si non peccato
primo corpus illud quod nulla molestia & summa fa-
cilitate animabat & gubernabat, in deterius commu-
tatum, & corruptioni subijceretur & morti: quod ta-
men habet sui generis pulchritudinem, & eo ipso di-
gnitatem animæ satis commendat, cuius nec plaga &
morbus sine honore alicuius decoris meruit esse.
Quam plagam summa Dei sapientia, mirabili & in-
effabili sacramento dignata est assumere, cùm ho-
minem sine peccato, non sine peccatoris conditione
susceptt. Nam & nasci humanitus, & pati & mori vo-
luit. Nihil horum meritò, sed excellentissima bonita-
te, vt nos caueremus magis superbiam, qua dignissimè
in ista cecidimus, quàm contumelias quas indignus

excepit, & animo æquo mortem debitam soluere-
mus, si propter nos potuit etiam indebitam sustinere,
& quicquid secretius atque purgatius in tali sacramẽ-
to à sanctis & melioribus intelligi potest. Ergo ani-
mam in carne mortali operãtem passionẽ corporum
sentire non mirum est. Nec quia ipsa est corpore me-
lior, melius putandum est omne quod in ea fit, quàm
omne quod fit in corpore. Credo enim tibi videri ve-
rum falsò esse præponendum. D. Quis dubitauerit?
M. Num vera est arbor quam videmus in somnis?
D. Nullo modo. M. At eius forma in anima fit, huius
autem quam nũc videmus in corpore facta est. Qua-
re cùm & verum falsò, & anima corpore melior sit,
verum in corpore melius est quàm falsum in anima.
Sed vt hoc in quantum verum, non in quantum in
corpore fit, melius est: ita illud in quantum falsum,
non in quantum in anima fit, fortasse est inferius &
deterius. Nisi quid habes ad hæc? D. Nihil equidem.
M. Audi aliud quod sit, vt puto, vicinius. Neque enim B
negabis, quod decet, esse melius quàm id quod non
decet. D. Imò fateor. M. At in qua veste decens est
mulier, in eadem virum indecentem esse posse, quis
ambigat? D. Et hoc manifestum est. M. Quid si ergo
forma ista numerorum decet in sonis qui allabuntur
auribus, & dedecet in anima, cùm eos sentiendo ac
patiendo habet. Num magnoperè mirandum est?
D. Non opinor. M. Quid ergo dubitamus sonantes
numeros atque corporeos præponere iis qui ab ipsis
fiunt, quamuis in anima fiant, quæ corpore est melior,
quia numeros numeris & facientes factis, non corpus
animæ præponimus? Corpora enim tantò meliora 1. Retract. cap. 11.
sunt, quanto numerosiora talibus numeris. Anima
verò istis quæ per corpus accipit, carendo fit melior,
cùm sese auertit à carnalibus sensibus, & diuinis sapiẽ-
tiæ numeris reformatur. Ita quippe in Scripturis san-
ctis dicitur. Circumiui ego, vt scirem & considerarem
& quærerem sapientiam & numerum: quod nullo
modo arbitrandum est de his numeris dictum, qui-
bus etiam flagitiosa theatra personãt. Sed de illis cre-
do quos non à corpore accipit anima, sed acceptos e-
tiã à summo Deo ipsa potius imprimit corpori. Quod
quale sit, non hoc loco est considerandum. VE- CAP. V.
RVM tamen ne illud occurrat, arboris vitam me- *Anima an à corpore patiatur, & quomodo sentiat.*
liorem esse quàm nostram, quoniam non accipit sen-
tiendo à corpore numeros, nullus enim ei sensus est:
diligenter considerandum est, vtrum reuera nihil sit
aliud quod dicitur audire, nisi aliquid à corpore in a-
nima fieri. Sed perabsurdum est fabricatori corpori
materiam quoquo modo animam subdere. Nũquam
enim anima est corpore deterior: & omnis materia fa-
bricatore deterior. Nullo modo igitur anima fabrica-
tori corpori est subiecta materies. Esset autem si ali-
quos in ea numeros corpus operaretur. Nõ ergo cùm
audimus fiunt in anima numeri ab iis quos in sonis co
gnoscimus. An aliquid renuis? D. Quid est ergo quod
in audiente contingit? M. Quicquid illud sit quod
fortasse inuenire aut explicare non possumus, num
ad hoc valebit, vt animam corpore meliorem esse
dubitemus? Aut cùm hoc fateamur, poterimúsne o-
peranti corpori & numeros imponenti eam subdere,
vt illud sit fabricans, hæc autem materies de qua &
in qua numerosum aliquid fabricetur? Quod si credi-
mus, deteriorem illam credamus necesse est. Quo
quid miserius, quid detestabilius credi potest? Quæ
cùm ita sint, conabor equidem, quantum Deus adiu-
uare dignabitur, quidnam ibi lateat coniectare atque
differere. Sed si hoc propter vtriusque aut alterius no-
strûm infirmitatẽ minus pro voluntate successerit, vel
nosipsi aliàs sereniores id inuestigabimus, vel intelli-
gentioribus inuestiganda deferemus, vel æquo animo
latere patiemur: non tamen ideo ista certiora de ma-

nibus debemus amittere. D. Tenebo iſtud inconcuſ- A
ſum ſi potuero, & tamen latebram iſtam non eſſe impenetrabilem nobis velim. M. Citò dicam quid ſentio: tu verò aut ſequere, aut etiam præcede, ſi valebis, vbi me cunctari & hęſitare animaduerteris. Ego enim ab anima hoc corpus animari non puto, niſi intentione faciẽtis. Nec ab iſto quicquam illam pati arbitror, ſed facere de illo & in illo tanquam ſubiecto diuinitus dominationi ſuæ. Aliquando tamen cum facilitate, aliquandò cum difficultate operari, quãto pro eius meritis magis minúſve illi cedit natura corporea. Corporalia ergo quæcunque huic corpori ingeruntur aut obijciuntur extrinſecus, non in anima, ſed in ipſo corpore aliquid faciunt, quod operi eius aut aduerſetur, aut congruat. Ideoque cùm renititur aduerſanti, & materiam ſibi ſubiectam in operis ſui vias difficulter impingit, fit attentior ex difficultate in actione, quæ difficultas propter attentionem, cùm eam non latet, ſentire dicitur, & hoc vocatur dolor aut labor. B
Cùm autem congruit quod infertur, aut adiacet: facilè totum id vel ex eo quantum opus eſt, in ſui operis itinera traducit. Et iſta eius actio qua ſuum corpus conuenienti extrinſecus corpori adiungit, quoniam propter quiddam aduentitium attentius agitur, non latet, ſed propter conuenientiam cum voluptate ſentitur. At cùm deſunt ea quibus corporis detrimenta reficiat, egeſtas conſequitur, & hac actionis difficultate cùm fit attentior, & talis eius operatio non eam latet, fames aut ſitis, aut tale aliquid appellatur. Cùm autem ſuperſunt ingeſta, & ex eorum onere naſcitur difficultas operandi, neque hoc ſine attentione fit, & cùm talis actio non latet & cruditas ſentitur, attentè etiam operatur cùm eijcit ſuperfluum, ſi leniter, cum voluptate: ſi aſperè, cum dolore. Morbidam quoque perturbationem corporis attentè agit, ſuccurrere appetens labenti atque defluenti, & hac actione non latente morbos & ægrotationes ſentire dicitur. Et ne C
longum faciam, videtur mihi anima cùm ſentit in corpore, non ab illo aliquid pati, ſed in eius paſſionibus attentius agere, & has actiones ſiue faciles propter conuenientiam, ſiue difficiles propter inconuenientiam, non eam latere: & hoc totum eſt quod ſentire dicitur. Sed iſte ſenſus qui etiam dum nihil ſentimus, ineſt tamen, inſtrumentum eſt corporis, quod ea temperatione agitur ab anima, vt in eò ſit ad paſſiones corporis cum attentione agendas paratior, ſimilia ſimilibus vt adiungat, repellatque quod noxium eſt. Agit porrò, vt opinor, luminoſum aliquid in oculis aëreum, ſereniſſimum & mobiliſſimum in auribus, caliginoſum in naribus, in ore humidum, in tactu terrenum & quaſi lutulentum. Sed ſiue hac ſiue alia diſtributione iſta conijciantur, agit hæc anima cùm quiete, ſi ea quæ inſunt in vnitate valetudinis, quaſi familiari quadam conſenſione conceſſerint.
Cùm autem adhibentur ea quæ nonnulla, vt ita di- D
cam, alteritate corpus afficiunt, & exerit attentiores actiones, ſuis quibuſque locis atque inſtrumentis accommodatas, & tunc videre vel audire, vel olfacere, vel guſtare, vel tangendo ſentire dicitur, quibus actionibus congrua libenter aſſociat, & moleſtè obſiſtit incongruis. Has operationes paſſionibus corporis puto animam exhibere cùm ſentit, non eaſdem paſſiones recipere. Quapropter cùm de ſonorum numeris in præſentia quæratur, & ſenſus aurium vocetur in dubium, non oportet per cætera diutius euagari. Referamus itaque nos ad id de quo agitur, & videamus vtrùm ſonus in auribus aliquid faciat. An tu id negabis? D. Nihil minus. M. Quid eaſdem aures animatum membrum eſſe nónne concedis? D. Concedo. M. Cùm ergo elementum id quod in eo membro ſimile eſt aëri, moueatur aëre percuſſo, animam

illam quæ ante iſtum ſonum vitali motu in ſilentio corpus aurium vegetabat, num putamus aut ceſſare poſſe ab opere mouendi quod animat, aut eodem modo mouere commotum extrinſecus aërem auris ſuæ, quo mouebat antequam ille illaberetur ſonus? D. Non videtur † mihi aliter. M. Hoc ergo † genus taliter mouere, nónne fatendum eſt facere eſſe, non pati? D. Ita eſt. M. Non igitur abſurdè credimus motus ſuos animam, vel actiones, vel operationes, vel ſi quo alio nomine commodius ſignificari poſſunt, non latere cùm ſentit. Hæ autem operationes, vel præcedentibus corporum paſſionibus adhibentur, vt ſunt cùm ille oculorum noſtrorum lucem formæ interpellant, aut in aures influit ſonus, aut naribus exhalationes, palato ſapores, cætero corpori quælibet ſolida & corpulenta admouentur extrinſecus, vel in ipſo corpore de loco in locum migrat aliquid ſiue tranſit, vel totum ipſum corpus ſuo alienóve pondere mouetur. Hæ ſunt operationes quas adhibet anima præcedentibus paſſionibus corporis, quæ delectant eam aſſociantem, offendunt reſiſtentem. Cùm autem ab eiſdem ſuis operationibus aliquid patitur, à ſeipſa patitur, non à corpore, ſed planè cùm ſe accommodat corpori: & ideo apud ſeipſam minus eſt, quia corpus ſemper minus quàm ipſa eſt. Conuerſa ergo à domino ſuo ad ſeruum ſuum, neceſſariò deficit: conuerſa item à ſeruo ſuo ad dominum ſuum, neceſſariò proficit, & præbet eidem ſeruo facillimam vitam, & propterea minimè operoſam & negocioſam, ad quam propter ſummam quietem nulla detorqueat attentio, ſicut eſt affectio corporis quæ ſanitas dicitur. Nulla quippe attentione noſtra opus habet, non quia nihil tunc agit anima in corpore, ſed quia nihil facilius agit. Nam in omnibus operibus noſtris tanto quique attentius, quanto difficilius operamur. Hæc autem ſanitas tunc firmiſſima erit atq; certiſſima, cùm priſtinæ ſtabilitati certo ſuo tempore atque ordine hoc corpus fuerit reſtitutum, quæ reſurrectio eius antequam pleniſſimè intelligatur, ſalubriter creditur. Oportet enim animam & regi à ſuperiore, & regere inferiorem. Superior illa ſolus Deus eſt, inferior illa ſolum corpus, ſi ad omnem & totam animam intendas. Vt ergo tuta eſſe ſine domino, ſic excellere ſine ſeruo non poteſt. Vt autem dominus eius magis eſt quàm ipſa, ita ſeruus eius minus. Quare intenta in Dominum, intelligit æterna eius, & magis eſt, magisque eſt etiam ipſe ſeruus in ſuo genere per illam. Neglecto autem Domino intenta in ſeruum carnalis, quæ dicitur concupiſcentia, ſentit motus ſuos quos illi exhibet, & minus eſt: nec tamen tantum minus, quantum ipſe ſeruus, etiam cùm maximè eſt in natura propria. Hoc autem delicto dominæ multo minus eſt quàm erat, cùm † ille ante delictum magis eſſet. Quocirca mortali iam & fragili, cum magna difficultate atque attentione dominatur. Hinc illi error incurrit, vt voluptatem corporis, quia eius attentioni cedit materies, pluris æſtimet quàm ipſam ſanitatem, cui attentione nulla opus eſt. Nec mirum, ſi ærumnis implicatur, præponens curam ſecuritati. Conuertenti autem ſe ad Dominum, maior cura oritur, ne auertarur, donec carnalium negociorum requieſcat impetus effrenatus conſuetudine diuturna, & tumultuoſis recordationibus conuerſioni eius ſeſe inferens, ita ſedatis motibus ſuis quibus in exteriora prouehebatur, agit ocium intrinſecus liberum, quod ſignificatur ſabbato, ſi cognoſcit ſolum Deum eſſe Dominum ſuum, cui vni ſumma libertate ſeruitur. Non autem illos carnales motus, vt cùm libet exerit, ita etiam cùm libet extinguit. Non enim ſicut peccatum in eius poteſtate eſt, ita etiam pœna peccati. Magna quippe res eſt ipſa anima, nec ad opprimen-

al. niſi
al. aliter

al. illa

1. Retract. cap. 11.

primendos lasciuos motus suos idonea sibi remanet. Valentior enim peccat, & post peccatum diuina lege facta imbecillior, minus potes est auferre quod fecit.
Rom.7.d.24 Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Motus igitur animæ seruans impetū suum, & nondū extinctus, in memoria esse dicitur: & cùm in aliud intenditur animus, quasi non inest animo pristinus motus, & reuera minor fit, ni antequā intercidat, quadā similium vicinitate renouetur. Sed velim scire, vtrū te aduersus ista nihil moueat. D. Probabiliter mihi dicere videris, nec ausim resistere. M. Cùm igitur ipsum sentire mouere sit corpus aduersus illū motum qui in eo factus est, nónne existimas ideo nos non sentire, cū ossa & vngues & capilli secantur, non quia ista in nobis omnino non viuunt, non enim aliter aut cōtinerentur aut nutrirentur aut crescerent, aut etiam vim suam in seminanda serendáve prole monstrarēt: sed quia minus libero aëre penetrantur, mobili scilicet elemento, quàm vt motus ibi possit ab anima fieri tam celer, quàm est ille aduersus quem fit cùm sentire dicitur. Talis quædā vita cùm in arboribus atq; stirpibus cæteris esse intelligatur, nullo modo eam nō solum nostræ quæ ratione etiam præpollet, sed ne ipsi quidē beluinæ decet præponere. Aliud enim est summa stoliditate, aliud summa sanitate corporis nihil sentire. Nam in altero instrumenta desunt, quæ aduersus passiones corporis moueantur, in altero ipsæ passiones. D. Probo & assentior. M. REDI ergo mecum ad propositum, atq; responde de tribus illis generibus numerorum, quorum alterum in memoriā est, alterum in sentiendo, alterū in sono, quódnam tibi videatur excellere? D. Sonū duobus illis postpono quæ in anima sunt & viuūt quodammodo. Sed horū duorum quod præstantius iudicem, incertus sum, nisi fortè quoniam illos qui sunt in actione, nō ob aliud præponēdos iis qui sunt in memoria dixeramus, nisi quòd illi facientes sunt, isti ab his facti: eadem ratione istos etiam qui dum audimus insunt in anima, oportet iis anteponere qui ab iisdem in memoria fiunt, sicuti & dudum mihi videbatur. M. Non puto absurdā responsionem tuam. Sed quoniam disputatum est, hos etiam qui sunt in sentiendo numeros operationes esse animæ, quomodo eos ab illis discernis, quos in actu esse animaduertimus, etiam cùm in silentio non recordās agit aliquid anima per tēporalia spatia numerorum? An quòd illi sunt mouentis sese animæ ad corpus suū, hi verò in audiendo mouentis sese animæ aduersus passiones corporis sui? D. Accipio istam differentiam. M. Quid, in sententia manendúmne esse arbitraris, vt præstantiores illi iudicentur qui sunt ad corpus, quàm illi qui sunt aduersus passiones corporis? D. Liberiores mihi videntur illi qui sunt in silentio, quàm ij qui non solùm ad corpus, sed ad passiones etiam corporis exeruntur. M. Distincta à nobis, & quibusdam meritorum gradibus ordinata video quinque genera numerorū, quibus, si placet, imponamus congrua vocabula, ne in reliquo sermone pluribus verbis quàm rebus vti necesse sit. D. Placet verò. M. Vocentur ergo primi iudiciales, secundi progressores, tertij occursores, quarti recordabiles, quinti sonantes. D. Teneo, & his nominibus vtar libentius.

CAP. VII. Numerus iudiciales.

M. ATTENDE igitur deinceps, & dic mihi, quinam istorum immortales tibi videantur, an omnes suis temporibus labi atque occidere existimas? D. Iudiciales solos immortales puto. Cæteros video vel transire cùm fiūt, vel de memoria obliuione deleri. M. Tam certus es de istorum immortalitate, quàm certus es de interitu cæterorum, an diligentius, vtrùm verè hi immortales sint, oportet quærere? D. Queramus sanè. M. Dic ergo, cū aliquanto correptius siue productius, dum seruiam temporum legi qua simplo ad duplum pedes conueniūt, versum pronuncio, num offendo vlla fraude iudicium sensus tui? D. Non omnino. M. Quid sonus ille qui correptioribus, & quasi fugacioribus syllabis editur, num potest plus temporis occupare quàm sonat. D. Qui potest? M. Iudiciales ergo illi numeri si vinculo temporis in tanto spacio tenerentur, quanto isti sonantes digesti sunt, possēntne ad eorum sonantium qui paulò producti⁹ etiam iambica lege fundūtur, aspirare iudicium? D. Nullo modo. M. Igitur apparet hos mora temporū, qui iudicando præsident, non teneri. D. Prorsus apparet. M. Rectè annuis. Sed si nullo tempore tenerentur, quantolibet productius, legitimis interuallis iambicos proferrem sonos, nihilominus ad iudicandum adhiberētur. Nunc verò si ederem vnā syllabam quanta mora peraguntur, ne multū dicam, tres passus incedētis, & aliam duplo, atq; ita deinceps tam longos iambos ordinarē, simpli & dupli lex illa nihilominus seruaretur, nec tamē naturale illud iudicium his dimensionibus approbandis adhibere possemus. An tibi non videtur? D. Negare non possum ita videri. Nam mea quidem sententia res in aperto est. M. Tenentur ergo & hi iudiciales nonnullis finibus tēporalium spatiorū, quos in iudicādo excedere nequeunt, & quicquid excedit hæc spatia, non assequuntur vt iudicent: atq; ita si tenētur, quomodo sint immortales nō video. D. Nec ego video quid respondeam. Sed quanquā de immortalitate horum iam minus præsumam, non tamē quo pacto hinc mortales conuincantur intelligo. Fieri enim potest, vt quantacunque spatia iudicare possunt, semper id possint, quoniam non sicut de cæteris, aut obliuione aboleri possunt, aut tamdiu esse, vel in tantum extendi, quādiu sonus pellitur, & in quantum extenduntur occursores illi, aut quandiu aguntur, vel quantum producuntur quos progressores vocauimus. Nam vtriq; cum ipso tēpore operationis suę transeūt. Hi autem iudiciales vtrum & in anima, nescio, in ipsa certè hominis natura manent, iudicaturi de oblatis, quanquā à certa breuitate vsq; ad certā longitudinem varientur, approbando in his numerosa, & perturbata damnando. M. Saltem illud cōcedis, alios homines citius offendi claudicantibus numeris, alios tardius, & plerosq; non nisi ex comparatione integrorū iudicare vitiosos, cùm & illos congruos & illos incongruos audierint. D. Concedo. M. Vnde tandē hanc differētiam putas existere, nisi aut natura, aut exercitatione, aut vtroq;? D. Sic arbitror. M. Quæro igitur vtrum possit aliquis aliquanto productiora interualla iudicare & approbare, quæ alius non possit? D. Credo esse posse. M. Quid ille qui non potest, si se exerceat congruenter, nec adeò tardus sit, nónne poterit? D. Poterit verò. M. Num in tantum possunt isti proficere ad productiora iudicanda, vt horarum, vel dierum, vel etiam mēsium annorūm ve dupla & simpla spatia, cùm saltē somno nō impediantur, sensu illo iudiciario possint comprehendere, & tanquam illos iambos motionis nutibus approbare? D. Non possunt. M. Quid itaq; nō possunt, nisi quia vnicuiq; animanti in genere proprio proportione vniuersitatis sensus locorū temporumq; tributus est, vt quomodo corpus eius proportione vniuersi corporis tantum est, cuius pars est, & ætas eius proportione vniuersi sæculi tanta est, cuius pars est, ita sensus eius actioni eius cōgruat, quam proportione agit vniuersi motus, cuius hæc pars est? Sic habendo omnia magnus est hic mundus, qui sæpe in Scripturis diuinis cæli & terræ nomine nuncupatur, cuius omnes partes si proportione minuantur, tantus est, & si proportione augeātur, nihilominus tantus est: quia nihil in spatiis locorum & temporū per seipsum magnum est, sed ad aliquid breuius: & nihil rursus in his per seipsum breue est, sed ad aliquid maius. Quapropter si humanæ na-

næ naturæ ad carnalis vitæ actiones talis sensus tributus est, quo maiora temporum spacia iudicare nõ possit, quàm interualla postulant ad talis vitæ vsum pertinentia, quoniam talis hominis natura mortalis est, etiam talem sensum mortalem puto. Non enim frustra consuetudo quasi secunda, & quasi affabricata natura dicitur. Videmus autem velut quosdam sensus nouos in iudicandis huiuscemodi rebus corporeis consuetudine effectos, alia cõsuetudine deperire.

CAPVT VIII. *Numeri mortales.*

Sed quoquo modo se habeant hi numeri iudiciales, eo certè præstant quod dubitamus, vel difficilè perueſtigamus vtrum mortales sint. De cæteris autem quatuor generibus nulla quæstio est quin mortales sint, quorum etsi quosdam non comprehẽdant, quia vltra ipsorum iura porrecti sunt, genera tamen ipsa suo examini vendicant. Nam & illi progressores cùm aliquam in corpore numerosam operationẽ appetunt, latenter istorum iudicialium nutu modificantur. Quod enim nos vel ambulantes ab imparibus passibus, vel percutientes ab imparibus interuallis plagarum, vel edentes vel bibentes ab impatibus malarum motibus, scalpentes denique ab imparibus vnguium ductibus, & ne per multas alias operationes percurram, quod nos in qualibet attentione agendi aliquid per corporis membra ab imparibus motibus refrenat, & cohibet, & quandam parilitatem tacitè imperat, idipsum est iudiciale nescio quid, quod cõditorem animalis insinuat Deũ, quem certè decet credere authorẽ omnis conuenientiæ atque concordiæ. Et illi occursores numeri, qui certè non pro suo nutu, sed pro passionibus corporis aguntur, in quantum eorum interualla potest memoria custodire, in tantum his iudicialibus iudicandi offeruntur atque iudicantur. Numerus namque iste interuallis temporum constat, & nisi adiuuemur in eo memoria, iudicari à nobis nullo pacto potest. Quãlibet enim breuis syllaba, cùm & incipiat, & desinat, alio tempore initium eius, & alio finis sonat. Tenditur ergo & ipsa quantulocunque temporis interuallo, & ab initio suo per medium suum tendit ad finem. Ita ratio inuenit, tam localia, quàm temporalia spacia infinitam diuisionem recipere, & idcirco nullius syllabæ cum initio finis auditur. In audienda itaq; vel breuissima syllaba, nisi memoria nos adiuuet, vt eo momento temporis quo iam non initium, sed finis syllabæ sonat, maneat ille motus in animo qui factus est cùm initiũ ipsum sonuit, nihil nos audisse possumus dicere. Hinc est illud quod plerunque alia cogitatione occupati, coram loquentes non nobis videmur audisse: non quia occursores illos numeros non agit tũc anima, cùm sine dubio sonus ad aures perueniat, & illa in passione corporis sui cessare non possit, nec possit nisi aliter moueri, quàm si illa non fieret: sed quia intentione in aliud subinde extinguitur motionis impetus, qui si maneret, in memoria vtique maneret, vt nos & inueniremus & sentiremus audisse. Quòd si de vna syllaba breui minus sequatur mens tardior quod inuenit ratio, de duabus certè nemo dubitat, quin eas simul nulla anima possit audire. Non enim sonat secunda, nisi prima destiterit: quod autem simul sonare non potest, simul audire quis potest? Vt igitur nos ad capienda spatia locorum diffusio radiorum iuuat, qui è breuibus pupillis in aperto emicant, & adeo sunt nostri corporis, vt quanquam sint in procul positis rebus quas videmus, à nostra anima vegetentur: vt ergo †effusione lucis adiuuamur ad capienda spatia locorum, ita memoria, quæ quasi lumẽ est temporalium spatiorum, quantum in suo genere extendi quodammodo potest, tantum eorundem spatiorum capit. Cùm autem diutius aures pulsat sonus nullis distinctus articulis, & ab aliquo tandem fine, coniunctus alter duplo, aut etiam tanto editur spatio, attentione in

†l. eorum effusione

A succedentem perpetuò sonum, motus ille animi qui attentione ad præteritum & elapsum sonũ cùm transibat est factus, reprimitur, id est, non ita remanet in memoria. Quapropter iudiciales illi numeri, qui numeros interuallis temporum sitos, exceptis progressoribus quibus etiam ipsum progressum modificant, iudicare non possunt, nisi quos eis tãquam ministra memoria obtulerit, nónne ipsi existimandi sunt per certum spatium temporis tẽdi? Sed interest quibus temporum spatiis vel excidat nobis, vel meminerimus quod iudicant. Siquidem nec in ipsis corporum formis quæ ad oculos pertinent, possemus rotunda vel quadrata, vel quæcunq; alia solida & determinata iudicare, & omnino sentire, nisi ex obliquo oculos versaremus. Cùm autem alia pars aspicitur, si exciderit quod est aspectum in alia, frustratur omnino iudicantis intentio, quia & hæc aliquà mora temporis fit. Cui varietati opus est inuigilare memoriam. Recordabi-
B les verò numeros multo euidentius est, quod eadem ipsa offerente memoria, iudicamus his iudicialibus. Nam si occursores, quantum ab ea offeruntur, tantum iudicantur, multo magis ij ad quos tanquam repositos post alias intentiones reuocamur recordatione, in memoria viuere inueniuntur. Quid enim aliud agimus cùm reuocamus nos in memoriam, nisi quodammodo quod reposuimus quærimus? Recurrit autem in cogitationem occasione similium motus animi non extinctus, & hæc est quæ dicitur recordatio. Sic agimus numeros, vel in sola cogitatione, vel etiam in membrorum motu, quos iam egimus aliquando. Inde autem scimus non veniſſe, sed rediſſe illos in cogitationem, quia cùm memoriæ mandarentur, cum difficultate repetebantur, & indigebamus aliqua præmonstratione vt sequeremur: qua difficultate dempta, cum sese ipsi accommodatè voluntati offerunt,
C consequenter temporibus atque ordine suo tam facile, vt qui vehementius inhæserunt, etiam aliunde cogitantibus nobis, iam quasi proprio nutu peragantur, non eos vtique nouos esse sentimus. Est etiam aliud vnde nos sentire arbitror præsentem motum animi iam fuisse, quod est & recognoscere, dum recẽtes motus eius actionis in qua sumus cùm recordamur, qui certè viuaciores sunt, cùm recordabilibus atque iam sedatioribus quodam interiore lumine comparamus: & talis agnitio, recognitio est & recordatio. Iudicãtur ergo & recordabiles numeri ab his iudicialibus, nunquam soli, sed adiunctis actiuis aut occursoribus, aut vtrisq;, qui eos tanquam è latebris suis in manifestum producunt, & quasi redintegratos qui iam abolebantur, rursum recordantur. Itaq; cùm occursores in tantum iudicentur, in quantum eos memoria iudicantis admouerit, possunt viciſſim & recordabiles qui sunt in memoria occursoribus eos exhibentibus iudicari: vt hoc interſit, quod occursores vt iudicentur, quasi
D recentia eorum fugientium vestigia offert memoria: recordabiles autem quando eos audiẽdo iudicamus, quasi eadẽ vestigia occursoribus transeuntibus reuisciscunt. Iam porrò de sonantibus numeris quid opus est dicere, cùm in occursoribus iudicentur, si audiantur? Si verò ibi sonant vbi non audiuntur, quis dubitet eos à nobis non posse iudicari? Sanè vt in sonis per instrumentum aurium, ita in saltationibus cæterisq; visibilibus motibus, quod ad temporales numeros attinet, eadem adiuuante memoria iisdem numeris iudicialibus diiudicamus.

CAP. IX. *Alij numeri superioribus præstantiores.*

Hæc cùm ita sint, conemur, si possumus, istos numeros iudiciales transcẽdere, & quæramus vtrum sint superiores. In his enim quanquam spatia temporum iam minimè videamus, non tamen adhibentur, nisi ad ea iudicanda quæ in spatio temporis fiunt. Nec ipsa quidem omnia, sed quæ possunt articulari memoriter. Nisi quid habes

fortè

fortè quod contra hæc velis dicere. D. Mouet me plurimum istorum iudicialium vis atque potentia. Ipsi enim mihi videntur esse ad quos omnium sensuum ministeria referuntur. Itaque his excellentius vtrum quicquam in numeris inueniri possit, ignoro. M. Nihil deperit quod diligentius quærimus. Aut enim inueniemus superiores in anima humana, aut hos in ea summos esse firmabimus, si tamen illud clarueri t, nullos in ea esse præstantiores. Aliud est enim non esse, aliud non posse inueniri, siue ab vllo homine, siue à nobis. Sed ego puto cùm ille à nobis propositus versus canitur, Deus creator omnium: nos eum & occursoribus illis numeris audire, & recordabilibus recognoscere, & progressoribus pronunciare, & his iudicialibus delectari, & nescio quibus aliis æstimare, & de ista delectatione quæ quasi sententia est iudicialium istorum, aliam secundum hos † latentiorem, sed certiorem ferre sententiam. An tibi vnum atque idem videtur delectari sensu, & æstimare ratione? D. Diuersa esse fateor. Sed primo ipso mouĕor vocabulo, cur non potius isti vocentur iudiciales quibus ineſt ratio, quàm isti quibus ineſt delectatio. Deinde vereor ne nihil sit aliud æstimatio ista rationis, quàm eorum de seipsis quædam diligētior iudicatio: vt non alij sint numeri in delectatione, alij in ratione, sed vni atque iidem, aliàs iudicent de iis quæ aguntur in corpore, cùm eos, vt suprà demonstratum est, offert memoria, aliàs de seipsis remotius à corpore atque syncerius. M. De vocabulis quidem nihil satagas, res in potestate est: placito enim non natura imponuntur. Quod autem eosdem esse arbitraris, nec duo genera numerorum hæc vis accipere, illud, ni fallor, te rapit, quod eadem anima vtrunque agit. Sed animaduertere te opus est, & in progressoribus eandem animam corpus mouere, vel ad corpus moueri, & in occursoribus hanc eandem passionibus eius ire obuiam, & in recordabilibus istam ipsam, donec quodammodo detumescant ipsis quasi fluctuare motionibus. Nos ergo in istis generibus numerandis & distinguendis vnius naturæ, id est, animæ motus affectionesque dispicimus. Quare si vt aliud est ad ea quæ corpus patitur moueri, quod fit in sentiendo: aliud mouere se ad corpus, quod fit in operando: aliud quod ex his motibus in anima factum est continere, quod est meminisse: ita est aliud annuere, vel renuere his motibus, aut cùm primitus exeruntur, aut cùm recordatione resuscitantur, quod fit in delectatione conuenientiæ, & offensione absurditatis talium motionum, siue affectionum: & aliud est æstimare vtrum rectè, an secus ista delectant, quod fit ratiocinando: necesse est fateamur ita hæc esse duo genera, vt illa sunt tria. Et si rectè nobis visum est, nisi quibusdam numeris esset ipse delectationis sensus imbutus, nullo modo eum potuisse annuere paribus interuallis, & perturbata respuere, rectè etiam videri potest ratio quæ huic delectationi superimponitur, nullo modo sine quibusdam numetis viuacioribus, de numeris quos infrà se habet posse iudicare. Quæ si vera sunt, apparet inuenta esse in anima quinque genera numerorum; quibus cùm addideris corporales illos quos sonantes vocauimus, sex genera numerorum disposita & ordinata cognosces. Iam nunc, si placet, illi qui nobis surrepserant ad principatum obtinendum, sensuales nominentur, & iudicialium nomen quoniam est honoratius, hi accipiant qui excellentiores comperti sunt: quanquam & sonantium nomen mutandum putem, quoniam si corporales vocentur, manifestius significabunt etiam illos qui sunt in saltatione, & in cætero motu visibili, si tamen ea quæ dicta sunt probas. D. Probo sanè: nam & vera & manifesta mihi videntur. Horum etiam emendationem vocabulorum libenter accipio.

al. latentiores,

M. Age nunc aspice in vim potentiamque rationis, quantum ex operibus eius aspicere possumus. Ipsa enim, vt id potissimum dicam quod ad huius operis susceptionē attinet, primo quid sit ipsa bona modulatio considerauit, & eam in quodam motu libero, & ad suæ pulchritudinis finem conuerso esse perspexit. Deinde vidit in motibus corporum aliud esse quod breuitate & productione temporis variaretur, in quātum magis esset minúsve diuturnum, aliud localium spatiorum percussione in quibusdam gradibus celeritatis & tarditatis. Qua diuisione facta, illud quod in temporis mora esset, modestis interuallis, & humano sensui accommodatis articulatim varios efficere numeros, eorumque genera & ordinem vsq; ad modulos versuum persecuta est. Postremò attendit quid in his moderandis, sentiendis, retinendis, delectandis ageret anima, cuius caput ipsa esset: hosq; omnes animales numeros à corporalibus separauit: seque ipsam hæc omnia neque animaduertere, neque distinguere, neq; rectè numerare, sine quibusdam suis numeris potuisse cognouit, eosq; cæteris inferioris ordinis iudiciaria quadam æstimatione pręposuit. Et nunc cū ipsa sua delectatione quæ in tēporum momenta perpēdit, & talibus numeris modificandis nutus suos exhibet, sic agit. Quid est quod in sensibili numerositate diligimus? Num aliquid præter parilitatē quandam & æqualiter dimensa interualla? An ille pyrrhichius pes, siue spondæus, siue anapæstus, siue dactylus, siue proceleumaticus, siue dispondæus nos aliter delectaret, nisi partem suam parti alteri æquali diuisione conferret? Quid verò iambus, trochæus, tribrachus pulchritudinis haberēt, nisi quod minore sua parte maiorem suam partē in tantas duas æqualiter diuidūt. Iam porrò sex temporum pedes, num aliunde blandius sonāt atque festiuius, nisi quod vtraq; lege partiūtur, scilicet aut in duas æquales partes terna tempora possidentes, aut in vnam simplam, † ex æqualibus partem, & alteram duplam, id est, vt maior habeat bis minorem, & eo modo ab illa diuidatur æqualiter, duobus temporibus quatuor tempora in bina dimetiente atque secante? Quid illi quinūm septenūmque temporū pedes, vnde solutæ orationi, quàm versibus videntur aptiores, nisi quòd eorum pars minor in partes æquales maiorem non diuidit? & hi tamen ipsi vnde admittūtur in sui generis ordine ad temporum numerositatem, nisi quia & in quinque temporibus tantas duas particulas habet pars minor, quantas maior tres, & in septem tantas tres minor, quantas maior quatuor? Ita in omnibus pedibus nulla pars minima est alicuius dimensionis articulo notata, cui nō cæteræ, quanta possunt, æqualitate consentiant. Age in coniunctis pedibus, siue libera perpetuitate porrigatur ista coniūctio, sicut in rhythmis: siue ab aliquo certo fine reuocetur, sicut in metris: siue etiam in duo membra quadā lege sibimet congruentia tribuatur, sicut in versibus, qua tandem alia re, nisi æqualitate pes pedi amicus est? Vnde molossi, & ionicorū syllaba media quæ lōga est, nō sectione, sed motu ipso pronūciantis atq; plaudentis, in duo pāria momenta distribui potest, vt etiam in terna tēpora pes totus conueniat, quando cæteris qui eodem modo diuiduntur, adiungitur? Cur? nisi æqualitatis iure dominante, quod scilicet æqualibus lateribus sūis, quæ binorū temporum sunt, & ipsa sit duūm temporum? Cur idem fieri in amphibracho nō potest, quādo cæteris quatuor tēporum adiungitur, nisi quia tantā ibi non inuenitur æqualitas duplo medio, lateribus simplis? Cur in silentiorum interuallis nulla fraude sensus offenditur: nisi quia eidem iuri æqualitatis, etiam si non sono, spatio tamen temporis quod debetur, exoluitur? Cur sequente silentio etiam breuis syllaba pro longa accipitur, non instituto, sed ipso natu-

CAP. Ratio omnis concinnitatis inuentrix.

al. ex qualibet,

rali examine, quod auribus præsidet: nisi quia in spatio temporis longiorem sonum coarctare in angustias eadem illa æqualitatis lege prohibemur? Itaq; syllabam vltra duo tempora producere, vt iam sono impleatur quod silentio impleri potest, admittit natura audiendi & tacendi. Vt autem minus quàm duo tempora occupet syllaba, dum restat spatium †taciturnitatis, quędam fraus æqualitatis est, quia minus quàm in duobus esse æqualitas non potest. Iam verò in ipsa æqualitate membrorum qua variantur illi ambitus, quos Græci περιόδους vocant, versusque figurātur, quomodo ad eandem æqualitatem secretius reditur, nisi vt in ambitu breuius mẽbrum maiori æqualibus pedibus ad plausum conueniat, & in versu occultiore consideratione numerorum, ea quę in æqua membra iunguntur, vim æqualitatis habere inueniantur? Quærit ergo ratio, & carnalem animæ delectationem, quę iudiciales partes sibi vendicabat, interrogat, cùm eam spatiorum temporalium numeris æqualitas mulceat, vtrum duæ syllabæ breues quascunque audierit verè sint ęquales: an fieri possit, vt vna earum edatur productius, non vsq; ad longæ syllabæ modum, sed infra quātumlibet, quo tamen excedat sociam suam? Num negari potest, fieri posse, cum hoc delectatio ista non sentiat, & inæqualib. velut æqualibus gaudeat, quo errore & inæqualitate quid turpius? Ex quo admonemur ab his auertere gaudium, quæ imitantur æqualitatem, & vtrum impleant, comprehendere non possumus, imò quod non impleant fortasse comprehẽdimus: & tamen inquantum imitantur, pulchra esse in suo genere & ordine suo, negare non possumus.

al. tacitis nutibus,

CAP. XI. *Summa numerorũ æqualitas, & ex creatis æqualitatibus inquiritur.*

NON ergo inuideamus inferioribus quam nos sumus, nosque ipsos inter illa quæ infra nos sunt, & illa quæ supra nos sunt, ita Deo & Domino nostro opitulante ordinemus, vt inferioribus non offendamur, solis autem superioribus delectemur. Delectatio quippe quasi pondus est animæ. Delectatio ergo ordinat animam. Vbi enim erit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum: vbi delectatio, ibi thesaurus: vbi autem cor, ibi beatitudo aut miseria. Quæ verò superiora sunt, nisi illa in quibus summa, inconcussa, incommutabilis & æterna manet æqualitas? Vbi nullum est tempus, quia nulla mutabilitas est, & vnde tempora fabricantur & ordinantur & modificantur æternitatem imitantia, dum cæli conuersio ad †idem redit, & cælestia corpora ad †idem reuocat, diebusque & mensibus & annis & lustris, cæterisq; siderum ordinibus, legibusq; æqualitatis & vnitatis & ordinationis obtemperat. Ita cælestibus terrena subiecta, orbes temporum suorum numerosa successione quasi carmini vniuersitatis consociant. In quibus multa nobis vidẽtur inordinata & perturbata, quia eorum ordini pro nostris † meritis assueti sumus, nescientes quid de nobis diuina prouidentia pulchrum gerat. Quoniam si quis verbi gratia in amplissimarum pulcherrimarumque ædium vno aliquo angulo tãquam statua collocetur, pulchritudinem illius fabricæ sentire non poterit, cuius & ipse pars erit. Nec vniuersi exercitus ordinẽ miles in acie valet intueri. Et in quolibet poemate si quanto spatio syllabæ sonant, tãtum viuerent atque sentirent, nullo modo illa numerositas & contexti operis pulchritudo eis placeret, quam totam perspicere atque approbare non possunt, cùm de ipsis singulis prætereuntibus fabricata esset atque perfecta. Ita peccãtem hominem ordinauit Deus turpem, non turpiter. Turpis enim factus est voluntate vniuersum amittendo, quod Dei præceptis obtẽperans possidebat, & ordinatus in parte est, vt qui legem agere noluit, à lege agatur. Quicquid autem legitimè, vtique iustè: & quicquid iustè, non vtique turpiter agitur: quia etiam in malis operibus nostris Dei opera bona sunt. Homo namque inquantum homo est, aliquod bonum est: adulterium autem in quantũ adulterium est, malum opus est. Plerunq; autẽ de adulterio nascitur homo, de malo scilicet hominis opere bonum opus Dei. Quamobrem vt nos ad propositum, propter quod hæc sunt dicta, referamus, hi numeri rationis pulchritudine præminẽt, à quibus si prorsus abscinderemur, cùm inclinamur ad corpus, progressores numeros sensuales non modificarent: qui rursus mouendis corporibus agunt sensibiles temporũ pulchritudines: atque ita sonantibus obuij, etiam occursores numeri fabricantur, quos omnes impetus suos eadem anima excipiens, quasi multiplicat in seipsa, & recordabiles facit, quæ vis eius memoria dicitur, magnum quoddam adiutorium in huius vitæ negocioſissimis actibus. Hæc igitur memoria quæcunque de motibus animi tenet, qui aduersus passiones corporis acti sunt, φαντασίαι Græcè vocantur. Nec inuenio quid eas Latinè malim vocare, quas pro cognitis habere atque pro certis opinatis visa est, constituta in ipso erroris introitu. Sed cùm sibi isti motus occurſant, & tanquam diuersis & repugnantibus intentionis flatibus æstuant, alios ex aliis motus pariunt: non iam eos qui tenentur ex occursionibus passionum corporis impressi sensibus, similes tamen tanquam imaginum imagines, quę phantasmata dici placuit. Aliter enim cogito patrem meum quem sæpe vidi, aliter auum quem nunquam vidi. Horum primũ phantasia est, alterum phantasma. Illud in memoria inuenio, hoc in eo motu animi, qui ex iis ortus est quos habet memoria. Quomodo autem oriantur hæc, & inuenire & explicare difficile est. Arbitror tamen, quod si nunquam humana corpora vidissem, nullo modo ea possem visibili specie cogitando figurare. Quod autem ex eo quod vidi facio, memoria facio, & tamen aliud est in memoria inuenire phantasiam, aliud de memoria facere phantasma: quæ omnia vis animæ potest. Sed vera etiam phantasmata habere pro cognitis, summus error est. Quãquam sit in vroque genere quod nos non absurdè scire dicamus, id est, sensisse nos talia, vel imaginari nos talia. Patrem denique me habuisse & auum, non temerè possum dicere. Ipsos autem esse quos animus meus in phantasia vel in phantasmate tenet, demẽtissimè dixerim. Sequuntur autem nonnulli phantasmata sua tam præcipites, vt nulla sit alia materies omniũ falsarum opinionum, quàm habere phantasias vel phantasmata pro cognitis, quæ cognoscuntur per sensum. Quare his potissimum resistamus, nec eis ita mentem accommodemus, vt dum in his est cogitatio, intelligentia ea cerni arbitremur. Cur autem si huiusmodi numeri qui fiunt in anima rebus temporalibus dedita, habẽt sui generis pulchritudinem, quãuis eam transeundo actitent, inuideat huic pulchritudini diuina prouidentia, quæ de nostra pœnali mortalitate formatur, quum iustissima Dei lege meruimus: in qua tamen nos non ita deseruit, vt non valeamus recurrere, & à carnalium sensuum delectatione misericordia eius manum porrigente reuocari. Talis enim delectatio vehementer infigit memoriæ quod trahit à lubricis sensibus. Hæc autem animæ consuetudo facta † in carne propter carnalem affectionem, in Scripturis diuinis caro nominatur. Hæc menti obluctatur, cùm iam dici potest apostolicum illud: Mẽte seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Sed in spiritalia mente suspensa atque ibi fixa & manente, etiam huius consuetudinis impetus frangitur, & paulatim repressus extinguitur. Maior enim erat cùm sequeremur, non tamen omnino nullus, sed certè minor est cùm eum refrenamus, atque ita certis regressibus ab omni lasciuiente motu, in quo defectus essentiæ est animæ, delectatione in rationis numeros restituta, ad Deum tota vita nostra conuertitur, dans

Differentia phantasiæ & phantasmatis.

al. cum carne

Rom. 7. d. 25.

corpori

al. diem
al. diem

al. mẽtibus

corpori numeros ſanitatis,non accipiés inde lętitiam, quod corrupto exteriore homine, & eius in melius commutatione continget. CAP. XII. *De numeris ſpiritalibus & æternis.* EXCIPIT autē memoria nō ſolum carnales motus animi, de quibus numeris ſuprà iam diximus, ſed etiam ſpiritales, de quibus breuiter dicam. Quo enim ſimpliciores ſunt, eo verborum minus, ſed plurimum ſerenæ mentis deſiderant. Æqualitatem illam quam in ſenſibilibus numeris non reperiebamus certam & manētem, ſed tamen adumbratam & prætereuntem agnoſcebamus, nuſquam profectò appeteret animus niſi alicubi nota eſſet. Hæc autē alicubi nō in ſpaciis locorum & temporum,nam illa tument, & iſta prætereunt. Vbi ergo cenſes,reſponde quæſo, ſi potes. Non enim in corporum formis putas,quas liquido examine ęquales nunquam dicere audebis: aut in temporum interuallis,in quibus ſimiliter vtrum aliquid aliquāto quàm oportet productius vel correptius tranſeat,quod ſenſum fugiat ignoramus. Illam quippe æqualitatem quæro vbi eſſe arbitreris, quā intuentes cupimus æqualia eſſe quædam corpora vel corporum motus, & diligentius conſiderantes eis fidere non audemus. D. Ibi puto quod eſt corporibus excellentius, ſed vtrum in ipſa anima,an etiam ſupra animam neſcio. M. Si ergo quæramus artem iſtam rhythmicam vel metricam, qua vtūtur qui verſus faciunt, putáſne habere aliquos numeros, ſecundum quos fabricant verſus? D. Nihil aliud poſſum exiſtimare. M. Quicunque iſti ſunt numeri,prætерire tibi videntur cum verſibus, an manere?D. Manere ſanè. M. Conſentiendum eſt ergo,ab aliquibus manentibus numeris prætereuntes aliquos fabricari? D. Cogit me ſuperior ratio cōſentire. M. Quid hanc artem num aliud putas quàm affectionē quandam eſſe animi artificis? D. Ita credo. M. Crediſne hāc affectionem etiam eſſe in eo qui huius artis imperitus eſt? D. Nullo modo. M. Quid in illo qui eſt oblitus eā? D. Nec in illo quidem,quia & ipſe imperitus eſt,etiam ſi fuit peritus aliquādo. M. Quid ſi eum quiſquam interrogando commemoret,remigrare ad eum putas illos numeros ab eo ipſo qui interrogat,an illū intrinſecus apud mentem ſuam mouere ſe ad aliquid,vnde ſibi quod amiſerat redhibeatur? D. Apud ſemetipſum puto id agere. M. Num etiam quæ corripiatur ſyllaba, quæue producatur ſi penitus excidit, cōmoneri eum interrogando arbitraris, cùm hominum priſco placito & conſuetudine,aliis minor,aliis maior mora ſyllabis data ſit? Nam profectò ſi natura vel diſciplina id fixum eſſet ac ſtabile, non recentioris temporis docti homines nonnullas produxiſſent quas corripuerunt antiqui vel corripuiſſent, quas produxerunt. D. Puto & hoc poſſe, quoniam quantumuis quidque excidat, poteſt interrogatione commemorante redire in memoriam. M. Mirum ſi opinaris, quouis interrogante poſſe te recordari quid ante annum cœnaueris. D. Fateor me non poſſe, nec illum iam exiſtimo de ſyllabis poſſe, quarum ſpacia penitus oblitus eſt, interrogando admoneri. M. Cur ita, niſi quia in hoc nomine quod Italia dicitur, prima ſyllaba pro voluntate quorundam hominum corripiebatur, & nūc pro aliorum voluntate producitur:vt autem vnum & duo non ſint tria, & vt duo vni non duplo reſpōdeant, nullus mortuorum potuit, nullus viuorum poteſt, nullus poſterorum poterit facere. D. Nihil manifeſtius. M. Quid ſi ergo iſto modo quo de vno & de duobus apertiſſimè quæſiuimus,cætera omnia, quæ ad illos numeros pertinent & ille interrogetur, qui non obliuiſcendo, ſed quia nunquam didicit,imperitus eſt,nónne eum cenſes ſimiliter hāc artem exceptis ſyllabis poſſe cognoſcere? D. Quis dubitauerit? M. Quò igitur ſe etiā iſtum moturū putas,vt menti eius imprimantur hi numeri, & illam faciant affectionem quæ ars dicitur? An huic ſaltem ille interrogator eos dabit? D. Eo modo etiam iſtū irbitror apud ſemetipſum agere, vt ea quæ interrogantur,vera eſſe intelligat atque reſpondeat. M. Age nunc dic mihi, vtrum hi numeri de quibus ſic quæritur,commutabiles eſſe tibi videātur? D. Nullo modo. M. Ergo æternos eſſe nō negas? D. Imò fateor. M. Quid metus ille non ſuberit, ne aliqua in eis nos æqualitas fallat? D. Nihil me omnino eſt de iſtorum æqualitate ſecurius. M. Vnde ergo credendum eſt animæ tribui quod æternum eſt & incommutabile, niſi ab vno æterno & incōmutabili Deo? D. Non video quid aliud credi oporteat. M. Quid tandem illud? Nónne manifeſtum eſt eū qui alio interrogāte ſeſe intus ad Deum mouet,vt verum incommutabile intelligat: niſi eundem motum ſuum in memoria teneat non poſſe ad intuendum illud verum,nullo extrinſecus admonente reuocari? D. Manifeſtum eſt. M. QVÆRO ergo quónam iſte ab huiuſcemodi rerum contemplatione diſcedat, vt illum ad eam neceſſe ſit memoria reuocari. An fortè in aliud intentus animus tali reditu indigere putādus eſt? D. Sic exiſtimo. M. Videamus, ſi placet, quid tantum illud ſit quo poſſit intendi, vt ab incommutabilis & ſummæ æqualitatis cōtemplatione auertatur. Nam tribus generibus amplius nihil video. Aut enim ad aliquid par atq; ad eiuſmodi aliud ſe intendit animus, cū hinc auertitur,aut ad ſuperius, aut ad inferius? D. De cæteris duobus quærendum eſt: Nam quid ſit ſuperius æterna æqualitate, non video. M. Videſne illud obſecro, quidnam ei par eſſe poſſit, quod tamē aliud ſit? D. Ne id quidem video. M. Reſtat ergo vt quæramus, quid ſit inferius. Sed nónne tibi prius ipſa anima occurrit, quæ certè æqualitatē aliam incōmutabilem eſſe confitetur, ſe autem cognoſcit mutari eo ipſo quod aliàs hanc,aliàs aliud intuetur,& hoc modo aliud atq; aliud ſequens varietatem temporis operatur,quæ in æternis & incōmutabilib. nulla eſt? D. Aſſentior. M. Hæc igitur affectio animæ vel motus,quo intelligit æterna, & his inferiora eſſe tēporalia,etiā in ſeipſa, & hæc appetenda plus quæ ſuperiora ſunt,quā illa quæ inferiora ſunt nouit:nónne tibi prudentia videtur? D. Nihil aliud videtur. M. Quid illud, non minus conſiderandū putas quod nōdum in ea ſimul eſt æternis inhærere,cū iam in ea ſit noſſe his eſſe inhærendū? D. Imò maximè vt id conſideremus petō, & vnde accidat ſcire cupio. M. Facilè id videbis, ſi animaduerteris quib. rebus maximè animū ſoleamus intendere,& magnā curā exhibere: nam eas opinor eſſe quas multum amamus: an tu alias opinaris? D. Nullas equidē alias. M. Dic,oro te: num poſſumus amare niſi pulchra? Nam etſi quidam videntur amare deformia, quos vulgo Græci αἰσχρολους vocant, intereſt tamen quanto minus pulchra ſint quàm illam quæ pluribus placent. Nā ea neminē amare manifeſtū eſt, quorum fœditate ſenſus offenditur. D. Ita eſt, vt dicis. M. Hæc igitur pulchra numero placent,in quo iam oſtēdimus æqualitatē appeti. Non enim hoc tantū in ea pulchritudine quæ ad aures pertinet, atq; in motu corporum eſt,inuenitur, ſed in ipſis etiā viſibilib⁹ formis,in quibus iam vſitatius dicitur pulchritudo. An aliud quàm ęqualitatē numeroſām eſſe arbitraris,cū paria paribus bina membra reſpondent: quæ autē ſingula ſunt,mediū locum tenent, vt ad ea de vtraque parte paria interualla ſeruentur? D. Non aliter puto. M. Quid in ipſa luce viſibili quæ omnium colorum habet principatum? Nam & color nos delectat in corporum formis. Quid ergo aliud in luce & coloribus,niſi quod noſtris oculis congruit appetimus? Etenim à nimio fulgore auerſamur, & nimis obſcura nolumus cernere, ſicut à nimium inſonis & ſonantibus abhortemus, & quaſi ſuſurrantia non amamus. Quod non in temporum interuallis eſt,ſed in ipſo ſono,qui quaſi lux eſt talium

CAPVT XIII. *Anima repugnans ſenſibus.*

numē-

numerorum. Cui ſic eſt contrarium ſilentium, vt coloribus tenebræ. In his ergo cùm appetimus conuenientia pro naturæ noſtræ modo, & inconuenientia reſpuimus, quæ aliis tamen animalibus conuenire ſentimus, nónne his etiam quodam æqualitatis iure lætamur, cùm occultioribus modis paria paribus tributa eſſe cognoſcimus? Hoc in odoribus & in ſaporibus, & in tangendi ſenſu animaduertere licet, quæ longum eſt enucleatius perſequi, ſed explorare facillimum: nihil enim eſt horum ſenſibilium, quod nobis non æqualitate aut ſimilitudine placeat. Vbi autem æqualitas aut ſimilitudo, ibi numeroſitas: nihil eſt quippe tam æquale aut ſimile quàm vnum & vnum. Niſi aliquid habes ad hæc. D. Omnino aſſentior. M. Quid ſuperior illa tractatio, nónne perſuaſit nobis agere hoc animam in corporibus non à corporibus pati? D. Perſuaſit ſanè. M. Amor igitur agendi aduerſus ſuccedentes paſſiones corporis ſui, auertit animam à contemplatione æternorum, ſenſibilis voluptatis cura eius auocans intentionem: hoc autem agit occurſoribus numeris. Auertit etiam amor de corporibus operandi, & inquietum facit: hoc autem agit progreſſoribus numeris. Auertunt phantaſiæ atque phantaſmata: & hoc agit recordabilibus numeris. Auertit denique amor vaniſſimæ cogitationis talium rerum: & hoc agit ſenſualibus numeris, quibus inſunt quaſi regulæ quædam artis imitatione gaudẽtes: & ex his curioſitas naſcitur ipſo curæ nomine inimica ſecuritati, & vanitas oppoſita veritati. Generalis verò amor actionis, quæ auertit à vero, à ſuperbia proficiſcitur, quo vitio Deũ imitari, quàm Deo ſeruire anima maluit. Rectè itaque ſcriptum eſt in ſanctis libris: Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, & initium omnis peccati ſuperbia. Non potuit autem melius demonſtrari quid ſit ſuperbia, quàm in eo quod dictum eſt: Quid ſuperbit terra & cinis, quoniam in vita ſua proiecit intima ſua? Cùm enim anima per ſeipſam nihil ſit, non enim aliter eſſet commutabilis, & pateretur defectum ab eſſentia: Cùm ergo ipſa per ſe nihil ſit, quicquid autem illi eſſe eſt, à Deo ſit, in ordine ſuo manens ipſius Dei præſentia vegetatur in mente atque conſcientia. Itaque hoc bonum habet intimum. Quare ſuperbia intumeſcere, hoc illi eſt in extima progredi, & vt ita dicam, inaneſcere, quod eſt minus minusque eſſe. Progredi autem in extima, quid eſt aliud quàm intima proijcere, id eſt, longè à ſe facere Deum, non locorum ſpacio, ſed mentis affectu? Iſte autem animæ appetitus eſt ſub ſe habere alias animas, nõ pecorum, quod diuino iure conceſſum eſt, ſed rationales, id eſt, proximas ſuas, & ſub eadem lege ſocias atque conſortes. De his autem appetit operari anima ſuperba, & tanto excellẽtior videtur hæc actio, quàm illa de corporibus, quanto anima omnis omni corpore eſt melior. Sed operari de animis rationalibus, non per corpus, ſed per ſeipſum, ſolus Deus poteſt. Peccatorum autem conditione fit, vt permittantur animæ de animis aliquid agere, ſignificando eas mouentes per alterutra corpora, vel naturalibus ſignis, ſicut eſt vultus vel nutus, vel placitis, ſicut ſunt verba. Nam & iubentes vel ſuadentes ſignis agunt, & ſi quid eſt aliud præter iuſſionem & ſuaſionem, quo animæ de animis vel cum animis aliquid agunt. Iure autem ſecutum eſt, vt quæ ſuperbia cæteris excellere cupierunt, nec ſuis partibus atque corporibus ſine difficultate & doloribus imperent, partim ſtultæ in ſe, partim mortalibus membris aggrauatæ. Et his igitur numeris & motibus quibus animæ ad animas agunt, honores laudesq; appetendo auertuntur à perſpectione puræ illius & ſynceræ veritatis. Solus enim honorat Deus animã beatam faciens in occulto coram ſe iuſtè & piè viuẽtem. Motus igitur quos exerit anima de inhærẽtibus ſibi, & ſubditis animis, progreſſoribus illis ſunt ſimiles. Agit enim tanquam de corpore ſuo. Illi autem motus quos exerit, aggregare ſibi aliquas vel ſubdere cupiẽs, in occurſorum numero deputantur. Agit enim tanquam in ſenſibus id moliẽs, vt vnum ſecum fiat, quod velut extrinſecus admouetur, & quod non poteſt repellatur. Et hos vtroſque motus excipit memoria, & recordabiles facit: ſimili modo in phantaſiis & phantaſmatibus actionum taliũ tumultuoſiſſimè exæſtuãs: nec illi tanquam examinatores numeri deſunt, qui ſentiunt quid in his actibus commodè ſiue incommodè moueatur, quos item ſenſuales appellare nõ pigeat, quia ſenſibilia ſigna ſunt quibus hoc modo animæ ad animas agunt. His tot & tantis intentionibus anima implicata, quid mirum, ſi à contemplatione veritatis auertitur: & quantum quidem ab his reſpirat videt illam. Sed quia nondum eas euicit, in illa manere non ſinitur: ex quo fit vt non ſimul habeat anima noſſe in quibus conſiſtendum ſit, & poſſe conſiſtere. Sed nunquid tu fortè aliquid habes aduerſus hęc? D. Nihil eſt quod cõtradicere audeá? M. Quid ergo reſtat? An vt quoniam ſicut potuimus inquinationem & aggrauationem animæ conſideraui mus, videamus quænam illi actio diuinitùs imperetur, qua purgata atque exonerata reuolet ad quietem, & intret in gaudium Domini ſui? D. Ita fiat. M. Quid me putas hinc diutius debere dicere, cùm diuinę Scripturæ tot voluminibus & tanta autoritate & ſanctitate præditis, nihil nobiſcum aliud agant, niſi vt diligamus Deum & Dominum noſtrum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente: & diligamus proximum noſtrum tanquam noſmetipſos? Ad hunc igitur finem ſi omnes illos humanæ actionis motus, numeroſque referamus, ſine dubitatione mundabimur. An aliud exiſtimas? D. Nihil equidem aliud. Sed quam hoc auditu breue eſt, tam factu difficile atque arduum. M. Quid ergo facile eſt, an amare colores, & voces, & placentas, & roſas, & corpora leniter mollia? Hæccine amare facile eſt animæ, in quibus nihil niſi æqualitatem ac ſimilitudinem appetit, & paulò diligentius conſideranſ, vix eius extremam vmbram veſtigiumque cognoſcit. Deum verò amare difficile eſt, quem in quãtum poteſt, adhuc ſaucia & ſordida cogitans, nihil in eo inæquale, nihil ſui diſſimile, nihil diſcluſum locis, nihil variatum tempore ſuſpicatur? An extruere moles ędificiorum, & huiuſcemodi operibus delectat extendi, in quibus quid niſi numeri placent? Non enim aliud inuenio quod in his æquale ac ſimile dicatur, quod non derideat ratio diſciplinæ. Quod ſi ita eſt, cur ab illa veriſſima æqualitatis arce ad iſta delabitur, & ruinis ſuis terrenas machinas erigit? Non enim hoc promiſſum eſt ab illo qui fallere ignorat. Iugum enim meum, inquit, leue eſt. Laborioſior eſt huius mundi amor. Quod enim in illo anima quærit, conſtantiam ſcilicet æternitatemque non inuenit: quoniam rerum tranſitu cõpletur infima pulchritudo, & quòd in illa imitatur conſtantiã, à ſummo Deo per animam traijcitur: quoniã prior eſt ſpecies tantũmodo tempore cõmutabilis, quàm ea quæ & tẽpore & locis. Sicut itaq; præceptum eſt animis à Domino quid diligant, ita per Ioannem apoſtolum quid non diligant. Nolite, inquit, diligere mundum: quia omnia quæ in mundo ſunt, concupiſcentia carnis eſt, & cõcupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi. Sed qualis tibi homo videtur, qui omnes illos numeros qui ſunt de corpore, & aduerſus paſſiones corporis, & qui ex his memoria continentur, non ad carnalem voluptatem, ſed ad ſalutem tantum corporis refert, omnesque illos qui de adiunctis animis operantur, vel qui ad adiungendas exeruntur, vel qui ex his inhærent memoriæ, non ad ſuperbam excellentiam ſuam, ſed ad ipſarum animarum

CAPVT XIIII. *Ad Dei amorem omnia referenda.*

Eccl. 10. b.

Matth. 22. d. 37.

Matth. 11. d. 30.

1. Retract. cap. 11.

Ioan. 2. c. 15.

marum vtilitatem redigit? Illis etiam qui in vtroque genere quasi moderatores exploratoresq; cæterorum transeuntium in sensu præsident, non ad superfluã vel pernicioſam curioſitatem, sed ad neceſſariam probationem vel improbationem vtitur. Nónne & istos omnes numeros agit, & nullis eorum laqueis implicatur? Quandoquidem & salutem corporis, vt nõ impediatur eligit, & omnes eas actiones ad vtilitatem proximi reuocat, quem propter communis iuris naturæ vinculum tanquam seipsum diligere iussus est. D. Magnum quendam virum & verè humanissimum prędicas. M. Non igitur numeri qui sunt infra rationem & in suo genere pulchri sunt, sed amor inferioris pulchritudinis animam polluit: quæ cùm in illa non modò æqualitatẽ, de qua pro suscepto opere satis dictum est, sed etiam ordinẽ diligat, amisit ipsa ordinẽ suum: nec tamen excessit ordinem rerum, quandoquidẽ ibi est, & ita est, vbi esse, & quomodo esse tales, ordinatissimum est. Aliud enim est tenere ordinem, aliud ordine teneri. Tenet ordinem, seipsa tota diligens quod supra se est, id est Deum: socias autem animas tanquam seipsam. Hac quippe dilectionis virtute inferiora †ordinat, nec ab inferioribus † ordinatur. Quod autem illam sordidat, nõ est malum, quia etiam corpus creatura Dei est, & specie sua quamuis infima decoratur, sed præ animæ dignitate contemnitur: sicuti auri dignitas, etiam purgatissimi argenti commixtione sordescit. Quapropter quicunque de nostra quoq; †parili mortalitate numeri facti sunt, non eos † abdicemus à fabricatione diuinæ prouidentiæ, cùm sint in genere suo pulchri. Neque amemus eos, vt quasi perfruendo talibus beati efficiamur. His etenim, quoniam temporales sunt, tanquam tabula in fluctibus, neque abijciendo quasi onerosos, neq; amplectendo quasi fundatos, sed bene vtẽdo carebimus. A dilectione autem proximi tanta quanta præcipitur, certissimus gradus fit nobis, vt inhæreamus Deo, & non teneamur tantum ordinatione illius, sed nostrum etiam ordinẽ inconcussum certumque teneamus. An fortasse ordinẽ non diligit anima illis etiam numeris sensualibus attestantibus? Vnde ergo primus pes est pyrrhichius, secundus iambus, tertius trochæus, & deinceps cæteri? Sed iure hoc dixeris rationem potius secutam esse, nõ sensum. Quid itaque illud? Nónne sensualibus numeris dandum est, quod cùm tantum temporis occupent, verbi gratia, octo longæ syllabæ, quantum sedecim breues, in eodem tamen spacio breues longis potius misceri expectant? De quo sensu cùm ratio iudicat, & ei proceleumatici pedes esse æquales spondæi pedibus renunciantur, nihil aliud hic valere inuenit, quàm ordinationis potentiam, quia nec longæ syllabę nisi breuium cõparatione longæ sunt, nec breues rursum breues sunt, nisi comparatione longarum: ideoq; iambicus versus quamlibet productius pronunciatus, non amissa regula simpli & dupli, nec nomen amittit: at ille versus qui pyrrhichiis pedibus constat, paulatim addita pronunciandi mora, fit repentè spondaicus, si non grammaticam, sed musicam cõsulas. At verò si dactylicus aut anapæsticus sit, quoniam longæ mixtarum breuium comparatione sentiuntur, qualibet mora pronuncietur, seruat nomẽ suum. Quid additamẽta semipedum? Non eadem lege in capite qua in fine seruanda, nec omnia quamuis ad eũdem plausum coaptentur, adhibenda. Quid duarum aliquando breuiũ, potius quàm vnius lõge in fine positio, nónne ipso sensu modificantur? Nec in his æqualitatis numerus, cui nihil deperit, siue illud siue aliud sit, sed ordinis vinculum reperitur. Longum est percurrere cætera ad eandem vim pertinentia in numeris temporũ. Sed nempe etiam formas visibiles sensus ipse aspernatur, aut pronas contra quam decet, aut capite deorsum, & similia, in quibus nõ inæqualitas, manẽte partium parilitate, sed peruersitas improbatur. Postremò in omnibus sẽnsibus & operibus nostris, cum insolita pleraque, & ob hoc iniucunda quibusdam gradibus appetitui nostro cõciliamus, & ea primò tolerabiliter, deinde libenter accipimus, nónne ordine cõteximus voluptatem, & nisi priora mediis, & media postremis concorditer nexa sint, abhorremus? Quamobrẽ neq; in voluptate carnali, neque in honoribus & laudibus hominum, neque in eorum exploratione quę forinsecus corpus attingunt, nostra gaudia collocemus, habentes intimum Deum, vbi certum est & incommutabile omne quod amamus. Ita fit, vt & cùm adsunt hæc temporalia, non tamen eis implicemur, & sine sensu doloris quæ extra corpus sunt, absint. Ipsum autem corpus, aut nullo, aut nõ graui sensu doloris adimatur, & reformandum naturæ suæ morte reddatur. Attentio namq; animæ ad † corporis partem inquieta negocia contrahit, & vniuersali lege neglecta priuati cuiusdam operis amor, quod ipsum tamen ab vniuersitate quam Deus regit non potest alienari. Itaq; subditur legibus qui non amat leges.

al. ornat, al. sordidatur.

al. penali

al. abiudicemus

al. temporis

CAP. XV. *Mens quomodo triumphat de numeris temporalibus.*

SED si de rebus incorporeis & eodẽ modo se semper habentibus, plurimum attentissimè cogitantes, si quos fortè illo tempore agimus numeros temporales in quolibet corporis motu, facili sanè atq; vsitatissimo, siue deambulantes, siue psallẽtes prorsus nobis ignorantibus trãseunt, quamuis nobis non agentibus nulli essent: si denique in ipsis nostris inanibus phantasmatibus cùm occupati sumus, similiter ista prætereunt agentibus nec sentientibus nobis. quanto magis, quantoque constantius, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, id est, vt hoc quidem planius eloquar, cùm Deus viuificauerit mortalia corpora nostra, sicut Apostolus dicit, propter spiritum manentem in nobis: quanto ergo tunc magis in vnum Deum & perspicuam intenti veritatem, vt dictum est, facie ad faciem: numeros quibus agimus corpora nulla inquietudine sentiemus, & gaudebimus: nisi fortè credendum est, animam cùm de iis quæ propter ipsam bona sunt, gaudere possit, de iis ex quibus ipsa bona est, non posse gaudere. Sed hæc actio qua sese anima, opitulãte Deo & Domino suo, ab amore inferioris pulchritudinis extrahit, debellãs, atque interficiens aduersus se militantem consuetudinem suam, ea victoria triumphatura in semetipsa de potestatibus aëris huius, quibus inuidẽtibus & prępedire cupientibus, euolat ad suam stabilitatem & firmamentum Deum, nónne tibi videtur ea esse virtus quæ temperantia dicitur? D. Agnosco & intelligo. M. Quid porrò, cùm in hoc itinere proficit, iam æterna gaudia præsentientem ac penè prehẽdentem, num amissio rerum temporaliũ, aut mors vlla deterret iam valentem dicere infirmioribus sociis: Bonum est mihi dissolui, & esse cum Christo: manere autẽ in carne, necessarium propter vos? D. Sic existimo. M. At ista eius affectio qua nullas aduersitates mortémve formidat, quid aliud quàm fortitudo dicenda est? D. Et hoc agnosco. M. Iam verò ipsa eius ordinatio qua nulli seruit nisi vni Deo, nulli coæquari nisi purissimis animis, nulli dominari appetit nisi naturæ bestiali atque corporeæ, quæ tandem virtus tibi esse videtur? D. Quis non intelligat hanc esse iustitiam? M. Rectè intelligis.

1. Cor. 15. g. 54.

Rom. 8. c. 11.

Phil. 1. d. 23.

CAP. XVI. *De quatuor virtutibus, an & quomodo sint in beatis.*

SED illud iam quæro, cùm prudentiam superius eam esse constiterit inter nos, qua intelligit anima, vbi ei consistendum sit, quo sese attollit per temperantiam, id est, conuersionem amoris in Deum, quæ charitas dicitur, & auersionem ab hoc seculo, quam etiam fortitudo & iustitia comitantur: vtrum existimes cùm ad suæ dilectionis & conatus fructum perfecta sanctificatione peruenerit, perfecta etiam viuifi-

viuificatione illa corporis sui, & deletis de memoria phantasmatum turbis apud Deum ipsum solo Deo viuere cœperit, cùm impletum fuerit, quod diuinitus
1. Ioan. 3. a. 2 nobis hoc modo promittitur. Dilectissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus cùm apparuerit, similes illi erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Quæro ergo, vtrum existimes has ibi virtutes quas commemorauimus, etiam tunc futuras? D. Non video quomodo, cùm aduersa præterierint, quibus obluctantur, aut prudentia ibi esse possit, quæ non eligit quid sequatur nisi in aduersis: aut temperantia, quæ amorem non auertit nisi ab aduersis, aut fortitudo, quæ non tolerat nisi aduersa: aut iustitia, quæ non appetit æquari beatissimis animis, & inferiori naturæ dominari, nisi in aduersis, id est, nõdum assecuta idipsum quod appetit. M. Non vsquequaque absurda est responsio tua, & quibusdam doctis visum hoc esse, non nego. Sed ego cõsulens libros, quos nul-
Psal. 33. b. 9. la antecellit autoritas, ita inuenio dictum esse; Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Quod a-
1. Pet. 2. a. 3. postolus etiam Petrus sic interposuit: Si tamen gustastis, quoniam suauis est Dominus. Hoc esse arbitror quod agitur in his virtutibus quæ ipsa conuersione animam purgant. Non enim amor temporalium rerum expugnaretur, nisi aliqua suauitate æternarum. Vbi autem ventum fuerit ad illud quod canitur: Filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt: &, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ: nõ iam gustatu suauem fore Dominum dicit. Sed vides quæ inundatio & affluentia prædicetur fontis æterni: quam etiam ebrietas quædam consequitur: quo nomine mihi videtur mirabiliter significari obliuio illa secularium vanitatum atque phantasmatum. Contexit deinde cætera, & dicit: In lumine tuo videbimus lumen. Prætende misericordiam tuam scientibus te. In lumine scilicet Christo accipiendum, qui sapientia Dei est, & lumen toties appellatur. Vbi ergo dicitur, Videbimus: &, scientibus te: negari non potest futuram ibi esse prudentiam. An videri verum bonum animæ & sciri potest, vbi nulla prudentia est? D. Iam intelligo. M. Quid? recti corde possunt esse sine iustitia? D. Recognosco isto nomine crebrius significari iustitiam. M. Quid ergo admonet aliud Propheta idem consequenter, cùm canit: Et iustitiam tuam iis qui recto sunt corde? D. Manifestum est. M. Age deinceps, recordare, si placet, satis nos superius tractasse superbia labi animã ad actiones quasdam potestatis suæ, & vniuersali lege neglecta in agẽda quædam priuata cecidisse, quod dicitur apostatare à Deo. D. Memini verò. M. Cùm ergo id agit ne vlterius id delectet aliquando, nónne tibi videtur amorem suum figere in Deum, & ab omni inquinamento temperatissimè & cautissimè & securissimè viuere? D. Videtur sanè. M. Vide etiã quemadmodum id quoq; adiungat Propheta dicens: Non veniat mihi pes superbiæ. Pedem enim appellans discessum ipsum lapsúmve significat, à quo anima temperando inhęrens Deo viuit in æternum. D. Accipio & sequor. M. Restat igitur & fortitudo. Sed vt temperantia contra lapsum qui est in libera voluntate, sic fortitudo contra vim valet, qua etiam cogi quis potest, si minus fortis sit ad ea quibus auertatur, & miserrimus iaceat. Hęc autem vis decenter in Scripturis manus nomine significari solet. Qui porrò hanc vim, nisi peccatores conantur inferre? Quod tunc per idipsum communitur anima, & custoditur firmamento Dei, vt hoc illi nullo modo vndecunque possit accidere, potentiam quandam stabilem, &, vt ita dicam, impassibilem gerit, quæ nisi quid tibi displicet, rectè fortitudo nominatur, & eam dici arbitror cùm adiungitur: Neque manus peccatorũ dimoueat me. Sed siue hoc siue aliud in his verbis intelligendum sit, tu negabis in illa perfectione ac beatitate animam constitutam, & conspicere veritatem, & immaculatam manere, & nihil molestiæ pati posse, & vni Deo subdi, cæteris verò supereminere naturis? D. Imò aliter eam perfectissimam & beatissimam esse posse non video. M. Hæc ergo contemplatio, sanctificatio, impassibilitas, ordinatio eius, aut illæ quatuor virtutes perfectæ atque consummatæ, aut ne de nominibus cùm res conueniant, frustra laboremus, pro istis virtutibus, quibus constituta in laboribus vtitur anima tales quædam potentiæ in æterna ei vita sperandæ sunt.

Contemplatio prudentiæ, sanctificatio temperantiæ, impassibilitas fortitudinis, ordinatio iustitiæ.

CAPVT XVII.

Quòd peccatrix anima numeros agat, & numeris agatur.

NOS tantum meminerimus, quod ad susceptam præsentẽ disputationem maximè pertinet, id agi per prouidentiam Dei, per quam cuncta creauit & regit, vt & peccatrix & ærumnosa anima numeris agatur, & numeros agat vsq; ad infimam carnis corruptionem: qui certè numeri minus minusque pulchri esse possunt, penitus verò carere pulchritudine non possunt. Deus autem summè bonus, & summè iustus, nulli inuidet pulchritudini, quæ siue damnatione animæ, siue regressione, siue permansione fabricatur. Numerus autem & ab vno incipit, & æqualitate ac similitudine pulcher est, & ordine copulatur. Quamobrem quisquis fatetur nullam esse naturam, quæ non vt sit quicquid est, appetat vnitatem, suique similis inquantum potest esse conetur, atque ordinem, proprium vel locis vel temporibus, vel incorporeo quodam libramento salutem suam teneat: debet fateri ab vno principio per æqualem illi ac similem speciem diuitiis bonitatis eius, qua inter se vnum & duo charissima, vt ita dicam, charitate iunguntur, omnia facta esse atque condita quæcunque sunt, in quantuncunque sunt. Quare ille versus à nobis propositus, Deus creator omnium: non solùm auribus sono numeroso, sed multo magis est animæ sententiæ sanitate & veritate gratissimus. Nisi fortè mouet te tarditas eorum, vt mitiùs loquar, qui negant de nihilo fieri posse aliquid, cùm id omnipotens Deus fecisse dicatur. An verò faber potest rationabilibus numeris, qui sunt in arte eius, sensuales numeros qui sunt in consuetudine eius operari: & sensualibus numeris progressores illos quibus membra in operando mouet, ad quos iam interualla temporum pertinent, & his rursus formas visibiles de ligno fabricari, locorum interuallis numerosas: & rerum natura Dei nutibus seruiens, ipsum lignum de terra & cæteris elementis facere non potest, & ipsa extrema non poterat de nullo? Imò & arboris locales numeros, temporales numeri antecedant necesse est. Nullum enim stirpium genus quod nõ certis pro suo semine dimensionibus temporum & coalescat & germinet, & in auras emicet & folia explicet & roboretur, & siue fructus siue ipsius ligni occultissimis numeris vim rursus seminis referat: quanto magis animalium corpora, in quibus interualla membrorum numerosam parilitatem multo magis aspectibus offerunt? An ista de elemẽtis fieri possunt, & ipsa elementa non potuerunt fieri de nihilo? Quasi verò quicquã sit in eis vilius & abiectius quàm terra est, quæ primo generalem speciem corporis habet, in qua vnitas quędam & numeri & ordo conuincitur. Namque ab aliqua imparili nota in longitudinem necesse est porrigatur quælibet eius quantumuis parua particula, tertiam latitudinem sumat, & quartam altitudinem qua corpus impletur. Vnde ergo iste à primo vsque ad quartum progressionis modus? vnde & æqualitas partium, quæ & in longitudine & latitudine & altitudine reperitur? vnde conrationalitas quædam? Ita enim malui analogiam vocare, vt quam rationem habet longitudo ad imparilem notam, eandem latitudo ad

do ad longitudinem, & ad latitudinem habeat altitudo. Vnde quæso ista, nisi ab illo summo atque æterno principatu numerorum & similitudinis & æqualitatis & ordinis veniunt? Atqui hæc si terræ ademeris, nihil erit. Quocirca omnipotens Deus terram fecit, & de nihilo terra facta est. Quid porrò ipsa species, qua item à cæteris elementis terra discernitur? Nónne & vnum aliquid quantum accepit ostentat, & nulla pars eius à toto est dissimilis, & earundem partium connexione atque concordia suo genere saluberrimam sedem infimam tenet? Cui superfunditur aquarum natura, nitens & ipsa ad vnitatem, speciosior & perlucidior propter maiorem similitudinem partium, & custodiens locum ordinis & salutis suæ. Quid de aëris natura dicam, multo faciliore complexu ad vnitatem nitente, & tanto speciosiore, quanto speciosiores aquę sunt terris, quantoque ad superiorem salutem altior terra nititur? Quid de cæli supremo ambitu, quo tota vniuersitas visibilium corporum terminatur, & summa in hoc genere species, ac saluberrima loci excellentia? Ista certè omnia quæ carnalis sensus ministerio numeramus, & quæcunque in eis sunt, locales numeros qui videntur esse in aliquo statu, nisi præcedentibus intimis & in silentio temporalibus numeris qui sunt in motu, nec accipere illos possunt, nec habere. Illos itidem temporum interuallis agiles præcedit & modificat vitalis motus, seruiens Domino rerum omnium, non † temporum habens digesta interualla numerorum suorum, sed tempora ministrante potentia, † super quam rationales & intellectuales numeri beatarum animarum atque sanctarum, legem ipsam Dei, sine qua folium de arbore non cadit, & cui nostri capilli numerati sunt, nulla interposita natura excipientes, vsque ad terrena & inferna iura transmittunt.

al. temporalia

al. supra

1. Retract. cap. 1. Matth. 10. d. 30.

Quæ potui & sicut potui de tantis tantillus tecum contuli. Sermonem autem hunc nostrum mandatum literis si qui legunt, sciant multo infirmioribus hæc esse scripta, quàm sunt illi qui vnius summi Dei consubstantialem & incommutabilem trinitatem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia duorum Testamentorum autoritatem secuti venerãtur & colunt, ea credendo, sperando & diligendo. Hi enim non scintillantibus humanis ratiocinationibus, sed validissimo & flagrantissimo charitatis igne purgantur. Nos autem dum negligendos esse non existimamus quos hæretici rationis & scientiæ fallaci pollicitatione decipiunt, tardius incedimus, consideratione ipsarum viarum, quàm sancti viri qui eam volando non dignantur attendere. Quod tamen facere non auderemus, nisi multos pios Ecclesiæ catholicæ matris optimæ filios, qui puerilibus studiis loquendi ac disserendi facultatem quantum satis est consecuti essent, eadem refellendorum hæreticorum necessitate feciſse videremus.

Conclusio operis.

Rom. 11. d. 36.

DIVI AVRELII AVGVSTINI

CONTRA ACADEMICOS, LIBER I.

S. Augustinus 1. retractationum 1.

Contra Academicos ca. 1.

QVM ergo reliquissem vel quæ adeptus fueram in cupiditatibus huius mundi, vel quæ adipisci volebam, & me ad Christianæ vitæ ocium contulissem, nondum baptizatus, contra Academicos, vel de Academicis primum scripsi, vt argumenta eorum, quę multis ingerunt veri inueniendi desperationem, & prohibent cuiquam rei assentiri, & omnino aliquid tãquam manifestum certumque sit, approbare sapientem, cùm eis omnia videantur obscura & incerta, ab animo meo, quia & me mouebant, quantis possem rationibus amouerem. Quod miserante atque adiuuante Deo factum est. Sed in eisdem tribus libris meis, non mihi placet toties me appellasse Fortunam, quamuis non aliquam deam voluerim hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum euentum, vel in corporis nostri, vel in externis bonis aut malis. Vnde & illa verba sunt, quæ nulla religio dicere prohibet, fortè, forsan, forsitan, fortasse, fortuitò: quod tamen totum ad diuinam reuocãdum est prouidentiam. Hoc etiam ibi non tacui, dicens. Etenim fortasse quæ vulgo Fortuna nominatur, occulto quodam ordine regitur, nihilque aliud in rebus casum vocamus, nisi cuius ratio & causa secreta est. Dixi quidem hoc, verumtamen pœnitet me sic illic nominasse fortunam, cùm videam homines habere in pessima consuetudine, vbi dici debet, Hoc Deus voluit: dicere, hoc voluit fortuna. Quòd autẽ quodam loco dixi, Ita comparatum est, siue pro meritis nostris, siue pro necessitate naturæ, vt diuinum animum mortalibus inhærentem nequaquam philosophiæ portus accipiat, &c. Aut nihil horum duorum dicendũ fuit, quia etiam sic sensus posset esse integer: aut satis erat dicere, pro meritis nostris, sicut verum est ex Adam tracta miseria: nec addere, siue pro necessitate naturæ. quandoquidem naturæ nostræ dura necessitas meritò præcedentis iniquitatis exorta est. Itemque illic quod dixi, Nihil omnino colendum esse, totumque abijciendum quicquid mortalibus oculis cernitur, quicquid vllus sensus attingit. addenda erant verba, vt diceretur: Quicquid mortalis corporis vllus sensus attingit. Est enim sensus & mentis. Sed eorum more loquebamur tunc, qui sensum non nisi corporis dicunt, & sensibilia non nisi corporalia. Itaque vbicunque sic locutus sum, parum est ambiguitas euitata, nisi apud eos quorum consuetudo est locutionis huius. Itẽ dixi, Quid cẽseas aliud esse beatè viuere, nisi secundum id quod in homine optimũ est viuere? Et quid dixerim, in homine esse optimũ, paulo pòst explicãs: Quis, inquã, dubitauerit, nihil esse aliud hominis optimũ, quã eam partẽ animi, cui dominanti obtẽperare conuenit cętera quæq;; quæ in homine sunt? Hæc autẽ, ne aliam postules definitionẽ, mens aut ratio dici potest. Hoc quidẽ verũ est: Nam quantũ attinet ad hominis naturã, nihil est in eo melius quàm mẽs & ratio: sed nõ secundũ ipsam debet viuere, qui beatè vult viuere, aliquin secundũ hominẽ viuit, cùm secũdum Deum viuendũ sit, vt possit ad beatitudinẽ peruenire: propter quam consequendã non seipsa debet esse cõtenta, sed Deo mẽs nostra subdenda est. Item respondẽs ei cum quo disputabatur: Hic planè, inquã, non erras, quod vt tibi omen sit ad reliqua, libenter optauerim. Hoc licet non serio, sed ioco dictum sit, nollem tamen eo verbo vti. Omen quippe me legisse non recolo, siue in sacris literis nostris, siue in sermone cuiusquam ecclesiastici disputatoris, quamuis abominatio inde sit dicta, quæ in diuinis libris assiduè reperitur. In secundo autem libro prorsus inepta est & insulsa illa quasi fabula de philocalia & philosophia, quod sint germanæ & eodem parente procreatæ. Aut enim philocalia, quæ dicitur, non nisi in nugis est, & ob hoc philosophiæ nulla ratione germana: aut si propterea est hoc nomen ho-

Lib. 1. cap. 1. & 7. Quo sensu appellauerit Fortunam aliquoties.

Lib. 1. cap. 1.

Lib. 1. cap. 1.

Mens aut ratio optimum hominis.

Beatè viuere in Deo consistere.

Lib. 1. cap. 4.

Abominatio ab omine dicta.

Lib. 2. cap. 3.

men honorandum, quia Latine interpretatum, amorem significat pulchritudinis, & est vera ac summa sapientiæ pulchritudo, eadem ipsa est in rebus incorporalibus atque summis philocalia quæ philosophia, neque vllo modo sunt quasi sorores duæ. Alio loco cùm
Lib.2.cap.9. agerem de animo, dixi, Securior rediturus in cælum.
Lib.1.de libero arb.cap. 12. Iturus autem, quàm rediturus dixissem securius, propter eos qui putant animos humanos prò meritis peccatorum suorum de cælo lapsos siue deiectos, in corpora ista detrudi. Sed hoc egò propterea non dubitaui dicere, quia ita dixi, in cælum, tanquam dicerem ad Deum, qui eius est autor & conditor, sicut beatus Cyprianus non cunctatus est dicere: Nam cùm corpus è terra, spiritum possideamus è cælo, ipsi terra & cælum
Eccl.12.c.7. sumus. Et in libro Ecclesiastę scriptum est: Spiritus reuertatur ad Deum qui dedit illum. Quod vtique sic intelligendũ est, vt non resistatur Apostolò dicenti:
Rom.9.c.11. Nondum natos nihil egisse boni aut mali. Sine cõtrouersia ergo quædam originalis regio beatitudinis ani-
Lib.10.de Genesi ad literã, cap.6.& 7. mi, Deus ipse est. Qui eum non quidem de seipso genuit, sed de nulla re alia condidit, sicut condidit corpus è terra. Nam quod attinet ad eius originem, quã sit vt sit in corpore, vtrum de illo vno sit qui primum creatus est, quando factus est homo in animã viuam, an semper ita fiant singulis singulæ, nec tũc sciebam,
Lib.3.cap.12 nec adhuc scio. In libro tertio, Si quid mihi videatur quæris, inquam, in mente arbitror esse summum hominis bonũ. Verius dixissem, In Deo. Ipso enim mens
In Deo esse summum hominis bonum. fruitur vt beata sit, tanquam summo bono suo. Nec
Lib.3.cap.10. Lib.3.cap.16 & 17. mihi illud placet quod dixi: Libet deierare per omne diuinum. Item quod dixi de Academicis, quia verum
Lib.3.cap.18. nouerant, cuius simile appellabant verisimile, idque ipsum verisimile appellaui falsum, quod approbant. Duas ob causas non rectè dictum est: vel quod falsum esset, quod aliquo modo esset simile alicuius veri, quia in genere suo & hoc verum est: vel quod approbant ista falsa, quæ vocabant verisimilia, cùm illi nihil approbarent, & affirmarent nihil approbare sapientem. Sed quia hoc ipsum verisimile etiam probabile nuncupabãt, hinc factum est vt hoc de illis dicerem. Laus
Lib.3.cap.17 quoque ipsa qua Platonem vel Platonicos seu Academicos philosophos tantum extuli, quantum ipsos impios homines non oportuit, nõ immeritò mihi displicuit: præsertim quorum contra errores magnos defendenda est Christiana doctrina. Illud etiam quod in
Lib.3.cap.20 comparatione argumentorum Ciceronis, quibus in libris suis Academicis vsus est, meas nugas esse dixi, quibus argumenta illa certissima ratione refutaui: quamuis iocando dictum sit, & magis ironia videatur, non debuit tamen dici. Hoc opus sic incipit:

CAP. I. *Romanianum inuitat ad vetam philosophiam.*

VTINAM Romaniane, hominem sibi aptum ita vicissim virtus fortunæ repugnanti posset auferre, vt ab ea sibi auferri neminem patitur: iam tibi profectò iniecisset manus, suique iuris te esse proclamans, & in bonorum certissimorum possessionem traducens, ne prosperis quidem casibus seruire permitteret. Sed quoniam ita comparatum est, siue pro meritis nostris, siue pro necessitate naturæ, vt diuinum animum mortalibus inhærẽtem, nequaquam sapientiæ portus accipiat, vbi neque aduersante fortunæ flatu, neque secundante moueatur,
1. Retract. cap.1. nisi eò illum fortuna ipsa, vel secunda, vel quasi aduersa perducat: nihil pro te nobis aliud quàm vota restant, quibus ab illo cui hæc curæ sunt Deo, si possumus impetremus vt te tibi reddat, ita enim facile reddet & nobis, finatque mentem illam tuam, quæ respirationem iamdiu parturit, aliquando in auras veræ libertatis emergere. Etenim fortasse quæ vulgò fortuna nominatur, occulto quodã ordine regitur, nihilq; aliud in rebus Casum vocamus, nisi cuius ratio & causa secreta est: nihilque seu commodi seu incommodi contingit in parte, quod non conueniat & congruat vniuerso. Quam sententiam vberrimarum doctrinarum oraculis editam, remotamque longissimè ab intellectu prophanorum, se demõstraturam veris amatoribus suis, ad quã te inuitò, philosophia pollicetur. Quamobrem cùm tibi tuo animo indigna multa accidunt, ne te ipse contemnas. Nam si diuina prouidẽtia pertenditur vsque ad nos, quod minimè dubitandum est, mihi crede, sic tecum agi oportet vt agitur: nam cùm tanta, quantam semper admiror, indole tua, ab ineunte adolescentia adhuc infirma ratione, atque lapsante vestigio humanam vitam errorum omnium pleniss imam ingredereris, excepit te circũfluentia diuitiarum, quæ illam ætatem atque animum quæ pulchra & honesta videbantur auidè sequentem, illecebrosis cœperat absorbere gurgitibus, nisi inde te fortunæ illi flatus, qui putantur aduersi, eripuissent penè mergentem. An verò si edentem te munera vrsorum & nunquam ibi antea visa spectacula ciuibus nostris, theatricus plausus semper prosperrimus accepisset: si stultorum hominum, quorum immensa turba est, cõflatis & consentientibus vocibus ferreris ad cælum, si nemo tibi auderet esse inimicus: si municipales tabulæ te non solum ciuium, sed etiam vicinorum patronum ære signarent, collocarentur statuæ, influerent honores, adderentur etiam potestates quæ municipalem habitum supercrescerent: conuiuiis quotidianis mensæ opimæ struerentur: quod cuique esset necesse quod cuiusq; etiam deliciæ sitirent, indubitanter peteret, indubitanter hauriret, multa etiam non petentibus funderentur, resque ipsa familiaris diligenter à tuis fideliterque administrata, idoneam se tantis sumptibus paratamque præberet, tu interea viueres in ædificiorum exquisitissimis molibus, in nitore balnearum, in tesseris quas honestas non respuit, in venatibus, in conuiuiis, in ore clientium, in ore ciuium, in ore denique populorum humanissimus, liberalissimus, mundissimus, fortunatissimus vt fuisti iactareris, quisquam tibi Romaniane beatæ alterius vitæ, quæ sola beata est, quisquam quæso mentionem facere auderet? Quisquam tibi persuadere posset non solum te felicem nõ esse, sed eo maximè miserum quo tibi minimè videreris? Nunc verò quàm te breuiter admonendum, tot & tanta quæ pertulisti aduersa fecerunt. Non enim tibi alienis exemplis persuadendum est quàm fluxa & fragilia, & plena calamitatum sint omnia quæ bona mortales putant, cũ ita ex aliqua parte bene expertus sis, vt ex te cæteris persuadere possimus. Illud ergo, illud tuum, quo semper decora & honesta desideraſti: quo te liberalem magis quàm diuitem esse maluisti: quo nunquam concupisti esse potẽtior quàm iustior, nunquam aduersitatibus improbitatibusq; cessisti, illud ipsum inquam diuinũ, quod in te nescio quo vitæ huius somno veternoq; sopitũ est, variis illis durisq; iactationibus secreta prouidẽtia excitare decreuit. Euigila, euigila, oro te, multum: mihi crede, gratulaberis quòd penè nullis prosperitatibus quibus tenẽtur incauti, mũdi huius tibi dona blãdita sunt. Quæ meipsum captare moliebantur quotidie ista cantantem, nisi me pectoris dolor ventosam professionem abijcere, & in philosophiæ gremium confugere coegisset. Ipsa me nunc in ocio, quod vehemẽter optauimus, nutrit ac fouet: ipsa me penitus ab illa superstitione, in quam te mecum præcipitem dederam, liberauit: ipsa enim docet, & verè docet nihil omnino colendum esse, totumque contemni oportere, quicquid mortalibus oculis cernitur, quicquid vllus sensus attingit. Ipsa verissimum & secretissimum
1. Retract. cap.1.

Deum

Deum perſpicuè ſe demõſtraturam promittit, & iam iamque quaſi per lucidas nubes oſtentare dignatur. In hac mecum ſtudioſiſſimè viuit noſter Licentius: ad eam totus à iuuenilibus illecebris voluptatibusq; conuerſus eſt, ita vt eum nõ temerè patri audeam imitandum proponere. Philoſophia eſt enim, à cuius vberibus ſe nulla ætas queritur excludi: ad quam auidius retinendam & hauriendam quò te incitarem, quamuis tuam ſitim bene nouerim, guſtum tamen mittere volui, quem tibi ſuauiſſimum, &, vt ita dicam, inductorium fore, peto ne fruſtra ſperauerim. Nam diſputationem quam inter ſe Trigetius & Licẽtius habuerunt, relatam in literas, tibi miſi. Illum quoque adoleſcentem, quaſi ad detergendum faſtidium diſciplinarum aliquãtum ſibi vſurpaſſet militia, ita nobis magnarum honeſtarumque artium ardentiſſimum edaciſſimumque reſtituit. Pauculis igitur diebus tranſactis, poſteaquam in agro viuere cœperamus, cùm eos ad ſtudia hortans atque animans, vltra quàm optaueram paratos & prorſus inhiantes videre, volui tentare pro ætate quid poſſent: præſertim cùm Hortenſius liber Ciceronis iam eos ex magna parte cõciliaſſe philoſophiæ videretur. Adhibito itaque notario, ne auræ laborem noſtrum diſcerperent, nihil perire permiſi. Sanè in hoc libro res & ſententias illorum, mea verò & Alipij etiam verba lecturus es.

CAP. II. *Summum hominis bonum quod.*

CVM igitur omnes hortatu meo vnum in locum ad hoc cõgregati eſſemus, vbi opportunum viſum eſt: Nunquid nam dubitatis, inquam, verum nos ſcire oportere? Minimè, ait Trigetius, cæteriq; ſe vultu ipſo approbaſſe ſignificauerunt. Quid ſi, inquam, etiam non comprehenſo vero beati eſſe poſſimus, neceſſariam veri comprehẽſionem arbitramini? Hic Alipius: Huius quæſtionis, inquit, iudicem me tutius eſſe puto. Cùm enim iter mihi in vrbem ſit conſtitutum, oportet me onere alicuius ſuſcipiendæ partis releuari, ſimul quod facilius iudicis partes quàm cuiuſquam defenſoris cuipiã delegare poſſim. Quare dehinc pro alterutra parte ne à me quicquam expectetis. Quod ei cùm cõceſſum eſſet ab omnibus, & ego rogationem repetiſſem: Beati certè, inquit Trigetius, eſſe volumus: & ſi ad hãc rem poſſumus abſque veritate peruenire, quærenda nobis veritas non eſt. Quid hoc ipſum, inquã? Exiſtimatiſne beatos nos eſſe poſſe, etiam non inuenta veritate? Tũc Licentius: Poſſumus, inquit, ſi verum quæramus. Hic cùm ego cæterorũ ſententiam nutu flagitaſſem: Mouet me, inquit Nauigius, quod à Licentio dictum eſt. Poteſt enim fortaſſe hoc ipſum eſſe beatè viuere, in veritatis inquiſitione viuere. Defini ergo, ait Trigetius, quid ſit beata vita, vt ex eo colligam quid reſpondere conueniat. Quid cenſes, inquam, eſſe aliud beatè viuere, niſi ſecũdum id quod in homine optimum eſt viuere? Temerè, inquit, verba non fundam: nam id ipſum optimum quid ſit, definiẽdum mihi abs te puto. Quis, inquam, dubitauerit, nihil aliud eſſe hominis optimum, quàm eam partem animi, cui dominanti obtemperare conuenit cætera quæque quæ in homine ſunt? Hæc autem ne aliam poſtules definitionẽ, mens aut ratio dici poteſt. Quod ſi tibi non videtur, quære quomodo ipſe definias vel beatam vitam, vel hominis optimum. Aſſentior, inquit. Quid ergo, vt ad propoſitum, inquam, redeamus, videturne tibi nõ inuento vero beatè poſſe viui, ſi tantum quæratur? Repeto, inquit, ſententiam illam meam: minimè videtur. Vos, inquam, quid opinamini? Tum Licẽtius: Mihi prorſus, inquit, videtur: nam maiores noſtri, quos ſapientes beatosque accepimus, eo ſolo quod verum quærebant, bene beateque vixerunt. Ago gratias, inquam, quòd cum Alipio me iudicem feciſtis, cui, fateor, inuidere iam cœperam. Quoniam igitur alteri veſtrũm videtur, beatam vitam ſola inueſtigatione veritatis, alteri non niſi inuentione poſſe contingere, Nauigius autem paulo antè oſtendit in tuam Licenti partem ſe velle tranſire, magnopere expecto quales ſententiarum veſtrarum patroni eſſe poſſitis. Res enim magna eſt, & diligenti diſcuſſione digniſſima. Si res magna eſt, ait Licentius, magnos viros deſiderat. Noli quærere, inquam, præſertim in hac villa, quod vbiuis gentium reperire difficile eſt: ſed potius explica, cur id quod abs te non temerè, vt opinor, prolatũ eſt, & qua tibi ratione videatur: nam & maximæ res cùm à paruis quæruntur, magnos eos ſolent efficere.

CAP. III. *Felicitas in inueſtigatione veri.*

QVONIAM, te, inquit, video magnopere nos vrgere, vt aduerſum inuicem diſputemus, quod te vtiliter velle confido: quæro cur beatus eſſe non poſſit, qui verum quærit, etiam ſi minimè inueniat? Quia beatum, inquit Trigetius, volumus eſſe perfectum, in omnibus ſapientem. Qui autem adhuc quærit, perfectus non eſt. Hunc igitur quomodo aſſeras beatum, omnino non video. Et ille, Poteſt apud te, inquit, viuere autoritas maiorum? Non omnium, inquit Trigetius. Quorum tandem? Ille, eorum ſcilicet, qui ſapientes fuerunt. Tum Licentius: Carneades, inquit, tibi ſapiens non videtur? Ego, ait, Græcus nõ ſum, neſcio Carneades iſte qui fuerit. Quid, inquit Licentius, de illo noſtro Cicerone quid tandem exiſtimas? Hic cùm diu tacuiſſet: Sapiens fuit, inquit. Et ille: Ergo eius de hac re ſententia habet apud te aliquid ponderis? Habet, inquit. Accipe igitur quæ ſit, nam eam tibi excidiſſe arbitror. Placuit enim Ciceroni noſtro, beatum eſſe qui veritatem inueſtigat, etiamſi ad eius inuentionem non valeat peruenire. Vbi hoc, inquit, Cicero dixit? Et Licentius, Quis ignorat eum affirmaſſe vehementer, nihil ab homine percipi poſſe, nihilque remanere ſapienti, niſi diligentiſſimam inquiſitionem veritatis? Propterea quia ſi incertis rebus eſſet aſſenſus, etiã ſi fortaſſe veræ forent, liberari ab errore non poſſet, quæ maxima eſt culpa ſapientis. Quamobrem ſi & ſapientem neceſſariò beatum eſſe credẽdum eſt, & veritatis ſola inquiſitio perfectum ſapientię munus eſt, quid dubitamus exiſtimare beatam vitam, etiam per ſe ipſam inueſtigatione veritatis poſſe contingere? Tum ille, Licẽtne tandem ad ea quæ temerè conceſſa ſunt, redire rurſum? Hic ego: illi hoc non ſolent concedere, inquam, quos ad diſputandum non inueniendi veri cupiditas, ſed ingenij puerilis iactantia impellit. Itaque apud me, præſertim cùm adhuc nutriendi educandiq; ſitis, non ſolum conceditur, ſed etiam in præceptis habeatis volo, ad ea vos diſcurienda redire oportere, quæ conceſſeritis incautius. Et Licentius: Non parum in philoſophia profectum puto, inquit, cùm in comparatione recti veriq; inueniendi contemnitur à diſputante victoria. Itaque libenter obſequor præceptis & ſententiæ tuæ, & Trigetium ad id quod ſe temerè conceſſiſſe arbitratur, res enim mei iuris eſt, redire permitto. Tum Alipius: Suſcepti à me officij nondum partes eſſe, voſmetipſi mecum recognoſcitis. Sed quoniam id iamdudum diſpoſita profectio interrumpere me compellit, pro meo quoq; munere geminatam ſibi poteſtatem particeps mecum iudicij non renuet vſque in reditum meum. Video enim hoc veſtrum certamẽ longius progreſſurum. Et cùm diſceſſiſſet: Quod, inquit Licentius, temerè conceſſeras, profer. Et ille, Temerè dedi, inquit, Ciceronẽ fuiſſe ſapientem. Ergóne Cicero ſapiens non fuit, à quo in Latina lingua philoſophia & inchoata eſt & perfecta? Et ſi concedam, inquit, eſſe ſapientem, non omnia tamen eius probo. Atqui oportet multa eius alia refellas, vt non impudenter hoc de quo agitur, improbare videaris. Quid ſi hoc ſolum non rectè ſenſiſſe illum affirmare paratus ſum, veſtra, vt opinor, nihil intereſt, niſi alicuius ponderis ad id quod volo aſſerendum, rationes

1. Retract. cap. 1.

tiones afferam. Perge, inquit ille. Quid enim, inquit, audeam contra eum, qui se Ciceronis aduersarium profitetur? Hic Trigetius: Volo attendas, ait, tu iudex noster, quemadmodum superius beatam vitam definieris: dixisti nanque eum beatum esse, qui secundum eam partem animi viuit, quam cæteris conuenit imperare. Tu autem Licenti volo vel nunc mihi concedas, iam enim libertate, in quam maximè nos vendicaturam se philosophia pollicetur, iugum illud autoritatis excussi, perfectum nõ esse qui adhuc veritatem requirit. Tum ille post diuturnum silentium: Non concedo, inquit. Et Trigetius: Cur quæso? explica. Ibi hic sum enim, & aueo audire, quo pacto possit & perfectus homo esse, & adhuc quærere veritatem. Hic ille: Qui ad finem, inquit, non peruenit, fateor quod perfectus non sit. Veritatem autem illam solum Deum nosse arbitror, aut fortè hominis animã, cùm hoc corpus, hoc est tenebrosum carcerem dereliquerit. Hominis autem finis est, perfectè quærere veritatem: perfectum enim quærimus, sed tamen hominem. Et Trigetius: Non igitur potest beatus esse homo. Quomodo enim, cùm id quod magnoperè concupiscit, assequi nequeat? Potest autem homo beatè viuere, siquidem potest secundum eam partem animi viuere quam dominari in homine, fas est. Potest igitur verum inuenire. Aut colligat se; & non concupiscat verum, ne cùm id assequi non potuerit, necessariò miser sit. At hoc ipsum est beatum hominis, ait ille, perfectè quærere veritatem: hoc est enim peruenire ad finem, vltra quem nõ potest progredi. Quisquis ergo minus instanter quàm oportet veritatem quærit, is ad finem hominis nõ peruenit. Quisquis autem tantum quantum homo potest ac debet, dat operam inueniendæ veritati, etiamsi eam non inueniat, beatus est. Totum enim facit, quod vt faciat, ita natus est. Inuentio autem si defuerit, id deerit quod natura non dedit. Postremo cùm hominem necesse sit aut beatum esse, aut miserum, nónne dementis est eum qui dies noctesque quantum potest instat inuestigandæ veritati, miserum dicere? Beatus igitur erit. Deinde illa definitio mihi, vt arbitror, vberius suffragatur: nam si beatus est, sicuti est, qui secundum eam partem animi viuit, quam regnare cæteris conuenit, & hæc pars ratio dicitur, quæro vtrum non secundum rationem viuat, qui quærit perfectè veritatem? Quod si absurdum est, quid dubitamus beatum hominem dicere sola ipsa inquisitione veritatis? MIHI, ait ille, nec secundum rationem viuere, nec beatus omnino quisquis errat, videtur. Errat autem omnis qui semper quærit, nec inuenit. Vnde tibi vnum è duobus monstrandum est, aut errantem beatum esse posse, aut eum qui quod quærit nunquam inuenit, non errare. Hic ille: Beatus errare non potest. Et cùm diu siluisset: Non autem errat, inquit, cùm quærit: quia vt non erret, quærit. Et Trigetius: Vt non erret quidem, inquit, quærit, sed errat cùm minimè inuenit. Ita autem tibi profuturum putasti, quod errare ille nõ vult, quasi nemo erret inuitus, aut quisquam omnino erret nisi inuitus. Tum ego, cùm ille diu cunctaretur quid responderet: Definiendum vobis est, inquam, quid sit error, facilius enim eius fines potestis videre, in quem iampenitus ingressi estis: Ego, inquit Licentius, definire aliquid idoneus non sum: quamuis errorem definire sit facilius quàm finire. Ego, ait ille, definiam quod mihi facillimum est non ingenio, sed causa optima. Nam errare est vtique semper quærere, nunquam inuenire. Ego, inquit Licentius, si vel istam definitionem facilè possem refellere, iamdudum causæ meæ non defuissem. Sed quoniam aut res ipsa per se ardua est, aut ita mihi apparet, peto à vobis vt vsque in crastinam lucem quæstio differatur, si nihil hodie quod respondeam, reperire potuero cùm id sedulò mecum ipse voluam. Quod cùm concedendum putarem, non renuentibus cæteris, deambulatum ire surreximus, nobisque inter nos multa variaque sermocinantibus, ille in cogitatione defixus fuit. Quod cùm frustra esse sensisset, relaxare animum maluit, & nostro se sermoni miscere. Postea cùm iam adueseraceret, in eundem conflictum redierant: sed modum imposui, persuasique vt in alium diem differri paterentur. Inde ad balneas. Postridie autem cùm consedissemus: Proferte, inquam, quod heri cœperatis. Tum Licentius. Distuleramus (inquit) disputationem, nisi fallor, rogatu meo, cùm erroris definitio difficillima mihi esset. Hic planè, inquam, non erras quod vt tibi omen sit ad reliqua, libenter optauerim. Audi ergo, inquit, quod heri etiam nisi intercessisses, protulissem: Error mihi videtur esse falsi pro vero approbatio. In quem nullo pacto incidit, qui veritatem quærendam semper existimat. Falsum enim probare non potest, qui probat nihil. Non igitur potest errare, beatus autem facillimè esse potest: nam ne lõgius abeam, si nobis ab ipsis, vt heri licuit, quotidie viuere liceret, nihil mihi occurrit cur nos beatos appellare dubitaremus. Viximus enim magna mentis tranquillitate, ab omni corporis labe animum vendicantes, & à cupiditatum facibus longissimè remoti, dantes, quantum homini licet, operam rationi: hoc est secundum illam diuinam partem animi viuentes, quâ beatam vitam esse hesterna inter nos definitione conuenit: atque, vt opinor, nihil inuenimus, sed tantum modo quæsiuimus veritatem. Potest igitur sola inquisitione veritatis, etiam si eam inuenire minimè possit, homini beata vita contingere. Nam definitio tua vide quæso quanta facilitate excludatur notione communi. Etenim errare dixisti esse, semper quærere, & nunquam inuenire. Quid si quisquam nihil quærat, & interrogatus, verbi gratia, vtrúmnam modò dies sit, temere statimque noctem esse opinetur, atque respondeat? Nónne tibi videtur errare? Hoc igitur erroris genus vel immanissimum, non complexa est definitio tua. Quid si etiam non errantes complexa est, potéstne definitio vlla esse vitiosior? Nam si quis Alexandriam quærat, & ad eam recto pergat itinere, non opinor potes eum errãtem vocare. Quid si eandem viam variis impeditus causis, lõgo agat tempore, & in ea morte præueniatur, nónne & semper quæsiuit, & nunquam inuenit, nec errauit tamen? Non, inquit ille, semper quæsiuit. Rectè dicis, ait Licentius, & bene admones. Inde enim prorsus nihil ad rem pertinet definitio tua: non enim ego beatum esse dixi, qui semper quærat veritatem. Quod ne fieri quidem potest: primo, quia non semper homo est: deinde, quia non ex quo tempore incipit esse homo, ex eo iam potest, ætate impediente, verum quærere. Aut si semper id putas dicendum, si nihil temporis quo iam quærere potest, perire patitur, rursus tibi Alexandriam redeundum est. Fac enim quenquam, ex quo tempore iter agere vel ætate vel negocio finitur, pergere occipere illam viam, atque, vt suprà dixi, cùm deuiet nusquam, antequam perueniat tamen vita excedere, multum profectò errabis, si tibi errasse iste videbitur, quamuis omni quo potuit tempore, nec quærere desierit, nec inuenire potuerit quo pergebat. Quamobrem si & mea descriptio vera est, & secundum eam nõ errat ille qui perfectè quærit, quamuis non inueniat veritatem, beatusq; est ob eam rem, quod secundum rationem viuit: tua verò definitio & frustra est, & si non esset, nihil eam curare deberem, si ex eo solum quod ego definiui, satis causa firmata est: cur quæso nondum est ista inter nos quæstio dissoluta? HIC Trigetius: Dásne, inquit, sapientiam rectam viam vitæ esse? Do, inquit, sine dubio: sed tamen volo

1. Retract. cap. 1.

CAP. IIII. Errorem non esse felicitatis capacem.

1. Retract. cap. 1.

Errare quid sit.

1. Retract. cap. 1.

Ibidem.

CAP. V. In inuestigatione veri felicitas.

volo mihi ſapientiam definias, vt ſciam vtrum quæ mihi eadẽ & tibi eſſe videatur. Et ille: Parum tibi, ait, videtur definita hoc ipſo quod nunc interrogatus es? Etiam quod volui conceſſiſti. Si enim non fallor, non falſo recta via vitæ ſapientia nominatur. Tum Licentius: nihil mihi tam ridiculum, quàm iſta definitio videtur, inquit. Fortaſſe, ait ille: pedetentim tamen quęſo, vt ratio præueniat riſum tuum: nihil enim eſt fœdius riſu, irriſione digniſſimo. Quid enim? ait ille: nónne fateris vitæ mortem eſſe cõtrariam? Fateor ait. Mihi igitur, inquit ille, via vitæ nulla magis videtur, quàm ea qua quiſque pergit, ne in mortem incidat. Aſſentiebatur Trigetius. Ergo ſi viator quiſpiam, diuerticulum vitans quod à latronibus obſideri audierit, rectà ire pergat, atque ita euadat interitum, nónne & viam vitæ & rectam ſecutus eſt: & eam ſapientiam nominat nemo? Quomodo igitur omnis recta vitæ via ſapientia eſt? Conceſſi enim eſſe, ſed non ſolã. Definitio autem nihil complecti debuit, quod eſſet alienum. Itaq; rurſus defini, ſi placet, quid tibi videtur eſſe ſapientia? Diu ille tacuit. Deinde: En, inquit, iterũ definio, ſi hoc tu nunquam finire ſtatuiſti. Sapientia eſt via recta, quæ ad veritatem ducit. Similiter & hoc, inquit ille, refellitur: nam dum apud Virgilium Æneæ dictum eſt à matre: *Perge modo, & qua te ducit via dirige greſſum:* ſequens hanc viam ad id quod dictum erat, id eſt, ad verum peruenit. Contende modò ſi placet, vbi pedem ille incedens poſuit, ſapientiam poſſe dici, quãquam ſtultè prorſus iſtam deſcriptionẽ tuam effringere conor: nam cauſam meam nulla plus adiuuat. Etenim ſapiẽtiam non ipſam veritatem, ſed viam quæ ad eam ducat eſſe dixiſti. Quiſquis ergo hac vtitur via, ſapientia profectò vtitur: & qui ſapientia vtitur, ſapiens ſit neceſſe eſt. Sapiens igitur erit ille, qui perfectè quæſierit veritatem, etiamſi ad eam nondum peruenerit: nam via quæ ducit ad veritatem, nulla, vti opinor, intelligitur melius quàm diligens inquiſitio veritatis. Hac igitur ſola via vtens, iam iſte ſapiẽs erit: at nemo ſapiens miſer: omnis autem homo aut miſer aut beatus. Beatum igitur faciet non tantum inuentio, ſed ipſa per ſe inueſtigatio veritatis. Tum ille arridens: Meritò mihi, inquit, iſta contingunt, dum aduerſario in re non neceſſaria fidenter aſſentior: quaſi verò ego ſim magnus definitor, aut quicquam in diſputando magis ſuperuacaneum putem. Quis enim modus erit, ſi ego rurſus velim definiri abs te aliquid, & rurſus eiuſdem definitionis verba, & conſequentium item ſingillatim omnia, fingens quod nihil intelligam, definire flagitem? Nam quid planiſſimum non meo iure definire cogam, ſi iure à me ſapiẽtiæ definitio poſtulatur? Cuius enim verbi in animis noſtris apertiorem notionem natura eſſe voluit quàm ſapientiæ? Sed neſcio quomodo cùm mentis noſtræ veluti portum notio ipſa reliquerit, & verborum ſibi quaſi vela tetenderit, occurrant ſtatim calumniarum mille naufragia. Quamobrem aut definitio ſapientiæ ne requiratur, aut iudex noſter in eius patrocinium dignetur deſcendere. Tum ego, cùm iam ſtylum nox impediret, & quaſi de integro magnum quiddam diſſerendum viderem oboriri, in alium diem diſtuli: nam diſputare cœperamus ſole iam in occaſum declinante, dieſque penè totus cùm in rebus ruſticis ordinandis, tum in recẽſione primi libri Virgilij peractus fuit.

1. Aeneid.

CAP. VI. *Vera ſapientia quid.*

DEINDE vt altera dies mox illuxit, ita enim res erant pridie conſtitutæ, vt largum eſſet ocium, ſtatim peragendum negocium ſuſceptum eſt. Tum ego: Heri poſtulaſti, inquam, Trigeti, vt à iudicis munere ad ſapientiæ patrocinium deſcẽderem: quaſi verò quenquam in ſermone veſtro aduerſarium ſapientia pateretur, aut te eam defendente ita laboraret, vt maius implorare deberet auxilium. Nam neque inter vos aliud quærendum natum eſt, quàm quid ſit ſapientia, in quo eam veſtrum neuter oppugnat, quia vterq; deſiderat. Neque ſi tu in definienda ſapientia defeciſſe te putas, propterea reliqua defenſio ſententiæ tuæ tibi deſerenda eſt. Itaque à me nihil aliud habebis quàm definitionem ſapientiæ, quæ nec mea nec noua eſt, ſed & priſcorum hominum, & quam vos miror non recordari. Non enim nunc primum auditis ſapiẽtiam eſſe rerum humanarum diuinarumq; ſcientiam. Hic Licentius, quem poſt iſtam definitionem diu putabam quæſiturum eſſe quid diceret, ſubiecit ſtatim, cur ergo non quæſo ſapientem vocamus flagitioſiſſimum illum hominem, quem ipſi bene nouimus per innumera ſcorta ſolere diſſolui: Albicerium dico illum, qui apud Carthaginem multos annos conſulentibus mira quædam & certa reſpondit? Innumerabilia commemorare poſſem, niſi & apud eos loquerer qui experti ſunt, & paucis nũc ſatis ſit ad id quod volo. Nónne cochlearium (mihi autem dicebat) cùm domi non inueniretur, tuo iuſſu percunctatus, non ſolum quid quæreretur, verumetiam nominatim cuius res eſſet, & vbi lateret, citiſſimè veriſſimeque reſpondit? Item me præſente, omitto illud quod in eo quod rogabatur nihil omnino falſus eſt, ſed cùm puer qui nummos ferebat, certam eorum partem cùm ad eum pergeremus furatus eſſet, omnes ſibi numerari iuſſit, coegitque illum ante oculos noſtros quos abſtulerat reddere, prius quàm omnino ipſe aut eoſdem nummos vidiſſet, aut quantum ſibi allatum fuerit audiſſet è nobis. Quid quod doctiſſimũ & clariſſimum virum Flaccianum mirari ſolitum eſſe abs te accepimus? Qui cùm de fundo emendo eſſet locutus, ad illum diuinum rem ita detulit, vt quid egiſſet, ſi potis eſſet, ediceret. Atque ille ſtatim non modo negocij genus, ſed etiam, in quo ille vehementer clamabat admirans, ipſum fundi nomen pronunciauit, cùm ita eſſet abſurdum, vt vix eius Flaccianus ipſe meminiſſet. Iam illud ſine ſtupore animi non queo dicere, quod amico noſtro diſcipulo tuo ſeſe volenti exagitare, flagitantique inſolenter, vt diceret quid ſecum ipſe taciturn volueret, Virgilij verſum eum cogitare reſpondit. Cũ ille obſtupefactus negare nõ poſſet, perrexit quærere quiſnam verſus eſſet. Nec Albicerius, qui Grammatici ſcholam vix tranſiens vidiſſet aliquando, verſum ipſum ſecurus & garrulus canere dubitauit. Num igitur aut res humanæ non erant, de quibus ille conſulebatur, aut ſine rerum diuinarum ſcientia tam certa conſulentibus & vera reſpondit? At vtrumque abſurdum eſt. Nam & humanæ res nihil ſunt aliud quàm res hominum, vt argentum, nummi, fundus, poſtremò ipſa etiam cogitatio: & res diuinas quis non rectè arbitretur eſſe, per quas homini diuinatio ipſa contingit? Sapiens ergo fuit Albicerius, ſi ſapientiam rerum humanarum diuinarumque ſcientiam eſſe illa definitione concedimus.

Sapiẽtia quid ſit.

Albicerius.

CAP. VII. *Philoſophia quid.*

HIC ille: Primo, inquit, ego ſcientiam non appello, in qua ille qui eam profitetur, aliquando fallitur. Scientia enim non ſolum comprehenſis, ſed ita comprehenſis rebus conſtat, vt neque in ea quiſquam errare, nec quibuſlibet aduerſantibus impulſus nutare debeat. Vnde veriſſimè à quibuſdam philoſophis dicitur, in nullo eã poſſe niſi in ſapiente inueniri, qui non modò perceptum habere debet id quod tuetur ac ſequitur, verumetiam inconcuſſum tenere. Scimus autem illum quem cõmemoraſti, multa ſæpe falſa dixiſſe, quod non ſolùm aliis mihi referentibus comperi, ſed præſens aliquando ipſe percepi. Eúmne igitur ſcientem vocem, cùm ſæpe falſa dixerit, quẽ non vocarem, ſi conſtanter vera dixiſſet? Hoc me de aruſpicib. & de auguribus, & de his omnibus qui ſidera conſulunt, & de coniectoribus ſomniorũ dixiſſe putatote. Aut aliquẽ ex hoc genere homi-

hominum proferte, si potestis, qui consultus nũquam A de responsis suis dubitauerit, nunquam postremò falsa responderit. Nam de vatibus nihil mihi puto esse laborandum, qui mente loquuntur aliena. Deinde res humanas esse vt concedam res hominum, quicquam tu existimas nostrum esse, quod nobis vel dare vel eripere casus potest? Aut cum rerum humanarum scientia dicitur, ea dicitur, qua quisquam nouit vel quot, vel quales fundos habeamus: quid auri, quid argenti, quidque denique alienorum carminum cogitemus? Illa est humanarum rerum scientia, quæ nouit lumen prudentiæ, temperantiæ decus, fortitudinis robur, iu-
1. Retract. cap. 1. stitiæ sanctitatem. Hæc enim sunt quæ nullam fortunam metuentes, verè nostra dicere audemus: quæ si Albicerius ille didicisset, nunquam, mihi crede, tam luxuriosè deformiterque vixisset. Quod autem dixit, quem versum volueret animo ille à quo consulebatur, neq; hoc puto inter res nostras esse numerandum: non quo negem honestissimas disciplinas ad posses- B sionem quandam nostri animi pertinere, sed quia versum alienum etiam imperitissimis canere ac pronunciare concessum est. Ideoque talia cùm in memoriam nostram incurrerint, non mirum est, si sentiri possunt
Animalia aëris dæmones. ab huius aëris animalibus quibusdam vilissimis, quos dæmonas vocant, à quibus nos superari acumine ac subtilitate sensuum posse concedo, ratione autem nego. Atque id fieri nescio quo modo secretissimo atq; à nostris sensibus remotissimo. Non enim, si miramur apiculam melle posito, nescio qua sagacitate qua hominem vincit, vndecunque aduolare, ideo eam nobis præponere, aut saltem comparare debemus. Itaq; vellem magis iste Albicerius, ab eo qui discere cuperet, interrogatus ipsa metra docuisset, vel coactus à quopiam consultorum, de re sibi statim proposita versus proprios ceciniisset. Quod eundem Flaccianum sæpe dixisse soles commemorare, cùm illud diuinationis genus magna mentis altitudine derideret atq; despi- C ceret, idq; nescio cui abiectissimæ animulæ, sic enim dicebat, tribueret, quo ille quasi spiritu admonitus vel inflatus hæc respondere solitus esset. Quærebat enim vir ille doctissimus ab iis qui talia mirarentur, num grammaticam vel musicam vel geometriam Albicerius posset docere? Quis autem illum nosset & non istorum omnium imperitissimum fateretur? Quamobrem ad extremum hortabatur, vt animos suos ij qui talia didicissent, illi diuinationi sine dubitatione præferrent, darentque operam his disciplinis instruere atque adminiculari suam mentem, quibus aeream istam inuisibilium animantium naturam transilire, &
CAP. VIII. Hariolus an sapiens, & quid sit sapiens. eam superuolare cõtingeret. IAM res diuinæ, cum omnibus concedẽtibus, meliores augustioresq; multo quàm humanæ sint, quo pacto ille eas assequi poterat, qui quid esset ipse nesciebat? Nisi fortè existimas sidera, quæ quotidie contemplamur, magnum quiddam esse in comparatione verissimi & secretissimi D Dei, quem rarò fortasse intellectus, sensus autem nullus attingit, hæc autem prẽsto sunt oculis nostris. Nec
1. Retract. cap. 1. ista igitur sunt illa diuina, qualia se sola scire sapientia profitetur: cætera autem quibus isti, nescio qui, diuinantes, vel ad vanam iactantiam, vel ad quæstum abutuntur, præ sideribus profectò viliora sunt. Non igitur Albicerius rerum humanarum ac diuinarũ scientiæ particeps fuit, frustraque abs te isto modo definitio nostra tentata est. Postremò cùm quicquid præter res humanas atque diuinas est, nos vilissimum ducere & omnino contemnere oporteat; quæro in quibus rebus quærat ille tuus sapiens veritatem? In diuinis, ait ille: nam virtus etiam in homine sine dubitatione diuina est. Has igitur Albicerius iam sciebat, quas tuus sapiens semper inquiret? Tum Licentius, Diuinas, ait, & ille nouerat, sed non eas quæ à sapiente quærendæ sunt. Quis enim non euertat omnem loquendi consuetudinem, si ei diuinationem concedat, & adimat res diuinas, è quibus diuinatio nominata est? Quare illa vestra definitio, ni fallor, nescio quid aliud quod ad sapientiam non pertineret, inclusit. Tum Trigetius: Definitionem istam, inquit, defendet, si libebit, ille qui protulit. Nunc mihi tu volo respõdeas, vt tandem ad id quod agitur, veniamus. Isthic sum, inquit ille: Dashe, ait, Albicerium scisse verum? Do, inquit. Melior igitur tuo sapiente. Nullo modò, ait ille: nam quod genus veri sapiens inquirit, non solum ille delirus hariolus, sed ne ipse quidem sapiens dum in hoc corpore viuit assequitur: quod tamen tantum est, vt multo sit præstabilius hoc semper quærere, quàm illud aliquando inuenire. Necesse est, ait Trigetius, vt mihi in angustiis definitio illa subueniat. Quæ si propterea tibi vitiosa visa est, quia cõplexa est eum quem non possumus vocare sapientem, quæro vtrum eam probes, si sapiẽtiam rerum humanarum diuinarumq; scientiam dicemus, sed earum quæ ad beatam vitam pertineant. Est, inquit ille, & ista sapientia, sed non sola: vnde superior definitio inuasit alienum, hęc autem proprium deseruit: quare illa auaritiæ, ista stultitię co-
Sapientia descriptio. argui potest. Etenim vt ipse iam explicem definitione quod sentio, sapientia mihi videtur esse rerum humanarum diuinarumque quæ ad beatam vitam pertineant non scientia solum, sed etiam diligens inquisitio. Quam descriptionem si partiri velis, prima pars quæ scientiam tenet, Dei est: hæc autem quæ inquisitione contenta est, hominis. Illa igitur Deus, hac autem homo beatus est. Tum ille: Miror, inquit, sapientem tuum quomodo asseras frustra operam cõsumere. Quomodo, inquit Licentius, frustra, cùm tantam mercedem conquirat? Nam hoc ipso quo quærit, sapiens est: & quo sapiens, eo beatus: cùm ab omnibus inuolucris corporis mẽtem quantum potest, euoluit, & seipsum in semetipsum colligit, cùm se non permittit cupiditatibus laniãdum, sed in se atq; in Deum semper tranquillus intendit, vt & hic, quod beatũ esse suprà inter nos conuenit, ratione perfruatur, & extremo die vitæ ad id quod concupiuit, adipiscendum reperiatur paratus, fruaturque meritò diuina beatitudine, qui humana sit antè perfruitus. TVM ego, *CAP. IX. Epilogus.* cùm Trigetius quid sibi esset respondendum diu quæreret, Non puto inquam Licenti etiam argumenta huic defutura, si eum ociosè quærere permittamus: quid enim ei quouis loco defuit ad respondendum? Nam primo ipse intulit, quoniam de beata vita quæstio nata est, & beatum solum necesse est esse sapientem, siquidem stultitia etiam stultorum iudicio misera est: perfectum sapientem esse debere, non autem perfectum esse, qui adhuc verum quid sit inquirit, vnde ne beatum quidem. Cui loco tu cùm molem authoritatis obijceres, modestè aliquantum Ciceronis nomine perturbatus, tamen se statim erexit, & generosa quadam cõtumacia in verticem libertatis exiliit, rursumque arripuit quod erat de manibus violenter excussum: quæsiuitq; abs te, vtrum tibi perfectus qui adhuc quæreret videretur: vt si fatereris non esse perfectum, ad caput recurreret, demonstraretque, si posset, per illam definitionem, perfectum esse hominem, qui secundum legem mẽtis vitam gubernaret: ac per hoc, beatum nisi perfectum esse non posse. A quo te laqueo cùm expedisses cautius quàm putabam; & perfectũ hominem diceres, inquisitorem diligẽtissimum veritatis, ipsaque illa definitione, qua beatam vitã illam demum esse dixeramus, quę secundum rationem ageretur, tu præfidentius apertiusq; pugnasses, & ille tibi planè reposuit: nam occupauit præsidium tuum; vnde pulsus omnino summam rerum amiseras, ni te induciæ reparassent. Vbi enim arcem locauerunt

Acade-

Academici, quorum tueris ſententiam, niſi in erroris definitione? Quę tibi niſi noctu fortaſſe per ſomnium rediret in mentem, iam quid reſponderes non habebas, cùm in exponenda Ciceronis ſententia idipſum tu ipſe ante commemoraueris. Deinde ventum eſt ad definitionem ſapientiæ, quam cum tanta calliditate labefactare conareris, vt tua furta nec ipſe auxiliator tuus Albicerius hariolus fortaſſe cõprehenderet, quãta tibi vigilantia, quantis viribus reſtitit, quàm te penè inuoluit atque depreſſit: niſi poſtremò te tua definitione noua tutareris, diceresq; humanam eſſe ſapientiam inquiſitionem veritatis, ex qua propter animi tranquillitatem beata vita contingeret. Huic iſtæ ſententiæ non reſpondebit, præſertim ſi in prorogãda die vel parte quæ reſtat, reddi ſibi gratiam poſtulabit. Sed ne longum faciamus, iam, ſi placet, ſermo iſte claudatur, in quo immorari etiam ſuperfluum puto. Tractata enim res eſt pro ſuſcepto negocio ſatis, quæ poſt pauca omnino poſſet verba finiri, niſi exercere vos vel lem, neruosq́ veſtros & ſtudia, quæ mihi magna eſt cura, explorare: nam cùm inſtituiſſem vos ad quærendam veritatem magnoperè hortari, cœperam ex vobis quærere quantum in ea mométi poneretis: omnes autem poſuiſtis tantum, vt plus non deſiderem. Nam cùm beati eſſe cupiamus, ſiue id fieri non poteſt niſi inuenta, ſiue non niſi diligenter quęſita veritate: poſtpoſitis cæteris omnibus rebus, nobis, ſi beati eſſe volumus, perquirenda eſt. Quamobrem iam iſtam, vt dixi, diſputationem terminemus, & relatam in literas mittamus Licenti potiſſimum patri tuo, cuius erga philoſophiam iam prorſus animum teneo. Sed adhuc quæ admittat, quæro fortunam. Incendi autem in hęc ſtudia vehementius poterit, cùm teipſum iam intentum mecum ſic viuere, non audiendo ſolum, verùm etiam legendo iſta cognouerit. Tibi autem ſi, vt ſentio, Academici placent, vires ad eos defendendos validiores para, nam illos ego reos citare decreui. Quæ cùm eſſent dicta, prandium paratum eſſe annunciatum eſt, atque ſurreximus.

D. AVRELII AVGVSTINI
CONTRA ACADEMICOS, LIB. II.

CAP. I. *Contra Academicorum rationes Dei auxilio opus eſt.*

SIQVAM neceſſe eſt, diſciplina atque ſcientia ſapientiæ vacuum eſſe non poſſe ſapientem, tam eam neceſſe eſſet inuenire dum quæritur, omnis profectò Academicorum vel calumnia, vel pertinacia, vel peruicacia, vel (vt ego interdum arbitror) congrua illi tempori ratio, ſimul cum ipſo tempore, & cum ipſius Carneadis Ciceronisq́ue corporibus ſepulta foret. Sed quia ſiue vitæ huius multis variisq́ue iactationibus, Romaniane, vt in eodem te probas, ſiue ingeniorum quodam ſtupore, vel ſocordia, vel torditate torpentium, ſiue deſperatione inueniendi, quia non quàm facilè oculis iſta lux tam facilè mentibus ſapiẽtiæ ſidus oboritur, ſiue etiam qui error omnium populorum eſt, falſa opinione inuentæ à ſe veritatis, nec diligenter homines quærunt, ſi qui quærunt, & à quærendi voluntate auertuntur, euenit vt ſcientia rarò paucisq́ue proueniat. Eoq́ue fit, vt Academicorum arma, quando cum eis ad manus venitur, nec mediocribus viris, ſed acutis, & bene eruditis, inuicta & quaſi Vulcania videantur. Quamobrem contra illos fluctus procellasq́ue fortunæ, cùm obnitendum remis qualiumcunq; virtutum, tum in primis diuinum auxilium omni deuotione atque pietate implorandum eſt, vt intentio cõſtantiſſima bonorum ſtudiorum teneat curſum ſuum à quo eam nullus caſus excutiat, quo minus illã philoſophiæ tutiſſimus iucũdiſſimusq́; portus accipiat. Hæc prima tua cauſa eſt, hinc tibi metuo, hinc te tupio liberari, hinc (ſi modò dign⁹ ſim qui impetrem) quotidianis votis auras tibi proſperas orare nõ ceſſo, oro autem ipſam ſummi Dei virtutem atque ſapientiam. Quid eſt enim aliud, quem myſteria nobis tradunt Dei filium? Multum autem me adiuuabis pro te deprecantem, ſi non nos exaudiri poſſe deſperes, nitarisq́ue nobiſcum & tu non ſolùm votis, ſed etiam voluntate, atque illa tua naturali mentis altitudine propter quam te quæro, qua ſingulariter delector, quam ſemper admiror, quæ in te, proh nefas, illis rerum domeſticarum nubibus quaſi fulmen inuoluitur, & multos, ac penè omnes latet. Me autem & alium, vel tertium familiariſſimos tuos latere non poteſt, qui ſæpe non ſolùm attẽtius audiuimus murmura tua, ſed etiam nonnulla fulgura fulminibus propiora conſpeximus. Quis enim, vt cætera pro tempore taceam, & vnum commemorem, quis, inquam, tam ſubitò vnquam tantum intonuit, tantumq́ue lumine mentis emicuit, vt ſub vno fremitu rationis, & quodã coruſcamine temperantiæ, vno die, illa pridie ſæuiſſima penitus libido moreretur? Ergóne non erumpet aliquando iſta virtus, & multorum deſperantium riſus, in horrorem ſtuporemq́ue conuertet, & locuta in terris, quaſi quædam futurorum ſigna, rurſus proiecto totius corporis onere recurret in cælum? Ergóne Auguſtinus de Romaniano fruſtra iſta dixit? Nõ ſinet ille cui me totum dedi, quem nunc recognoſcere aliquantulũ cœpi. ERGO aggredere mecum philoſophiam: hîc eſt quicquid te anxium ſæpe, atque dubitantem mirabiliter ſolet mouere: non enim metuo aut à ſocordia morũ, aut à tarditate ingenij tui. Quis enim te quando aliquantum reſpirare conceſſum eſt, in ſermonibus noſtris vigilantior? quis acutior apparuit? Ergóne tibi gratiam non repenſabo? An fortaſſe paululum debeo? Tu me adoleſcentulum pauperem, ad peregrina ſtudia pergentem, & domo, & ſumptu, & (quod plus eſt) animo excepiſti. Tu patre orbatum amicitia conſolatus es, hortatione animaſti, ope adiuuiſti. Tu in noſtro ipſo municipio, fauore, familiaritate, communicatione domus tuæ penè tecum clarum primatemq́ue me feciſti. Tu Carthaginem illuſtrioris profeſſionis gratia remeantem, cùm tibi ſoli & meorum nulli conſilium meum, ſpemq́ue aperuiſſem, quamuis aliquantum illo tibi inſito, quia ibi iam docebam, patriæ amore cunctatus es, tamen vbi euincere adoleſcentis cupiditatẽ, ad ea quæ videbantur meliora tendentis nequiſti, ex dehortatore in adiutorem mira beneuolentię moderatione conuerſus es. Tu neceſſariis omnibus iter adminiculaſti meum. Tu ibidem rurſus, qui cunabula, & quaſi nidum ſtudiorum meorum foueras, iam volare audentis ſuſtentaſti rudimenta. Tu etiam cùm te abſente atque ignorante nauigaſſem, nihil ſuccenſens, quòd non tecum communicaſſem vt ſolerem, atque aliud quiduis quàm contumaciam ſuſpicans, manſiſti inconcuſſus in amicitia: nec plus ante oculos tuos liberi deſerti à magiſtro, quàm noſtræ mentis penetralia puritasq́ue verſata eſt. Poſtremò quicquid de ocio meo modo gaudeo, quod à ſuperfluarum cupiditatum vinculis euolaui, quod depoſitis oneribus mortuarum curarum, reſpiro, reſipiſco, redeo ad me, quod quæro intentiſſimus veritatem, quod inuenire iam ingredior, quod me ad ipſum ſummum bonum peruenturum eſſe confido, tu animaſti, tu impuliſti, tu feciſti. Cuius autem miniſter fueris, plus adhuc fide cõcepi, quàm ratione comprehẽdi. Nam cùm præſens præſenti tibi expoſuiſſem interiores motus animi mei, vehementerq́ue ac ſæpius aſſererem, nullam mihi videri proſperam fortunam, niſi quæ ocium philoſophandi daret, nullam beatam vitam, niſi qua in philoſophia viueretur: ſed me tanto meorum onere, quorũ ex officio meo vita pende-

CAP. II. *Romaniani ad veram philoſophiã hortatur.*

Confeſſ. lib. 6. cap. 14.

Confeſſ. lib. 2. cap. 3.

1. Retract. cap. 1.

penderet, multisque neceſſitatibus, vel vani mei pudoris, vel ineptæ meorum miſeriæ refrenari: tam magno es elatus gaudio, tam ſancto huius vitę inflammatus ardore, vt te diceres, ſi tu ab illarũ importunarum litium vinculis aliquo modo eximereris, omnia mea vincula etiam patrimonij tui mecum participatione rupturum. Itaque cùm admoto nobis fomite diſceſſiſſes, nunquã ceſſauimus inhiantes in philoſophiam, atque illam vitam quæ inter nos placuit atque conuenit, prorſus nihil aliud cogitare: atq; id conſtanter quidem, ſed fortè minus acriter agebamus, putabamus tamen ſatis nos agere. Et quoniam nondum aderat ea flamma, quæ ſumma nos arreptura erat, illã qua lenta ęſtuabamus, arbitrabamur vel eſſe maximam. Cùm ecce tibi libri quidam pleni, vt ait Celſinus, bonas res Arabicas vbi exhalarunt in nos, vbi illi flammulæ inſtillarunt precioſiſſimi vnguenti guttas pauciſſimas, incredibile Romaniane, incredibile, & vltra quàm de me fortaſſe & tu credis (quid amplius dicam?) etiam mihi ipſi de meipſo incredibile incendium concitarunt. Quis me tunc honor, quæ hominum pompa, quæ inanis famæ cupiditas, quod deniq; huius mortalis vitæ fomentum atque retinaculum commouebat? Prorſus totus in me curſim redibam. Reſpexi tamen, confiteor, quaſi de itinere in illam religionem, quæ pueris nobis inſita eſt, & medullitus implicata. Verùm autem ipſa me ad ſe neſcientem rapiebat. Itaque titubans, properans, hæſitans arripio apoſtolum Paulum: neque enim verè iſti, inquam, tanta potuiſſent vixiſſentque ita, vt eos vixiſſe manifeſtum eſt, ſi eorum literæ atque rationes huic tanto bono aduerſarentur. Perlegi totum intentiſſimè atque cautiſſimè. Tum verò quantulocunque iam lumine aſperſo, tanta ſe mihi philoſophiæ facies aperuit, vt non dicam tibi, qui eius incognitæ fama ſemper arſiſti, ſed ſi ipſi aduerſario tuo, à quo neſcio vtrum plus exercearis quàm impediaris, eam demonſtrare potuiſſem, ne ille & Baias, & amœna pomeria, & delicata nitidaque conuiuia, & domeſticos hiſtriones, poſtremò quicquid eum acriter commouet in quaſcunque delicias, abijciens & relinquens, ad huius pulchritudinem blandus amator & ſanctus, mirans, anhelans, æſtuans aduolaret. Habet enim & ille, quod confitendum eſt, quoddam decus animi, vel potius decoris quaſi ſeminarium, quod erumpere in veram pulchritudinem nitens, tortuosè ac deformiter inter ſcabra vitiorum, & inter opinionum fallacium dumeta frondeſcit: tamen non ceſſat frõdeſcere, & paucis acutè ac diligenter in denſa intuentibus quantum ſinitur eminere. Inde eſt illa hoſpitalitas, inde in conuiuiis multa humanitatis condimenta, inde ipſa elegantia, nitor, mundiſſima facies rerum omnium, & vndiq; cuncta perfundẽs adũbratæ venuſtatis vrbanitas.

Confeſſ. lib. 7. cap. 21. & lib. 8. cap. 6.

CAPVT III. *Philocalia & philoſophia.*

PHILOCALIA vulgo ita dicitur: ne contẽnas nomen hoc ex vulgi nomine: nam philocalia & philoſophia propè ſimiliter cognominatæ ſunt, & quaſi *al.* germanę †gentiles inter ſe videri volunt, & ſunt. Quid eſt enim philoſophia? amor ſapientiæ. Quid philocalia? amor pulchritudinis. Quære de Græcis. Quid ergo ſapientia? nónne ipſa vera eſt pulchritudo? Germanæ igitur iſtæ ſunt prorſus, & eodem parente procreatæ: ſed illa viſco libidinis detracta cælo ſuo, & incluſa cauea populari, viciniam tamen nominis tenuit, ad commonendum aucupem ne illam contemnat. Hanc igitur ſine pennis ſordidatam & egentem volitans liberè ſoror ſæpe agnoſcit, ſed rarò liberat: non enim philocalia iſta vnde genus ducat agnoſcit, niſi philoſophia. Quam totam fabulam (nam ſubitò Æſopus factus ſum) Licentius tibi carmine ſuauius indicabit: poëta eſt enim penè perfectus. Ergo ille, ſi veram pulchritudinem, cuius falſę amator eſt, ſanatis renudatisq; paululum oculis poſſet intueri, quanta voluptate philoſophiæ gremio ſe inuolueret? Quomodo ibi te cognitum, ſicut verum fratrem amplecteretur? Miraris hęc, & forſitan rides. Quid ſi hæc explicarem vt volebam? Quid ſi ſaltem vox, ſi adhuc facies videri à te non poteſt, ipſius philoſophiæ poſſet audiri? Mirareris profectò, ſed non rideres, non deſperares. Crede mihi, de nullo deſperandum eſt, de talibus autem minimè. Omnino ſunt exempla, facilè euadit, facilè euolat hoc genus auium, multis incluſis multum mirantibus. Sed ad nos redeamus, nos inquam Romaniane, philoſophemur: reddam tibi gratiam, filius tuus cœpit iam philoſophari: ego eum reprimo, vt diſciplinis neceſſariis prius excultus vigentior & firmior inſurgat, quarũ te ne metuas expertem, ſi bene te noui, aures tibi liberas tantum opto. Nam de indole quid dicam? Vtinam non tam rara eſſet in hominibus, quàm certa eſt in te. Reſtant duo vitia, & impedimenta inueniendæ veritatis, à quibus tibi non multum timeo, timeo tamen ne te contemnas, atque inuenturum eſſe deſperes, aut certè ne inueniſſe te credas. Quorum primum ſi tamen ineſt, iſta tibi diſputatio fortaſſe detrahet. Sæpius enim ſuccenſuiſti Academicis, eo quidẽ grauius, quo minus eruditus eſſes, ſed in eo libentius, quòd veritatis amore illiciebaris. Itaque iam cum Alipio, te fautore, confligam, & tibi facilè perſuadebo quod volo, probabiliter tamen. Nam ipſum verum non videbis, niſi in philoſophiam totus intraueris. Illud autẽ alterũ quod te fortaſſe aliquid inueniſſe præſumis, quamuis à nobis iam quærens, dubitansque diſceſſeris, tamen ſi quid ſuperſtitionis in animum reuolutum eſt, eijcietur profectò, vel cùm tibi aliquam inter nos diſputationem de religione miſero, vel cùm præſens tecum multa contulero. Ego enim nunc aliud nihil ago, quàm me ipſe purgo à vanis perniciosiſq; opinionibus. Itaq; nõ dubito melius mihi eſſe, quàm tibi eſt. Vnum tantum eſt vnde inuideam fortunæ tuæ, quòd ſolus frueris † Luciniano meo: an & tu inuides quia dixi, meo? Sed quid dixi aliud quàm tuo, & omnium quicunque vnum ſumus? De quo tamen vt ſubuenias deſiderio meo, quid te rogem? Tu teipſum pro me roga quantum ſcis, quia debes. Sed nunc ambobus dico, cauete ne quid vos noſſe arbitremini, niſi quod ita didiceritis, ſaltem vt noſtis, vnum, duo, tria, quatuor, ſimul collecta in ſumma fieri decem. Sed item cauete ne vos in philoſophia veritatem aut non cognituros, aut nullo modo ita poſſe cognoſci arbitremini. Nam mihi vel potius illi credite, qui ait, Quærite & inuenietis: nec cognitionem deſperandam eſſe, & manifeſtiorem futuram, quàm ſunt illi numeri. Nunc ad propoſitum veniamus. Iam enim ſerò cœpi metuere, ne hoc principium modum excederet, & non eſt leue. Nam modus proculdubio diuinus eſt, ſed fefellerit cùm dulciter ducit, ero cautior cũ ſapiens fuero.

De vera religione, cap. 7.

1. Retract. cap. 1. *al.* Luciano

Matth. 7. b. 7.

CAPVT III. *Repetuntur in priore libro diſputata.*

POST priſtinum ſermonem, quẽ in primũ librum contulimus, ſeptem ferè diebus à diſputando fuimus ocioſi, cùm tres tantum Virgilij libros, poſt primum recenſeremus, atq; vt in tempore congruere videbatur, tractaremus. Quo tamen opere Licentius in poëticum ſtudium ſic inflammatus eſt, vt aliquantũ mihi etiam reprimendus videretur. Ita enim ab hac intentione ad nullam ſe rem deuocari libenter ferebat. Tandem tamen ad retractandam quam diſtuleramus de Academicis quæſtionem, cùm à me, quantum potui, lumen philoſophiæ laudaretur, non inuitus acceſſit, & fortè dies ita ſerenus effulſerat, vt nulli prorſus rei magis, quàm ſerenandis animis noſtris congruere videretur. Maturius itaque ſolito lectos reliquimus, paululumque cum ruſticis egimus, quod tempus vrgebat. Tum Alipius: Antequam vos, inquit, audiam de Academicis diſputantes, volo mihi legatur

ſermo

fermò ille vester quem dicitis me absente perfectum: non enim possum aliter cùm inde huius disceptationis occasio nata sit, in audiendis vobis, non aut errare; aut certè laborare. Quod cùm factum esset, & in eo penè totum antemeridianum tempus consumptũ videremus, redire ab agro qui deambulãtes nos acceperat, domum instituimus. Et Licentius: Quæso, inquit; ante prandium mihi breuiter totã Academicorũ sententiam exponendo repetere ne graueris; ne quid in ea me fugiat, quod pro partibus meis sit. Faciã, inquã; & eo libentius quo de hac re cogitans parum prãdeas. Ne, inquit ille, isthinc securus sis: nam & multos, & maximè patrem meum sæpe animaduerti, eo edaciorem quo refertior curis esset. Deinde tu quoq; de istis metris cogitantem non sic expertus es, vt cura mea mensa secura sit. Quod quidem apud meipsum mirari soleo: quid enim sibi vult, quod tunc cibum pertinacius appetimus cùm in aliud intendimus animum? Aut quid est quod manibus & dentibus nostris, occupatis nobis, animus imperiosus fit? Audi potius, inquã, de Academicis quod rogaueras, ne te metra ista voluentem, non solùm in epulis sine metro, sed etiam in quæstionibus patiar. Si quid autem pro mea parte occultabo, prodet Alipius. Bona fide tua opus est, inquit Alipius: nam si metuendum est, ne aliquid occultes, à me deprehendi difficile posse arbitror eum, à quo me ista didicisse nullus qui me nouit ignorat, præsertim cùm in prodendo vero non magis victoriæ, quàm animo tuo cõsulturus sis. Agam, inquam, bona fide, quoniam de iure præscribis.

CAP. V. *Academicorum placita.*

NAM & Academicis placuit, nec homini sciẽtiam posse contingere earum duntaxat rerum, quę ad philosophiam pertinent, nam cætera curare se Carneades negabat, & tamẽ hominẽ posse esse sapientem, sapientisq; totũ munus, vt abs te quoq; Licenti illo sermone dissertum est, in conquisitione veri explicari. Ex quo confici, vt nulli etiam rei sapiens assentiatur: erret enim necesse est (quod sapiẽti nefas est) si assentiatur rebus incertis. Et omnia incerta esse non dicebant solùm, verumetiam copiosissimis rationibus affirmabant. Sed verũ non posse comprehendi, ex illa Stoici Zenonis definitione arripuisse videbãtur, qui ait id verum percipi posse, quod ita esset animo impressum ex eo vnde esset, vt esse non posset ex eo vnde non esset. Quod breuius planiusq; sic dicitur, his signis verũ posse cõprehendi, quæ signa non potest habere quod falsum est. Hoc prorsus non posse inueniri, vehementissimè vt conuincerent incubuerũt. Inde dissensiones philosophorum, inde sensuum fallaciæ, inde somnia furoresque, inde pseudomeni & soritæ in illius causæ patrocinio viguerunt. Et cùm ab eodem Zenone accepissent, nihil esse turpius quàm opinari, confecerũt callidissimè, vt si nihil percipi posset, & esset opinatio turpissima, nihil vnquam sapiẽs approbaret. Hinc eis inuidia magna cõflata est: videbatur enim esse consequẽs, vt nihil ageret qui nihil approbaret. Vnde dormientẽ semper, & officiorũ omniũ desertorem, sapientem suum Academici describere videbantur, quem nihil approbare censebãt. Hinc illi inducto quodam probabili, quod etiam verisimile nominabant, nullo modo cessare sapientem ab officiis asserebant, cùm haberet quid sequeretur. Veritas autem siue propter naturę tenebras quasdam, siue propter similitudinem rerũ, vel obruta, vel confusa latitaret. Quamuis & ipsam refrenationẽ, & quasi suspẽsionem assensionis magnam prorsus actionem sapientis esse dicebant. Videor mihi breuiter totum, vt voluisti, exposuisse, nihilq; recessisse à prescriptione Alipi tua, id est, egisse, vt dicitur, bona fide. Si enim aliquid vel non ita vt est dixi, vel fortè non dixi, nihil voluntate à me factum est. Bona ergo fides est, ex animi sententia: homini enim homo falsus docendus, fallax cauendus debet videri: quorum prius magistrum bonum, posterius discipulum cautum desiderat. Tum Alipius: Gratum, inquit, habeo, cùm & Licentio à te satisfactum est, & me onere imposito releuasti. Non enim magis tibi verendum erat, ne quid explorandi mei causa minus à te diceretur (nam alio modo quî fieri poterat?) quàm mihi, si in quoquam te prodere fuisset necesse. Quare faxis, vt illud quod deest, non tam percunctationi, quàm ipsi percunctanti de differentia nouæ ac veteris Academiæ, ne te pigeat exponere. Prorsus, inquam, fateor piget. Quare beneficiũ dederis (nam & hoc quod commemoras, ad rem maximè pertinere negare non possum) si me paululum conquiescente, apud me distinguere ista nomina, & causam nouæ Academiæ aperire volueris. Crederem, inquit, me quoque à prandio te auocare voluisse, ni te magis à Licẽtio territum dudum putarem; & eius postulatio ita nobis præscripsisset, vt ei ante prandium quicquid huius inuolutionis esset, expediretur. Et cũ reliqua dicere tenderet, mater nostra (nam domi iam eramus) ita nos trudere in prandium cœpit, vt verba faciendi locus non esset. *Confess. lib. 9. cap. 4.*

CAP. VI. *Academia noua & vetus.*

DEINDE, cùm tantum alimentorum accepissemus, quantum compescendæ fami satis esset, ad pratum regressis nobis: Alipius, Paream, inquit, sententiæ tuæ, nec ausim recusare. Si enim nihil me fugerit, gratulabor cùm doctrinæ tuæ, tum etiam memoriæ meæ. At si in quoquam fortasse aberrauero, recurabis id, vt deinceps huiusmodi delegationem non pertimescam. Nouæ Academiæ dissidium non tam contra veterem conceptum, quàm cõtra Stoicos arbitror esse commotum. Nec verò dissidium est putandum, siquidem à Zenone illatam nouam quæstionem dissolui discutiq; oportebat: nam de non percipiendo, quamuis nullis conflictationibus agitata, incolens tamen etiam veterum Academicorum mentes sententia non impudẽter existimata est. Quod etiam ipsius Socratis Platonisque ac reliquorum veterum authoritate probatu facile est, qui se hactenus crediderunt ab errore posse defendi, si se assensioni non temerè commisissent: quamuis propriam de hac re disputationem in scholas suas non introduxerint, nec ab illis enucleatè aliquando quæsitum sit, percipi, nec ne veritas possit. Quod cùm Zeno rude ac nouum intulisset, contenderetq; nihil percipi posse nisi quod verum ita esset, vt dissimilibus notis à falsò discerneretur, neque opinationem subeundam esse sapienti, atq; id Archesilas audiret, negauit huiusmodi quicquam posse ab homine reperiri, neque illius opinionis naufragio sapientis committendam esse vitam. Vnde etiam concluſit, nulli rei esse assentiẽdum. Verùm cùm ita res se haberet, vt vetus Academia magis aucta, quàm oppugnata videretur, extitit Philonis auditor Antiochus, qui, vt nonnullis visum est, gloriæ cupidior, quàm veritatis, in simultatem adduxit Academiæ vtriusque sententias. Dicebat enim, rem insolitam, & ab opinione veterum remotissimam, Academicos nouos conatos inducere. In quam rem veterum physicorum, aliorumque magnorum philosophorum implorabat fidem: ipsos etiam Academicos oppugnans, qui se verisimile contenderent sequi, cùm ipsum verum se ignorare faterentur. Multaque argumenta collegerat, quibus nunc supersedendum arbitror. Nihil tamen magis defendebat, quàm percipere posse sapientem. Hanc puto inter Academicos nouos ac veteres controuersiam fuisse. Quæ si secus se habet, vt Licentium plenissimè informes, pro vtroq; postulauerim. Si verò ita est, vt dicere potui, suscepta disputationem peragite.

CAP. VII. *Contra nouos Academicos.*

TVM ego, Quamdiu, inquam, Licenti in isto nostro longiore quàm putabam sermone conquiescis? Audisti qui sint Academici tui? At ille verecundè arridens, & aliquantulum

Apud Ciceronem Acad. quæstio. lib. 2. sic Zeno definit visum non verum.

Ψευδόμενος seipsum falsificãs, & ἀφέτης actionis.

Ex Heraclitii opinione.

hac cõpellatione turbatior: Pœnitet me, inquit, tantopere affirmasse contra Trigetium, beatam vitam in veritatis inquisitione consistere. Nam me ista quæstio ita perturbat, vt vix non miser sim, qui certè vobis, si quid humanitatis geritis, videor miserandus. Sed quid me ipse ineptus crucio? Aut quid exhorreo tanta causæ bonitate subnixus? Prorsus non cedam nisi veritati. Placéntne, inquã, tibi noui Academici? Plurimum, inquit. Ergo verum videtur tibi dicere? Tum ille cùm iam esset assensurus, arrisione Alipij cautior factus, hęsit aliquantulum. Et deinde: Repete, inquit, rogatiunculam. Verúmne, inquam, tibi videntur Academici dicere? Et rursum cùm diu tacuisset: Vtrũ, ait, verum sit, nescio: probabile est tamen. Neq; enim plus video quod sequar. Probabile, inquam, scísne ab ipsis etiam verisimile nominari? Ita, inquit, videtur. Ergo, inquã, verisimilis est Academicorum sententia. Ita, inquit. Iam quæso attende, inquam, diligentius. Si quisquam fratrem tuum visum patris tui similem esse affirmet, ipsumque tuum patrem non nouerit, nónne tibi insanus, aut ineptus videbitur? Et hîc diu tacuit. Tũ ait, Non mihi hoc videtur absurdũ. Cui ego cùm respondere cœpissem: Expecta, inquit, quæso paululum. Ac post arridens, dic mihi, ait, oro te, Iámne certus es de victoria tua? Tum ego: Fac me, inquam, certum esse: non ideo tamen tu causam tuam debes deserere, præsertim cùm hæc inter nos disputatio suscepta sit exercendi tui causa, & ad elimandum animum prouocandi. Nunquídnam, inquit, aut Academicos legi, aut tot disciplinis eruditus sum, quibus tu ad me instructus aduentas? Academicos, inquam, nec illi legerant à quibus primo sententia ista defensa est. Eruditio autem disciplinarumq; copia si te deficit, non vsq; adeò tamen ingenium tuum esse debet inualidum, vt nullo facto impetu paucissimis verbis rogationibusque succũbas. Illud enim iam vereri cœpi, ne tibi citius quàm volo succedat Alipius, quo aduersario non ita securus deambulabo. Ergo vtinam, inquit ille, iam vincar, vt aliquando vos audiam differentes, & quod plus est, videam, quo mihi spectaculo nihil potest felicius exhiberi. Nam quoniam placuit vobis ista fundere, potius quàm effundere, siquidem ore prorumpétia stylo excipitis, nec in terram, vt dicitur, cadere sinitis, legere etiam vos licebit. Sed nescio quomodo cùm admouentur oculis iidem ipsi quos inter sermo editur, bona disputatio si non vtilius, at certè lætius perfundit animum. Gratum habemus, inquam: sed repentina ista gaudia tua temerè illam sententiam euadere coegerunt, qua dixisti, nullum tibi spectaculũ exhiberi posse felicius. Quid si enim illum patrem tuum, quo profectò nemo philosophiam est post tam longam sitim hausturus ardentius, nobiscum ista quærentem ac disserẽtem videbis, cùm ego me fortunatiorẽ nunquam putabo, quid te tandẽ sentire ac dicere conuenit? Hîc verò ille aliquãtum lachrymauit, & vbi loqui potuit, porrecta manu cælum suspiciens: Et quando ego, inquit, Deus hoc videbo, sed nihil est de te desperandũ. hîc cùm penè omnes ab intentione disputationis remitti in lachrymas cœpissemus, obluctans mecum, & vix me colligens: Age potius, inquam, & in vires tuas redi, quas vt congereres vnde patronus Academiæ futurus, lõgè ante monuerã: non opinor ideo, vt modò, *Ante tubam tremor occupet artus:* aut vt visendæ alienæ pugnæ desiderio, tam citò te optes esse captiuũ. Hîc Trigetius, vbi satis attendit iam vultus nostros serenatos: Quid ni iste optet, inquit, homo tam sanctus, vt hoc ei Deus ante vota concesserit? Crede iam Licenti, nam qui non inuenis quid respondeas, & adhuc vt vincare optas, paruæ fidei mihi videris. Arrisimus. Tum Licẽtius: Loquere beatus, inquit, non inueniendo verum, sed certè non quærendo. Qua hilaritate adulescẽtulorum cùm essemus lætiores, Attende, inquam, rogationem, & in viam redi firmior & valentior, si potes. En adsum, inquit, quãtum possum. Quid enim si ille fratris mei visor fama compertum habeat eum esse similẽ patris, potest insanus aut ineptus esse, si credit? Stultúsne, inquam, saltem dici potest? Non continuò, inquit, nisi se id scire contenderit. Nam si vt probabile sequitur quod crebra fama iactauit, nullius temeritatis argui potest. Tum ego: Rem ipsam paulisper consideremus, & quasi ante oculos constituamus. Ecce fac illum nescio quem hominẽ quem describimus esse præsentem: aduenit alicunde frater tuus: ibi iste, cuius hic puer filius? Respondetur: Cuiusdam Romaniani. At hic: Quàm patri similis est, quàm ad me hoc non temerè fama detulerat? Hic tu, vel quis alius: nosti enim Romanianum, bone homo? Non noui, inquit: tamen similis eius mihi videtur. Poteritne quisquam risum tenere? Nullo modo, inquit. Ergo, inquam, quid sequatur vides. Iam dudum, inquit, video. Sed tamen istam conclusionem abs te audire volo: oportet enim alere incipias, quem cœpisti. Quid ni, inquam, cõcludam? Ipsa res clamat similiter ridendos esse Academicos tuos, qui se in vita verisimilitudinem sequi dicunt, cùm ipsum verum quid sit, ignorent.

CAPVT VIII. *Friuola rationes Academicorum.*

TVM Trigetius: Longè mihi, inquit, videtur dissimilis Academicorum cautio ab huius quem descripsisti ineptia. Illi enim rationibus assequuntur quod dicunt esse verisimile: iste autẽ ineptus famam secutus est, cuius authoritate nihil est vilius. Quasi verò, inquam, non ineptior esset, si diceret, patrem quidem eius minimè noui, nec fama comperi quàm sit similis patris, & mihi tantum similis videtur. Ineptior certè, inquit. Sed quorsum ista? Quia tales, inquam, sunt, qui dicunt, verum quidem non nouimus, sed hoc quod videmus eius quod non nouimus simile est. Probabile, inquit, illi dicunt. Cui ego: Quomodo istud dicis? An negas eos verisimile dicere? Et ille inquit: Ego ob hoc dicere volui, vt illam similitudinem excluderem. Videbatur enim mihi fama improbè irruisse in quæstionem vestram, cùm Academici ne oculis quidẽ credant humanis, nedum famæ mille quidem, vt poëtæ fingunt, sed monstruosis tamen luminibus. Nam quis ego tandem sum Academiæ defensor? An in quæstione ista inuidetis securitati meæ? En habes Alipium, cuius aduentus nobis quæso ferias dederit, quem te iamdudum non frustra formidare arbitramur. Tum facto silentio, oculos ambo in Alipium contulerunt. Tum ille: Vellem, inquit, quidem, vt meæ vires patiuntur auxiliari aliquatenus partibus vestris, nisi mihi omen vestrum terrori esset. Sed hanc formidinem, ni me spes fefellerit, facilè fugiam. Simul enim solatur me, quòd præsens Academicorum oppugnator, onus Trigetij victi penè subierit, & nunc eum victorem vestra confessione probabile est. Illud magis vereor, ne & deserti officij negligentiam, & inuasi impudentiam, deuitare non possim. Non enim vos oblitos credo, iudicis mihi munus fuisse delatum. Hîc Trigetius: Illud, inquit, aliud, hoc autem aliud est: quare quæsumus, vt te aliquando patiare priuatum. Non renuerim ait, ne dum impudentiam vel negligẽtiam vitare cupio, in superbiæ, quo vitio nihil est immanius, laqueos incidam, si honorem mihi à vobis concessum, diutius quàm permittitis, teneam.

1. Retract. cap. 1.

Versus Virgilij.

CAP. IX. *Verum inueniri posse.*

PROINDE velim mihi exponas, bone accusator Academicorum, officium tuum, id est, in quorum defensionem hos oppugnes. Metuo enim, ne Academicos refellens, Academicum te probare velis. Accusatorum, inquam, vt opinor, duo genera esse, bene nosti: non enim si à Cicerone modestissimè dictũ est, ita eum Verris esse accusatorem, vt Siculorum defensor esset, propterea necesse

Cicero in Verrem actione prima.

neceſſe eſt, cum qui aliquem accuſat, habere alterum quem defendat. Et ille, Saltem habéſne tu quicquam in quo ſententia tua iam fundata conſtiterit? Facile eſt, inquam, huic rogationi reſpondere, mihi præſertim cui repentina non eſt: iam hoc totum mecum egi, & diu multumque verſaui animo. Quamobrem audi Alipi, quod, vt arbitror, iam optimè ſcis: non ego iſtam diſputationem diſputandi gratia ſuſceptam volo, ſatis ſit quòd cum iſtis adoleſcentulis præluſimus, vbi libenter nobiſcum philoſophia quaſi iocata eſt. Quare auferantur de manibus noſtris fabellę pueriles. De vita noſtra, de moribus, de animo res agitur: qui ſe ſuperaturum inimicitias omnium fallaciarum, & veritate comprehenſa, quaſi in regionem ſuæ originis rediens, triumphaturum de libidinibus, atque ita temperantia velut coniuge accepta regnaturũ eſſe præſumit, ſecurior rediturus in cælum. Vides quid dicam? Tollamus de medio iam cuncta iſta, *Arma acri facienda viro:* nec quicquam minus ſemper optaui, quàm inter eos qui ſecum multum vixerunt, multumque ſermocinati ſunt, oriri aliquid, vnde nouus quaſi conflictus exurgat. Sed propter memoriam, quæ infida cuſtos eſt excogitatorum, referri in literas volui, quod inter nos ſæpe pertractauimus ſimul vt iſti adoleſcentes, & in hæc attendere diſcerent, & aggredi ac ſubire tentarent. Túne ergo neſcis, nihil me certum adhuc habere quod ſentiam, ſed ab eo quærendo Academicorum argumentis atque diſputationibus impediri? Neſcio enim quomodo fecerunt in animo quandam probabilitatem, vt ab eorum verbo nondum recedam, quòd homo verum inuenire non poſſit: vnde piger & prorſus ſegnis effectus eram, nec quærere audebam, quod acutiſſimis ac doctiſſimis viris inuenire non licuit. Niſi ergo prius tam mihi perſuaſero verum poſſe inueniri, quàm ſibi illi non poſſe perſuaſerunt, non audebo quærere, nec habeo aliquid quod defendam. Itaque iſtam interrogationem remoue, ſi placet, & potius diſcutiamus inter nos, quàm ſagaciter poſſumus, vtrúmnam poſſit verum inueniri. Et pro parte mea videor mihi habere iam multa. Ea ſunt autem quibus contra rationem Academicorum niti molior. Inter quos & me modo interim nihil diſtat, niſi quod illis probabile viſum eſt, non poſſe inueniri veritatem, mihi autem inueniri poſſe probabile eſt. Nam ignoratio veri, aut mihi ſi illi fingebant, peculiaris eſt, aut certè vtriſq; communis. TVM Alipius: Iam, inquit, ſecurus incedam: video enim te non tam accuſatorem, quàm adiutorem fore. Itaq; ne longius abeamus, videamus quæſo prius ne per hanc quæſtionem in qua ſucceſſiſſe videor iis qui tibi ceſſerunt, in verbi controuerſiam decidamus, quod te ipſo inſinuante ex authoritate illa Tulliana turpiſſimum eſſe, ſæpe confeſſi ſumus. Cùm enim, ni fallor, Licentius placuiſſe ſibi diceret, de probabilitate Academicorum ſententiam, ſubieciſti quod ille haud dubiè confirmauit, ſcirétne hanc ab eiſdem etiam veriſimilitudinem nominari. Et bene noui, ſiquidem ex te mihi nota ſunt, non abſque te eſſe Academicorum placita. Quæ cùm, vt dixi, animo tuo infixa ſunt, quid verba ſecteris, ignoro. Non eſt iſta, inquam, mihi crede, verborum, ſed rerum ipſarum magna controuerſia: non enim illos viros eos fuiſſe arbitror, qui rebus neſcirent nomina imponere, ſed mihi hæc vocabula videntur elegiſſe, & ad occultandam tardioribus, & ad ſignificandam vigilantioribus ſententiam ſuam. Quod quare & quomodo mihi videatur, exponam, cùm prius illa diſcuſſero, quæ ab eis tanquam cognitionis humanæ inimicis dicta homines putant. Itaque perlibenter habeo huc vſque hodie noſtrum proceſſiſſe ſermonem, vt ſatis quid inter nos quæreretur, aperteque conſtaret. Nam illi mihi videntur graues omnino ac prudentes viri fuiſſe. Si quid autem eſt, quod nunc diſputabimus aduerſus eos erit, qui Academicos inuentioni veritatis aduerſatos fuiſſe crediderunt. Et ne me territum putes, etiam contra eos ipſos non inuitus armabor, ſi non occultandæ ſententiæ ſuæ cauſa, nec ab eis temerè pollutis mentibus, & quaſi prophanis quædam veritatis ſacra proderentur, ſed ex animo illa quæ in eorum libris legimus, defenderunt. Quod hodie facerem, niſi nos ſolis occaſus iam domum redire cõpelleret. Hactenus illo die diſputatum eſt.

POSTRIDIE autem quamuis non minus blandus tranquillusque dies illuxiſſet, vix tamen domeſticis negociis euoluti ſumus. Nam magnam eius partem in epiſtolarum maximè ſcriptione conſumpſeramus. Et cùm iam duæ horæ vix reliquæ forent, ad pratum proceſſimus. Nam inuitabat cæli mira ſerenitas, placuitque vt ne ipſum quidem quod reſtiterat tẽpus perire pateremur. Itaq; cùm ad arborem ſolitã ventum eſſet, & manſiſſemus loco: Velim vos, inquam, adoleſcentuli, quoniã non eſt hodie magna res aggrediẽda, in memoriã mihi reuocetis, quomodo heſterno die rogatiunculæ quæ vos turbauit, Alipius reſponderit. Hîc Licentius: Tam breue eſt, inquit, vt nihil negocij ſit hoc recordari, quàm leue ſit autem tu videris. Nam, vt opinor, vetuit te, res cùm conſtaret, de verbis mouere quæſtionem. Et ego: Hoc ipſum, inquam, quid ſit, quámve habeat vim, ſatis animaduertiſtis? Videor, inquit, mihi videre quid ſit, ſed quæſo tu id pauliſper exponas. Nam ſæpe abs te audiui, turpe eſſe diſputantibus in verborũ quæſtione immorari, cùm certamen nullum de rebus remanſerit. Sed hoc ſubtilius eſt, quàm vt explicandum à me debeat flagitari. Audite ergo, inquã, quid ſit vos: id probabile vel veriſimile Academici vocant, quod nos ad agendum ſine aſſenſione poteſt inuitare. Sine aſſenſione autẽ dico, vt id quod agimus non opinemur verum eſſe, aut nos id ſcire arbitremur, agamus tamen. Vt verbi cauſa, vtrum heſterna nocte tam liquida ac pura, hodie tam lætus ſol exoriturus eſſet, ſi nos quiſpiam rogaret, credo quòd nos id ſcire negaremus, dicerem⁹ tamẽ ita videri. Talia, inquit Academicus, mihi videntur omnia quæ probabilia, vel veriſimilia putaui nominanda, quæ tu ſi alio nomine vis vocare, nihil repugno. Satis enim mihi eſt, te iam bene accepiſſe quid dicam, id eſt quibus rebus hæc nomina imponam. Non enim vocabulorum opificem, ſed rerum inquiſitorem decet eſſe ſapientem. Satiſne intellexiſtis, quomodo mihi ludicra illa quibus vos agitabam, de manibus excuſſa ſint? Hîc cùm ambo ſe intellexiſſe reſpondiſſent, vultuque ipſo reſponſionem poſtularent meam: Quid putatis, inquam, Ciceronem, cuius hæc verba ſunt, inopem fuiſſe Latinæ linguæ, vt minus apta rebus imponeret, quas ſentiebat, nomina?

TVM Trigetius: Iam, inquit, placet nobis, cùm res nota ſit, de verbis nullas calumnias commouere. Quare vide potius quid huic reſpondeas qui nos liberauit, in quos tu impulſus tentas iterum irruere. Et Licentius: Mane, ait, quæſo: nam mihi ſublucet neſcio quid, quo videam non tibi tam facilè tantum argumentum eripi debuiſſe. Et cùm defixus in cogitatione ſiluiſſet aliquantulum: Rogo, inquit, nihil mihi eſſe videtur abſurdius, quàm dicere ſe veriſimile ſequi eum qui verum quid ſit ignoret, nec illa me tua ſimilitudo conturbat. Nam rectè ego interrogatus, vtrum ex iſta temperie cæli nulla in craſtinum pluuia cogatur, reſpondeo eſſe veriſimile, qui me non nego noſſe aliquid veri. Nam ſcio arborem iſtam modò argenteam fieri non poſſe, multaque talia vera non impudenter me ſcire dico, quorum video eſſe ſimilia ea quæ veriſimilia nomino. Tu verò Carneades, vel quædam alia Græca peſtis, vt noſtris parcam:

1. Retract. cap. 1. Hemiſtichium Maronis 8.

CAP. X. Verba Academicorum peculiaria.

CAP. XI. Probabile quid ſit.

Verbis non eſſe immorandũ, cùm res conſtat.

CAP. XII. Rurſum de probabili.

cam : quid enim dubitem in hanc partem transire ad eum cui captiuus debeor iure victoriæ ? Tu ergo cum te nihil veri scire dicas , vnde hoc verisimile sequeris? At enim nomen ei non potui aliud imponere. Quid ergo nobis disputandum est cum eo qui nec loqui potest ? Non ego , inquit Alipius , perfugas metuam, quanto minus ille Carneades , in quem nescio vtrum iuuenili an puerili leuitate commotus , maledicta potius quàm aliquod telum putasti esse iaciẽdum. Nam illi quidem ad roborandam sententiam suam , quæ sempertenus probabili fundata fuit , hoc interim ad uersum te facilè suffecerit , ita nos à veri inuentione procul esse positos , vt tu tibiipsi magno argumento esse possis , qui ita vna interrogatiũcula loco motus es,vt vbi tibi stãdum esset penitus ignorares. Sed hæc atque scientiam tuam quam tibi impressam de hac arbore paulo antè confessus es , in aliud tempus differamus. Quamuis enim iam alias partes delegeris, tamen sedulò docendus es quid paulo antè dixerim. Nondum enim, vt opinor , in eam quæstionem , qua vtrum inueniri verum possit quæritur , progressi fueramus : sed illud tantum in ipso vestibulo defensionis meæ præscribendum putaui , in quo te lapsum prostratumque prospexeram,hoc est vtrum verisimile,an probabile , aut si quo alio nomine appellari potest, quod sibi Academici sat esse dicant, quærendum non esset. Nam si tu optimus iam inuentor veritatis tibi videris,nihil ad me. Postea si ingratus non fueris huic patrocinio meo,eadem fortasse me docebis. Hic ego , cùm verecundè Licentius Alipij impetum formidaret , Omnia potius,inquam, Alipi, loqui maluisti,quàm quemadmodum nobis cum iis qui loqui nesciant, disputandum sit. Et ille : Quoniam olim tum mihi tum omnibus notum est , & nunc tua professione satis indicas te loquendi peritum esse, velim explices vtilitatem primo huius inquisitionis tuæ, quæ aut superflua est,vt opinor, & ei multo magis respondere superfluum est:aut si commoda visa fuerit,& à me explicari nequierit , precario abs te impetrem, vt magistri officium ne grauere. Meministi, inquam,heri me esse pollicitum de istis vocabulis pòst acturum.Et nũc ille sol admonet, vt quæ ludicra pueris proposui redigam in cistas , præsertim cum ea ornandi iam potius quàm vendendi gratia proponam.Nunc antequã stylum nostrum tenebræ occupent,quæ patronæ Academicorum solent esse , volo inter nos hodie plenissimè constet, ad quam quæstionem nobis explicãdam mane surgendum sit. Itaque responde quæso, Vtrum tibi videantur Academici habuisse certam de veritate sententiam, & eam temerè ignotis vel non purgatis animis prodere noluisse. An verò ita senserint, vt eorum disputationes se habent ? Tum ille : Quid illis animi fuerit,inquit,non temerè cõfirmabo. Nam quantum ex libris colligi datur,tu melius nosti quę in verba sententiam suam promere soleant. Me autem de meipso si consulis, inuentum nondum verum esse puto. Addo etiam , quod de Academicis flagitabas , nec posse inueniri me putare , non solum inolita quam semper ferè animaduertisti opinione mea,sed etiam autoritate magnorum excellentiumque philosophorum,quibus nos præbere colla siue imbecillitas nostra, siue sagacitas ipsorum vltra quam nihil iam inueniri posse credendum est, nescio quomodo me compellit. Hoc est, inquam, quod volui. Nam verebar , ne cùm tibi quoq; id videretur quod mihi,disputatio nostra manca remaneret , nullo existente qui ex altera parte rem venire in manus cogeret , vt diligenter quantum possumus versaretur. Itaque si id euenisset, paratus eram te rogare vt Academicorum partes ita susciperes quasi tibi non solum disputasse , sed etiam sensisse viderentur, verum non posse comprehendi. Quæritur ergo inter nos,vtrum illorum argumentis probabile sit, nihil percipi posse,ac nulli rei esse assentiendũ. Quod si obtinueris , cedam libenter. Si autem demonstrare potuero multo esse probabilius,& posse ad veritatem peruenire sapientem,& assensionem non semper esse cohibendam , nihil habebis , vt opinor, cur non te in meam sententiam transire patiaris. Quod cùm illi placuisset,& cæteris qui aderant , iam vespere obumbrati domum reuertimus.

CAP. XIII. *An Academici dissimularint se scire vtrum.*

D. AVRELII AVGVSTINI
CONTRA ACADEMICOS, LIB. III.

CVM post illum sermonem quem Secundus Liber continet, alio die consedissemus in balneis , nam erat tristior quàm vt ad pratum liberet descendere , sic exorsus sum : Arbitror vos iam satis animaduertisse qua de re inter nos discutienda quæstio constituta sit. Sed antequam ad partes meas veniam, quæ ad eam pertinent explicandam , pauca quæso de spe,de vita,de instituto nostro non ab re abhorrentia libenter audiatis. Negocium nostrum non leue aut superfluum , sed necessarium ac summum esse arbitror,magnoperè quærere veritatem : hoc inter me atque Alipium conuenit. Nam & cæteri philosophi sapientem suum eam inuenisse putauerunt , & Academici sapienti suo summo conatu inueniendam esse professi sunt, idque illum agere sedulò. Sed quoniam vel lateret obruta,vel confusa non emineret,ad agendam vitam id eum sequi quod probabile ac verisimile occurreret. Id etiam vestra pristina disceptatione confectũ est. Nam cùm alter inuẽta veritate beatum fieri asseruerit hominem , alter verò tantum diligẽter quæsita , nulli nostrum dubium est, nihil esse à nobis huic negocio præponendum. Quamobrem qualem vobis quæso hesternum diem videmur duxisse? Vobis quidem in studiis vestris viuere licuit. Nam & tu Trigeti Virgilij te carminibus oblectasti , & Licẽtius fingendis versibus vacauit, quorum amore ita perculsus est , vt propter eum maximè mihi istũ sermonem inferendum putarem , quo in eius animo philosophia (nunc enim tempus est) maiorem partem, non modo quam poetica, sed quæuis alia disciplina sibi vsurpet, ac vendicet. CAP. I. *Quis sapiens iuxta Academicos.*

CAPVT II. *An fortuna sapienti necessaria.*

SED quæso vos,nónne miserti nostri estis,cum pridie ita cubitum issemus,vt ad dilatã quæstionẽ & prorsus ad nihil aliud surgeretur, quòd tanta de re familiari necessario peragenda extiterunt , vt his penitus occupati vix duas extremas diei horas in nosmetipsos respirare possemus? Quare semper fuit sententia mea,sapienti iam homini nihil opus esse: vt autem sapiẽs fiat,plurimum necessariam esse fortunam: nisi quid aliud videtur Alipio. Tum ille: Quantum iuris,inquit,fortunæ tribuas, nondum bene noui. Nam si ad contemnẽdam fortunam , fortuna ipsa opus esse arbitraris, me quoque comitem in hanc sententiã do tibi. Sin fortunæ nihil aliud cõcedis,quàm ea quæ corporis necessitati non possunt , nisi ipsa volente suppetere, non ita sentio. Aut enim licet eadem repugnãte atq; inuita,nondum sapienti, cupido tamen sapientiæ ea sumere quæ vitæ necessaria confitemur:aut concedendum est etiam in omni sapientis vita eam dominari,cùm & ipse sapiẽs iis quæ corpori necessaria sunt, non indigere non possit. Dicis ergo, inquã,fortunam esse necessariã studioso sapientiæ, sapienti verò negas. Non ab re est eadem repetere,inquit. Itaq; nũc etiam abs te quæro, vtrum fortunam ad seipsam contẽnendam aliquid iuuare existimas. Quod si arbitraris , dico sapientiæ cupidum magnoperè indigere fortuna. Arbitror , inquam, siquidem per illam erit talis , quais eam

t. Retract. cap. 1.

lis eam possit contemnere: nec absurdum est. Nam sic etiam paruis nobis vbera necessaria sunt, quibus efficitur, vt sine his postea viuere, ac valere possimus. Sententias ait nostras si animi conceptio non dissonat, cõcordare mihi liquet: nisi fortè discernẽdum cuiquam videtur quòd vel fortunæ vel vberum, non ipsa vberà seu fortuna, sed alia res quædam nos faciat contẽptores. Nihil magnum est, inquam, alio simili vti. Nam vt sine naui, vel alio quolibet vehiculo, aut omnino, ne vel ipsum Dædalum timeam, sine vllis ad hanc rem accõmodatis instrumẽtis, aut aliqua occultiore potentia Ægeum mare nemo transmittit, quãuis nihil aliud quàm peruenire proponat, quod cùm ei euenerit illa omnia quibus euectus est, paratus sit abijcere atq; cõtemnere: ita quisquis ad sapientiæ portũ, & quasi firmissimum & quietissimum solum peruenire voluerit, quoniam, vt alia omittam, si cæcus ac surdus fuerit, non potest, quod positum est in potestate fortunæ, necessariam mihi videtur ad id quod concupiuit habere fortunam. Quod cùm obtinuerit, quãuis putetur indigere quibusdam rebus ad corporis valetudinẽ pertinentibus, illud tamen constat, non his opus esse vt sapiens sit, sed vt inter homines viuat. Imò, ait ille, si cæcus ac surdus sit, & sapientiam adipiscendam, & ipsam vitam propter quam sapientia quæritur, mea sententia, iure contemnet. Tamen, inquam, cùm ipsa vita nostra quà hic viuimus si in potestate fortunę, nec nisi viuens quisq; sapiens fieri possit, nónne fatẽdum est opus esse eius fauore, quo ad sapientiam peruehamur? Sed cum sapientia, inquit, non nisi viuentibus sit necessaria, remotaque vita nulla sit indigentia sapientiæ, nihil in propaganda vita pertimesco fortunam. Etenim quia viuo, propterea volo sapiẽtiam, nõ quòd sapientiam desidero, volo vitam. Vnde fortuna si mihi abstulerit vitã, aufert causam quærendæ sapientiæ. Nihil igitur habeo, cur vt fiam sapiens, aut fauorem optem fortunæ, aut impedimenta formidem, nisi alia fortasse protuleris. Tum ego: Non igitur cẽses sapientiæ studiosum posse à fortuna ne ad sapiẽtiam perueniat, impediri, etiam si ei non auferat vitam? Non arbitror, inquit.

CAP. III. *Sapientem scire verum. Differunt sapiens & studiosus.*

VOLO, inquam, mihi paululum aperias, quid tibi inter sapientem & philosophum distare videatur? Sapientem à studioso, ait; nulla re differre arbitror, nisi quod quarum rerum in sapiẽte quidam habitus ineſt, earum est in studioso sola flagrantia. Quæ sunt tandem istæ res? inquam. Nam mihi nihil aliud videtur interesse, nisi quòd alter scit sapientiam, alter scire desiderat. Si scientiam, inquit, modesto fine determinas, ipsam rem planius elocutus es. Quoquo modo, inquam, eam determinem, illud omnibus placuit, scientiam falsarũ rerum esse nõ posse. In hoc mihi, inquit, illa visa fuit obijcienda præscriptio, ne inconsiderata consensione mea facilè in principalis illius quæstionis campis tua æquitaret oratio. Planè, inquam, mihi nihil vbi equitare possem reliquisti. Ná, nisi fallor, quod iamdudũ molior ad ipsum finem peruenimus. Si enim, vt subtiliter vereque dixisti, nihil inter sapientiæ studiosum & sapientem interest, nisi quòd iste amat, ille autem habet sapientiæ disciplinam, vnde etiam nomẽ ipsum, id est, habitum quendam exprimere non cunctatus es: nemo autem habere disciplinam potest in animo qui nihil didicit, nihil autẽ didicit qui nihil nouit, & nosse falsum nemo potest: nouit igitur sapiens veritatem, quem disciplinam sapientiæ habere in animo, id est habitum iam ipse cõfessus es. Nescio, inquit, cuius impudentiæ sim, si habitũ inquisitionis diuinarũ humanarumq; rerum esse in sapiente cõfessum me negare voluero. Sed qui tibi videatur inuentorum probabilium habitus non esse, non video. Concedis mihi, inquã, falsa neminem scire? Facilè quidem inquit. Dic iam si potes, inquam, sapientem nescire sapientiam. Quid enim, ait, hoc limite vniuersã concludis, vt videri sibi non possit, cõprehendisse se sapientiam? Da, inquam, dexterã. Nam si meministi, hoc est quod heri me dixi effecturum, quod nunc non à me concluſum, sed à te vltro mihi oblatum esse gaudeo. Nam cùm inter me & Academicos hoc interesse dixissem, quòd illis probabile visum est, veritatẽ non posse comprehendi, mihi autem nondum quidẽ à me inuentam, inueniri tamen posse à sapiente videatur, tunc tu cum mea interrõgatione vrgereris, vtrũ sapiens nesciat sapientiam, videtur sibi scire, dixisti. Quid tum postea, inquit? Quia si videtur sibi, inquam, scire sapientiam, non ei videtur nihil scire posse sapientem. Aut si sapientia nihil est, volo affirmes. Crederem, verè, inquit, ad calcem nos finemque venisse, sed repentè cũ dexteras interposuisti, disiunctissimos nos esse & in longum progressos video: videlicet quòd hesterno die à nobis nulla alia quęstio constituta videbatur, nisi quòd sapientem ad comprehensionẽ veri peruenire posse, affirmante te, ego negaueram: nunc verò nihil aliud me opinor concessisse tibi, quàm videri posse sapienti probabilium rerum se cõsecutum esse sapientiam: quam tamen sapientiam in inuestigatione diuinarũ humanarumq; rerũ me cõstituisse nulli nostrũ arbitror dubiũ. Non, inquã, ideo quia inuoluis euolueris: videris enim iam mihi exercendi tui causã disputare. Et quia bene nosti istos adolescentulos vix adhuc posse discernere quæ acutè ac subtiliter differuntur, tanquã iudicum abuteris ignorantia, vt tibi quantum libet loqui nullo liceat reclamante. Nam paulo antè dixisti, cũ quærerẽ, vtrum sciret sapiens sapientiam, scire sibi videri. Cui ergo videtur sapientem scire sapiẽtiam, non vtiq; videtur nihil scire sapientem. Hoc enim contendi non potest, nisi quisquam dicere audeat, nihil esse sapiẽtiam. Ex quo fit vt iam hoc tibi, quod etiã mihi videatur (nam mihi videtur) sapientem nonnihil scire: & tibi opinor, cui placet, videri sapienti sapientem scire sapientiã. Tum ille, Non magis me ingenium exercere velle quàm te arbitror, & id miror, non enim tibi vlla in hanc rem exercitatione opus est. Nam mihi adhuc fortasse cæco videtur interesse inter videri sibi scire, & scire: & inter sapiẽtiam quæ in inuestigatione posita est & veritatẽ. quæ à nobis cùm alterutra dicantur, sibi quemadmodum quadrent non inuenio. Tum ego, cũ iam ad prandiũ vocaremur: Non, inquam, mihi quòd tantum reniteris displicet: aut enim ambo nescimus quid loquamur, & danda est opera, ne tam turpes simus: aut vnus nostrum, quod itẽ relinquere atque negligere nõ minus turpe est. Sed pomeridianis horis rediemus ad inuicem. Mihi enim cũ videretur iam nos ad calcem peruenisse, pugnos etiã miscuisti. Hic cùm arrisissent, discessimus.

CAP. IIII. *Sapiens non est qui nihil scit.*

ET cũ rediissemus inuenimus Licentiũ, cui nunquam sitiẽti Helicon subuenisset, excogitandis versibus inhiantẽ. Nam de medio penè prãdio, quamuis nostri prandij idem initium qui finis fuit, clàm surrexerat, nihilque biberat. Cui ego, Opto, quidẽ, inquã, tibi vt istam poeticam quã concupisti complectaris aliquando. Non quòd me nimis delectet ista perfectio, sed quod video te tantum exarsisse, vt nisi fastidio euadere ab hoc amore non possis, quod euenire post perfectionem facile solet. Deinde cùm sis bene canorus, malim auribus nostris inculces tuos versus, quàm vt in illis Græcis tragœdiis, more auicularum quas in caueis inclusas videmus, verba quæ non intelligis cantes. Admoneo tamen vt pergas potum, si voles, & ad scholam redeas nostram, si tamen aliquid iam de te Hortensius & philosophia meretur, cui dulcissimas primitias iam nostro illo sermone libasti, qui te vehementius quàm ista poëtica incenderat ad magnarum & verè fructuosarum rerum scien-

ſcientiam. Sed dum ad iſtarum diſciplinarum quibus excoluntur animi circulum reuocare vos cupio, metuo ne vobis Labyrinthus fiat, & propè me pœnitet ab illo te impetu repreſſiſſe. Erubuit ille, diſceſſitque vt biberet. Nam & multum ſitiebat, & occaſio dabatur euitandi me, plura fortaſſe atque aſperiora dicturum. Et cùm rediſſet intentis omnibus, ſic cœpi: Itáne eſt, Alipi, vt inter nos de re iam, vt mihi videtur, manifeſtiſſima non conueniat? Non mirum eſt, inquit, ſi quod tibi in promptu eſſe aſſeris, mihi obſcurum ſit. Siquidem pleraque manifeſta poſſint aliis manifeſtiora, & item obſcura quædam nonnullis obſcuriora eſſe. Nam ſi & hoc tibi verè manifeſtum eſt, mihi crede, eſſe alium quenquam, cui & hoc manifeſtũ tuum manifeſtius ſit: & item alium cui meum obſcurum obſcurius ſit. Sed ne me perpugnacem diutius putes, obſecrauerim, vt hoc manifeſtum manifeſtius ediſſeras. Attende, inquam, quæſo diligenter, & quaſi ſepoſita paululum reſpondendi cura: ſi enim bene me atque te noui, facile data opera clarebit quod dico, & alter alteri citò perſuadebit. Dixiſti ne tandem, an fortaſſe obſurdueram, videri ſapienti ſe ſcire ſcientiam? Annuit. Omittamus, inquam, paululum iſtum ſapientem. Tu ipſe ſapiens es, an non? Nihil, inquit, minus. Volo, tamen, inquam, reſpondeas mihi quid ipſe ſentias de ſapiente Academico, vtrúmnam tibi videatur ſcire ſapientiam? Vtrum ſibi, inquit, ſcire videatur an ſciat, vnúmne an diuerſum putas? Metuo enim ne hæc confuſio cuiquam noſtrũ ſuffugium præbeat. Hoc eſt, inquam, Tuſcum illud iurgiũ quod dici ſolet, cum quæſtioni intentatæ non eius ſolutio, ſed alterius obiectio videtur mederi. Quod etiam poëta noſter (vt me aliquantum Licentij auribus dedam) decenter in Bucolico carmine hoc ruſticanũ & planè paſtoricium eſſe iudicauit, cùm alter alterum interrogat vbi cæli ſpatium nõ amplius quàm tres vlnas pateat: ille autem, Dic quibus in terris inſcripti nomina regum Naſcantur flores. Quod quæſo, Alipi, ne in villa nobis licere arbitreris: Certè vel iſtæ balneolæ aliquam decoris gymnaſiorum faciant recordationem: ad id, ſi placet, quod rogo reſponde. Videtúrne tibi ſapiens Academicorum ſcire ſapiẽtiam? Ne verba verbis referendo, inquit, in longum eamus, videtur videri ſibi ſcire. Videtur ergo, inquam, tibi, neſcire? Non enim ego quæro quid tibi videatur videri ſapienti, ſed vtrum tibi videatur ſapiens ſcire ſapientiam. Potes, vt opinor, hic aut aiere, aut negare. O vtinam, inquit, aut ita mihi facile eſſet vt tibi, aut ita tibi difficile vt mihi, nec tam moleſtus eſſes, nec in his quicquam ſperares. Nam cùm me interrogares, quid mihi de Academico ſapiente videatur, reſpondi, videri mihi quòd videatur ſibi ſcire ſapientiam, ne aut temerè me ſcire affirmarem, aut illum nõ minus temerè ſcire dicerem. Pro magno, inquam, beneficio mihi obſecro concedas primo, vt ad id quod ego, non ad id quod tute interrogas reſpondere digneris. Deinde vt ſpem meam, quam tibi non minus curæ, quàm mihi tuam eſſe certò ſcio, nunc paululum omittas. Certè ſi me iſta interrogatione decepero, cito tranſibo in tuam partem, controuerſiamque finiemus. Poſtremò vt pulſa neſcio qua ſolicitudine, qua te tangi video, diligentius animaduertas, quo facilè intelligas quid mihi abs te reſpõderi velim. Dixiſti enim ideo te non aut aiere aut negare, quod vtique faciendum eſt ad id quod rogo, ne temerè te ſcire dicas quod neſcis: quaſi verò ego quid ſcias quæſierim, & non quid tibi videatur. Itaque nunc idem planius (ſi tamen planius dici poteſt) interrogo, Videtúrne tibi ſcire ſapiẽtiam ſapiens, an non videtur? Si inueniri, inquit, ſapiens qualem ratio prodit, queat: poteſt mihi videri ſcire ſapientiam. Ratio igitur, inquam, talem tibi prodit

Tuſcum iurgium.

Eclogæ 3.

A eſſe ſapientem, qui ſapientiam non ignoret? Et rectè iſthuc. Non enim aliter decebat videri tibi. Quæro ergo iam, vtrum poſſit ſapiens inueniri? Si enim poteſt, poteſt etiam ſcire ſapientiam, omnisque quæſtio inter nos diſſoluta eſt. Si autem non poſſe dicis, iam non quæretur vtrum ſapiens aliquid ſciat, ſed vtrum ſapiens quiſquam eſſe poſſit. Quo conſtituto, iam recedendum erit ab Academicis, & tecum iſta quæſtio quantum valemus, diligenter cauteque verſanda. Nam illis placuit, vel potius viſum eſt, & eſſe poſſe hominem ſapientem, & tamen in hominem ſcientiam cadere non poſſe. Quare illi ſapientem nihil ſcire affirmarunt. Tibi autem videtur ſcire ſapiẽtiam, quod non eſt vtique nihil ſcire. Simul enim placuit inter nos quod etiam inter omnes veteres, interque ipſos Academicos ſcire falſa neminem poſſe: vnde illud iam reſtat, vt aut contendas nihil eſſe ſapientiam, aut talem ſapientem ab Academicis deſcribi, qualem

B ratio non habeat fatearis. Et his omiſſis conſentias vt quæramus, vtrum poſſit homini talis prouenire ſapientia, qualem prodit ratio. Non enim aliam debemus, aut poſſumus rectè vocare ſapientiam. Et ſi concedam, inquit, quod te magnoperè niti video, ſciri à ſapiente ſapientiam, & aliquid inter nos deprehenſum quod ſapiens poſſit percipere, tamen nequaquam mihi occurrit Academicorum labefactata omnis intentio. Proſpicio enim defenſionis eis locum non minimum reſeruatum, nec illam aſſenſionis ſuſpenſionem eſſe præciſam, cum hoc ipſo cauſæ ſuæ deeſſe non poſſint, quo conuictos putas. Dicent enim vſqueadeo nihil comprehendi, nullique rei aſſenſionem præbẽdam, vt & etiam hoc de nihilo percipiendo, quod tota ſibi penè vita vſque ad te probabiliter perſuaſerant, nunc iſta concluſione ſibi extortum ſit: vt ſiue tunc, ſiue nunc huius argumenti vis tarditate ingenij mei, ſiue re vera ſuo robore inuicta ſit, eos loco mouere non poſſit, cùm audacter affirmare adhuc

C valeant, ne nunc quidem vlli rei conſentiendum eſſe. Fortè enim aliquando contra hoc quoque nonnihil vel à ſe vel à quopiam reperiri poſſe, quod acutè probabiliterque dicatur: ſuamque imaginem & quaſi ſpeculum quoddam in Proteo illo animaduerti oportere, qui traditur eo ſolere capi quo minimè caperetur, inueſtigatoresque eius nunquam eundem tenuiſſe, niſi indice alicuiuſmodi numine. Quod ſi adſit, & illam nobis veritatem quæ tantum curæ eſt demonſtrare dignetur, ego quoq; vel ipſis inuitis, quod minimè reor, illos ſuperatos eſſe confitebor. Bene habet, inquam, profus nihil amplius optaui. Nam videte quæſo, bona mihi quot & quanta prouenerint. Primũ eſt, quod Academici iam ſic conuicti eſſe dicuntur, vt nihil eis reſtet ad defenſionem, niſi quod fieri non poteſt. Quis enim hoc aut intelligere vllo modo, aut credere valeat, eum qui victus ſit, eoipſo quo victus eſt,

D victorem ſe eſſe gloriari? Deinde ſi quid iam remanet cum his conflictionis, non ex eo eſt quod dicunt, nihil ſciri poſſe, ſed ex eo quod nulli rei aſſentiendum eſſe contendunt. Nunc itaq; concordes ſumus. Nam vt mihi, ita etiam illis videtur, ſapientem ſcire ſapientiam. Sed tamen ab aſſenſione illi temperandum monent. Videri enim ſibi tantum dicunt: ſcire autem nullo modo, quaſi ego me ſcire profitear. Mihi quoque videri iſtud dico: ſum enim ſtultus, vt etiam ipſi, ſi neſciunt ſapientiam. Approbare autem nos debere aliquid puto, id eſt veritatem. De quo eos conſulo vtrum negent, id eſt vtrum eis placeat veritati aſſentiendũ non eſſe. Nunquã hoc dicent, ſed eam non inueniri aſſeuerabunt. Ergo & hic ex nonnulla parte ſocium me tenent, quod vtriſque non diſplicet, atque adeo neceſſario placet, conſentiendum eſſe veritati. Sed quis eam demonſtrabit, inquiunt? Vbi ego cum illis

CAP. V. *Veritati aſſentiendum.*

Proteus, de quo Virg. 4. Geor.

Lib. 2. de ordine, cap. 15.

illis non curabo certare, satis mihi est quod iam probabile non est, nihil scire sapientem, ne rem absurdissimam dicere cogantur, aut nihil esse sapientiam, aut sapientiam nescire sapientem. Quis autem verum possit ostendere, abs te Alipi dictum est, à quo ne dissentiam magnoperè mihi laborandum est. Etenim numen aliquod aisti solum posse ostendere homini quid sit verum, cùm breuiter, tum etiam piè. Nihil itaque in hoc sermone nostro libentius audiui, nihil grauius, nihil probabilius, & si id numen vt confido adsit, nihil verius. Nam & Proteus ille quanta abs te mentis altitudine commemoratus, quanta intentione in optimum philosophię genus? Proteus enim ille, vt vos adolescentes non penitus poëtas à philosophia contemnēdos esse videatis, in imaginem veritatis inducitur. Veritatis, inquam, Proteus in carminibus ostentat sustinetque personam, quam obtinere nemo potest, si fallis imaginibus deceptus comprehensionis nodos vel laxauerit vel dimiserit. Sunt enim istæ imagines, quæ consuetudine rerum corporalium per istos quibus ad necessaria huius vitæ vtimur sensus; nos etiam cùm veritas tenetur, & quasi habetur in manibus, decipere atque illudere moliuntur. Hoc ergo tertium bonum mihi accidit, quod non inuenio quanti æstimem. Mecū enim familiarissimus amicus meus, non solum de probabilitate humanæ vitæ, verūetiam de ipsa religione concordat, quod est veri amici manifestissimum indicium. Siquidem amicitia rectissimè atque sanctissimè definita est, rerum humanarum & diuinarum cum beneuolentia & charitate consensio.

CAP. VI. *Veritatem nisi diuina ope non percipi.*

De ciuitate Dei, lib. 10. cap. 10. in fin.

Amicitia quid sit.

CAP. VII. *Academicis primus in philosophia honos.*

TAMEN ne aut Academicorum argumēta quasdam nebulas videantur offundere, aut doctissimorum virorum autoritati, inter quos maximè Tullius non mouere nos non potest, superbè nōnullis resistere videamur, si vobis placet, prius paulca contra eos disseram, quibus videntur disputationes illæ aduersari veritati. Deinde vt mihi videtur, ostendā quæ causa fuerit Academicis occultandæ sententiæ suæ. Itaq; Alipi, quamuis te totum in meis partibus videam, tamen susci pe pro his paululum, mihique responde. Quoniam hodie, inquit, auspicato, vt aiunt, processisti, non impediam pleniſſimam victoriam tuam, & partes illas iam securius, quo abs te imponuntur tentabo susci pere: si tamē hoc quod interrogationibus te acturum esse significas, in oratibnem perpetuam (si tibi commodum est) malis conuertere, ne verè vt pertinax aduersarius, quod à tua humanitate longissimum est, minutis illis telis abs te iam captiuus excrucier. Atque ego cùm & illos hoc expectare animaduerterem, quasi aliud ingressus exordium, Morem, inquam, vobis geram. Et quamuis post illum laborem scholæ Rhetoricæ in hac me leui armatura nōnihil requieturum esse præsumpseram, vt interrogando ista potius agerem quàm dicendo: tamen quia & paucissimi sumus, vt clamare mihi contra valetudinem meam non sit necesse, & istum stylum causa eiusdem salutis quasi aurigam moderatoremque sermonis mei esse volui, ne concitatius rapiar animo quàm cura corporis poscit; perpetua vt vultis oratione audite quid sentiam. Sed primo illud videamus quale sit, vnde amatores Academicorum gloriari nimium solent. Nam est in libris Ciceronis, quos in huius causæ patrocinium scripsit, locus quidam, vt mihi videtur, mira vrbanitate conditus, vt nonnullis autem etiam firmitate roboratus. Difficile est prorsus, vt quenquam non moueat, quod ibi dictum est, Academico sapienti ab omnibus cæterarum sectarum qui sibi sapientes viderentur, secūdas partes dari, cùm primas sibi quenque vendicare necesse sit. Ex quo posse probabiliter confici, eum rectè primum esse iudicio suo, qui omnium cæterorum iudicio sit secundus. Fac enim, verbi causa, Stoicum ad-

Tullius de Academicis.

esse sapientem, nam contra eos potissimum Academicorum exarsit ingeniū. Ergo Zeno vel Chrysippus si interrogentur, quid sit sapiens: respōdebit eum esse quem ipse descripserit. Contrà Epicurus vel quis alius aduersariorum negabit, suumq; potius peritissimum voluptatum aucupem sapientem esse contendet. Inde ad iurgium: Clamat Zeno, & tota illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil esse aliud quàm honestatem: ipsam suo splendore in se animos ducere nullo prorsus commodo extrinsecus posito, & quasi lenocinante mercede: voluptatemque illam Epicuri sōlis inter se pecoribus esse communem, in quorū societatem & hominem & sapientem trudere nefas esse. Contrà ille cōuocata de hortulis in auxilium quasi libera turba temulentorum, quærentium tamē quem incomptis vnguibus bacchantes asperoq; ore discerpant, voluptatis nomē, suauitatem, quietem, teste populo exaggerans, instat acriter, vt nisi ea beatus nemo esse posse videatur. In quorum rixam si Academicus incurrerit, vtroque audiet trahentes se ad suas partes: sed si in illos aut in istos concesserit, ab eis quos deserit, insanus, imperitus, temerariusque clamitabitur. Itaque cùm & hac & illac aurem diligenter admouerit, interrogatus quid ei videatur, dubitare se dicet. Roga nunc Stoicum, quis sit melior, Epicurúsne qui delirare illum clamat, an Academicus qui sibi adhuc de re tanta deliberandum esse pronunciat? Nemo dubitat Academicum prælatum iri. Rursus te ad illum conuerte, & quære quem magis amet, Zenonem; à quo bestia nominatur, an Archesilam, à quo audit. Tu fortasse verum dicis, sed requiram diligentius. Nónne apertum est totam illam porticum insanam, Academicos autem præ illis modestos, cautosq; homines videri Epicuro? Ita peræquè propè de omnibus sectis copiosissimè Cicero iucundissimum legentibus quasi spectaculum præbet, velut ostendens, nullum illorum esse qui non cùm sibi primas partes dederit, quod necesse est, secundas ei eligat dare, quem non repugnare, sed dubitare conspexerit. In quo ego nihil aduersabor, nec eis vllam auferam gloriam. Videatur sanè quibuslibet Cicero hic non iocatus, sed inania & vētosa quædam, quod ab ipsorum Græculorum leuitate non abhorret, sequi & colligere voluisse. Quid enim me impedit, quin si huic vanitati resistere velim, facilè ostendam quanto minus malum sit indoctum esse quàm indocilem. Vnde fit vt cùm se ille Academicus iactāticulus quasi discipulum singulis dederit, nemoque illi quod se scire putat persuadere potuerit, magna illorum postea consensione rideatur. Iam enim quisque alium quemlibet aduersariorum suorum nihil didicisse, hunc verò nihil posse discere iudicabit. Ex quo deinceps de omniū scholis nō fertilis, quod esset deformius quàm molestius, sed illorum palliatorum clauis & fustibus proijcietur. Non enim magnum negocium erit, contra communem pestem velut Herculea quædam postulare auxilia Cynicorum. Si autem ista viliſſima gloria cum his certare libeat, quod philosophanti mihi iam quidem sed nondum sapienti facilióre venia concedendum est, quid habebunt quod possint refellere? Ecce enim faciamus me atque Academicum in illas lites philosophorum irruisse, omnes prorsus adsint. Exponant breuiter pro tempore sententias suas. Quæratur de Carneade quid sentiat. Dubitare se dicet. Itaque illum singuli præferant cæteris. Ergo omnes omnibus, magna nimirum atque altissima gloria. Quis istum nolit imitari? Et ego itaque interrogatus, idem respondebo, par erit laus. Ea igitur gloria gaudet sapiens, in qua illi stultus æquatur? Quid si eum etiam facilè superat? Nihilne agit pudor? Nam istum Academicum iam de iudicio discedentem tenebo. Quippe auidior huiusmo-

CAPVT VIII. *Minus esse malè esse indoctum quàm indocilem cum Academicis.*

Hercules Cynicorum Deus ἀλεξίκακος.

huiusmodi victoriæ stultitia est. Ergo eo retento, prodam iudicibus quod ignorãt. Et dicam, Ego, viri optimi, hoc cum isto commune habeo, quod dubitat quis vertrum verum sequatur. Sed habemus etiã proprias sententias, de quibus peto iudicetis. Nam mihi incertũ est quidẽ, quamuis audierim decreta vestra, vbi sit verum. Sed ideo quod qui sit in vobis sapiens ignoro. Iste autem etiam ipsum sapientẽ negat aliquid scire, ne ipsam quidẽ vnde sapiens dicitur sapiẽtiam. Quis non videat palma illa cuius sit? Nam si hoc aduersarius meus dixerit, vincam gloria. Si autem erubescens confessus fuerit sapientẽ scire sapientiam, vincam sententia.

CAP. IX. *Non est verum, nihil percipi posse.*

SED ab hoc iam litigioso tribunali secedamus in aliquem locũ, vbi nobis nulla turba molesta sit, atq; vtinam in ipsam scholam Platonis, quæ nomẽ ex eo dicitur accepisse, quòd à populo sit secreta: hic iam non de gloria, quod leue ac puerile est, sed de ipsa vita, & de aliqua spe animi beati, quantum inter nos possumus, disseramus. Negãt Academici sciri aliquid posse. Vnde hoc vobis placuit studiosissimi homines, atque doctissimi? Mouit nos, inquiunt, definitio Zenonis. *Zeno.* Cur quæso? Nam si vera est, nonnihil veri nouit, qui vel ipsam nouit. Sin falsa, non debuit constantissimos cõmouere. Sed videamus quid ait Zeno. Tale scilicet visum comprehendi & percipi posse, quale cum falso non haberet signa communia. Hoccine te mouit homo Platonice, vt omnibus viribus ab spe discendi studiosos retraheres, vt totum negocium philosophandi adiuuante quodam etiam mentis ingemiscendo torpore desererent? Sed quomodo illum non permoueret, si & nihil tale inueniri potest, & nisi quid tale est, percipi non potest? Hoc si ita est, dicendum potius erat, nõ posse in hominem cadere sapientiam quàm sapientem nescire cur viuat, nescire quẽadmodum viuat, nescire vtrum viuat. Postremò, quo peruersius magisque delirum & insanum dici nihil potest, simul & sapientem esse, & ignorare sapiẽtiam. Quid enim est durius, hominem non posse esse sapiẽtem, an sapientem nescire sapientiam? Nihil hinc disputandum est, si res ipsa ita posita satis non est ad diiudicandum. Sed illud fortè si diceretur, penitus homines à philosophando auerterentur: nunc verò inducendi sunt sapientiæ dulcissimo ac sanctissimo nomine, vt quum contrita ætate nihil didicerint, postea te summis execrationibus prosequantur, quem relictis saltem voluptatibus corporis, ad animi tormenta sunt sequuti. Sed videamus per quem potius à philosophia deterreantur. Per eúmne qui dixit, Audi amice, philosophia non ipsa sapientia, sed studium sapientiæ vocatur, ad quam te si contuleris, non quidem dum hic viuis sapiens eris: est enim apud Deum sapientia, nec prouenire homini potest: sed quum te tali studio satis exercueris atque mundaueris, animus tuus ea post hanc vitam, id est, quum homo esse desieris, facilè perfruetur? An per eum qui dixerit, Venite mortales ad philosophiam, magnus hic fructus est. Quid enim homini sapientia carius? Venite igitur vt sapientes fitis, & sapientiam nesciatis? Non, inquit, à me ita dicetur. Hoc est decipere, nam nihil aliud apud te inuenietur. Ita fit vt si hoc dixeris, fugiant tanquam insanum. Si alio modo ad hoc adduxeris, facias insanos. Sed credamus propter vtramq; sententiam, æquè homines nolle philosophari. Si aliquid philosophiæ pernicioſum Zenonis definitio dicere cogebat, mi homo, idne homini dicendum fuit, vnde se doleret, an *Zeno.* id vnde te derideret? Tamen quod Zeno definiuit, quantum stulti possumus discutiamus. Id visum ait posse comprehendi, quod sic appareret, vt falsum apparere non posset. Manifestum est, nihil aliud in perceptionem venire. *Archesilas.* Hoc & ego, inquit Archesilas, video, & hoc ipso doceo nihil percipi. Non enim tale aliquid inueniri potest. Fortasse abs te atque ab aliis stultis. At à sapiente cur non potest? Quanquam & ipsi stulto nihil responderi posse arbitror, si tibi dicat vt illo memorabili acumine tuo hanc ipsam Zenonis definitionem refellas, & ostendas eam etiam falsam esse posse: quod si non potueris, hanc ipsam quã percipias habes: si autem refelleris, vnde à percipiendo impediaris non habes. Ego eam refelli posse non video, & omnino verissimam iudico. Itaque quum eam scio, quamuis sim stultus, nonnihil scio. Sed fac illam cedere versutiæ tuæ. Vtar complexione securissima. Aut enim vera est, aut falsa. Si vera, bene teneo: si falsa, potest aliquid percipi, etiamsi habeat communia signa cum falso. Vnde, inquit, potest? Verissimè igitur Zeno definiuit, nec ei quisquis vel in hoc consensit, errauit. An paruæ laudis & sinceritatis definitionem putabimus, quæ contra eos qui erant aduersum perceptionem multa dicturi, quum designaret quale esset quod percipi posset, seipsam talem esse monstrauit? Itaque comprehensibilibus rebus & definitio est, & exemplum. Vtrum, ait, etiam ipsa vera sit, nescio. Sed quia est probabilis, ideo sequens eam ostendo nihil esse tale quale illa expressit, posse comprehendi. Ostendis fortasse præter ipsam, & vides (vt arbitror) quid sequatur. Quòd si etiam eius incerti sumus, nec ita nos deserit scientia. Scimus enim aut veram esse, aut falsam, non igitur nihil scimus. Quanquam nunquam efficiet vt ingratus sim, prorsus ego illam definitionem verissimam iudico. Aut enim possunt percipi & falsa, quod vehementius Academici timent, & re vera absurdum est. Aut nec ea possunt, quę sunt falsis similia. Vnde illa definitio vera est. Sed iam cætera videamus.

CAP. X. *Sciri nonnihil etiã in rerum natura.*

QVAMVIS hæc, nisi fallor, possint ad victoriam satis esse, non tamen fortasse ad victoriæ satietatem. Duo sunt quæ ab Academicis dicuntur, contra quæ vt valemus venire instituimus. Nihil posse percipi. Et nulli rei debere assentiri. De assentiendo mox aliàs, nunc pauca de perceptione dicemus. Nihilne prorsus dicitis posse comprehendi? Hic euigilauit Carneades: nam nemo istorum minus altè quàm ille dormiuit, & circũspexit rerum euidentiam. Itaque credo secum ipse, vt fit, loquens: Ergóne, ait, Carneades dicturus es nescire te vtrum homo sis, an *Carneades.* formica? Aut de te Crysippus triumphauit? *Chrysippus.* Dicamus ea nos nescire quæ inter philosophos inquiruntur, cætera ad nos non pertinere, vt si in luce titubauero quotidiana & vulgari, ad illas imperitorum tenebras prouocem, vbi soli quidam diuini oculi vident. Qui me etiam si palpitantem atque cadentem aspexerint, cæcis prodere nequeant, præsertim arrogantibus, & quos doceri aliquid pudeat. Lautè quidem ô Græca industria succincta & parata procedis, sed non respicis illam definitionem & inuentum esse philosophi, & in vestibulo philosophiæ fixam atque fundatam. Quam si succidere tentabis, rediet bipennis in cruta: illa enim labefactata, non solum potest aliquid percipi, sed etiam id potest quod simillimum falso est, si eam nõ audebis euertere. Est enim latibulum tuum vnde incautos transire cupientes vehemens erumpis atque exilis: aliquis te Hercules in tua spelunca tanquam semihominem Cacum suffocabit, & eiusdem molibus opprimet, docens aliquid esse in philosophia quod tanquam simile falso incertum abs te fieri non possit. Certè ad alia properabam, hoc quisquis vrget, teipsum Carneades magna afficit contumelia, quem à me veluti mortuum putat vbicunque aut vndecunque posse superari. Si autem non putat, immisericors est, qui me passim deserere præsidia & tecum in campo certare cogit: in qué descendere quum cœpissem solo, tuo nomine territus pedem retuli, & de superiore loco nescio quid iaculatus sum,

sum, quod vtrum ad te peruenerit, vel quid egerit, videritne sub quorũ examine dimicamus. Sed quid metuo ineptus? Si bene memini, mortuus es, nec iam pro sepulchro tuo iure pugnat Alipius, facilè me contra vmbram tuam Deus adiuuabit. Nihil ais in philosophia posse percipi. Et vt orationem tuam largè lateq; diffundas, arripis rixas, dissensionesque philosophorum, & eas tibi contra illos arma ministrare arbitraris. Quomodo enim inter Democritum & superiores physicos de vno mundo, & innumerabilibus item diiudicabimus, cùm inter ipsum hæredemque eius Epicurum concordia manere nequiuerit? Nam iste luxuriosus cum atomos quasi ancillulas suas, id est corpuscula quæ in tenebris lætus amplectitur, non tenere viam suam, sed in alienos limites passim & sponte declinare permittit, totum patrimonium etiam per iurgia dissipauit. Hoc verò nihil ad me attinet. Si enim ad sapientiam pertinet horum aliquid scire, id non potest latere sapientem. Si autem aliud quiddam est, sapientiam illam scit sapiens, ista contemnit. Tamen ego qui longè adhuc absum vel à vicinitate sapientis, in istis physicis nonnihil scio. Certum enim habeo, aut vnum esse mundum, aut non vnum: & si non vnum: aut finiti numeri, aut infiniti. Istam sententiam Carneades falsæ esse similem doceat. Item scio mundum istum nostrum, aut natura corporum, aut aliqua prouidentia sic esse dispositum, eumque aut semper fuisse & fore, aut cœpisse esse minimè desiturũ, aut ortum ex tempore non habere, sed habiturum esse finem, aut & manere cœpisse, & non perpetuò esse mãsurum: & innumerabilia physica hoc modo noui. Vera enim ista sunt disiuncta, nec similitudine aliqua falsi ea potest quisquam confundere. Sed assume aliquid, ait Academicus. Nolo. Nam hoc est dicere: Relinque quod scis, dic quod nescis. Sed pendet sententia. Melius certè pendet quàm cadit. Nempe plana est, nempe iam potest aut falsa, aut vera nominari. Hãc ergo me scire dico. Tu qui nec ad philosophiam pertinere ista negas, & eorum sciri nihil posse asseris, ostende me ista nescire: dic istas disiunctiones aut falsas esse, aut aliquid commune habere cum falso per quod discerni omnino non possint.

CAP. XI. Sensus nõ fallit.

VNDE, inquit, scis esse istum mundum, si sensus fallũtur? Nunquam rationes vestræ ita vim sensuum refellere potuerunt, vt cõuinceretis nobis nihil videri: nec omnino ausi estis aliquando ista tentare, sed posse aliud esse ac videtur, vehementer persuadere incubuistis. Ego itaque hoc totum, qualecunque est quod nos continet, atque alit, hoc, inquam, quod oculis meis apparet, à meque sentitur habere terram & cælum, aut quasi terram, & quasi cælum, mundum voco. Si dicis nihil mihi videri, nunquam errabo. Is enim errat, qui quod sibi videtur temerè probat. Posse enim falsum videri à sentientibus dicitis, nihil videri non dicitis. Prorsus enim omnis disputationis causa tolletur, vbi regnare vos libet si non solum nihil scimus, sed etiam nihil nobis videtur. Si autem hoc quod mihi videtur negas mundum esse, de nomine controuersiam facis, cùm id à me dixerim mundum vocari. Etiámne, inquies, si dormis, mundus est iste quem vides? Iam dictum est, quicquid tale mihi videtur, mundum appello. Sed si eum solum placet mundum vocare, qui videtur à vigilantibus vel etiam à sanis, illud contende, si potes, eos qui dormiunt ac furiunt, non in mundo furere atque dormire. Quamobrem hoc dico, istam totam corporum molem atque machinam in qua sumus, siue dormientes, siue furentes, siue vigilantes, siue sani, aut vnam esse, aut nõ esse vnam. Edissere quomodo possit ista esse falsa sententia. Si enim dormio, fieri potest, vt nihil dixerim: aut si etiam ore dormiẽtis verba, vt solet, euaserunt, potest fieri vt nõ hic, non ita sedens, non istis audientibus dixerim: vt aute hoc falsum sit, non potest. Nec ego illud me percepisse dico, quod vigilem. Potes enim dicere, hoc mihi etiam dormienti videri potuisse, ideoque hoc potest esse falso simillimum. Si autem vnus & sex mundi sunt, septem mundos esse, quoquo modo affectus sim, manifestum est, & id me scire non impudenter affirmo. Quare vel hanc connexionem, vel illas superius disiunctiones, doce somno aut furore aut vanitate sensuum posse esse falsas, & me si expergefactus ista meminero, victum esse concedam. Credo enim iam satis liquere quæ per somnium & dementiam falsa videantur, ea scilicet quæ ad corporis sensus pertinent: nam ter terna nouem esse, & quadratum intelligibiliũ numerorum necesse est, vel genere humano stertente sit verum: quanquam etiam pro ipsis sensibus multa posse dici video, quæ ab Academicis reprehensa non inuenimus. Credo enim sensus non accusari, vel quod imaginationes falsas furentes patiuntur, vel quod falsa in somnis videmus. Si enim vera vigilantibus atq; sanis renunciarunt, nihil ad eos quid sibi animus dormiẽtis insanientisq; confingat. Restat vt quæratur, vtrum cùm ipsi renunciant, verum renuncient. Age si dicat Epicureus quispiam, nihil habeo quod de sensibus cõquerar. Iniustum est enim ab eis exigere plusquam possunt: quicquid autem possunt videre oculi, verum vident: ergóne verum est quod de remo in aquâ vident? Prorsus verum. Nam causa accedẽte quare ita videretur, si demersus vnda remus rectus appareret, magis oculos meos falsæ renunciationis arguerem. Non enim viderẽt quod talibus existẽtibus causis videndum fuit. Quid multis opus est? Hoc de turrium motu, hoc de pinnulis auium, hoc de cæteris innumerabilibus dici potest. Ego tamen fallor, si assentiar, ait quispiam. Noli plus assentiri, quàm vt ita tibi apparere persuadeas, & nulla deceptio est. Non enim video quomodo refellat Academicus eum qui dicit: hoc mihi candidum videri scio, hoc auditum meum delectari scio, hoc mihi iucũdè olere scio, hoc mihi sapere dulciter scio, hoc mihi esse frigidum scio. Dic potius, vtrum per se amaræ sint oleastri frondes, quas caper tam pertinaciter appetit. O hominem improbũ: nónne est caper ipse modestior? Nescio quales pecori sint, mihi tamen amaræ sunt. Quid quæris amplius? Sed est fortasse aliquis etiam hominum, cui non sint amaræ. Tendísne in molestiam? Nũquidnam ego amaras esse omnibus dixi: Mihi dixi, & hoc non semper affirmo. Quid si enim aliàs alia causa, nũc dulce quippiam, nunc amarum in ore sentiatur? Illud dico, posse hominem cùm aliquid gustat, bona fide iurare, se scire palato suo illud suaue esse, vel contrà, nec vlla calumnia Græca ab ista scientia posse deduci. Quis enim tam impudens sit, qui mihi cum delectatione aliquid lugurienti dicat: Fortasse non gustas, sed hoc somniũ est? Nunquídnam resisto? Sed me tamen illud in somnis etiam delectaret. Quare illud quod me scire dixi, nulla confundit similitudo falsorum. Et Epicureus vel Cyrenaici, & alia multa fortasse pro sensibus dicant, contra quæ nihil dictum esse ab Academicis accepi. Sed quid ad me? Si volunt ista, & si possunt, etiam me fauente rescindant. Quicquid enim contra sensus ab eis disputatur, nõ contra omnes philosophos valet. Sũt enim qui ista omnia quæ corporis sensu accipit animus opinionẽ posse gignere cõfitentur, scientiã verò negant. Quã tamen volũt intelligentia cõtineri, remotamq; à sensibus in mẽte viuere. Et fortè in eorũ numero est sapiens ille quem quærimus. Sed de hoc aliàs. Nũc ad reliqua pergamus quæ propter ista quæ iã dicta sunt, paucis (nisi fallor) explicabimꝰ.

De columbarum collo. Cic.

CAPVT XII. Rationes de somniis refellit.

QVID enim de moribus inquirentem vel iuuat vel impedit corporis sensus? Nisi verò illos ipsos qui sum-

mum

mum hominis verũ bonũ in voluptate posuere, nihil impedit aut columbæ collũ, aut vox incerta, aut graue põdus homini quod camelis leue est, aut alia sexcẽta, quo minus dicant eo quo delectantur delectari se scire, vel eo quo offendũtur offendi, quod refelli posse non video. Eum commouebunt qui finem boni mẽte complectitur. Quid horum tu eligis? Si quid mihi videatur quæris, in mente arbitror esse summum hominis bonum. Sed nunc de scientia quærimus. Ergo interroga sapientem, qui non potest ignorare sapiẽtiam, mihi tamen tardo illi atque stulto licet interim scire, boni humani finem in quo inhabitet beata vita, aut nullum esse, aut in animo esse, aut in corpore, aut in vtroque. Hoc me, si potes, nescire conuince, quod notissimæ illæ vestræ rationes nullo modo faciũt. Quòd si non potes, non enim reperies cui falso simile sit, ego ne concludere dubitabo, rectè mihi videri scire sapiẽtem quicquid in philosophia verum est, cùm ego inde tam multa vera cognouerim? Sed metuit fortasse, ne summum bonum eligat dormiens. Nihil periculi est, cùm euigilabit, repudiabit si displicet, tenebit si placet. Quis enim eum rectè vituperabit qui falsum vidit in somnis? Aut fortasse illud formidabis, ne dormiens amittat sapientiam, si pro veris falsa probauerit? Hoc iam ne dormiens quidem audet somniare, vt sapientem vigilantem vocet, neget si dormiat. Hæc etiam de furore dici possunt. Sed in alia festinat oratio. Hęc tamẽ sine conclusione securissima non relinquo. Aut enim amittitur furore sapientia, & iam non erit sapiens, quem verum ignorare clamatis: aut scientia eius manet in intellectu, etiam si pars animi cætera id quod accepit à sensibus, velut in somnis imaginetur.

CAP. XIII. *Multa percipi docet dialectica.*

RESTAT dialectica, quam certè sapiens bene nouit, nec falsum scire quisquam potest. Si verò eam nescit, non pertinet ad sapiẽtiam eius cognitio, sine qua esse sapiẽs potuit, & superfluo vtrum vera sit, possitve percipi, quærimus. Hic fortasse aliquis mihi dicat: Soles prodere tu stulte quid noueris. An de dialectica nihil scire potuisti? Ego verò plura quàm de quauis parte philosophiæ. Nam primo omnes illas propositiones, quibus suprà vsus sum, veras esse ista me docuit. Deinde per istam noui alia multa vera. Sed quàm multa sint, numerate, si potestis. Si quatuor in mundo elementa sunt, non sunt quinque. Si sol vnus est, nõ sunt duo. Non potest vna anima & mori & esse immortalis. Non potest homo simul & beatus, & miser esse. Non hic & sol lucet, & nox est. Aut vigilamus nunc, aut dormimus. Aut corpus est, quod mihi videre videor, aut non est corpus. Hæc & alia multa, quæ commemorare longissimum est, per istam didici vera esse, quoquo modo sese habeant sensus nostri in se. Ipsa verò docuit me, si cuius eorum quæ per cõnexionem modo proposui pars antecedens assumpta fuerit, trahere necessariò id quod annexum est. Ea verò quæ per repugnantiam vel disiunctionem à me sunt enunciata, hanc habere naturam, vt cùm auferuntur cætera, siue vnum, siue plura sint, restet aliquid quod eorum ablatione firmetur. Docuit etiam me, cùm de re constat, propter quam verba dicuntur, de verbis non debere contendi. Et quisquis id faciat, si imperitia faciat, docendum esse: si malitia, deserendum. Si doceri non potest, monendum vt aliquid aliud potius agat, quàm tempus in superfluis operamque consumat: si non obtemperat, negligendum. De captiosis autem atque fallacibus ratiunculis breue præceptum est: si malè concedendo inferuntur, ad ea quę concessa sunt esse redeundum. Si verum falsumque in vna conclusione confligunt, accipiendum inde quod intelligitur, quod explicari non potest relinquendum. Si autẽ modus in aliquibus rebus latet penitus hominem, scientiam eius non esse quærendam. Hæc quidem habeo à dialectica, & alia multa quæ commemorare nõ est necesse. Neque enim debeo ingratus existere. Verùm ille sapiens aut hæc negligit, aut si profectò dialectica ipsa scientia veritatis est, sic illam nouit, vt istorum mendacissimam calumniam: si verum est, falsum est: si falsum, verum est: contemnendo, & non miserendo enecet. Hæc de perceptione satis esse propterea puto, quia de assentiendo cùm dicere cœpero, tota ibi rursùm causa versabitur.

CAPVT XIIII. *Sapiens vt sis, alicui sapientiæ assentiaris oportet.*

IAM ergo ad eam partem veniamus, in qua dubitare adhuc videtur Alipius. Et primo id ipsum perspiciamus quale sit, quod te acutissimè atque cautissimè mouet. Nam si tot tantisque rationibus roboratum (hoc enim dixisti) Academicorum sententia, qua eis placuit nihil scire sapientem, hoc tuum labefactat inuentum, quo cogimur cõfiteri multo esse probabilius, sapientem scire sapientiam, magis est assensio cohibenda. Hoc enim ipso ostenditur nihil quamlibet copiosissimis subtilissimisque argumentis posse suaderi, cui non ex parte contraria, si adsit ingenium, non minus acriter, vel fortasse acrius resistatur. Eo fit, vt cùm sit victus Academicus, vicerit. O vtinam vincatur, nunquam efficiet quauis arte Pelasga, vt simul à me victus victorque discedat. Certè nihil aliud inueniatur quod aduersum ista dici possit, & vltro me victum esse profitear. Non enim de gloria comparanda, sed de inueniẽda veritate tractamus. Mihi satis est, quoquo modo molem istam transcendere, quæ intrantibus ad philosophiam sese opponit, & nescio quibus receptaculis tenebrascens talem esse philosophiam totam minatur, nihilque in ea lucis inuentum iri sperare permittit. Quid autẽ amplius desiderarem, nihil habeo, si iam probabile est, non nihil scire sapientem. Non enim alia causa verisimile videbatur eum assensionem sustinere debere, nisi quia erat verisimile nihil posse comprehendi. Quo sublato, percipit enim sapiens vel ipsam vt iam conceditur sapientiam, nulla iam causa remanebit cur non assentiatur sapiens vel ipsi sapientiæ. Est enim sine dubitatione monstruosius sapientem non approbare sapientiam, quàm sapientem nescire sapientiam. Nam quæso, paululum quasi ante oculos tale spectaculum constituamus, si possumus, rixam quandam sapientis & sapientiæ. Quid aliud dicit sapientia, quàm se esse sapiẽtiam? At contrà iste: Non credo, inquit. Quis ait sapientiæ, non credo te esse sapiẽtiam? Quis, nisi is cum quo illa loqui potuit, & in quo habitare dignata est, scilicet sapiens. Ite nunc & me quærite, qui cum Academicis pugnem, habetis iam nouum certamen, sapiens & sapientia secum pugnant. Sapiens non vult consentire sapientiæ, ego vobiscum securus expecto. Quis enim non credat inuictam esse sapientiam? Tamen nos aliqua complexione muniamus. Aut enim in hoc certamine Academicus vincet sapientiam, & à me vincetur, quia non erit sapiens: aut ab ea superabitur, & sapientem sapiẽtiæ consentire docebimus. Aut igitur sapiens Academicus non est, aut nonnulli rei sapiens assentietur: nisi fortè quem dicere puduit sapiẽtem nescire sapientiam, sapientem non consentire sapientiæ dicere non pudebit, aut si iam verisimile est cadere in sapientem vel ipsius sapiẽtiæ perceptionem, & nulla causa est, cur non ei quod potest percipi assentiatur, video quod volebam esse verisimile, sapientem scilicet assensurũ esse sapientiæ. Si quęres vbi inueniat ipsam sapientiam, respondebo in semetipso. Si dicis eum nescire quod habeat, redis ad illud absurdum, sapientem nescire sapientiam. Si sapientem ipsum negas posse inueniri, non iam cum Academicis, sed tecum quisquis hoc sentis, sermone alio differemus. Illi enim cùm hæc disputant, de sapiente profectò disputant. Clamat Cicero, seipsum magnum esse opinatorem, sed de sapiente se quærere. Quòd si adhuc vos adole-

Acneid. 2.

Cicero in Hortensio.

adoleſcentes ignotum habetis, certe in Hortenſio legiſtis. Si igitur nec certi eſt quicquam, nec opinari ſapientis eſt, nihil vnquá ſapiens approbabit: vnde manifeſtum eſt, eos de ſapiente illis ſuis diſputationibus contra quas nitimur quęrere. Ergo arbitror ego ſapiẽti certam eſſe ſapientiam, id eſt, ſapientem percepiſſe ſapientiam. Et ob hoc eum nõ opinari cum aſſentitur ſapientiæ. Aſſentitur enim ei rei, quam ſi nõ percepiſſet, ſapiens non eſſet. Nec iſti quenquam non debere aſſentiri, niſi rebus quę non poſſunt percipi, affirmant. Non autem ſapientia nihil eſt. Cum igitur & ſcit ſapientiam & aſſentitur ſapientiæ, neque nihil ſcit neq; nulli rei ſapiens aſſentitur, quid amplius vultis? An de illo errore aliquid quærimus, quem dicunt penitus euitari, ſi in nullam rem animum declinet aſſenſio? Errat enim, inquiunt, quiſquis nõ ſolum rem falſam, ſed etiam dubiam, quamuis vera ſit, approbat. Nihil autem quod dubium non ſit inuenio. At inuenit ſapiẽs,

CAPVT XV. *Minus errat aſſentiens, quàm ſuſpendens ſententiam.*

vt dicebamus, ipſam ſapientiam. SED hinc iam vultis fortaſſe me diſcedere. Nõ ſunt facile ſecuriſſima relinquenda, cum verſutiſſimis hominibus agimus, morem tamen vobis geram. Sed quid hic dicam? quid, quidnam? illud nimirum vetus dicendum eſt, vbi & ipſi habent quod dicãt. Quid enim faciam quem de caſtris meis foras truditis? num implorabo auxilia doctiorum, cum quibus ſi ſuperare nequeo, minus pudebit fortaſſe ſuperari? Iaciam igitur quibus viribus poſſum fumoſum quidem iam & ſcabrũ, ſed, niſi fallor, validiſſimum telum. Qui nihil approbat, nihil agit. O hominem ruſticum. Et vbi eſt probabile? Vbi eſt veriſimile? Hoc volebatis. Audiſtis ne vt ſonẽt ſcuta Græcanica? Exceptum eſt enim quod robuſtiſſimum quidem. Sed qua manu iaculati ſumus? Et nihil mihi potentius iſti mei ſuggerunt, nec aliquid, vt video, vulneris fecimus. Cõuertam me ad ea quæ villa & ager miniſtrat, onerant me potius maiora quàm præparant: nam cum ocioſos diu cogitaſſem in iſto rure, quo nã modo poſſit iſthuc probabile ac veriſimile actus noſtros ab errore defendere, primo viſum eſt mihi, vt ſolet videri cum iſta vendebam, bellè tectum & munitum. Deinde vbi totum cautius circumſpexi, viſus ſum mihi vidiſſe vnum aditum quà in ſecuros error irrueret. Non enim ſolum puto eum errare, qui falſam viam ſequitur, ſed etiam eum qui veram non ſequitur. Faciamus enim duos viatores ad vnũ locum tendentes, quorum alter inſtituerit nulli credere, alter nimis credulus ſit. Ventum eſt ad aliquod biuium, hic ille credulus paſtori qui aderat, vel cuipiam ruſticano: Salue frugi homo: dic quęſo quà bene in illum locum pergatur. Reſpondetur, Si hàc ibis, nihil errabis. Et ille ad comitem: Verum dicit, hàc eamus. Ridet vir cautiſſimus, & tam citò aſſenſum faceti ſimè illudit, atque interea illo diſcedente in biuio figitur: & iam incipit videri turpe ceſſare, cum ecce ex alio viæ cornu lautus quidam & vrbanus equo inſidens eminet, & propinquare occipit: Gratulatur iſte. Tum aduenienti, & ſalutato indicat propoſitum, quęrit viam, dicit etiam remanſionis ſuæ cauſam, quo beneuolentiorem reddat, paſtori eum præferens. Ille autem caſu planus erat de iis quos Sarmadacos iam vulgus vocat. Tenuit ſuum morem homo peſſimus etiam gratis. Hàc perge, ait: nam ego inde venio. Decipit, atque abiit. Sed quando iſte deciperetur? Non enim monſtrationem iſtam tãquam veram, inquit, approbo: ſed quia eſt veriſimilis. Et hic otioſum eſſe, nec honeſtũ, nec vtile eſt, hàc eam. Interea ille qui aſſentiendo iam errauit, tam citò exiſtimans vera eſſe verba paſtoris, in loco illo quò tendebant iam ſe reficiebat: iſte autem non errans, ſiquidem probabile ſequitur, circumit ſyluas neſcio quas, nec iam cui locus ille notus ſit, ad quẽ venire propoſuerat, inuenit. Verè vobis dicam, cum iſta cogitarem riſum tenere non potui, fieri per Academicorum verba neſcio quomodo, vt erret ille qui veram viam vel caſu tenet, ille autem qui per auios montes probabiliter ductus eſt, nec petitam regionem inuenit, non videatur errare. Vt enim temerariã conſenſionem iure condemnem, facilius ambo errãt, quàm iſte non erret. Hinc iam aduerſum iſta verba vigilantior, ipſa facta hominum & mores conſiderare cœpi. Tum verò tam multa mihi & tam capitalia in iſtos venerunt in mentem, vt iam non riderem, ſed partim ſtomacharer, partim dolerem homines doctiſſimos & acutiſſimos in tanta ſcelera ſententiarum & flagitia deuolutos.

CAPVT XVI. *Facere quod videtur probabile citra aſſenſum, nefarium eſt.*

CERTE enim non fortaſſe omnis qui errat, peccat: omnis tamẽ qui peccat, aut errare conceditur, aut aliquid peius. Quid ſi ergo aliquis adoleſcentium cum hos audierit, dicentes: Turpe eſt errare, & ideo nulli rei conſentire debemus: ſed tamẽ cum agit quiſque quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat. Illud tantum meminerit, quicquid occurrit vel animo vel ſenſibus, non pro vero eſſe approbandum. Id igitur audiens adoleſcens, inſidiabitur pudicitiæ vxoris alienę: Te te conſulo M. Tulli, de adoleſcentium moribus vitáque tractamus, cui educandæ atque inſtituendæ omnes illæ literę tuę vigilauerunt. Quid aliud dicturus es, quàm non tibi eſſe probabile vt id faciat adoleſcens? At illi probabile eſt. Nam ſi ex alieno probabili viuimus, nec tu debuiſti adminiſtrare rempubl. quia Epicuro viſum eſt non eſſe faciendum. Adulterabit igitur ille iuuenis coniugem alienam. Qui deprehenſus ſi fuerit, vbi te inueniet à quo defendatur: quanquam etiam ſi inueniat, quid dicturus es? Negabis profectò. Quid ſi tam clarum eſt, vt fruſtra inficiere? Perſuadebis nimirum, tanquam in Cumano gymnaſio atque adeò Neapolitano, nihil eum peccaſſe, imò etiam nec erraſſe quidem. Non enim faciendum eſſe adulterium pro vero ſibi perſuaſit, probabile ſibi occurrit, ſecutus eſt, fecit: aut fortaſſe nõ fecit, ſed feciſſe ſibi viſus eſt. Iſte autem maritus homo fatuus, perturbat omnia litibus pro vxoris caſtitate proclamans, cum qua fortè nunc dormit, & neſcit. Hoc illi iudices ſi intellexerint, aut negligent Academicos, & tanquam crimen veriſſimũ punient, aut eiſdem obtemperantes, veriſimiliter hominem probabilitérque damnabunt, vt iam quid agat iſte patronus prorſus ignoret. Cui enim ſuccẽſeat non habebit, cum omnes ſe nihil erraſſe dicant, quando non aſſentientes id quod viſum eſt probabile fecerint. Ponet igitur perſonam patroni, & philoſophi cõſolatoris ſuſcipiet: ita facile adoleſcenti qui iam tantum in Academia profecerit perſuadebit, vt ſe tanquam in ſomnis putet eſſe damnatum. Sed vos me iocari arbitramini: libet deierare per omne Diuinum, neſcire me prorſus quomodo iſte peccauerit, ſi quiſquis id egerit quod probabile videtur, non peccat, niſi fortè in totum aliud eſſe dicunt errare, aliud peccare, ſéque illis præceptis egiſſe ne erremus, peccare autem nihil magnum eſſe duxiſſe. Taceo de homicidiis, parricidiis, ſacrilegiis, omnibúſque omnino quæ fieri aut cogitari poſſunt flagitiis, aut facinoribus, quæ paucis verbis, & quod eſt grauius, apud ſapientiſſimos iudices defenduntur: nihil conſenſi, & ideo non erraui. Quomodo autem non facerem quod probabile viſum eſt? Qui autem non putant iſta probabiliter poſſe perſuaderi, legant orationem Catilinæ, qua patriæ parricidium quo vno continentur omnia ſcelera, perſuaſit. Iam illud quis non ridet? Ipſi dicunt, nihil ſe in agendo ſequi niſi probabile, & quærunt magnopere veritatem, cum eis ſit probabile non poſſe inueniri. O mirum monſtrum. Sed hoc omittamus, minus id ad nos, minus ad vitæ noſtræ diſcrimẽ, minus ad fortunarum periculum pertinet. Illud eſt capitale, illud formido-

I. Reg. ca. 1.

Salluſt. in Cat.

losum,illud optimo cuique metuendum, quod nefas A omne,si hæc ratio probabilis erit,cum probabile cuiquam visum fuerit esse faciendum, tãtum nulli quasi vero assentiatur,non solum sine sceleris, sed etiam sine erroris vituperatione cõmittatur. Quid ergo? Hoc illi non viderunt? Imò solertissimè prudentissimèque viderunt,nec mihi vllo pacto tantum arrogauerim,vt M. Tullium aliqua ex parte sequar industria, vigilantia,ingenio,doctrina: cui tamen asserenti, nihil scire posse hominem,†qui hoc solum diceret,scio ita videri mihi, vnde id refelleret non haberet. QVID igitur placuit tantis viris perpetuis & pertinacibus cõtentionibus agere,ne in quenquam cadere veri scientia videretur? Audite iam paulò attentius, non quid sciam, sed quid existimem: hoc enim ad vltimum reseruabam,vt explicarem,si possem,quale mihi videatur esse totum Academicorum consilium. Plato vir sapientissimus & eruditissimus temporum suorũ, qui & ita locutus est,vt quæcunque diceret,magna fierẽt, & ea locutus est, vt quomodocunque diceret, parua non fierent,dicitur post mortem Socratis magistri sui, quem singulariter dilexerat, à Pythagoreis etiã multa didicisse. Pythagoras autem Græca philosophia non contentus,quæ tunc aut penè nulla erat,aut certè occultissima,postquam commotus Pherecydę cuiusdam Syri disputationibus, immortalem esse animum credidit, multos sapientes etiam lõge latéque peregrinatus audierat. Igitur Plato adiiciens lepori subtilitatiq; Socraticæ quam in moralibus habuit, naturalium diuinarúmq; rerum peritiam,quam ab eis quos memoraui diligenter acceperat, subiũgénsque quasi formatricem illarum partium iudicémque dialecticam,quæ aut ipsa esset, aut sine qua sapientia omnino esse non posset,perfectam dicitur composuisse philosophię disciplinam,de qua nunc differere tempus nõ est. Sat est enim ad id quod volo, Platonẽ sensisse duos esse mundos, vnum intelligibilem, in quo ipsa veritas habitaret, istum autem sensibilem, quem manifestum est nos visu tactúque sentire. Itaque illum verum, hunc verisimilem,& ad illius imaginem factum. Et ideo de illo in ea quæ se cognosceret anima velut expoliri & quasi serenari veritatem, de hoc autem in stultorum animis non scientiam sed opinionem posse generari. Quicquid tamen ageretur in hoc mundo,per eas virtutes quas ciuiles vocabat,aliarum verarum virtutum similes,quæ nisi paucis sapientibus ignotæ essent,non posse nisi verisimile nominari. Hæc & alia huiusmodi mihi videntur inter successores eius quantũ poterant esse seruata,& pro mysteriis custodita. Non enim aut facile ista percipiuntur, nisi ab eis qui se ab omnibus vitiis mundãtes, in aliam quandam plus quam humanam consuetudinem vendicauerint, aut non grauiter peccat quisquis ea sciens quoslibet homines docere voluerit. Itaq; Zenonem principem Stoicorum, cum iam quibusdam auditis & creditis,in scholã relictam à D Platone veniisset,quam tũc Polemo retinebat, suspectum habitum suspicor,nec talem visum cui Platonica illa velut sacrosancta decreta facile prodi committique deberent, priusquam dedocuissent ea quæ in illam scholam ab aliis accepta detulerat. Moritur Polemo, succedit ei Archesilas Zenonis quidem condiscipulus,sed sub Polemonis magisterio. Quamobrem cum Zeno sua quadam de mundo,& maximè de anima,propter quam vera philosophia vigilat, sententia delectaretur,dicẽs eam esse mortalem,nec quidquam esse præter hunc sensibilem mundum, nihilque in eo agi,nisi corpore,nam & Deum ipsum ignem putabat: prudentissimè atque vtilissimè mihi videtur Archesilas,cum illud latè serperet malum, occultasse penitus Academiæ sententiam,& quasi aurum inueniendum quandoq; posteris obruisse. Quare cum in falsas opiniones ruere turba sit pronior, & cõsuetudine corporum omnia esse corporea facillimè, sed noxiè credatur,instituit vir acutissimus atque humanissimus, dedocere potius quos patiebatur malè doctos, quàm docere quos dociles nõ arbitrabatur. Inde illa omnia nata sunt quæ nouæ Academiæ tribuuntur, quia eorum necessitatem veteres non habebãt. Quod si Zeno expergefactus esset aliquãdo, & vidisset neq; quidquam comprehendi posse,nisi quale ipse definiebat,neq; tale aliquid in corporibus posse inueniri, quibus ille tribuebat omnia, olim prorsus hoc genus disputationũ, quod magna necessitate flagrauerat, fuisset extinctũ. Sed Zeno imagine constantiæ deceptus, vt ipsis Academicis videbatur, nec mihi etiam non videtur, pertinax fuit, fidesq; illa corporũ pernicioſa quoquo modo potuit peruixit in Chrysippum, qui ei † quàm maximè poterat, magnas vires latius se diffundẽdi dabat, nisi ex illa parte Carneades acrior & vigilantior superioribus cæteris ita restitisset, vt mirer illã opinionem B aliquid etiam postea valuisse. Nanque Carneades primo illam velut calumniandi impudentiam, qua videbat Archesilam non mediocriter infamatum, deposuit, ne contra omnia velle dicere quasi ostentationis causa videretur: sed ipsos propriè sibi Stoicos, atque Chrysippum euellendos euertendósque proposuit.

DEINDE cum vndique premeretur, si nulli rei esset assensus, nihil acturum esse sapientem (ô hominem mirum,atq; adeò non mirum, ab ipsis enim Platonis fontibus profluebat) attendit sapienter quales illi actiones probarẽt, eásque nescio quarum verarum similes videns,id quod in hoc mundo ad agendum sequeretur,verisimile nominauit. Cui enim esset simile & peritè norat, & prudẽter tegebat,idque etiam probabile appellabat. Probat enim bene imaginem quisquis eius intuetur exẽplum. Quomodo enim approbat sapiens, aut quomodo simile sequitur veri, cum C ipsum verum quid sit ignoret? Ergo illi norant, & approbant falsa in quibus imitationem laudabilem rerũ verarum animaduertebant. Sed quia hoc tanquã prophanis nec fas nec facile erat ostendere, reliquerunt posteris, & quibus illo tempore potuerunt, signum quoddam sententiæ suæ. Illos autem bene dialecticos de verbis mouere quæstionem insultantes irridentésque prohibebant. Ob hoc dicitur Carneades etiã tertiæ Academiæ princeps atque auctor fuisse. Deinde in nostrum Tullium cõflictio ista durauit,iam planè saucia & vltimo spiritu Latinas literas inflatura. Nam nihil mihi videtur inflatius,quam tam multa copiosissime atque ornatissime dicere,non ita sentiẽtem. Quibus tamen ventis † fœneus ille Platonicus Antiochus satis,vt mihi videtur,dissipatus atq; dispersus est. Nam Epicureorum greges in animis deliciosorum populorum aprica stabula posuerũt. Quippe Antiochus Philonis auditor hominis quantum arbitror circumspectissimi,qui iam veluti aperire cedẽtibus hostibus portas cœperat,& ad Platonis auctoritatem Academiam legésque reuocare: quanquam & Metrodorus id antea facere tentauerat,qui primus dicitur esse cõfessus, non decreto placuisse Academicis nihil posse comprehendi, sed necessariò cõtra Stoicos huiusmodi eos arma sumpsisse. Igitur Antiochus, vt instituerat dicere, auditis Philone Academico, & Mnesarcho Stoico,in Academiam veterem, quasi vacuam defensoribus,& quasi nullo hoste securam, velut adiutor & ciuis irrepserat,nescio quid inferens mali de Stoicorum cineribus, quod Platonis adyta violaret. Sed huic arreptis iterum illis armis & Philon restitit donec moreretur,& omnes eius reliquias Tullius noster oppressit,se viuo impatiens labefactari vel cõtaminari quicquid amauisset: adeo post illa tempora non longo interuallo omnis peruicacia pertinaciaque demortua, osque

al. si hoc solum diceretur.

CAPVT XVII. Academici quare dissimularint suã sententiam.

1. retr. ca. 1.

In Timæo.

Opinio Platonis ponens duos mũdos.

1. retr. cap. 1

Opinio Zenonis de Deo, Anima, & Mundo.

al. nam.

CAPVT XVIII. Quomodo probabile inductum ab Academicis. 1. retr. cap. 1

1. retr. cap. 1

Antiochus Ascalonita ex vetere Academia fœneum vocat, quod nihil habeat solidi

Mnesarchus & Dardanus tempore Antiochi Athenis Stoicorum principes.

osque illud Platonis quod in philosophia purgatissimum est & lucidissimum, dimotis nubibus erroris emicuit, maximè in Plotino, qui Platonicus philosophus ita eius similis iudicatus est, vt simul eos vixisse, tantum autem interest temporis, vt in hoc ille reuixisse putandus sit.

Cap. xix. *Christiana nimis vera est philosophia.*

ITAQVE nunc philosophos non ferè videmus, nisi aut Cynicos aut Peripateticos aut Platonicos. Et Cynicos quidem, quia eos vitæ quædam delectat libertas atque licentia. Quod autem ad eruditionem doctrinámq; attinet, & mores quibus consulitur animæ, quia non defuerunt acutissimi & solertissimi viri, qui docerent disputationibus suis Aristotelem ac Platonem ita sibi cõcinere, vt imperitis minúsque attentis dissentire videantur, multis quidem sęculis multísque contentionibus, sed tamen ehquata est, vt opinor, vna verissimæ philosophiæ disciplina. Non enim est ista huius mundi philosophia, quam sacra nostra meritissimè detestãtur, sed alterius intelligibilis: cui animas multiformibus erroris tenebris cæcatas, & altissimis à corpore sordibus oblitas, nunquam ista ratio subtilissima reuocaret, nisi summus Deus populari quadam clementia diuini intellectus auctoritatem vsque ad ipsum corpus humanum declinaret, atque submitteret, cuius non solum prœceptis, sed etiam factis excitatæ animæ redire in semetipsas, & respicere patriam, etiam sine disputationum concertatione potuissent.

1. retr. cap. 1.

Cap. xx. *Conclusio operis.*

HOC mihi de Academicis interim probabiliter, vt potui, persuasi. Quod si falsum est, nihil ad me, cui satis est iam non arbitrari non posse ab homine inueniri veritatem. Quisquis autẽ putat hoc sensisse Academicos, ipsum Ciceronem audiat. Ait enim illis morem fuisse occultandi sententiam suam, nec eam cuiquam nisi qui secum ad senectutem vsque vixissent, aperire cõsueuisse. Quæ sit autem ista, Deus viderit, eam tamen arbitror Platonis fuisse. Sed vt breuiter accipiatis omne propositum meum, quoquo modo se habet humana sapientia, eam me video nondum percepisse. Sed cum tricesimum & tertium ætatis annum agam, non me arbitror desperare debere eam me quãdoque adepturum. Contemptis tamen cæteris omnibus quæ bona mortales putant, huic inuestigádæ inseruire proposui. A quo me negotio quoniã rationes Academicorum non leuiter deterrebant, satis, vt arbitror, contra eas ista disputatione muniti sumus. Nulli autem dubium est gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis atque rationis. Mihi autem certũ est nusquam prorsus à Christi auctoritate discedere: nõ enim reperio valentiorem. Quod autẽ subtilissima ratione persequendum est, ita enim iam sum affectus vt quid sit verum non credendo solum, sed etiam intelligẽdo apprehendere impatienter desiderem, apud Platonicos me interim quod sacris nostris non repugnet reperturum esse confido. Hic postquam sermonis finem mecisse aspexerunt, quanquam iam erat nox, & aliquid etiam lucerna illata scriptũ erat, tamen illi adolescentes intentissimè expectabant, vtrum Alipius vel alio die se responsurum esse promitteret. Tum ille: Nihil mihi aliquando, inquit, tam ex sententia proueniisse affirmare paratus sum, quam quod hodierna disputatione discedo superatus, nec istam meam tantum puto debere esse lætitiam. Communicabo ergo eam vobiscum concertatores mei vel iudices nostri. Quandoquidem isto se pacto à suis posteris vinci, ipsi etiam fortasse Academici optarunt. Quid enim vobis hoc sermonis lepore iucundius, quid sententiarum grauitate perpensius, quid beneuolentia promptius, quid doctrina peritius videri aut exhiberi posset? Prorsus nequãquam dignè admirari possum, quòd tam facetè aspera, tam fortiter desperata, tam moderatè conuicta, tam dilucidè obscura tractata sunt. Quare iam socij mei expectationem vestram, qua me ad respondendũ prouocatis, certiore spe mecum ad discendum cõuertite. Habemus ducem qui nos in ipsa veritatis arcana Deo iam monstrante perducat. Hic ego, cum illi puerili quodam studio, quod Alipius responsurus nõ videbatur, quasi fraudatos vultu se ostenderent, inuidetis, inquam arridens, laudibus meis. Sed quoniam de Alipij cõstantia iam securus, nihil eũ timeo, vt vos quoque mihi gratias agatis, instruo vos aduersus illum qui tantam intentionem vestræ expectationis offendit. Legite Academicos, & cum ibi victorem (quid enim facilius) istarum nugarum Ciceronẽ inueneritis, cogatur iste à vobis hunc nostrum sermonem contra illa inuicta defendere. Hanc tibi Alipi duram mercedem pro mea falsa laude restituo. Hic cum arrisissent, finem tantæ conflictationis vtrum firmissimum nescio, modestius tamen & citius quàm sperauerat fecimus.

1. retract. 1.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
DE ORDINE, LIBER I.

D. Augustinus 1. retractat. 3.

De ordine.

PER idem tempus inter illos qui de Academicis scripti sunt, duos etiam libros De ordine scripsi, in quibus magna quæstio versatur, vtrum omnia bona & mala diuinæ prouidentiæ ordo cõtineat. Sed cum rem viderem ad intelligendum difficilem, satis ægre ad eorum perceptionem cum quibus agebam disputãdo posse perduci, de ordine studendi loqui malui, quo à corporalibus ad incorporalia potest profici. Verùm & in his libris displicet mihi sæpe interpositum fortunæ vocabulũ.

Lib. 2. cap. 7. Lib. 1. cap. 2. Lib. 1. cap. 1 & 2. Lib. 1. cap. 8. & 2. ca. 14. Lib. 1. cap. 3.

Et quòd non addebam, corporis, quãdo sensus corporis nominaui. Et quòd multum tribui liberalibus disciplinis, quas multi sancti multum nesciunt, quidam autem qui sciunt eas, sancti non sunt. Et quod Musas quasi aliquas deas, quamuis iocãdo commemoraui. Et quòd admirationem vitium nuncupaui. Et quòd philosophos non vera pietate præditos, dixi virtutis luce fulsisse. Et quòd duos mundos, vnum sensibilem, alterum intelligibilem, non ex Platonis vel ex Platonicorum persona, sed ex mea sic commendaui, tanquam hoc etiam Dominus significare voluerit, quia nõ ait: Regnum meum non est de mũdo: sed, Regnũ meum non est de hoc mundo. cum possit & aliqua locutione dictum inueniri: & si alius à Domino Christo significatus est mundus, ille congruentius possit intelligi, in quo erit cælum nouum & terra noua, quando cõplebitur quod oramus dicẽtes: Adueniat regnum tuum. Nec Plato quidem in hoc errauit, quia esse mundum intelligibilem dixit, si non vocabulum quod ecclesiasticæ consuetudini in re illa non vsitatũ est, sed ipsam rem velimus attendere. Mundum quippe ille intelligibilem, nũcupauit ipsam rationem sempiternam atque incommutabilẽ, qua fecit Deus mundũ. Quam qui esse negat, sequitur vt dicat, irrationabiliter Deum fecisse quod fecit: aut cum faceret vel antequam faceret, nescisse quid faceret, si apud eum ratio faciendi

Lib. 1. ca. 11 & 2. c. 18.

Ioan. 18. f. 36

Apoc. 21. d. 1

Mat. 6. b. 10

Mundus intelligibilis est ratio qua Deus fecit mundum.

non erat. Si vero erat,ſicut erat, ipſam videtur Plato vocaſſe intelligibilem mundum. Nec tamen iſto nomine nos vteremur, ſi iam ſatis eſſemus literis eccle-
Lib.2.ca.20 ſiaſticis eruditi. Nec illud mihi placet,quòd cum dixiſſem,Summa opera dãda eſt optimis moribus: mox addidi: Deus enim noſter aliter nos exaudire non poterit: Bene autem viuentes facilime exaudiet. Sic enim dictum eſt, tanquam Deus non exaudiat pecca-
Ioan.9.f.31 tores, quod quidam dixit in Euangelio, ſed ille qui nondum cognouerat Chriſtum, à quo fuerat iam il-
Lib.2.ca.20 luminatus in corpore. Nec illud placet, quod Pythagorę philoſopho tantum laudis dedi, vt qui hanc legit vel audit, poſſit putare, me credidiſſe nullos errores in Pythagorica eſſe doctrina, cum ſint plures, iidémque capitales. Hoc opus ſic incipit:

CAP. I. Omnia diuina prouidẽtia regi.

ORDINEM rerum, Zenobi, conſequi ac tenere cuique proprium, tum verò vniuerſitatis quo coërcetur ac regitur hic mundus, vel videre vel pandere difficillimum hominibus atque rariſſimum eſt. Huc accedit,quod etiã ſi quis hæc poſſit, non illud quoque valet efficere vt dignum auditorem tam diuinis obſcurisque rebus, vel vitæ merito,vel habitu quodam eruditionis inueniat. Nec tamen quicquam eſt quod magis auidè expetant quæq; optima ingenia, magisque audire ac diſcere ſtudeant qui ſcopulos vitæ huius & procellas velut erecto quantum licet capite inſpiciunt,quam quomodo fiat,vt & Deus humana curet,& tãta in humanis rebus peruerſitas vſquequaque diffuſa ſit,vt non diuinę,ſed ne ſeruili quidem cuipiam procurationi, ſi ei tanta poteſtas daretur, tribuenda eſſe videatur. Quamobrem illud quaſi neceſſarium iis quibus talia ſunt curæ,credendũ dimittitur, aut diuinam prouidentiam non vſque in hæc vltima & ima portẽdi, aut certè mala omnia Dei voluntate committi. Vtrunque impium, ſed magis poſterius. Quanquam enim deſertum Deo quicquam credere,cum imperitiſſimum, tum etiam periculoſiſſimum animo ſit, tamen in ipſis hominibus nemo quenquam non potuiſſe aliquid criminatus eſt. Negligentiæ verò vituperatio multo eſt quàm malitiæ crudelitatisque purgatior. Itaque velut compellitur ratio tenere non immemor pietatis, aut iſta terrena non poſſe à diuinis adminiſtrari, aut negligi atque cõtemni potius quam ita gubernari,vt omnis de Deo ſit mitis atque inculpanda conqueſtio. Sed quis tam cæcus eſt mente, vt quicquam in mouendis corporibus rationis quod præter humanam diſpoſitionem ac voluntatem eſt, diuinæ potentiæ moderationique dare dubitet: niſi fortè aut caſibus tam rara ſubtiliq; dimenſione vel minutiſſimorum quorumq; animaliũ membra figurantur,aut quod caſu quis negat,poſſit niſi ratione factum fateri: aut verò per vniuerſam naturam, quod in ſingulis quibuſque rebus nihil arte humana ſatagẽte ordinatum miramur, alienare à ſecretiſſimo maieſtatis arbitrio vllis nugis vanæ opinionis audebimus. At enim hoc ipſum eſt plenius quæſtionũ, quod membra publicis diſpoſita mirè atque diſtincta ſunt, cum interea humana vita innumerabilium perturbationum inconſtantia verſetur & fluctuet. Sed hoc pacto,ſi quis tam minutum cerneret, vt in vermiculato pauimento, nihil vltra vnius teſſellæ modulum acies eius valeret ambire, vituperaret artificem velut ordinationis & compoſitionis ignarum: eo quòd varietatem lapillorum perturbatam putaret,à quo illa emblemata in vnius pulchritudinis faciem congruentia ſimul cerni colluſtrarique non poſſent. Nihil enim aliud minus eruditis hominibus accidit, qui vniuerſarum rerum coaptationem atque concentum imbecilla mente complecti & conſiderare non valentes, ſi quid eos offenderit,quia ſuę cogitationi magnum eſt, magnam putant rebus inhærere fœditatem. Cuius erroris maxima cauſa eſt, quòd homo ſibiipſi eſt incognitus. Qui tamen vt ſe noſcat, magna opus habet 1.retr.ca.3. conſuetudine recedendi à ſenſibus, & animum in ſeipſum colligendi, atque in ſeipſo retinendi. Quod ij tantum aſſequuntur,qui plagas quaſdam opinionum, quas vitæ quotidianę curſus infligit,aut ſolitudine inurunt,aut liberalibus medicantur diſciplinis.

CAPVT II. Dedicat hãc diſputationẽ Zenobio.

ITA enim animus ſibi redditus quæ ſit pulchritudo vniuerſitatis intelligit, quę profectò ab vno cognominata eſt. Idcircóque illam videre non licet animæ, quæ in multa procedit, ſectatúrque auiditate pauperiem,quam neſcit ſola ſegregatione multitudinis poſſe vitari. Multitudinem autem non hominum dico, 1.retract.3. ſed omnium quæ ſenſus attingit. Nec mirere quòd eo egeſtatem patitur magis, quo magis appetit plura cõplecti. Vt enim in circulo quantumuis amplo vnum eſt medium quò cuncta conuergunt, quod centron geometræ vocant, & quamuis totius ambitus partes innumerabiliter ſecari queant, nihil tamen eſt præter illud vnum quo cætera pariliter dimetiantur, & quod omnibus quaſi quodam æqualitatis iure dominetur: Hinc verò in quamlibet partem ſi egredi velis, eo amittuntur omnia quo in plura pergitur. Sic animus à ſeipſo fuſus immenſitate quadam diuerberatur,& vera mendicitate conteritur, cum eum natura ſua cogit vbique vnum quærere, & multitudo inuenire non ſinit. Sed & hæc quæ dixi qualia ſint, & quæ cauſa extet erroris animarum,quoquo modo & in vnum congruant atque perfecta ſint cuncta, & tamen peccata fugienda ſint, aſſequeris profectò, mi Zenobi. Sic enim mihi notum eſt ingenium tuum, & pulchritudinis omnimodæ amator animus, ſine libidinis immoderatione atque ſordibus. Quod ſignum in te futuræ ſapientiæ pernicioſis cupiditatibus diuino iure præſcribit, ne tuam cauſam deſeras falſis voluptatibus illectus, qua præuaricatione nihil turpius & periculoſius inueniri poteſt. Aſſequeris ergo iſta, mihi crede, cum eruditioni operam dederis, qua purgatur & excolitur animus, nullo modo antè idoneus cui diuina ſemina committantur. Quod totum cuiuſmodi ſit, & quem flagitet ordinem, quidve ſtudioſis & bonis ratio promittat, qualémque vitam nos viuamus chariſſimi tui, & quẽ fructum de liberali ocio carpamus, hi te libri ſatis,vt opinor,edocebunt, nomine tuo nobis quàm noſtra elaboratione dulciores, præſertim ſi te in ipſum ordinem,de quo ad te ſcribo, meliora eligens inſerere atque coaptare volueris. Nam cum ſto- Confeſſ.lib.9 cap.2. machi dolor ſcholam me deſerere coëgiſſet, qui iam, vt ſcis,etiam ſine vlla tali neceſſitate in philoſophiam confugere moliebar, ſtatim me contuli ad villam familiariſſimi noſtri Verecundi. Quid dicam eo libente? Noſti optimè hominis,cùm in omnes,tum verò in nos beneuolentiam ſingularem. Ibi diſſerebamus in- Confeſſ.lib 8 cap.6. & li. 9. cap. 3. ter nos quæcunque videbantur vtilia, adhibito ſanè Lib.1.contra Acad.cap.1. ſtylo quo cuncta exciperentur, quod videbam conducere valetudini meæ. Cum enim nonnulla loquendi cura detinerer, nulla inter diſputandum irrepebat immoderata contentio. Simul etiam vt ſi quid noſtrum literis mandare placuiſſet, nec aliter dicẽdi neceſſitas,nec labor recordationis eſſet. Agebant autem Perſonæ dialogi. iſta mecum Alipius & Nauigius frater meus, & Licẽtius repentè admirabiliter poëticæ deditus. Trigetium item nobis militia reddiderat, qui tanquam veteranus adamauit hiſtoriam. Etiam in libris nonnihil habebamus.

CAPVT III. Occaſio diſputationis.

SED nocte quadam cum euigilaſſem de more, mecúmque ipſe tacitus agitarem quæ in mentem neſcio vnde veniebant. Nam id mihi amor inueniendi veri iam in conſuetudinem verterat, vt

rat, vt aut primam si tales curæ inerant, aut certè vl- A timam dimidiam tamen ferè noctis partem peruigil quodcunque cogitarem: nec me patiebar adolescentium lucubrationibus à meipso auocari: quia & illi per totum diem tantum agebant, vt nimium mihi videretur, si aliquid etiam noctium in studiorum laborem vsurparent, & id à me ipsi quoque præceptum habebant, vt aliquid & præter codices secum agerẽt, & secum habitare consuefacerent animum. Ergo, vt dixi, vigilabam. Cum ecce aquæ sonus pone balneas quæ præterfluebant, eduxit me in aures, & animaduersus est solito attentius. Mirum admodum mihi videbatur, quod nunc clarius, nunc pressius eadem aqua strepebat silicibus irruens. Cœpi à me quærere, quæ nam causa esset. Fateor, nihil occurrebat: cum Licentius lecto suo importunos percusso iuxta ligno sorices terruit, seséque vigilantem hoc modo indica-
1.ser.cap.3 uit. Cui ego: Animaduertisti, inquam, Licenti, nam video tibi Musam tuam lumen ad lucubrandum accendisse, quomodo canalis iste inconstanter sonet? B Iam, inquit, mihi hoc non est nouum. Nam desiderio serenitatis cum expergefactus aliquando aurem admouissem, ne imber ingrueret, hoc agebat aqua ista quod nunc. Approbauit Trigetius. Nam & ipse in eodem conclaui lecto suo cubãs vigilabat nobis nescientibus: erant enim tenebræ, quod in Italia etiam pecuniosis propè necesse est. Ergo vbi vidi scholã nostram quantacunque aderat, nam & Alipius & Nauigius in vrbem ierant, etiam illis horis non sopitam, & me cursus ille aquarum aliquid de se dicere admonebat: Quid nam vobis, inquam, videtur esse causæ quod sic alternat hic sonus? Non enim quenquam putamus his horis vel transitu, vel re aliqua laudãda toties illum meatum interpellare. Quid putas, inquit Licentius, nisi alicubi folia cuiuscemodi quæ autumno perpetuò copioséque decidunt, angustiis canalis intertrusa euinci aliquando atque cedere, vbi autem vnda quæ vrgebat pertransierit, rursum colligi atque stipari: aut aliquid aliud vario casu foliorum natantiũ fieri, quod C ad illum fluxum nunc refrenandum, nunc emittendum similiter valeat? Visum est mihi probabile aliud non habenti, confessúsque sum laudans ingenium eius, nihil me inuenisse cum diu quæsissem, cur ita esset. Tum interposito modico silentio, merito, inquam, tu nihil mirabaris, & apud Calliopem te intus tenebas. Merito, inquit ille. Sed modo planè dedisti mihi magnum mirari. Quid nam hoc est? inquam. Quod
1.ser.cap.3 tu, inquit, ista miratus es. Vnde enim solet, inquam, oboriri admiratio, aut quæ huius vitij mater est, nisi res insolita præter manifestum causarum ordinem? Et ille: Præter manifestum, inquit, accipio: nam præter ordinem nihil mihi fieri videtur. Hic ergo erectior spe alacriore, quàm soleo esse cum aliquid ab his requiro, quod rem tantam & tam subitò heri penè ad ista conuersus adolescentis animus concepisset, nulla vnquam de his rebus inter nos antea quæstione agitata: Bene, inquam, bene: sed prorsus bene multum D sensisti, multum ausus es: Hoc mihi crede, longo interuallo transcendis Heliconem, ad cuius verticem tanquam ad cælum peruenire conaris. Sed peruellem adesses huic sententiæ, nam eam labefactare tentabo. Sine, inquit, modò me mihi, quæso te: nam valde in aliud intendi animum. Hic ego nonnihil metuens ne studio poëticæ penitus prouolutus à philoso-
Ouid.li.Metamorph.3. phia longè raperetur: Irritor, inquam, abs te versus istos tuos omni metrorum genere cantando & vlulando infectari, qui inter te atq; veritatem immaniorem
Lepide alluſit ad parietem per cuius rimam colloquebantur amantes. murum quàm inter amantes tuos conantur erigere: nam in se illi vel inolita rimula respirabant. Pyramum enim ille tum canere instituerat. Quod cum seueriore quàm putabat voce dixissem, subticuit aliquantu-

lum. Et ego iam reliquerã cœpta, & ad me redieram, ne frustra occupare præoccupatum atque ineptè vellem. Tum ille: Egomet meo indicio quasi sorex, inquit, non dictum est commodius apud Terẽtium *In Eunucho.* quàm nunc dici à me de me potest. Sed sanè illud vltimum fortasse in cõtrarium verteretur. Quod enim ait ille, hodie perij, ego hodie fortè inueniar. Nam si non contemnitis quod superstitiosi solent etiam de moribus augurari, si ego illum murem vel soricẽ qui me tibi vigilantem detulit, strepitu meo commonui, si quid sapit redire in cubile suum secúmque conquiescere, cur non ego ipse isto strepitu vocis tuæ commonear philosophari potius quã cãtare? Nam illa est, vt tibi quotidie probanti iam cœpi credere, vera & inconcussa nostra habitatio. Quare si tibi molestũ non est, atque id fieri debere arbitraris, roga quod vis: defendam quantum possem ordinem rerum, nihilque præter ordinem fieri posse asseram. Tantum enim eũ animo imbibi atque hausi, vt etiamsi me quisquam in disputatione superarit, hoc nulli temeritati, sed rerum ordini tribuam. Neque enim res ipsa, sed Licentius superabitur.

CAPVT IIII.

Animus sentit nihil omnino sine causa fieri.

EGO rursum gaudens eis me restitui, tum Trigetio: Quid, inquam, tibi videtur? Faueo quidem, inquit, ordini plurimum, sed incertus sum tamen, & rem tantam diligentissimè discuti cupio. Fauorem, inquam, tuum ille ergo paries habeat: nam quod incertus es, etiam cum Licentio ac meipso tibi puto esse commune. Prorsus, ait Licentius, ego huius sententiæ certus sum. Quid enim dubitem parietem, cuius mentionem fecisti, antequam planè se erexerit, diruere? Non enim verè poëtica tantum me auertere à philosophia potest, quantum inueniendi veri diffidentia. Tum Trigetius gaudentibus verbis: Habemus, inquit, iam quod plus est, Licẽtium non Academicum: eos enim ille studiosissimè defendere solebat. Hæc modo, inquit, omitte quæso, ne me hoc vafrum quiddam & captatorium à nescio qua diuinare, quæ mihi ostentare se cœpit, & cui me inhiantem suspendo, detorqueat atque dirumpat. Hic ego multo vberius cernens abundare lætitias meas quam vel optare aliquando ausus sum, versum istum gestiens effudi:

Sic pater ille ⌣ †*Deũm faciat, sic altus*† ⌣ *Apollo,* al. Deus. al. Iesus.

†*Incipias.* perducet enim ipse, si sequimur quò nos al. Incipiat ire iubet, atque vbi ponere sedem, qui dat modo augurium, nostríque illabitur animis. Nec enim altus Apollo est, qui in speluncis, in montibus, in nemoribus nidore thuris pecudúmque calamitate concitatus implet insanos, sed alius profectò est, alius ille altus veridicus, atque ipsa (quid enim verbis ambiam) veritas. Cuius vates sunt quicunque possunt esse sapientes. Ergo aggrediamur Licenti freti pietate cultores, & vestigiis nostris ignem pernicioſum fumosarum cupiditatum opprimamus. Iam, inquit, interroga, oro te, si possim hoc tantum nescio quid explicare, & tuis verbis & meis. Hoc ipsum, inquam, mihi respondeprimo vnde tibi videatur aqua ista non temere sic, sed ordine influere. Nam quòd illa ligneolis canalibus superlabitur, & ducitur vsque in vsus nostros, potest ad ordinem pertinere. Factum est enim ab hominibus ratione vtentibus, vt vno eius itinere simul & biberent & lauarent, & pro locorum opportunitatibus consequens erat vt ita fieret. Quod verò illa, vt dicis, folia sic inciderunt, vt hoc quod admirati sumus eueniret, quo tandem rerum ordine ac non potius casu factum putabimus? Quasi verò, inquit ille, aliter atque cèciderunt debuisse aut potuisse cadere cuiquam videri possit, sereniſſimè intuenti nihil posse fieri sine causa. Quid iam vis persequar situs arborum atque ramorum, ipsúmque pondus, quantum natura foliis imposuit? quid aëris vel mobilitatem qua volitant,

vel molliciem qua deſcendunt, varióſque lapſus pro affectione cæli, pro onere, pro figuris ſuis, cæteriſque innumerabilibus atque obſcurioribus cauſis, quid me
2. ver. cap. 3 attinet quærere? Latent iſta ſenſus noſtros, penitus latent: illud tamen quod aggreſſę quæſtioni ſatis eſt, neſcio quomodo animum non latet, nihil fieri ſine cauſa. Poteſt enim odioſus percontator pergere quærere, quæ cauſa erat vt ibi arbores ponerentur? Reſpondebo, ſecutos eſſe homines vbertatem terræ. Quid ſi fructuoſæ arbores non ſunt, ac temerè natæ ſunt? Et hic reſpondebo, nos parum videre. Nam temerariam quę illas genuit nequaquam eſſe naturam. Quid plura? Aut aliquid ſine cauſa fieri docear, aut nihil fieri, niſi certo cauſarum ordine credite.

CAP. V. Ordine cuncta Deus adminiſtrat.

CVI ego: Licet, inquam, me odioſum percontatorem voces, vix enim poſſum non eſſe, qui expugnaui ne cum Pyramo & Thysbe colloquereris, pergam tamen quærere abs te: Natura iſta quam vis videri ordinatam, cui bono, vt de cæteris rebus innumerabilibus taceam, iſtas ipſas arbores quæ fructus non affe- B runt, procreauit? At illo cogitante quid diceret, ait Trigetius: Nunquid nam vſus arbuſtorum in ſolis fructibus præbetur hominibus? Quanta ſunt alia, quæ vmbra, quæ lignis, poſtremò quæ ipſis frondibus ſeu foliis fiant? Noli obſecro, inquit ille, interrogationibus eius hæc reddere. Innumerabilia ſunt enim quæ proferri poſſunt, ex quibus nulla eſt hominibus vtilitas, aut certè ita latet vel imbecilla eſt, vt ab hominibus præſertim nobis erui defendive non poſſit. Ipſe potius nos doceat, quomodo aliquid fiat quod nō cauſa pręceſſerit. Poſt, inquam, iſta videbimus. Non enim iam me neceſſe eſt eſſe doctorem, cum tu qui iam tantæ rei te certum eſſe profeſſus es, adhuc me nihil docueris nimium diſcere cupientem, & propter hoc ſolum dies noctéſque vigilantem. Quò me mittis? inquit: an quia leuius te ſequor, quàm iſta folia ventos, quibus in profluentem aquam iaciuntur, vt eis cadere parum ſit, niſi etiam trahantur? Nam quid aliud erit cum Licentius & Auguſtinum, & ea quæ ſunt in me- C dia philoſophia docet? Noli obſecro, inquam, aut te tantum abiicere, aut me extollere. Nam & ego in philoſophia puer ſum, & non nimis curo cum interrogo per quem mihi ille reſpondeat qui me quotidie querulum accipit. Cuius te quidem credo quandoque vatem futurum: neque hoc quandoque forſitan longum eſt. Sed tamen alij quoque multum ſepoſiti ab huiuſmodi ſtudiis docere aliquid poſſunt, cum differētium ſocietati quaſi vinculis interrogationum coarctantur. Idem autem aliquid non eſt nihil. An non vides (tuo enim ſimili vtar libentius) illa ipſa folia quæ feruntur ventis, quæ vndis innatant, reſiſtere aliquantum præcipitanti ſe flumini, & de rerum ordine homines commonere, ſi tamen hoc quod abs te defenditur, verum eſt? Hic ille lecto etiam exiliens præ lætitia: Quis neget Deus magne, inquit, te cuncta ordine adminiſtrare? Quàm ſe omnia tenent, quàm ratis ſucceſſionibus in nodos ſuos vrgentur, quanta & quam multa fa- D cta ſunt vt hæc loqueremur, quanta fiunt vt te inueniamus. Vnde enim hoc ipſum, niſi ex rerum ordine manat & ducitur, quod euigilauimus, quod illum ſonum aduertiſti, quod quæſiſti tecum cauſam, quod tu cauſam tantillæ rei nō inueniſti? Sorex etiam prodiit, vt ego vigilans proderer. Poſtremò tuus etiam ipſe ſermo, te fortaſſe id non agente, non enim cuiquam in poteſtate eſt quid veniat in mentem, ſic neſcio quomodo circumagitur, vt me ipſe doceat, quid tibi debeam reſpondere. Namque oro te, ſi hæc quæ à nobis dicta ſunt, literis, vt inſtituiſti, mandata peruagentur paulò latius ad hominum famam, nōne ita res magna videbitur, vt de illa conſultus aliquis vates magnus aut Chaldæus reſpondere debuerit, multo antè quàm euenerit? Quod ſi reſpondiſſet, ita diuinus diceretur ita efferretur laudibus hominum, vt tamen ex eo nemo quærere auderet, cur folium ab arbore ceciderit, aut vtrum mus oberrans iacenti homini moleſtus fuerit? Nunquid nam enim talia futura quiſquam illorum aut per ſe dixit aliquando, aut à conſultore coactus eſt dicere? Atqui ſi futurum quendam librum non ignobilem diceret, & id neceſſariò euenturum videret, nō enim poſſet aliter diuinare, profectò quicquid volitatio foliorum in agro, quicquid viliſſima beſtiola in domo facit, tam ſunt in rerum ordine neceſſaria quam illæ literæ. Iis enim verbis fiunt, quæ ſine illis præcedentibus viliſſimis rebus nec in mentem venire poſſent, nec ore procedere poſteriſque mandari. Quare iam rogo, nemo ex me quærat, cur quidque fiat. Satis eſt nihil fieri, nihil gigni quod non aliqua cauſa genuerit ac mouerit.

CAP. VI. Ordo omnia complectitur.

APPARET te, inquam, neſcire adoleſcens quàm multa, & à qualibus viris contra diuinationem dicta ſint. Sed reſponde nunc, non vtrum fiat aliquid ſine cauſa: nam id iam video te nolle reſpondere: ſed ordo iſte ſuſceptus tuus bonum nequicquam, an malum tibi eſſe videatur. Et ille ſubmurmurans: Non, inquit, ſic rogaſti, vt vnum è duobus queam reſpondere. Video hic enim quādam medietatem. Nam ordo mihi nec bonum nec malum videtur. Quid ſaltem cenſes, inquam, ordini eſſe contrarium? Nihil ait ille. Nam quomodo eſſe cōtrarium quicquam poteſt ei rei, quæ totum occupauit, totum obtinuit? Quod enim erit ordini contrarium, neceſſe erit eſſe præter ordinem. Nihil autem eſſe pręter ordinem video. Nihil igitur ordini oportet putare eſſe contrarium. Ergóne, ait Trigetius, contrarius ordini error non eſt? Nullo modo, inquit. Nam neminem video errare ſine cauſa. Cauſarum autem ſeries ordine includitur. Et error ipſe non ſolum gignitur cauſa, ſed etiam gignit aliquid cuius cauſa fit. Quamobrem quo extra ordinem non eſt, eo non poteſt ordini eſſe contrarius. Et cum tacuiſſet Trigetius, egóque meipſum non caperem gaudio, quod videbam adoleſcentem chariſſimi amici filium etiam meum fieri, nec hoc ſolum, verūm in amicum quoque iam mihi ſurgere atque grandeſcere, & cuius ſtudium vel in mediocres literas deſperaueram, quaſi deſpecta poſſeſſione ſua toto impetu in mediam venire philoſophiam. Quod dum tacitus miror & exæſtuo in gratulationē, ſubitò ille quaſi mente quadam correptus exclamat, O ſi poſſem dicere quod volo. Rogo vbi vbi eſtis verba? ſuccurrite, & bona & mala ſunt in ordine.

CAPVT VII. Deus non diligit mala, licet ad ordinē pertinant.

CREDITE, ſi vultis. Nam quomodo id explicem neſcio. Ego mirabar & tacebam. Trigetius autem vbi vidit hominem paululum quaſi digeſta ebrietate affabilem factum redditúmque colloquio: Abſurdum, inquit, mihi videtur, Licenti, & planè alienum à veritate quod dicis. Sed quæſo patiare me paululum, nec perturbes clamitando. Dic quod vis, ait ille: Non enim metuo, ne me auferas ab eo quod video ac penè teneo. Vtinam, inquit, ab eo quem defendis ordine deuius non ſis, non tanta in Deum feraris (vt mitius loquar) incuria. Quid enim potuit dici magis impiū quàm etiam mala ordine contineri? Certè enim Deus amat ordinem. Verè amat, ait ille, ab ipſo manat, & cum ipſo eſt. Et ſi quid poteſt de re tantum alta conuenientius dici, cogita quæſo ipſe tecum. Nec enim ſum idoneus qui te iſta nūc doceam. Quid cogitem? inquit Trigetius. Accipio prorſus quod dicis, ſatiſque mihi eſt in eo quod intelligo. Certè enim & mala dixiſti ordine contineri, & ipſum ordinem manare à ſummo Deo, atque ab eo diligi. Ex quo ſequitur, vt & mala ſint à ſummo Deo, & mala Deus diligat. In quā concluſione timui Licentio. At ille ingemiſcens difficul-

difficultate verborum, nec omnino quærens quid re-
ſponderet, ſed quemadmodum quod reſpondendum
erat promeret: Non diligit Deus mala, inquit, nec ob
aliud niſi quia ordinis non eſt vt Deus mala diligat.
Et ordinem ideo multum diligit, quia per eum nō di-
ligit mala. At verò ipſa mala qui poſſunt non eſſe in
ordine, cum Deus illa non diligat? Nam iſte ipſe eſt
malorum ordo, vt non diligantur à Deo. An paruus
rerum ordo tibi videtur, vt & bona Deus diligat, &
non diligat mala? Ita nec præter ordinem ſunt mala
quæ non diligit Deus, & ipſum tamen ordinem dili-
git: hoc ipſum enim diligit diligere bona, & non di-
ligere mala, quod eſt magni ordinis, & diuinæ diſpoſi-
tionis. Qui ordo atque diſpoſitio, quia vniuerſitatis
congruentiam ipſa diſtinctione cuſtodit, fit vt mala e-
tiam eſſe neceſſe ſit. Ita quaſi ex antithetis quodam-
modo, quod nobis etiam in oratione iucundum eſt, id
eſt ex contrariis omnium ſimul rerum pulchritudo fi-
guratur. Poſt hoc interſiluit modicè. Et repente ſeſe
erigens quà Trigetius lectum habebat. Nam quæro
ex te quæſo, inquit, iuſtus ne ſit Deus? Tacebat ille,
nimis vt poſtea retulit admirans & horrens ſubitò cō-
diſcipuli & familiaris ſui afflatum noua inſpiratione
ſermonem. Quo tacente ille ita ſecutus eſt. Si enim
Deum iuſtum non eſſe reſponderis, tu videris, quid a-
gas, qui me dudum impietatis arguebas. Si autem vt
nobis traditur, nóſque ipſius ordinis neceſſitate ſenti-
mus, iuſtus eſt Deus, ſua cuique diſtribuendo vtique
iuſtus eſt. Quæ autem diſtributio dici poteſt, vbi di-
ſtinctio nulla eſt? Aut quæ diſtinctio ſi bona ſunt o-
mnia? Quidve præter ordinem reperiri poteſt, ſi Dei
iuſtitia bonorum malorúmque meritis ſua cuiq; red-
duntur? Iuſtum autem Deum omnes fatemur. Totum
igitur ordine includitur. Quibus dictis reſilit è ſtrato,
& iam lenior voce cum ei verbum nemo faceret: Ni-
hilne mihi, inquit, vel tu qui compuliſti ad iſta reſpon-
des? Cui ego: Nova nunc religio iſthæc in
te inceſſit, cedo inquam. Sed quod videbitur per diem
reſpondebo, qui mihi iam videtur redire, niſi lunæ eſt
ille qui feneſtris fulgor induitur. Simul & agendum
eſt, ne tanta bona tua Licenti abſorbeat obliuio.
Quando enim noſtræ literę non ſibi hęc mandari fla-
gitent? Dicam planè tibi quod ſentio, diſputabo ad-
uerſum te quantum poſſum, non enim mihi ſi me vi-
ceris maior triumphus dari poteſt. Si autem vel calli-
ditati vel acuto cuidam errori hominum, quorum par
tes ſuſcipere tentabo, ceſſerit imbecillitas tua, quæ
minus paſta eruditione diſciplinarum tantum Deum
fortaſſe ſuſtinere nō poterit, res te ipſa commonebit,
quantæ tibi vires vt in eum firmior redeas parandæ
ſint. Simul quia & iſtam diſputationem noſtram eli-
matius volo prouenire, non enim eam craſſis auribus
debeo. Nam Zenobius noſter multa mecum ſæpe de
rerum ordine contulit, cui alta percunctanti nūquam
ſatisfacere potui, ſeu propter obſcuritatem rerum,
ſeu propter temporum anguſtias. Crebrarum autem
ille procraſtinationum vſque adeò impatiens fuit, vt
me quo diligentius & copioſius reſpondere cogerer,
etiam carmine prouocaret, & bono carmine, vnde
illum magis ames. Sed neque tunc tibi legi potuit ab
iſtarum rerum ſtudio remotiſſimo, neque nūc poteſt.
Nam profectio eius tam repentina & perturbata fuit
tumultu illo, vt nihil iſtorum venire nobis in mentem
potuerit: nam id relinquere mihi reſponſuro ſtatue-
rat: & multa concurrunt cur ei ſermo iſte mittatur.
Primum eſt, quia debetur. Deinde, quia cuiuſmodi
nunc vitam ducamus etiam ſic indicari eius in nos
beneuolentiæ decet. Poſtremò, quod in gaudio de ſpe
tua nemini cedit. Nam & cum prę ſens eſſet pro fami-
liaritate patris tui, vel potius omnium noſtrūm, mul-
tum ſolicitus erat ne ingenij tui quædam ſcintillæ,

Vaſus eſt ex Andr. Terent.

quas diligenter animaduertebat, non tam conflaren-
tur cura mea, quàm tua extinguerentur incuria. Et cū
te poëticæ quoque ſtudioſum eſſe cognouerit, ſic gra-
tulabitur, vt eum mihi geſtientem videre iam videar.

Nihil mihi quidem gratius facies, inquit, ſed ſi-
ue mobilitatem meam & puerilem leuitatem ride-
bitis, ſiue aliquo verè diuino nutu & ordine fit in no-
bis, non vobis dubitem dicere, pigrior ſum ad illa me-
tra ſubitò effectus, †alia longè neſcio quid, mihi nunc
luce reſplenduit. Pulchrior eſt philoſophia, fateor,
quàm Thysbe, quam Pyramus, quam illa Venus &
Cupido, taleſque omnimodi amores. Et cum ſuſpirio
gratias Chriſto agebat. Accepi ego hæc, quid dicam
libenter, aut quid non dicam? Accipiat quiſque vt vo-
let, nihil curo, niſi quòd fortè immodicè gaudebam.
Interea pòſt paululum dies ſeſe apparuit, ſurrexerunt
illi, & ego inlachrymans multa oraui. Cum audio Li-
centium ſuccinentem illud Propheticum læte atque
garrule: Deus virtutum conuerte nos, & oſtende fa- *Pſal. 79.4.*
ciem tuam, & ſalui erimus. Quod pridie poſt cœnam
cum ad requiſita naturę foras exiſſet, paulò clarius ce-
cinit, quàm vt mater noſtra ferre poſſet, quod illo lo-
co talia continuo repetita canerentur. Nihil enim a-
liud dicebat, quoniam ipſum cantilenæ modum nu-
per hauſerat, & amabat, vt fit, melos inuſitatum. Ob-
iurgauit eum religioſiſſima, vt ſcis, fœmina, ob hoc
ipſum quod inconueniens locus cantico eſſet. Tum
ille dixerat, iocans: Quaſi verò ſi quis me inimicus
includeret, non erat Deus exauditurus vocem meam.
Ergo mane cum regreſſus eſſet ſolus, nam vterque ob
eādem cauſam proceſſerat, acceſſit ad lectulum meū.
Verum dic mihi, inquit, ita fiat nobis quod vis, quid
de me exiſtimes. Atque ego adoleſcentis dextram ap-
prehendens, Quid, inquam, exiſtimem ſentis, credis,
intelligis. Neque enim arbitror te fruſtra heri tandiu
ceciniſſe, vt virtutum Deus conuerſo tibi ſe oſtendat.
At ille cum admiratione recordatus, magnum, inquit,
dicis & verum. Non enim meipſum parum mouet
quòd modò tam ægrè auocabar à nugis illis carminis
mei, & iam redire ad eas piget & pudet, ita totus in
quædam magna & mira ſubuehor. Nónne hoc eſt ve-
re in Deum conuerti? Simul & illud gaudeo, quòd fru
ſtra mihi ſcrupulus ſuperſtitionis iniectus eſt quòd ta-
li loco talia cātitabam. Mihi, inquam, neque hoc diſ-
plicet, & ad illum ordinem puto pertinere vt etiam
hinc aliquid diceremus. Nam illi cantico, & locum
ipſum quo illa offenſa eſt, & noctem cōgruere video.
A quibus enim rebus putas nos orare vt conuertamur
ad Deum, eiúſque faciem videamus, niſi à quodam
cœno corporis atque ſordibus, & item à tenebris qui-
bus & nos error inuoluit? Aut quid eſt aliud conuerti,
niſi ab immoderatione vitiorum, virtute ac temperan
tia in ſeſe attolli? Quidve aliud eſt Dei facies quam
ipſa cui ſuſpiramus, & cui nos amatæ mundos pul-
chróſque reddimus, veritas? Melius dici non poteſt,
inquit exclamans. Deinde ſuppreſſius quaſi ad aurem:
vide quæſo quanta occurrerunt, vt credam erga nos
aliquid iam proſperiore ordine fieri. Si ordinem, in- *1. retr. cap. 3*
quam, curas, redeundum tibi eſt ad illos verſus. Nam
eruditio diſciplinarum liberalium modeſta ſanè at-
que ſuccincta, & alacriores & perſeuerātiores & com-
ptiores exhibet amatores amplectendæ veritati, vt &
ardentius appetant, & conſtantius inſequantur, & in-
hæreant poſtremò dulcius, quæ vocatur Licenti bea-
ta vita. Qua nominata, omnes ſeſe erigunt, & quaſi
attendunt in manus, vtrum habeas quod dare poſſis
egentibus variiſque morbis impeditis. Quibus ſapien
tia cum præcipere cœperit, vt medicum perferant, ſé-
que cum aliqua patientia curari ſinant, in pānos ſuos
recidunt. Quorum concalefactione tabificati, ſca-
biem voluptatum ærumnoſarum ſcalpunt libentius,

1. retract. 3. Caput viii. *Liberalium diſciplinarum vtilitas.*

† al. aliud lōge aliud.

quàm vt monita medici paululum dura & morbis o- A neroſa perpetiendo atque ſubeundo valetudini ſanorum lucique reddantur. Itaque illo ſummi Dei nomine ac ſenſu tanquam ſtipe contenti viuunt miſeri, vi-
Ibidem. uunt tamen. Alios autem viros, vel, vt verius loquamur, alias animas, dum hoc corpus agunt, iam thalamo ſuo dignas coniunx ille optimus ac pulcherrimus quærit, quibus non viuere, ſed beatè viuere ſa-
Ibidem. tis ſit. Vade ergo interim ad illas Muſas. Veruntamen ſcis quid te facere velim? Iube ait quod placet, Vbi ſe, inquam, Pyramus & illa eius ſupra ſeminecem, vt cantaturus es, interemerint, in dolore ipſo, quo tuum carmen vehementius inflammari decet, habes commodiſſimam opportunitatem. Arripe illius fœdæ libidinis & incendiorum venenatorum execrationem, quibus miſeranda illa contingunt: deinde totus attollere in laudē puri & ſynceri amoris, quo animæ dotatæ diſciplinis & virtute formoſę copulantur intellectui per philoſophiam, & non ſolum mor- B tem fugiunt, verùm etiam vita beatiſſima perfruuntur. Hic ille tacitus ac diu conſideratione nutans, motato capite abſceſſit. Deinde ego quoque ſurrexi, redditiſque Deo quotidianis votis, ire cœperamus in balneas. Ille enim locus nobis, cum cælo triſti in agro eſſe minimè poteramus, aptus ad diſputandum & familiaris fuit. Cum ecce ante fores aduertimus gallos gallinaceos ineuntes pugnam nimis acrem. Libuit attendere. Quid enim non ambiunt, quà non peragrant oculi amantum, ne quid inde innuat pulchritudo rationis cuncta ſcientia & neſcientia modificantis & gubernantis, quæ inhiantes ſibi ſectatores
al. ſe quæri ſuos trahit quacunque atque vbicũque †ſectari iubet. Nam vnde aut vbi non poteſt ſignum dare? Vt in eiſdem ipſis gallis erat videre, intenta proiectius capita, inflatas comas, vehementes ictus, cautiſſimas euitationes, & in omni motu animalium rationis expertiũ nihil nõ decorum, quippe alia ratione deſuper omnia C moderãte. Poſtremò legem ipſam victoris, ſuperbum cantum, & membra in vnum quaſi orbem collecta velut in faſtum dominationis. Signum autem victi, elatas à ceruice pinnulas & in voce atque motu deformem totum, & eo ipſo naturę legibus neſcio quomodo concinnum & pulchrum. Multa quærebamus. Cur ſic omnes, cur propter dominationem in ſubiectas ſibi fœminas, cur deinde nos ipſa pugnæ facies aliquantum & præter altiorem iſtam conſiderationem duceret in voluptatem ſpectaculi? Quid in nobis eſſet quod à ſenſibus remotum multa quæreret. Quid
1. retr. cap. 3 rurſum quod ipſorum ſenſuum inuitatione caperetur. Dicebamus nobis ipſis: Vbi non lex? Vbi non meliori debitum imperium? Vbi non vmbra conſtantiæ? Vbi non imitatio veriſſimæ illius pulchritudinis? Vbi non modus? Atque inde admoniti vt ſpectandi modus eſſet, perreximus quò propoſitum erat. Atque ibi vt potuimus ſanè diligenter, nam & recentes res erant, & quando poterant tam inſignia trium ſtudioſo- D rum memoriam effugere? omnia noſtræ lucubrationis opuſcula in hanc libelli partem contulimus. Nihilque à me aliud actum eſt illo die vt valetudini parcerem, niſi quod ante cœnam cum ipſis dimidiũ volumen Virgilij audire quotidie ſolitus eram, nihil nobis vtique aliud quàm rerum modum conſiderantibus. Quem non probare nemo poteſt, ſentire autem cum quiſque aliquid ſtudioſe agit difficillimũ atque
CAP. IX. rariſſimum. DEINDE poſtridie bene
Ordo dux ad Deum. mane alacres ad ſolitum locum cõuenimus, in eóque conſedimus. Et ego attẽtis in me ambobus. Hic eſto, inquam, Licenti quantum potes, & tu quidem Trigeti, nec enim parua res agitur: de ordine quærimus. Quid ego nunc quaſi in ſchola illa vnde me quoquo modo euaſiſſe gaudeo conſtitutus, copioſe atque

†ornatè nobis ordinem laudem? Accipite ſi vultis, *al.* ordinatè vobis. imò facite vt velitis, quò neque quicquam de huius laude breuius, neque vt mihi videtur verius dici poteſt. Ordo eſt quem ſi tenuerimus in vita, perducet ad Deum, & quem niſi tenuerimus in vita, non perueniemus ad Deum. Peruenturos autem nos iam, niſi me animus de vobis fallit, præſumimus & ſperamus. Diligentiſſimè igitur inter nos iſta quæſtio verſari debet atque diſſolui. Vellem adeſſent cæteri, qui nobiſcum his negociis ſolent intereſſe. Vellem ſi fieri poſſet non iſtos tantum, ſed omnes ſaltem familiares noſtros, quorum ſemper admiror ingenium, non minus mecum habere quã vos eſtis intentos, aut certè ipſum tantum Zenobium, quem de hac re tanta moliẽtem nunquam pro eius magnitudine ocioſus accepi. Sed quia id non euenit, legent literas noſtras, quoniam inſtituimus iam de iſtis rebus verba non perdere, réſque ipſas à memoria fugaces, ſcriptorum quaſi vinculo quo reducantur innectere. Et ſic fortaſſe ordo ipſe poſcebat, qui eorum procurauit abſentiam. Nam & vos profectò in rem tantam, quia ſolis perferenda imponitur, nobis erectiore animo inſurgitis: & cum illi legerint qui nobis maxima cura ſunt, ſi quid eos mouerit ad contradicẽdum, alias nobis diſputationes diſputatio iſta procreabit, ſéq; ipſa ſucceſſio ſermonum in ordinem inſeret diſciplinæ. Sed nunc vt promiſeram Licentio, quantum res patitur, aduerſabor, qui totam cauſam iam penè confecit, ſi poſſit eam defenſionis muro ſtabiliter firméque vallare.

HIC vbi eos ſilentio, vultu, oculis, ſuſpenſione at- CAP. X. *Ordo quid.* que immobilitate membrorum & rei magnitudine ſatis commotos, & audiendi deſiderio inflammatos eſſe conſpexi. Ergo, inquam, Licẽti, ſi tibi videtur, colligein te quicquid virium potes, elima quicquid habes acuminis, & ordo iſte quid ſit definitione complectere. Tum ille vbi ſe ad definiendum cogi audiuit, quaſi aqua frigida aſperſus exhorruit, & turbatiore vultu me intuens, atque vt fit ipſa trepidatione ſubridens: Quid hoc eſt rei, quod quaſi tibi videor, inquit, an verè neſcio quo aduentitio ſpiritu me credis inflatum? Statímque ſeſe animans, aut fortaſſe ait aliquid mecum eſt. Paululúmq; ſiluit, vt in definitione quicquid illi de ordine notionis erat, conduceretur. Deinde erectior: Ordo eſt, inquit, per quem agũtur omnia, quæ Deus conſtituit. Quid ipſe Deus, inquam, non tibi videtur agi ordine? Prorſus, inquit, videtur. Ergo agitur Deus, ait Trigetius. Et ille: Quid enim, inquit, Chriſtum Deum negas, qui & ordine ad nos venit, & à patre Deo miſſum eſſe ſe dicit? Si igitur Deus Chri- *Ioan. 6. v. 46* ſtum ordine ad nos miſit, & Deum Chriſtum eſſe non negamus, non ſolum agit omnia, ſed agitur ordine etiam Deus. Hic Trigetius addubitans: Neſcio, inquit, quomodo iſtud accipiam. Deum enim quando nominamus, non quaſi mẽtibus ipſe Chriſtus occurrit, ſed pater. Ille autem tunc occurrit, quãdo Dei filium nominamus. Bellam rem facis, inquit Licentius. Negabimus ergo Dei filium Deum eſſe? Hic ille, cum ei reſpondere periculoſum videretur, tamen ſe coëgit atq; ait: Et hic quidem Deus eſt, ſed tamẽ propriè patrem Deum dicimus. Cui ego, Cohibe te potius, inquam: Non enim filius impropriè Deus dicitur. At Trigetius religione commotus, cum etiam verba ſua ſcripta eſſe nollet, vrgebat Licentius vt manerent, puerorum ſcilicet more, vel potius hominum, proh nephas, penè omnium, quaſi verò gloriandi cauſa inter nos illud ageretur. Cuius motum animi cum obiurgarem grauioribus verbis, erubuit: qua eius perturbatione animaduerti ridentem lætantémque Trigetium. Et ambobus: Itáne agitis, inquam? Nónne vos mouet quibus vitiorum molibus atque imperitiæ tenebris premamur & cooperiamur? Hæccine eſt illa paulo antè

veſtra

veſtra de qua ineptus lætabar attentio, & in Deum veritatémque ſurrectio? O ſi videretis, vel tam lippientibus oculis quàm ego, in quibus periculis iaceamus, cuius morbi dementiam riſus iſte indicet. O ſi videretis quàm citò, quàm ſtatim, quantóque productius eum verteretis in fletus. Miſeri, neſcitis vbi ſumus? Demerſos quidem eſſe animos omnium ſtultorum indoctorúmque commune eſt, ſed non vno atque eodem modo demerſis opem ſapientia, & manum porrigit. Alij ſunt credite, alij ſunt qui ſurſum vocantur, alij qui in profunda laxantur. Nolite obſecro vos geminare mihi miſerias. Satis mihi ſint vulnera mea, quæ vt ſanentur, penè quotidianis fletibus Deum rogans, indigniorem tamen eſſe me, qui tam citò ſaner quàm volo, ſæpe memetipſe conuinco. Nolite obſecro, ſi quid mihi amoris, ſi quid neceſſitudinis debetis, ſi intelligitis quantum vos diligam, quanti faciam, quantum me cura exagitet morum veſtrorum: ſi dignus ſum quem non negligatis: ſi denique Deo teſte non mentior, nihil me plus mihi optare quàm vobis, rependite mihi beneficium. Et ſi me magiſtrum libenter vocatis, reddite mihi mercedem. Boni eſtote. Hic vbi ne plura dicerem, lachrymæ mihi modum impoſuerunt, Licentius modeſtiſſimè ferens, quod omnia ſcribebantur: Quid enim, ait, fecimus oro te? Adhuc, inquam, nec fateris ſaltem peccatum tuum? Tu neſcis in illa ſchola grauiter me ſtomachari ſolitum, quod vſqueadeo pueri non vtilitate atque decore diſciplinarum, ſed inaniſſimæ laudis amore ducerentur, vt quoſdam etiam aliena verba recitare non puderet, exciperéntque plauſus (ô ingemiſcendum malum) ab eiſdem ipſis quorum erant illa, quæ recitabant. Ita vos quamuis nihil vnquam, vt opinor, tale feceritis, tamen & in philoſophiam, & in eam vitam quam me tandem occupaſſe lætor, æmulationis tabificæ atque inanis iactantiæ vltimam, ſed nocentiorem cæteris omnibus peſtem introducere ac proſeminare conamini: & fortaſſe quia vos ab iſta vanitate morbóque deterreo, pigriores eritis ad ſtudia doctrinæ, & ab ardore ventoſæ famæ repercuſſi, in torporem inertiæ congelabitis. Me miſerum, ſi neceſſe erit tales etiam nunc perpeti, à quibus vitia decedere ſine aliorum vitiorum ſucceſſione non poſſunt. Probabis, ait Licentius, quàm purgatiores futuri ſimus. Modò illud obſecramus per omnia quæ diligis, vt ignotum nobis velis, atque illa omnia deleri iubeas, ſimul vt parcas etiã tabulis quas iam non habemus. Non enim aliquid in libros tranſlatum eſt eorum, quę à nobis multa differta ſunt. Proſus, inquit Trigetius, maneat noſtra pœna, vt ea ipſa quæ nos illicit fama flagello proprio à ſuo amore deterreat. Vt enim ſolis amicis & familiaribus noſtris literæ iſtæ innoteſcant, non parum deſudabimus. Aſ-

CAPVT XI. *Mundi tantũ philoſophia ſacris literis laxatur.*

ſenſus eſt ille. ATQVE interea mater ingreſſa eſt, quæſiuitque à nobis quid promouiſſemus, nam & ei quæſtio nota erat. Cuius & ingreſſum, & rogationem cũ ſcribi noſtro more iuſſiſſem. Quid agitis? inquit. Nunquid nam in illis quos legitis libris, etiam fœminas vnquam audiui in hoc genus diſputationis inductas? Cui ego: Non valde curo, inquam, ſuperborum imperitorúmque iudicia, qui ſimiliter in legendos libros atque in ſalutandos homines irruunt. 1. retr. cap. 3 Non enim cogitant quales ipſi, ſed qualibus induti veſtibus ſint, & quanta pompa rerum fortunæq; præfulgeant. Iſti enim in literis non multum attendunt, aut vnde ſit quæſtio, aut quò peruenire differẽtes moliantur, quídve ab eis explicatum atque confectum ſit. In quibus tamen quia nonnulli reperiuntur quorum animi contemnendi non ſunt, aſperſi ſunt enim quibuſdam condimentis humanitatis, & facilè per aureas depictáſque ianuas ad ſacroſancta philoſophiæ penetralia perducuntur, ſatis eis fecerunt & maiores noſtri, quorum libros tibi nobis legentibus notos eſſe video. Et his temporibus, vt omittam cæteros, vir & ingenio & eloquentia, & ipſis inſignibus muneribus fortunæ, & quod ante omnia eſt, mente præſtantiſſimus Theodorus, quem bene ipſa noſti, id agit, vt & nunc & apud poſteros nullum genus hominum de literis noſtrorum temporum iure conqueratur. Mei autem libri ſi quorum fortè manus tetigerint, lectóque meo nomine non dixerint, iſte quis eſt? codicémque proiecerint: ſed vel curioſi, vel nimium ſtudioſi contempta vtilitate liminis intrare perrexerint: me tecum philoſophantem non moleſtè ferent, nec quenquam iſtorum quorum meis literis ſermo miſcetur, fortaſſe contemnent. Sunt enim non ſolum liberi, quod cuiuis diſciplinæ liberali, nedum philoſophiæ ſatis eſt, ſed ſummo apud ſuos loco nati. Doctiſſimorum autem hominum literæ etiam ſutores philoſophatos, & multo viliora fortunarũ genera continent. Qui tamen tanta ingenij virtutiſque luce fulſerunt, vt bona ſua cum qualibet huiuſcemodi nobilitate nullo modo vellent, etiamſi poſſent, vlla conditione mutare. Nec deerit, mihi crede, tale hominum genus, cui plus placeat hoc ipſum, quia mecum philoſopharis, quàm ſi quid hic aliud, aut iucunditatis aut grauitatis inuenerit. Nam & fœminæ ſunt apud veteres philoſophatæ, & philoſophia tua mihi plurimum placet. Nam ne quid mater ignores, hoc Græcum verbum, quod philoſophia nominatur, Latinè amor ſapientiæ dicitur. Vnde etiam diuinæ Scripturæ quas vehementer amplecteris, non omnino philoſophos, ſed philoſophos huius mundi euitandos atque irridendos eſſe præcipiunt. Eſſe autem alium mundum ab iſtis oculis remotiſſimum, quem paucorum ſanorum intellectus intuetur, ſatis Chriſtus ſignificat, qui non dicit, Regnum meum non eſt de mundo: ſed, Regnum meum non eſt de hoc mundo. Nam quiſquis omnem philoſophiam fugiendam putat, nihil nos vult aliud, quàm non amare ſapientiam. Contemnerem te igitur in his literis meis, ſi ſapientiã non amares, non autem contemnerem, ſi eam mediocriter amares, multo minus, ſi tantum quantum ego amares ſapientiam. Nunc verò cum eam multo plus quam meipſum diligas, & nouerim quantum me diligas, cumque in ea tãtum profeceris, vt iam nec cuiuſuis incommodi fortuiti, nec ipſius mortis, quod viris doctiſſimis difficilimum eſt, horrere deterrearis, quam ſummam philoſophię arcem omnes eſſe confitentur, egóne me non libenter tibi etiam diſcipulum dabo? Hic illa cum blandè ac religiosè nunquam me tãtum mẽtitum eſſe dixiſſet, & viderem tam multa nos verba fudiſſe, vt neque ſcribenda non eſſent, & iam libri modus eſſet, neque tabulæ reliquæ forẽt, placuit quæſtionem differri, ſimul vt meo ſtomacho parcerem. Nam eum plus quam vellem commouerant ea, quæ mihi euomenda in illos adoleſcentes neceſſariò viſa ſunt. Sed cum abire cœpiſſemus: Memẽto, inquit Licentius, quam multa & quàm neceſſaria nobis abs te accipienda per occultiſſimum illum diuinúmque ordinem etiam te neſciente ſubminiſtrentur. Video, inquam, & ingratus Deo non ſum, vóſque ipſos qui hæc aduertitis ob id ipſum præſumo fore meliores. Hoc fuit tantum illo die negocium meum.

De beata vita in Præfatione.

Col. 2. b. 8.

1. retr. cap. 3.

Ioã. 18 f. 36

DIVI AVRELII AVGVSTINI DE ORDINE, LIBER II.

CAP. I. *Ordinis definitio expenditur.*

INTERPOSITIS deinde pauculis diebus venit Alipius, & exorto sole clarissimo, inuitauit cæli nitor, & quãtum in illis locis hyeme poterat, blanda temperies in pratum descendere, quo sæpius & familiarius vtebamur. Nobiscum erat etiam mater nostra, cuius ingenium, atq; in res diuinas inflammatum animum, cum antea conuictu diuturno, & diligenti cõsideratione perspexeram: tum verò in quadam disputatione nõ paruæ rei, quam die natali meo cum conuiuis habui, atque in libellum contuli, tanta mihi mens eius apparuerat, vt nihil aptius veræ philosophiæ videretur. Itaque instituera cum abundaret otio, agere vt colloquio nostro nõ deesset. Quod in primo etiam huius Operis libro abs te cognitum est. Cum igitur memorato in loco, vt commodè potuimus consedissemus, ego illis duobus adolescentulis: Quamuis vobis, inquam, succensuerim pueriliter de magnis rebus agentibus, tamen mihi videtur non sine ordine propitio Deo accidisse, quod in sermone quo vos ab ista leuitate detrahebam, tempus ita consumptum est, vt res tanta ad Alipij aduentum dilata videatur. Quapropter quoniam ei iá quæstionem notissimam feci, & quantum in ea processerimus ostendi, paratus ne es Licẽti, causam quam suscepisti ex illa tua definitione defendere? Nam meminisse me arbitror, te ordinem esse dixisse per quẽ Deus ageret omnia. Paratus sum, inquit, quantum valeo. Quomodo ergo, inquam, agit ordine omnia Deus? Itáne vt etiam se ordine agat, an præter eum ordine ab eo cætera gubernantur? Vbi omnia bona sunt, inquit, ordo non est. Est enim summa † æqualitas quæ ordinem nihil desiderat. Negas, inquam, apud Deum omnia bona esse? Non nego, inquit. Conficitur inquam, neque Deum, neque illa quæ apud Deum sunt, ordine administrari. Concedebat. Nunquid nam, inquam, omnia bona nihil tibi videntur esse? Imò, ait, ipsa verè sunt. Vbi est ergo, inquam, illud tuum quod dixisti, omnia quæ sunt, ordine administrari, nihilq; omnino esse, quòd ab ordine separatum sit? Sed sunt, inquit, etiam mala per quæ factum est, vt & bona ordo concludat. Nam sola bona non ordine reguntur, sed simul bona & mala. Quum autem dicimus, omnia quæ sunt, non sola vtique bona dicimus. Ex quo fit vt omnia simul, quæ Deus administrat, ordine administrentur. Cui ego, Quę administrantur & aguntur, videntur tibi moueri, an immobilia putas esse? Ista, inquit, quæ in hoc fiunt mundo, fateor moueri. Reliqua, inquam, negas? Quæ sunt cum Deo, inquit, non mouentur, reliqua omnia moueri arbitror. Quum igitur ea, quæ cum Deo sunt, inquam, nõ moueri putas, cætera autem concedis moueri, ostendis omnia quæ mouentur non esse cum Deo. Repete hoc ipsum, inquit, paulo planius. Quod non mihi visus est difficultate intelligendi fieri voluisse, sed quærẽdi spacio quo inueniret quid respõderet. Dixisti, inquam, ea quæ cum Deo sunt non moueri, cætera autem moueri. Si ergo hæc quæ mouentur non mouerentur, si essent cum Deo, quoniam omnia quæ sunt cum Deo, negas moueri, restat vt præter Deum sint quę mouentur. Quibus dictis adhuc tacebat: cùm tandem, Videtur mihi, inquit, quod & in hoc mundo si qua nõ mouentur, cum Deo sunt. Nihil hoc ad me, inquam. Fateris enim, vt opinor, non omnia quæ in hoc mundo sunt, non moueri. Ex quo conficitur, nõ omnia mundi huius esse cum Deo. Fateor, inquit, non omnia. Ergo est aliquid sine Deo. Non, inquit. Cũ Deo sunt igitur omnia. Hic cunctabundus: Quæso, inquit, illud nõ dixerim, quòd sine Deo nihil sit: nam prorsus omnia quæ mouentur, non mihi videntur esse cũ Deo. Sine Deo est, inquam, igitur cælũ hoc, quod moueri nemo ambigit. Non est, inquit, sine Deo cælum. Ergo est aliquid cum Deo, quod moueatur. Non possum, inquit, vt volo explicare quod sentio: tamẽ quid moliar dicere, peto vt nõ expectatis verbis meis, sagacissimè si potestis intelligatis. Nam & sine Deo mihi nihil videtur esse, & quod cũ Deo est, rursum videtur inconcussum manere: cælum autem dicere sine Deo esse, non possum: non solum quod nihil sine Deo esse arbitror, sed quod cælum putem habere aliquid, quod non mouetur, quod verè, aut Deus est, aut cum Deo, quamuis ipsum cælum non dubitem verti ac moueri.

De beata vita in narratione primæ Disputationis

al. æqualitas apud Deũ quæ ordinem.

CAPVT II. *Cum Deo esse, quid sit.*

DEFINI ergo, inquam, si placet, quid sit esse cum Deo, & quid sit, non esse sine Deo. Si enim de verbis inter nos controuersia est, facilè contemnetur, dummodo rem ipsam quam concepisti mente, videamus. Odi ego, inquit, definire. Quid ergo faciemus? inquã. Tu, inquit, defini quæso. Nam facilius est mihi videre in alterius definitione quid non probem, quàm quicquam bene definiendo explicare. Geram tibi morem, inquam. Videtur tibi id esse cum Deo, quod ab eo regitur, atq; administratur? Non, ait ille, hoc animo conceperam, cũ dicebam ea quæ non mouentur esse cum Deo. Vide ergo, inquam, vtrum hæc tibi saltem definitio placeat: Cũ Deo est, quicquid intelligit Deum. Concedo, inquit. Quid ergo, inquam, sapiẽs tibi Deũ intelligere non videtur? Videtur, inquit. Cum ergo sapientes non solum in vna domo, aut vrbe, sed etiá per immensa regionum peregrinando, nauigandóq; moueantur, quomodo erit verum, quicquid cum Deo est, non moueri? Risum mihi, inquit, mouisti, quasi ego quod sapiens facit dixerim esse cum Deo. Cum Deo est, sed illud quod nouit. Non nouit, inquam, sapiens codicem suum, pallium, tunicam, supellectilem si quam habet, cæteráque id genus, quæ stulti etiam bene nouerunt. Fateor, inquit, nosse tunicam, & nosse pallium, non esse cum Deo. Hoc ergo, inquam, dicis, Non omne quod nouit sapiens, esse cum Deo: sed tamen quicquid sapientis cum Deo est, id nosse sapientem. Optimè, inquit: nam quicquid sensu isto corporis nouit, non est cum Deo, sed illud quod animo percipit. Plus etiam fortasse audeo dicere, sed tamen dicam: vobis enim existimatoribus, aut confirmer, aut discam. Quisquis enim ea sola nouit, quæ corporis sensus attingit, non solùm cum Deo esse non mihi videtur, sed ne secum quidem. Hic cum Trigetiũ animaduertissem in eo vultu, vt nescio quid velle dicere videretur, sed verecundia eum ne quasi in alienum locum irrueret contineri, feci potestatem iam tacente Licentio, vt promeret si quid vellet. At ille: Ista, inquit, quæ ad sensus corporis pertinent, prorsus nemo mihi videtur nosse. Aliud est enim sentire, aliud nosse. Quare si quid nouimus, solo intellectu contineri puto, & eo solo posse comprehendi. Ex quo fit, vt si illud est cum Deo quod intelligendo sapiens nouit, totum quod nouit sapiens possit esse cum Deo. Quod cum Licentius approbasset, subiecit aliud quod nullo pacto possem contemnere. Ait enim: Sapiens prorsus cum Deo est, nam & seipsum intelligit sapiens. Quod conficitur & ex eo, quod à te accepi, id esse cum Deo quod intelligit Deum: & ex eo quod à nobis dictum est, id esse cum Deo quod à sapiente intelligitur. Sed hanc eius partem per quam istis vtitur sensibus: non enim puto connumerandam esse, cũ sapientem vocamus, fateor me nescire, nec omnino cuiusmodi sit suspicari. Negas ergo, inquam, non solum ex corpore & anima, sed etiam ex anima tota cõstare sapien-

Retr. cap. 3.

sapientem. Siquidem partem istam quæ vtitur sensibus, animæ esse negare dementis est. Non enim ipsi oculi vel aures, sed nescio quid aliud per oculos sentit. Ipsum autem sentire, si non damus intellectui, nō damus alicui parti animæ. Restat vt corpori tribuatur, quo absurdius dici nihil interim mihi videtur. Anima, inquit, sapientis perpurgata virtutibus, & iam cohærens Deo, sapientis etiam nomine digna est, nec quicquam eius aliud decet appellare sapientem: sed tamen quasi quædam, vt ita dicam, sordes atque exuuiæ quibus se ille mundauit, & quasi subtraxit in seipsum, ei animæ seruiunt. Vel si tota hæc anima dicenda est, ei certè parti animæ seruiunt atque subiectæ sunt, quam solam sapientem nominari decet. In qua parte subiecta etiam ipsam memoriam puto habita-
1. retr. cap. 3 re. Vtitur ergo hac sapiens quasi seruo, vt hæc ei iubeat, eásque iam domito atque substrato metas legis imponat, vt dum istis sensibus vtitur propter illa, quæ iam non sapienti, sed sibi sunt necessaria, non se audeat extollere, nec superbire Domino, nec iis ipsis quæ ad se pertinent passim atque immoderatè vti. Ad illam enim vilissimam partem possunt ea pertinere, quæ prætereunt. Quibus autem est memoria necessaria, nisi prætereuntibus, & quasi fugientibus rebus? Ille igitur sapiens amplectitur Deum, eóque perfruitur qui semper manet, nec expectatur, vt sit, nec metuitur ne desit, sed eo ipso quo verè est, semper est præsens. Curat autem immobilis, & in se manens serui sui quodammodo peculium, vt eo tanquam frugi, & diligens famulus bene vtatur, parcéque custodiat. Quam sententiam eius cum admiratione considerans, recordatus sum idipsum aliquando me breuiter illo audiente dixisse. Tum arridens: Gratias age, inquam, Licenti, huic seruo tuo, qui tibi nisi aliquid de peculio suo ministraret, nunc fortasse quod promeres non haberes. Nam si ad eam partem memoriam pertinet, quæ se velut famulam bonæ menti regendam concedit, ipsa nunc adiutus es, mihi crede, vt hoc diceres. Ergo antequam ad illum ordinem redeam, nónne tibi videtur vel propter talia, id est, propter honestas ac necessarias disciplinas, memoria opus esse sapienti?
Ibidem. Quid, inquit, memoria opus est, cùm omnes suas res præsentes habeat ac teneat? Non enim vel in ipso sensu, ad id quod ante oculos nostros est, in auxilium nobis vocamus memoriam. Sapienti ergo ante illos interiores intellectus oculos habenti omnia, id est, Deum ipsum fixè immobilitérque intuenti, cum quo sunt omnia, quæ intellectus videt ac possidet, quid opus est quæso memoria? Mihi autem vt opus esset ad hæc quæ abs te audieram retinenda, nondum sum illius famuli Dominus, sed ei modò seruio, modò pugno vt non seruiam, & quasi me audeo asserere in libertatem meam. Et si fortè aliquando impero, atque obtemperat mihi, facitque sæpe putare quod vicerim, in aliis rursus rebus ita sese erigit, vt eius sub pedibus miser iaceam. Quamobrem quando de sapiente quærimus, me nolo nomines. Nec me, inquam. Sed tamen nunquid nam sapiens iste suos potest deserere, aut vllo pacto cum hoc corpus agit, in quo istum famulum sua lege deuinctum tenet, relinquet officium beneficia tribuendi quibus potest, & maximè quod ab eo vehementissimè flagitatur, sapientiam ipsam docendi? Quod cum facit, vt congruè doceat, minúsque ineptus sit, præparat sæpe aliquid, quod ex dispositione eloquatur ac disputet, quod nisi memoriæ commendauerit, pereat necesse est. Ergo aut officia beneuolentiæ negabis esse sapientis: aut confiteberis res aliquas sapientis memoria custodiri: an fortasse aliquid suarum rerum nō propter se quidem, sed propter suos sibi tamen necessarium commendat seruandum illi famulo, vt ille tanquam sobrius, & ex optima domini disciplina, non quidem custodiat, nisi propter stultos ad sapientiam perducendos, sed quod ei tamen ille custodiendum imperarit. Nec omnino huic, inquit, commendari quicquam arbitror à sapiente: siquidem ille semper Deo infixus est, siue tacitus, siue cum hominibus loquens: sed ille seruus iam bene institutus diligenter seruat quod interdum disputanti domino suggerat, & ei tanquam iustissimo gratum faciat officium suum, sub cuius se videt potestate viuere. Et hoc facit non quasi ratiocinando, sed summa illa lege summóque ordine præscribente. Nihil, inquā, nunc resisto rationibus tuis, vt quod suscepimus potius peragatur. De isto vero diligēter quemadmodum sese habeat (non enim parua res est, aut tam paruo sermone contenta) videbimus aliàs, cùm Deus ipse opportunitatem ordine dederit.

DEFINITVM CAPVT III.

Stultitia ab cum Deo sit.

Definitum est autem quid sit esse cum Deo. Et cum à me dictum esset, id esse cum Deo quod intelligit Deū: vos etiam plus adiecistis, vt ibi sint etiam illa quæ intelliguntur à sapiente. Qua in re multum me mouet, quomodo subitò cū Deo stultitiam collocaueritis. Nā si cum Deo sunt quæcunq; intelligit sapiens, nec nisi intellectam stultitiam effugere potest, erit etiam, quod dictu nefas est, pestis illa cum Deo. Qua cōclusione cōmoti, cum in silentio se aliquantum tenuissent: Respondeat, inquit Trigetius, etiam ille de cuius aduētu ad istam disputationem opportunissimo nō nos puto temerè gratulatos. Tum Alipius: Deus meliora, inquit, huccine mihi tandem tantum meum silentium parabatur? Sed irrupta iam quies est. Verum nunc enitar huic vtcunque rogationi satisfacere, cùm mihi prius vel in futurum prospexero, & à vobis impetrauero vt à me amplius ista responsione nihil flagitetis. Nullo modo, inquam, est Alipi beneuolētiæ atq; humanitatis tuæ vocem tuam sermoni nostro etiam desideratam negare. Sed perge modò, quod instituisti effice, cætera vt iam sese habet ordo ille prouenient. Æquè mihi de ordine, inquit, sunt speranda meliora, in cuius assertione interim me substituere voluistis. Sed, ni fallor, ob hoc stultitiam Deo ista tua conclusione ab his copulatam putasti, quod vniuersa quæ intelligit sapiens cum Deo esse dixerunt. Sed id quatenus accipiendum sit, nunc omitto, tuam illam ratiocinationem paululum libet aduertere. Dixisti quippe, Nam si cum Deo sunt quęcunque intelligit sapiens, nec nisi intellecta stultitiam effugere potest. Quasi verò illud obscurum sit, antequam stultitiam quisque vitet, sapientis eum nomine non esse censendum. Et dictū est, à sapiente intellecta esse cum Deo. Cū igitur euitandæ stultitię gratia eandem stultitiam quisq; intelligit, nondum est sapiens. Cum autem sapiens fuerit, non inter ea quæ ille intelligit stultitia numeranda est. Quamobrem quoniā ea coniuncta sunt Deo, quæ iam sapiens intelligit, rectè à Deo stultitia secernitur. Acutè quidem, inquā, vt soles Alipi respondisti, sed tanquam in alienas trusus angustias. Tamē quia, vt arbitror, adhuc mecum stultus esse dignaris, quid faciemus si aliquem nanciscamur sapientem, qui nos tanto malo docendo ac disputando libenter liberet? Nam nihil eum prius, quātum arbitror, deprecaturus sum, nisi vt mihi ostēdat quæ sit, quid sit, qualis sit omnino stultitia. De te enim non facilè affirmauerim, me tamen tantum & tam diu detinet, quantum & quandiu à me non intelligitur. Dicturus est ergo ille te auctore, vt hoc vos docerem quando stultus eram ad me venire debuistis, modò autem vos vestri magistri esse poteritis. Nam ego iá stultitiam non intelligo. Quod quidem ab eo si audirem, non vererer admonere hominem, vt comes nobis fieret, simúlq; magistrū alium quęreremus. Vt enim plenè stultitiam non intelligo, video tamen nihil responsione hac esse stultius. Sed pudebit eū fortasse ita nos

aut re-

aut relinquere, aut sequi. Disputabit ergo & exaggerabit copiosissimè stultitiæ mala. Nos autem bene nobis prouidentes, aut audiemus attentè hominem nescientem quæ loquatur, aut credemus eum id quod non intelligit scire, aut adhuc Deo susceptorum tuorum ratione stultitia copulata est. Nihil autem superiorum est, quod video posse defendi. Restat igitur, quod non vultis, extremum. Nunquam te, inquit, in-
Honorarium, quod honoris causa datur. uidum sensera. Nam si ab istis, vt dicis, susceptis quicquam honorarij, vt solet, accepissem, dum ratiocinationis huius nimium tenax es, id eis modò reddere cogerer. Quare vel hoc contenti sint, quòd me tecum laborante non parum eis ad excogitandum temporis dedi: vel si victi patroni nulla quidem sua culpa consilio libenter auscultant, & in hoc iam tibi cedant, & sint in cæteris cautiores. Non contemnam, inquam, quod in tua defensione Trigetius nescio quid etiam perstrepens dicere cupiebat, faciámque bona tua venia: nam fortasse non bene instructus es, qui recens huic negocio superueneristi, vt remoto patrocinio ipsos causam suam peragentes audiam patienter, vt cœperam. Tum Trigetius Licentio prorsus absente, Quomodo vultis, inquit, accipite & ridete stultitiã meam. Non mihi videtur debere dici intellectus quo intelligitur ipsa stultitia, quæ non intelligendi vel sola vel maxima causa est. Non facilè, inquam, recuso istud accipere. Quamuis enim me multum moueat quod sentit Alipius, quomodo rectè possit quisque docere, qualis sit res quam non intelligit, quantámque menti afferat perniciem, quod mente non videt. Nam id vtique attendes, quod tu dixisti dicere est veritus, cum ei sit ista etiam de doctorum libris nota sententia: tamen sensum ipsum considerans corporis, nam & ipso anima vtitur, & ipsi soli est cum intellectu qualiscunque collatio, adducor vt dicam neminem posse vide-
1. vera. cap. 3 re tenebras. Quamobrem si menti hoc est intelligere, quod sensui videre, & licet quisque oculis apertis, sanis, purisque sit, videre tamen tenebras non potest: non absurdè dicitur, intelligi non posse stultitiã. Nam nullas alias mentis tenebras nominamus. Nec iam illud mouebit, quomodo stultitia possit non intellecta vitari. Vt enim oculis tenebras vitamus eo ipso quo nolumus non videre: sic quisquis volet vitare stultitiam, non eam conetur intelligere, sed ea quæ possunt intelligi, per hanc se non intelligere doleat: eámque sibi esse præsentem, non quo ipsam magis intelligit, sed quo alia minus intelligit sentiat.

CAPVT IIII. *Etiam deformia faciunt ad decorem vniuersi.* SED ad ordinem redeamus, vt nobis aliquando reddatur Licentius. Illud enim iam ex vobis requiro, vtrum quæcunque agit stultus, ordine vobis agere videatur. Nam videte rogatio quos laqueos habeat. Si ordine dixeritis, vbi erit illa definitio: Ordo est quo Deus agit omnia quæ sunt, si etiam stultus quæ agit, agit ordine? Si autem ordo non est in iis, quæ aguntur ab stulto, erit aliquid quod ordo non teneat: neutrum autem vultis. Videte quæso ne cũcta ipsius ordinis defensione turbetis. Hic item Trigetius, nam ille alter adhuc omnino absens erat, Facile est, inquit, huic quidem respondere complexioni tuæ, sed me in præsentia similitudo deficit qua sententiam meam videoasseri illustrarique debere. Tamen dicam quod sentio, facies enim tu quod paulò antè feci sti. Non enim illa commemoratio tenebrarum ad id quod à me inuolutum, & prolatum erat, parum nobis attulit luminis. Namque omnis vita stultorum quamuis per eos ipsos minimè constans minimèque ordinata sit, per diuinam tamen prouidentiam necessario rerum ordine includitur, & quasi quibusdam locis illa ineffabili, & sempiterna lege dispositis nullo modo esse finitur vbi esse non debet. Ita fit vt angusto animo ipsam solam quisque cõsiderans, veluti magna repercussus fœditate auersetur. Si autem mentis oculos erigẽs atque diffundens, simul vniuersa collustret, nihil non ordinatum, suisque semper veluti sedibus distinctum dispositúmque reperiet. Quàm magna, inquam, quam mira mihi per vos Deus ille, atque ipse, vt magis magisque credere adducor, rerum nescio quis occultus ordo respõdet. Nam ea dicitis quæ nec quomodo dicantur nõ visa, nec quomodo ea videatis intelligo, ita ea & vera & alta esse suspicor. Simile autem aliquod in istam sententiam tu fortasse vnum requirebas. At mihi iam occurrunt innumerabilia, quæ me ad cõsentiendum prorsus trahũt. Quid enim carnifice tetrius? Quid illo animo truculentius atque dirius? At inter ipsas leges locum necessarium tenet, & in bene moderatæ ciuitatis ordinem inseritur, estque suo animo nocens, ordine autem alieno, pœna nocentium. Quid sordidius, quid inanius decoris, & turpitudinis plenius meretricibus, lenonibus, cæterisque hoc genus pestibus dici potest? Aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus. Constitue matronarum loco, labe ac dedecore dehonestaueris. Sic igitur hoc genus hominum per suos mores impurissimum vita, per ordinis leges conditione vilissimum. Nõne in corporibus animantium quædam membra si sola attendas non possis attendere, tamen ea naturæ ordo, nec quia necessaria sunt, deesse voluit, nec quia indecora, eminere permisit. Quæ tamẽ deformia suos locos tenendo, meliorem locum cõcessere melioribus. Quid *Supra lib. 1. cap. 8.* nobis suauius, quid in agro villáque spectaculo congruentius fuit, pugna illa conflictúque gallinaciorum gallorum, cuius superiore Libro fecimus mẽtionem? Quid abiectius tamen deformitate subiecti vidimus? Et per ipsam tamẽ eiusdem certaminis perfectior pulchritudo prouenerat. Talia credo sunt omnia, sed oculos quærunt. Solœcismos & barbarismos quos vocant, poëtæ adamauerunt, quæ schemata & metaplasmos mutatis appellare nominibus, quam manifesta vitia fugere maluerunt. Detrahe tamen ista carminibus, suauissima condimenta desiderabimus. Congere multa in vnum locum, totum acre, putridũ, rancidum fastidibo. Transfer in liberam forensẽmq; dictionem, quis non eam fugere atq; in antris se condere iubebit? Ordo igitur ea gubernans & moderans, nec apud se nimia, nec vbilibet aliena esse patietur. Submissa quẽdam impolitæq; simillima ipsos saltus ac venustos †locos sese interponẽs illustrat oratio. Quæ si sola sit, proiicis vt vilem: si autem desit, illa pulchra non prominent, non in suis quasi regionibus possessionibúsque dominantur, sibiq; ipsa propria luce obstant totúmq; confundunt. *al. lucos.*

CAP. V. *Quomodo medendum erroti, credentium res nullo ordine geri.* MAGNÆ & hic debentur ordini gratiæ. Mentientes conclusiones, aut irrepentes paulatim, vel minuendo, vel addendo in assensionem falsitatis, quis non metuat, quis non oderit? Sæpe tamen in disputationibus certis, & suis sedibus collocatæ tantũ valent, vt nescio quomodo per eas dulcescat ipsa deceptio. Nónne hic quoq; ordo ipse laudabitur? Iam in Musica, in Geometria, in astrorũ motibus, in numerorum necessitatibus ordo ita dominatur, vt si quis quasi eius fontẽ atq; ipsum penetrale videre desideret, aut in his inueniat, aut per hæc eò sine vllo errore ducatur. Talis enim eruditio si quis ea moderatè vtatur (nam nihil ibi quam nimium formidandũ est) talem philosophiæ militem nutrit vel etiam ducẽ, vt ad summũ illum modum, vltra quẽ requirere aliquid nec possit, nec debeat, nec cupiat, qua vult euolet atq; perueniat, multósque perducat. Vnde iam dũ ipsis humanis rebus teneatur, sic eas despiciat, cunctáque discernat, vt nullo modo eum moueat cur alius optet liberos habere nec habeat, alius nimia vxoris fœcunditate torqueatur: egeat ille pecunia, qui largiri liberaliter multa paratus est, eique defossæ incubet macer

& sca-

& ſcabioſus fœnerator: ampla patrimonia luxuries diſpergat atq; diffundat, vix toto die lachrymans mẽdicus nummum impetret. Alium honor extollat indignum, lucidi mores abſcondãtur in turba. Hæc & alia in hominũ vita, cogunt homines plerunq; impiè credere, nullo nos ordine diuinæ prouidentiæ gubernari. Alij autem pij & boni atq; ſplendido ingenio præditi, qui neq; nos deſeri à ſummo Deo poſſunt in animum inducere, & tamen rerũ tanta quaſi caligine atq; commixtione turbati nullũ ordinem vident, volentes ſibi nudari abditiſſimas cauſas, errores ſuos ſæpe etiã carminibus conqueruntur. Qui ſi hoc ſolum interrogẽt, cur Itali ſemper ſerenas hyemes orent, & itẽ ſemper Getulia noſtra miſera ſitiat, quis eis facilè reſpõdebit, aut vbi apud nos indagabitur illius ordinis vlla ſuſpicio? Egõ autẽ, ſi quid meos monere poſſum, quantum mihi apparet, quantúmq; ſentio, cenſeo illos diſciplinis omnibus erudiendos. Aliter quippe iſta ſic intelligi, vt luce clariora ſint, nullo modo poſſunt. Si autem aut pigriores ſunt, aut aliis negociis præoccupati, aut iam duri ad diſcendum, fidei ſibi præſidia parent, quo illos vinculo ad ſeſe trahat, atq; ab his horrendis & inuolutiſſimis malis liberet ille, qui neminẽ ſibi per myſteria bene credentem perire permittit. Duplex enim eſt via quá ſequimur cũ rerum nos obſcuritas mouet, aut rationem, aut certè auctoritatem. Philoſophia rationem promittit, & vix pauciſſimos liberat: quos tamen non modò non contemnere illa myſteria, ſed ſola intelligere, vt intelligenda ſunt cogit. Nullúmq; aliud habet negocium, quæ vera, &, vt ita dicã, germana philoſophia eſt, quam vt doceat quòd ſit omnium rerum principium ſine principio, quantúſq; in eo maneat intellectus, quidve inde in noſtram ſalutem ſine vlla degeneratione manauerit: quem vnum Deum omnipotentem eúmq; tripotẽtem patrem & filium & ſpiritum ſanctũ docent veneranda myſteria, quæ fide ſincera & inconcuſſa populos liberant: nec cõfuſe, vt quidam: nec cõtumelioſe, vt multi prædicant. Quantum autem illud ſit, quod hoc etiã noſtri generis corpus, tantus propter nos Deus aſſumere atq; agere dignatus eſt, quanto videtur vilius, tanto eſt clementia plenius, & à quadam ingenioſorum ſuperbia longè latéque remotius. Anima verò vnde originem ducat, quidve hic agat, quantum diſtet à Deo, quid habeat proprium quod alternat in vtranq; naturã, quatenus moriatur, & quomodo immortalis probetur, quã magni putatis eſſe ordinis, vt iſta diſcantur? Magni omnino atque certi. De quo breuiter ſi tempus fuerit pòſt loquemur. Illud nunc à me accipiatis volo: Si quis temerè ac ſine ordine diſciplinarum in harum rerũ cognitionem audet irruere, pro ſtudioſo illũ curioſum, pro docto credulum, pro cauto incredulum fieri. Itaq; mihi quod modo interroganti tam bene atq; aptè reſpondiſtis, & miror vnde ſit, & cogor agnoſcere. Videamus tamen quouſque progredi veſtra latens poſſit intentio. Iam nobis Licentij etiam verba reddantur, quia tam diu neſcio qua cura occupatus, alienus ab hoc ſermone fuit, vt eum iſta non aliter quã eos, qui non adſunt familiares noſtros credam eſſe lecturum. Sed redi ad nos, quæſo Licenti, atque hic totus fac vt adſis, tibi enim dico. Nam definitionem meã tũ probaſti, qua dictum eſt quid ſit eſſe cum Deo, cum quo mentem ſapientis manere immobilem, me quantum aſſequi valeo, docere voluiſti.

CAPVT VI. *Mens ſapientis immobilis*

SED illud me mouet, quomodo cum iſte ſapiens quam diu inter homines viuit, in corpore eſſe non negetur, quo pacto fiat, vt eius corpore huc atque illuc vagante, mẽs immobilis maneat. Iſto enim modo potes dicere, cũ mouetur nauis, homines qui in ea ſunt nõ moueri, quamuis ab ipſis eam poſſideri gubernariq́ue fateamur. Etenim ſi ſola eam cogitatione regerent, facereńtq; ire quò vellent, tamen cùm ea moueatur, non poſſunt illi qui ibidem conſtituti ſunt non moueri. Non, ait Licentius, animus ita eſt in corpore, vt corpus imperet animo. Neque hoc ego dico, inquam, ſed etiam eques nõ ita eſt in equo, vt ei equus imperet, & tamẽ quamuis quò velit ire equum agat, equo moto moueatur neceſſe eſt. Poteſt, inquit, ſedere ipſe immobilis. Cogis nos, inquam, definire quid ſit moueri: quod ſi potes, facias volo. Prorſus, inquit, maneat quæſo beneficium tuum, nam manet poſtulatio mea: & ne me rurſus interroges, vtrum mihi definire placeat, quando id facere potuero, ipſe profitebor. Quæ cùm dicta eſſent, puer de domo cui dederamus id negocij, cucurrit ad nos, & horam prandij eſſe nunciauit. Tum ego. Quid ſit, inquam, moueri, non definire nos puer iſte, ſed ipſis oculis cogit oſtẽdere. Eamus igitur, & de iſto loco in alium locum tranſeamus: nam nihil eſt aliud, niſi fallor, moueri. Hic cùm arriſiſſent, diſceſſimus. At vbi refecimus corpora, quoniam cælũ obduxerat nubes, ſolito loco in balneo conſedimus. Atq; ego: Concedis ergo, inquam Licenti, nihil eſſe aliud motum quam de loco in locum tranſitum? Concedo, inquit. Concedis ergo, inquam, neminem in eo loco eſſe in quo non fuerat, & motum non fuiſſe? Non intelligo, inquit. Si quid, inquam, in alio loco fuit dudum, & nunc in alio eſt, motum eſſe concedis? Aſſentiebatur. Ergo, inquam, poſſet alicuius ſapientis viuum corpus hic modò nobiſcum eſſe, vt animus hinc abeſſet? Poſſet, inquit. Etiámne, inquam, ſi nobiſcum colloqueretur, & nos aliquid doceret? Etiamſi, inquit, nos ipſam doceret ſapientiam, non illum dicerem nobiſcum eſſe, ſed ſecum. Non igitur in corpore, inquam. Non, inquit. Cui ego: Corpus illud quod careat animo, nónne mortuum fateris cum ego viuum propoſuerim? Neſcio, inquit, quomodo explicem: nam & corpus hominis viuum eſſe non poſſe video, ſi animus in eo non ſit, & non poſſum dicere ibi vbi ſit corpus ſapientis, non eius animum eſſe cum Deo. Ego, inquã, faciam vt hoc explices. Fortaſſe enim quia vbiq; Deus eſt, quoquo ierit ſapiens inuenit Deum cum quo eſſe poſſit. Ita fit vt poſſimus & non negare illum de loco in locum tranſire, quod eſt moueri, & tamen ſemper eſſe cum Deo. Fateor, inquit, corpus illud de loco in locum tranſitum facere, ſed mentem ipſam nego, cui nomen ſapientis impoſitum eſt.

CAPVT VII. *Quomodo ordo fuerit, cum malum non eſſet.*

NVNC interim tibi cedo, inquam, ne res obſcuriſſima, & diutius diligentiúſque tractanda, impediat in præſenti propoſitum noſtrum. Sed illud videamus, quoniam definitum eſt à nobis quid ſit eſſe cum Deo, vtrum poſſumus etiam ſcire, quid ſit eſſe ſine Deo, quamuis iam manifeſtũ eſſe arbitror. Nam credo videri tibi eos, qui cum Deo non ſunt, eſſe ſine Deo. Si poſſent, inquit, mihi verba ſuppetere, dicerem fortaſſe quod tibi non diſpliceret. Sed peto perferas infantiam meam, reſq́; ipſas, vt te decet, veloci mente præripias. Nam iſti nec cum Deo mihi videntur eſſe, & à Deo tamen haberi. Itaque non poſſum eos ſine Deo eſſe dicere, quos Deus habet. Cum Deo item non dico, quia ipſi non habent Deum. Siquidem Deum habere, iam inter nos pridem in ſermone illo quem die natali tuo iucundiſſimum habuimus, placuit nihil aliud eſſe quàm Deo perfrui. Sed fateor me formidare iſta contraria, quomodo quiſq; nec ſine Deo ſit, nec cum Deo. Nõ te moueant iſta, inquã. Nã vbi res conuenit, quis non verba contemnat? Quare iam ad illam tandem ordinis definitionem redeamus. Nam ordinem eſſe dixiſti quo Deus agit omnia. Nihil autem, vt video, non agit Deus: nam inde viſum tibi eſt, nihil præter ordinem poſſe inueniri. Manet, inquit, ſententia mea: ſed iam video quid ſis dicturus, vtrum Deus agat quæ non benè agi confitemur. Optimè, inquam, prorſus

De bona vita diſputat. 2.

prorſus oculum in mentẽ iniecisti. Sed vt vidisti quid eſſem dicturus, ita peto videas quid reſpondẽdum ſit. Atq; ille nutans capite atque humeris: Turbamur, inquit. Et huic fortè quęstioni mater ſuperuenerat. Atq; ille poſt aliquantulum ſilentium petiit, vt à me hoc ipſum rurſus interrogaretur. Cui loco ſuperius à Trigetio fuiſſe reſponſum non omnino animaduerterat. Tum ego: Quid, inquã, vel cur tibi repetam? Actum, aiunt, ne agas. Quare moneo potius, vt ea quę ſuprà dicta ſunt vel legere cures, ſi audire nequiuisti. Quam quidem abſentiam à ſermone noſtro animi tui nõ ægrè tuli, diúq; ita eſſe te pertuli, vt neq; illa impedirem quæ tecum intentus remotúſq; à nobis, pro te agebas, & ea perſequerer, quæ te amittere ſtylus iſte non sineret. Nunc illud quæro, quod nondũ diſcutere diligẽti ratione tentauimus. Nam vt primum nobis iſtam de ordine quæſtionem neſcio quis ordo peperit, memini te dixiſſe hanc eſſe iuſtitiam Dei, quę ſeparat inter bonos & malos, & ſua cuique tribuit. Nã nulla eſt, quantum ſentio, manifeſtior iuſtitię definitio: itaq; reſpondeas velim, vtrum tibi videatur aliquando Deum non fuiſſe iuſtum. Nunquam, inquit. Si ergo ſemper, inquam, Deus iuſtus, ſemper bonum & malum fuerũt. Prorſus, inquit mater, nihil aliud video quod ſequatur. Non enim iudicium Dei fuit vllum quando malũ non fuit: nec ſi aliquando bonis & malis ſua cuiq; non tribuit, poteſt videri iuſtus fuiſſe. Cui Licentius: Ergo dicendum nobis cenſes, inquit, ſemper malum fuiſſe. Nõ audeo, inquit illa, dicere. Quid, inquam, ergo dicemus? Si Deus ideo iuſtus eſt, quia iudicat inter bonos & malos, quando non erat malum, nõ erat iuſtus. Hic illis tacentibus animaduerti Trigetium reſpõdere velle, atque permiſi. At ille: Prorſus, inquit, erat Deus iuſtus. Poterat enim bonum, inquit, malúmque ſecernere, ſi extitiſſet, & ex eo ipſo quo poterat, iuſtus erat. Non enim cum dicimus Ciceronem prudenter inueſtigaſſe coniurationem Catilinę, temperãter nullo corruptum fuiſſe præmio, quo parceret malis, iuſte illos ſummo ſupplicio ſenatus auctoritate mactaſſe, fortiter ſuſtinuiſſe omnia tela inimicorum, & molẽ, vt ipſe dixit, inuidiæ, nõ in eo fuiſſent virtutes iſtę, niſi Catilina reipubl. tantam perniciem comparaſſet. Virtus enim per ſeipſam non per aliquod huiuſmodi opus conſideranda eſt, & in homine, quanto magis in Deo? ſi tamen in anguſtiis rerum atque verborũ componere illis iſta quoquomodo permittitur: nam vt intelligamus, quia Deus ſemper iuſtus fuit, quando extitit malum quod à bono ſeiungeret, nihil diſtulit ſua cuique tribuere: non enim tunc ei erat diſcenda iuſtitia, ſed tunc ea vtendum, quam ſemper habuit. Quod cum & Licentius & mater in tanta neceſſitate approbaſſent: Quid, inquam, dicis Licenti? Vbi eſt quod tam magnopere aſſeruiſti, nihil præter ordinem fieri? Quod enim factum eſt, vt malum naſceretur, nõ vtique Dei ordine factum eſt: ſed quum eſſet natum, Dei ordine incluſum eſt. Et ille admirans ac moleſtè ferẽs, quòd tam repentè bona cauſa eſſet lapſa de manibus: Prorſus, inquit, ex illo dico cœpiſſe ordinem ex quo malum eſſe cœpit. Ergo, inquam, vt eſſet ipſum malũ, non ordine factum eſt, ſi poſtquam malum ortum eſt, ordo eſſe cœpit. Sed ſemper erat ordo apud Deum: & aut ſemper fuit nihil quod dicitur malum: aut ſi aliquando inuenitur cœpiſſe, quia ordo ipſe aut bonus eſt, aut ex bono eſt, nunquam aliquid ſine ordine fuit, nec erit aliquando. Quamuis & neſcio quid potius occurrit, ſed illa conſuetudine obliuionis elapſum eſt: quod credo ordine contigiſſe pro merito, vel gradu vel ordine vitæ. Neſcio quomodo mihi, inquit, effugit, quam nunc ſperno ſententiam: non enim debui dicere poſtquam malum natum eſt, cœpiſſe ordinem: ſed vt illa iuſtitia, de qua Trigetius diſſeruit, ita & ordinem fuiſſe apud Deum: ſed ad vſum eius non veniſſe, niſi poſtquam mala eſſe cœperunt. Eodem, inquam, relaberis: illud enim quod minimè vis inconcuſſum manet: nam ſiue apud Deum fuit ordo, ſiue ex illo tempore eſſe cœpit, ex quo etiam malum, tamen malum illud præter ordinem natum eſt. Quod ſi concedis, fateris aliquid præter ordinem poſſe fieri, quod cauſam tuam debilitat ac detruncat. Si autem non concedis, incipit Dei ordine natum malum videri, & malorum auctorem Deum fateberis. Quo ſacrilegio mihi deteſtabilius nihil occurrit. Quod cum ſiue non intelligẽti, ſiue diſſimulanti ſe intellexiſſe verſarem ſæpius & reuoluerem, nihil habuit quod diceret, & ſe ſilentio dedit. Tum mater: Ego, inquit, nõ puto nihil potuiſſe præter Dei ordinem fieri, quia ipſum malum quod natum eſt, nullo modo Dei ordine natũ eſt, ſed illa iuſtitia id inordinatũ eſſe nõ ſinit, & in ſibi meritum ordinem redegit & compulit. Hic ego cùm omnes cernerem ſtudioſiſſimè, ac pro ſuis quemque viribus Deum quærere, ſed ipſum de quo agebamus ordinem non tenere, quo ad illius ineffabilis maieſtatis intelligentiam peruenitur: Oro vos, inquam, ſi (vt video) multum diligitis ordinem, ne nos præpoſteros & inordinatos eſſe patiamini. Quanquam enim occultiſſima ratio ſe demonſtraturam polliceatur, nihil præter diuinum ordinem fieri: tamen ſi quempiã ludimagiſtrum audiremus, conantem docere puerum ſyllabas, quem prius literas nemo docuiſſet, non dico ridendum tanquam ſtultum, ſed vinciendum tanquam furioſum putaremus, non ob aliud, vt opinor, niſi quòd docendi ordinem non teneret. At multa talia & imperitos, quæ à doctis reprehendantur ac derideantur, & dementes homines, quæ nec ſtultorum iudicium fugiunt, facere nemo ambigit: & tamen etiã iſta omnia quæ fatemur eſſe peruerſa, non eſſe præter diuinum ordinem, alta quædam & à multitudinis vel ſuſpicione remotiſſima diſciplina, ſe ita ſtudioſis, & Deum atque animas tantum amantibus manifeſtaturam eſſe promittit, vt non nobis ſummæ numerorum poſſint eſſe certiores.

1. De ordine cap. 7.

1. retr. ca. 3.

CAPVT VIII.

HÆC autem diſciplina ipſa Dei lex eſt, quæ apud eum fixa & inconcuſſa ſemper manens, in ſapientes animas quaſi tranſcribitur, vt tanto ſe ſciant viuere melius, tantóque ſublimius, quanto & perfectius eam contemplantur intelligendo, & viuendo cuſtodiunt diligentius. Hæc igitur diſciplina eis, qui illam noſſe deſiderant, ſimul geminum ordinem ſequi iubet: cuius vna pars vitæ, altera eruditionis eſt. Adoleſcentibus ergo ſtudioſis eius ita viuendum eſt, vt à venereis rebus, ab illecebris ventris & gutturis, ab immodeſto corporis cultu & ornatu, ab inanibus negociis ludorum, à tempore ſomni atque pigritiæ, ab æmulatione, obtrectatione, inuidia, ab honorum poteſtatúmque ambitionibus, ab ipſius etiam laudis immodica cupiditate ſe abſtineant: amorem autem pecuniæ totius ſuę ſpei certiſſimum venenum eſſe credant: nihil eneruiter faciant, nihil audacter. In peccatis autem ſuorum vel pellant omnino iram, vel ita frenent, vt ſit pulſæ ſimilis: neminem oderint, nulla vitia non curare velint. Magnopere obſeruent cum vindicant, ne nimium ſit: cùm ignoſcunt, ne parum. Nihil puniant quod non valeat ad melius: nihil indulgeant quod vertat in peius. Suos putent omnes, in quos ſibi poteſtas data fuerit. Ita ſeruiant, vt eis dominari pudeat: ita dominentur, vt eis ſeruire delectet. Inalienorum autem peccatis moleſti non ſint inuito. Inimicitias vitent cautiſſimè, ferant æquiſſimè, finiant citiſſimè. In omni verò contractu atque conuerſatione cum hominibus, ſatis eſt ſeruare vnum hoc vulgare prouerbium: Nemini faciant quod pati nolunt. Rempublicam nolint adminiſtrare, niſi perfecti.

Lex quæ in Deo diſciplina eſt vitæ.

Cic. de Leg. 1

Vita probata.

Perfici

Perfici autem vel intra ætatem senatoriam festinent, vel certè intra iuuentutem. Sed quisquis sero ad ista se conuerterit, non arbitretur nihil sibi esse præceptum: nam ista vtiq; facilius decocta ætate seruabit. In omni autem vita, loco, tempore, amicos aut habeát, aut habere instent. Obsequantur dignis etiam non hoc expectantibus. Superbos minus curent, minimi sint. Aptè congruentérq; viuant. Deum colant, cogitét, quérant, fide, spe, charitate subnixi. Optent tranquillitatem, atq; certum cursum studiis suis, omniúmq; sociorum, & sibi quibúsq; possunt mentem bonâ pacatámque vitam.

CAP. IX. Eruditio quomodo paretur, & quàm sit vtilis.

SEQVITVR vt dicâ quomodo studiosi erudiri debeát, qui sicut dictum est viuere instituerunt. Ad discendum item necessariò dupliciter ducimur, auctoritate atq; ratione. Tempore autoritas, re autem ratio prior est. Aliud est enim, quod in agendo anteponitur, aliud quod pluris in appetẽdo ẽstimatur. Itaq; quanquam bonorum auctoritas imperitę multitudini videatur esse salubrior, ratio verò aptior eruditis: tamen, quia nullus hominum nisi ex imperito peritus fit, nullus autem imperitus nouit qualẽ se debeat præbere docentibus, & quali vita esse docilis possit, euenit vt omnibus bona magna & occulta discere cupientibus, non aperiat nisi auctoritas ianuam. Quam quisq; ingressus sine vlla dubitatione vitę optimę præcepta sectatur: per quæ cum docilis factus fuerit, tum demum discet & quanta ratione prædita sint ea ipsa quæ secutus est ante rationem, & quid sit ipsa ratio, quam post auctoritatis cunabula firmus & idoneus iam sequitur atq; comprehẽdit: & quid intellectus, in quo vniuersa sunt, vel ipsa potius vniuersa: & quid præter vniuersa vniuersorum principium. Ad quâ cognitionem in hac vita peruenire pauci, vltra quâ verò etiam post hanc vitam nemo progredi potest. Qui autem sola auctoritate contenti, bonis tantum moribus rectisq; votis constanter operam dederint, aut contemnentes, aut non valentes disciplinis liberalibus atq; optimis erudiri, beatos eos quidem, cùm inter homines viuunt, nescio quomodo appellem: tamen inconcusse credo mox vt hoc corpus reliquerunt, eos quo bene magis minúsve vixerunt, eo facilius aut difficilius liberari. Auctoritas autem partim diuina est, partim humana: sed vera, firma, summa ea est quæ diuina nominatur. In qua metuẽda est aëriorum animalium mira fallacia, quæ per rerum ad istos sensus corporis pertinentium quasdam diuinationes, nonnullásq; potentias decipere animas facillimè consuerũt, aut periturarum fortunarum curiosas, aut fragilium cupidas potestatum, aut inanium formidolosas miraculorum.

Autoritas.

1. retr. cap. 3 Illa ergo auctoritas diuina dicenda est, quę non solum in sensibilibus signis transcendit omnem humanâ facultatem, sed & ipsum hominem agens, ostendit ei quousq; se propter ipsum depresserit: & nõ teneri sensibus, quibus videntur illa miranda, sed ad intellectum

Ibidem. iubet euolare: simul demonstrans & quãta hic possit, & cur hæc faciat, & quam parui pendat. Doceat enim oportet & factis potestatem suam, & humilitate clementiam, & præceptione naturam, quæ omnia sacris quibus initiamur, secretius firmiúsq; tradũtur. In quibus bonorum vita facillimè non disputationum ambagibus, sed mysteriorũ auctoritate purgatur. Humana verò auctoritas plerunq; fallit: in eis tamen iure videtur excellere, qui quantum imperitorum sensus capit, multa dant indicia doctrinarum suarum, & nõ vi-

1. retr. cap. 3 uunt aliter quã viuendum esse præcipiunt. Quibus si aliqua etiá fortunæ munera accesserint, quorũ appareant vsu magni, contemptúq; maiores, difficillimum omnino est, vt eis quisque viuendi præcepta dantibus credens, rectè vituperetur.

CAP. X. Vita præcepta pauci assequuntur.

HIC Alipius: Pertmagna, inquit, vitæ imago abs te ante oculos nostros, cùm plenè, tum breuiter constituta est. Cui quamuis quotidianis præceptis tuis inhiemus, tamen nos hodie cupidiores flagrantioresq; reddidisti. Ad quam, si fieri posset, non solum nos, verumetiam cunctos homines iam peruenire, & eidem inhærere cuperem, vt hęc sicuti auditu mirabilia, ita essent imitatione facilia. Ná nescio quomodo, quod vtinam vel à nobis procul absit, animus humanus dum hæc audiendo, cælestia diuina ac prorsus vera esse proclamet, in appetendo aliter se gerit, vt mihi verissimum videatur aut diuinos homines, aut non sine diuina ope sic viuere. Cui ego: Hæc præcepta viuendi, quæ tibi, vt semper, plurimum placent Alipi, quamuis hic meis verbis pro tempore expressa sint, non tamen à me inuẽta esse optimè scis. His enim magnorum hominum & penè diuinorum libri plenissimi sunt: quod non propter te dicendũ mihi putaui, sed propter istos adolescentes, ne in eis quasi auctoritatem meam iure contemnant. Nam mihi omnino illos nolo credere, nisi docenti, rationémque reddenti, propter quos pro rerum magnitudine cõcitãdos, etiam te arbitror istum interposuisse sermonẽ: non enim tibi sunt ad sequendũ ista difficilia, quę tanta rapuisti auiditate, tantóq; in ea naturæ admirabilis impetu ingressus es, vt ego tibi verborum, tu mihi rerum magister effectus sis. Nõ enim est modò vlla causa mentiendi, aut saltem occasio: nam neq; te falsa laudis studiosiorem fieri puto, & ij adsunt qui vtrumque nouerũt, & ei sermo iste mittetur, cui nostrum nullus ignotus est. Bonos autem viros, deditósq; optimis moribus, si non aliter sentis atq; dixisti, pauciores te arbitror esse credere, quam mihi probabile est: sed multi penitùs latent te. Item multorum non latentium, ea ipsa quæ mira sunt, latent: in animo enim sunt ista, qui neq; sensu accipi potest, & plerunque dum congruere vult vitiosorum hominum colloquiis, ea dicit, quæ aut probare aut appetere videatur. Multa etiam facit 1. retr. cap. 3 non libenter, propter aut vitãdum odium hominum, aut ineptiam fugiendam, quod nos audientes aut videntes difficile aliter existimamus, quam sensus iste renunciat. Eóq; fit, vt multos non tales esse credamus, quales & se ipsi & eos sui familiares nouerunt. Quod tibi ex amicorum nostrorum quibusdam magnis animi bonis, quæ nos soli scimus, persuadeas velim. Nam error iste non minima hac causa nititur, quòd nõ pauci se subitò ad bonam vitam mirandámq; conuertũt: & donec aliquibus clarioribus factis innotescant, quales erant esse creduntur. Nam ne longius abeam, quis istos adolescẽtes, qui antea nouerat, facile credat tam studiose magna quærere, tantas repentè in hac ætate indixisse inimicitias voluptatibus? Ergo hanc opinionem pellamus ex animo: nam & illud diuinum auxilium, quod vt decebat religiosè in vltimo sermonis tui posuisti, latius quam nonnulli opinantur officium clementiæ suæ per vniuersos populos agit. Sed ad disputationis nostræ, si placet, ordinem redeamus: & quoniam de auctoritate satis dictũ est, videamus quid sibi ratio velit.

CAP. XI. Ratio quid, & huius in sensibilibus vestigia.

RATIO est mentis motio, eâ quæ discuntur distinguendi & connectendi potens: qua duce vti ad Deum intelligendum, vel ipsam quæ aut in nobis, aut vsquequaque est animam, rarissimum omnino genus hominum potest: nõ ob aliud, nisi quia in istorum sensuum negocia progresso, redire in semetipsum cuique difficile est. Itaque cum in 1. retr. cap. 3: rebus ipsis fallacibus ratione totum agere homines moliantur, quid sit ipsa ratio, & qualis sit, nisi perpauci prorsus ignorant. Mirum videtur, sed tamen se ita res habet. Satis est hoc dixisse in præsentia: nam si vobis rem tantam sicut intelligenda est, nunc ostendere cupiam, tam ineptus sim, quam arrogans si vel me illam iam percepisse profitear. Tamen quantum dignata est in res quæ nobis notæ videntur procedere, indagemus eam, si possumus, interim,

prout

prout ſuſceptus ſermo deſiderat. Ac primum videamus vbi hoc verbum, quod ratio vocatur, frequentari ſolet: nam illud nos mouere maximè debet, quòd ipſe homo à veteribus ſapientibus ita definitus eſt: Homo eſt animal rationale mortale. Hic genere poſito, quod animal dictum eſt, videmus additas duas differentias, quibus credo admonendus erat homo, & quò ſibi redeundum eſſet, & vnde fugiendum. Nam vt progreſſus animę vſque ad mortalia lapſus eſt, ita regreſſus eſſe in rationem debet. Vno verbo à beſtiis, quod rationale: & alio à diuinis ſeparatur, quod mortale dicitur. Illud igitur niſi tenuerit, beſtia erit: hinc niſi ſe auerterit, diuina non erit. Sed quoniam ſolent doctiſſimi viri quid inter rationale & rationabile interſit, acutè ſubtiliterque diſcernere, nullo modo eſt, ad id quod inſtituimus, negligendum: nam rationale eſſe dixerunt, quod ratione vteretur vel vti poſſit: rationabile autem, quod ratione factum eſſet aut dictum. Itaque has balneas rationabiles poſſumus dicere, noſtrúmque ſermonem: rationales autem vel illum qui has fecit, vel nos qui loquimur. Ergo procedit ratio ab anima rationali, ſcilicet in ea quæ vel fiunt rationabilia, vel dicuntur. Duo ergo video, in quibus potentia viſque rationis poſſit ipſis etiam ſenſibus admoueri: opera hominum quæ videntur, & verba quæ audiũtur.

Hominis definitio.

Differunt rationale & rationabile.

2. retr. cap. 3 In vtroque autem vtitur mens gemino núcio pro corporis neceſſitate: vno qui oculorum eſt, altero qui aurium. Itaque cum aliquid videmus congruentibus ſibi partibus figurarum, non abſurdè dicimus rationabiliter apparere. Itémque cum aliquid bene concinere audimus, non dubitamus dicere quod rationabiliter ſonat. Nemo autem non rideatur, ſi dixerit, Rationabiliter olet, aut rationabiliter ſapit, aut rationabiliter molle eſt, niſi fortè in iis quæ propter aliquid ab hominibus procurata ſunt vt ita olerent vel ſaperent vel feruerent, vel quid aliud. Vt ſi quis locum, vnde grauibus odoribus ſerpentes fugantur, rationabiliter dicat ita olere, cauſam intuens quare ſit factũ: aut poculum quod medicus confecerit, rationabiliter amarum eſſe vel dulce: aut quod temperari languido ſolium iuſſerit, calere rationabiliter aut tepere. Nemo autem hortum ingreſſus, & roſam naribus admouẽs, audet ita dicere, quã rationabiliter fragrat: nec ſi medicus illam vt olfaceret iuſſerit. Tunc enim præceptum vel datum illud rationabiliter, non tamen olere rationabiliter dicitur: nec propterea, quia naturalis ille odor eſt. Nam quamuis à coquo pulmentum condiatur, rationabiliter conditum poſſumus dicere: rationabiliter autem ſapere, cum cauſa extrinſecus nulla ſit, ſed præſenti ſatisfiat voluptati, nullo modo ipſa loquendi conſuetudine dicitur. Si enim quæratur de illo cui poculum medicus dederit, cur id dulciter ſentire debuerit, aliud infertur propter quod ita eſt, id eſt morbi genus, quod iam non in illo ſenſu eſt, ſed aliter ſeſe habet in corpore. Si autem rogetur liguriens aliquid, gulæ ſtimulo concitatus, cur ita dulce ſit, & reſpondeat, quia libet, aut quia delector: nemo illud dicet rationabiliter dulce, niſi fortè illius delectatio alicui rei ſit neceſſaria, & illud quod mandit, ob hoc ita confectum ſit. Tenemus quantum inueſtigare potuimus, quædam veſtigia rationis in ſenſibus, & quod ad viſum atque auditum pertinet, in ipſa etiam voluptate. Alij verò ſenſus in voluptate ſua, ſed propter aliquid aliud ſolent hoc nomen exigere: id autem eſt rationalis animãtis factum propter aliquem finem. Sed ad oculos quod pertinet, in quo congruentia partium rationabilis dicitur, pulchrum appellari ſolet. Quod verò ad aures, quando rationabilem concentum dicimus, cantúmque numeroſum rationabiliter eſſe compoſitum: ſuauitas vocatur proprio iam nomine. Sed neque in pulchris rebus cum nos color illicit, neque in aurium ſuauitate, cum pulſa chorda quaſi liquidò ſonat atq; purè, rationabile illud dicere ſolemus. Reſtat ergo vt in iſtorum ſenſuum voluptate id ad rationem pertinere fateamur, vbi quędam dimenſio eſt atque modulatio. Itaque in hoc ipſo ędificio ſingula bene conſiderantes, non poſſumus non offendi, quod vnum oſtium videmus in latere, alterum propè in medio, nec tamen in medio collocatum. Quippe in rebus fabricatis, nulla cogente neceſſitate, iniqua dimẽſio partium facere ipſi aſpectui velut quandam videtur iniuriam. Quod autem intus tres feneſtræ, vna in medio, duæ à lateribus, paribus interuallis ſolis lumen infundunt, quam nos delectat diligentius intuentes, quámque in ſe animum rapit, manifeſta res eſt, nec multis verbis vobis aperiẽda. Vnde ipſi architecti iam ſuo verbo rationem iſtam vocant: & partes diſcorditer collocatas, dicunt non habere rationem. Quod latè patet, ac penè in omnes artes operáq; humana diffunditur. Iam in carminibus, in quibus item dicimus eſſe rationem ad voluptatem aurium pertinentẽ, quis non ſentiat dimenſionem eſſe totius huius ſuauitatis opificem? Sed hiſtrione ſaltante, cum bene ſpectantibus geſtus illi omnes ſigna ſint rerum, quamuis membrorum numeroſus quidam motus oculos eadem illa dimenſione delectet, dicitur tamẽ rationabilis illa ſaltatio, quod bene aliquid ſignificet & oſtẽdat, excepta ſenſuum voluptate. Non enim ſi pennatam Venerem faciat, & Cupidinem palliatum, quamuis id mira mẽbrorum motione atq; collocatione depingat, oculos videtur offendere, ſed per oculos animum, cui rerum ſigna illa monſtrantur: nam oculi offenderẽtur, ſi non pulchrè moueretur. Hoc enim pertinebat ad ſenſum in quo anima eo ipſo quod mixta eſt corpori, percipit voluptatem. Aliud ergo ſenſus, aliud per ſenſum: nam ſenſum mulcet pulcher motus, per ſenſum autem animum ſolũ pulchra in motu ſignificatio. Hoc etiam in auribus facilius aduertitur: nam quicquid iucundè ſonat, illud libet, atque ipſum auditum illicit: quod autem per eundem ſonum bene ſignificatur, † nuncio quidem aurium, ſed ad ſolam mentem refertur. Itaq; cum audimus illos verſus:

2. retr. cap. 3

al. non ad iudicium quidem.

Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet. *Virg. 2. Geo.*

Aliter metra laudamus, alitérque ſententiam: nec ſub eodem intellectu dicimus, rationabiliter ſonat, & rationabiliter dictum eſt.

CAPVT XII. *Diſciplinarũ omnium excogitatrix ratio.*

ERGO iam tria genera ſunt rerum, in quibus illud rationabile apparet. Vnum eſt in factis ad aliquem finem relatis, alterum in dicendo, tertium in delectando. Primum nos admonet nihil temerè facere: ſecundum rectè docere: vltimum beatè contemplari. In moribus eſt illud ſuperius, hæc autem duo in diſciplinis, de quibus nunc agimus. Namque illud quod in nobis eſt rationale, id eſt, quod ratione vtitur, & rationabilia vel facit vel ſequitur, quia naturali quodam vinculo in eorum ſocietate aſtringebatur, cum quibus illi erat ratio ipſa communis, nec homini homo firmiſſimè ſociari poſſet, niſi colloquerentur, atque ita ſibi mentes ſuas cogitationéſq; quaſi refunderent, vidit eſſe imponẽda rebus vocabula, id eſt ſignificantes quoſdam ſonos: vt quoniam ſentire animos ſuos non poterant, ad eos ſibi copulandos ſenſu quaſi interprete vterentur. Sed audiri abſentium verba non poterant: ergo illa ratio peperit literas, notatis omnibus oris ac linguę ſonis, atque diſcretis. Nihil autem horum facere poterat, ſi multitudo rerum ſine quodam † defixo termino infinitè patere videretur. Ergo vtilitas numerandi magna neceſſitate animaduerſa eſt. Quibus duobus repertis, nata eſt illa librariorum & calculonum profeſſio, velut quædã grammaticæ infantia, quam Varro literationẽ vocat: Græcè autem quomodo appelletur, non ſatis in præſenti

Occaſio vocabulorum.

Occaſio literarum.

al. in ſe fixo.

Occasio distinctionis literarum, syllabarum & verborum.

senti recolo. Progressa deinde ratio animaduertit eos- A dē oris sonos quib. loqueremur, & quos literis iā signauerat alios esse qui moderato variè hiatu, quasi enodati ac simplices faucib. sine vlla collisione defluerēt: alios diuerso pressu oris, tenere tamē aliquem sonū: extremos autem qui nisi adiunctis sibi primis erumpere non valerent. Itaque literas hoc ordine quo expositæ sunt, vocales, semiuocales & mutas nominauit: deinde syllabas notauit, deinde verba in octo genera formásq; digesta sunt: omnisq; illorum motus, integritas, iunctura, peritè subtilitérq; distincta sunt. Inde iá numerorū & dimensionis non immemor, adiecit animū in ipsas vocū & syllabarum varias moras, atq; inde spacia téporis alia dupla, alia simpla esse cóperit, quibus longæ breuésq; syllabę tenderentur. Notauit etiá ista, & in regulas certas disposuit. Poterat iam perfecta esse grammatica, sed quia ipso nomine profiteri se literas clamat, vnde etiam Latinè literatura dicitur, factū est vt quicquid dignū memoria literis mandaretur, ad eam necessariò pertineret. Itaq; vnum quidē nomen, B sed res infinita, multiplex, curarum plenior quā iucunditatis aut veritatis: huic disciplinæ accessit historia, non tam ipsis historicis quam grammaticis laboriosa. Quis enim ferat imperitū videri hominē, qui volasse Dædalum nō audierit, mendacē illū qui finxerit, stultum qui crediderit, impudentē qui interrogauerit nō videri? Aut, in quo nostros familiares grauiter miserari soleo, qui si non responderint quid vocata sit mater Euryali, accusantur inscitiæ: cum ipsi eos, à quibus ea rogantur, vanos & ineptos, nec curiosos audeāt appellare? Illa igitur ratione perfecta dispositáq; grammatica, admonita est quærere atq; attēdere hanc ipsam vim, quæ peperit artē: nam eam definiendo, distribuendo, colligendo non solū digesserat atq; ordinauerat, verū ab omni etiá falsitatis irreptione defenderat. Quādo ergo transiret ad alia fabricāda, nisi ipsa sua prius quasi quædá machinamenta & instrumenta distingueret, notaret, digereret, proderétq; ipsam disciplinam disciplinarū, quam Dialecticá vocāt? Hæc docet docere, hęc docet discere: in hac seipsa ratio demōstrat atq; aperit quæ sit, quid velit, quid valeat. Scit scire: sola scientes facere non solū vult, sed etiam potest. Verum quoniá plerunq; stulti homines ad ea quę suadentur rectè, vtiliter & honestè, nō ipsam sinceriſſimā quā rarus animus videt veritatē, sed proprios sensus cō suetudinémq; sectantur, oportebat eos nō doceri solū quantum queunt, sed sępe & maximè cōmoueri. Hāc suā partem quæ id ageret, necessitatis plenioré quam puritatis, refertissimo gremio delitiarum, quas populo spargat, vt ad vtilitatē suam dignetur adduci, vocauit rhetoricā. Hactenus pars illa quæ in significādo rationabilis dicitur, studiis liberalibus disciplinisq; promota est. Hinc se illa ratio ad ipsarū rerum diuinarum beatissimā contemplationē reparare voluit. Sed ne de alto caderet, quæsiuit gradus, atq; ipsa sibi viam per suas possessiones ordinémq; molita est. Desiderabat enim pulchritudinē, quam ne sola & simplex pos- D sēt sine istis oculis intueri, impediebatur à sensib. Itaq; in eos ipsos paululū aciem torsit, qui veritatē sese habere clamantes, festinantē ad alia pergere, † importuno strepitu reuocabant. Et primo ab aurib. cœpit, quia dicebāt ipsa verba sua esse, quibus iam & grāmaticam & dialecticā & rhetoricam fecerat. At ista potētissima secernendi citò vidit quid inter sonū, & id cuius signū esset, distaret. Intellexit nihil aliud ad auriū iudicium pertinere, quam sonū, eúmq; esse triplicem, aut in voce animantis, aut in eo quod flatus in organis faceret, aut in eo quod pulsū ederetur. Ad primum pertinere tragœdos, vel comœdos, vel choros cuiuscemodi, atq; omnes omnino, qui voce propria canerent. Secūdum tibiis & similibus instrumentis deputari. Tertio dari

Occasio historiæ.

Virg. 9. Aen. eam vult ortam ex Priamo, nec nominat tamē.

Capvt XIII. Dialectices & rhetorices inuentio.

1. retr. cap. 3.

Capvt XIIII. Musica & poetica.

2. retr. ca. 3.

al. in portum nostræ picturæ vocabant.

Triplex sonus.

Augustinus frequenter vtitur Cuiuscemodi, pro Qualibuscunque.

cytharas, lyras, cymbala, atq; omne quod percutiendo canorū esset. Videbat autē hāc materiā esse vilissimā, nisi certa dimensione temporū, & acuminis grauitatisq; moderata varietate soni figurarētur. Recognouit hinc esse illa semina, quæ in gramatica, cū syllabas diligenti consideratione versaret, pedes, & accentus vocauerat. Et quia in ipsis verbis breuitates & longitudines syllabarū propè æquali multitudine sparsas in oratione attendere facile fuit, tētauit pedes illos in ordines certos disponere atq; coniungere: & in eo primo sensum ipsum secuta, moderatos impressit articulos, quæ & cæsa & mēbra nominauit. Et ne lōgius pedum cursus prouolueretur, quā eius iudicium posset sustinere, modum statuit vnde reuerteretur, & ab eo ipso versum vocauit. Quod autē non esset certo fine moderatū, sed tamen rationabiliter ordinatis pedibus curreret, rhythmi nomine notauit, qui Latinè nihil aliud quā numerus dici potuit. Sic ab ea poëtæ geniti sunt: in quibus cum videret nō solum sonorū, sed etiā verborum rerúmq; magna momenta, plurimū eos honorauit, eisq; tribuit quorū vellent rationabiliū mendaciorum potestatē. Et quoniam de prima illa disciplina stirpē ducebant, iudices in eos grāmaticos esse permisit. In hoc igitur quarto gradu, siue in rhythmis, siue in ipsa modulatione intelligebat regnare numeros, totúmq; perficere: inspexit diligentissimè cuiusmodi essent, reperiebat diuinos & sempiternos, præsertim quod ipsis auxiliantibus omnia superiora cōtexuerat. Et iam tolerabat ægerrimè splendorē illorum atq; serenitatē corporea vocū materia decolorari. Et quoniá illud quod mens videt, semper est præsens, & immortale approbatur, cuius generis numeri apparebant: sonus autē quia sensibilis res est, præterfluit in præteritū tempus, imprimitúrq; memoriæ, rationabili mēdacio iam poëtis fauente ratione quærendum, ne quid propagini similiter inesset. Iouis & Memorię filias Musas esse, confictum est. Vnde ista disciplina sensus intellectúsq; particeps Musicæ nomen inuenit. Hinc est profecta in oculorū opes, & terrā cælúmque collustrans, sensit nihil aliud quā pulchritudinē sibi placere, & in pulchritudine figuras, & in figuris dimensiones, & in dimēsionibus numeros: quæsiuitq; ipsa secū, vtrū ibi talis linea talisq; rotunditas, vel quælibet alia forma & figura esset, qualem intelligentia cōtineret. Longè deteriorē inuenit, & nulla ex parte quod viderent oculi cum eo quod mens cerneret, comparandū. Hæc quoq; distincta & dispositā, in disciplinā redegit, appellauitq; geometriā. Motus eam cęli multum mouebat, & ad se diligenter considerandū inuitabat. Etiā ibi per cōstantissimas temporū vices, per astrorū ratos definitósq; cursus, per interuallorum spacia moderata, intellexit nihil aliud quā illam dimensionē numerósq; dominari. Quæ similiter definiendo ac secernēdo in ordinē nectens, astrologiā genuit, magnum religiosis argumentū, tormentúmq; curiosis. In his igitur omnibus disciplinis occurrebant ei omnia numerosa, quæ tamen in illis dimensionibus manifestius eminebant, quas in se ipsa cogitando atq; voluēdo intuebatur verissimas: in his autē quæ sentiuntur vmbras earū potius atq; vestigia recolebat: hic se multū erexit, multúmq; præsumpsit: ita ausa est immortalem animam cōprobare. Tractauit omnia diligenter, percepit prorsus se plurimū posse: & quicquid posset, numeris posse. Mouit eam quoddā miraculum, & suspicari cœpit seipsam fortasse numerū esse eum ipsum quo cūcta numerarentur: aut si id non esset, ibi tamen eū esse, quò peruenire satageret. Hunc verò totis viribus comprehendit, qui iam vniuersæ veritatis index futurus, ille cuius mentionē fecit Alipius, cū de Academicis quæreremus, quasi Proteus in manibus erat. Imagines enim falsæ rerū earum quas numeramus, ab illo occul-

Versus vnde.

Rhythmus.

1. retr. cap. 3

Capvt XV. Geometria et Astronomia.

Lib. 2. cōtra Acad. cap. 5.

tissimo quo numeramus defluentes, in sese rapiũt cogitationẽ,& sæpe illum cum iam tenetur,elabi faciũt.

CAPVT XVI. *Disciplinæ liberales efferunt diuinum intellectum ad diuina.*

QVIBVS si quisq; non cesserit, & omnia quæ per tot disciplinas latè variéq; diffusa sunt, ad vnũ quoddam simplex verũ certúmq; redegerit,eruditi nomine dignissimus, non temerè iam quærit illa diuina, non iam credenda solũ, verum etiá contemplanda,intelligenda atq; retinenda. Quisquis autẽ vel adhuc seruus cupiditatũ,& inhians rebus pereuntibus,vel iã ista fugiens,castéq; viuens,nesciens tamẽ quid sit nihil,quid informis materia,quid formatum exanime, quid corpus,quid species in corpore, quid locus,quid tempus, quid in loco, quid in tẽpore , quid motus secundũ locum,quid motus non secundũ locũ, quid stabilis motus,quid sit ęuũ,& quid sit nec in loco esse nec †vsquã, & quid sit præter tẽpus,& semper esse,quid sit & nusquã esse,& nusquã non esse, & nũquã esse,& nunquã non esse. Quisquis ergo ista nesciens,nõ dico de summo illo,Deo qui scitur melius nesciẽdo, sed de anima ipsa sua quærere ac disputare voluerit, tãtum errabit, quantũ errari plurimũ potest: facilius autẽ cognoscet ista,qui numeros simplices atq; intelligibiles comprehenderit.Porrò istos cõprehendet , qui & ingenio valens & priuilegio ætatis,aut cuiuslibet felicitatis otiosus,& studio vehementer incẽsus,memoratũ disciplinarum ordinẽ quantum satis est,fuerit persecutus.Cũ enim artes illæ omnes liberales,partim ad vsum vitæ, partim ad cognitionẽ rerum contemplationémq; discantur, vsum earũ assequi difficillimũ est , nisi ei qui ab ipsa pueritia ingeniosissimus,instantissimè atq; constantissimè operam dederit.

al. nusquã.

CAPVT XVII. *Arduas quæstiones ne attingant non instructi disciplinis.*

QVOD verò ex illis ad id quod quærimus opus est,ne te quæso mater hæc velut rerum immensa quædã sylua deterreat. Etenim quędam de omnibus eligẽtur numero paucissima,†id est potentissima, cognitione autẽ multis quidẽ ardua: tibi tamen, cuius ingenium quotidie mihi nouũ est,& cuius animũ vel ætate vel admirabili temperantia remotissimũ ab omnibus nugis, & à magna labe corporis emergentẽ,in se multum surrexisse cognosco, tam erunt facilia quam difficilia tardissimis,miserriméque viuentibus. Si enim dicã te facilè ad eum sermonem peruenturã,qui locutionis & linguæ vitio careat, profectò mentiar. Me enim ipsum , cui magna necessitas fuit ista perdiscere,adhuc in multis verborũ sonis Itali exagitãt,& à me vicissim,quod ad ipsum sonũ attinet, reprehenduntur. Aliud est enim esse arte,aliud gente, securũ. Solœcismos autẽ quos dicimus,fortasse quisq; doctus diligenter attendens in oratione mea reperiat: non enim defuit qui mihi nonnulla huiusmodi vitia ipsum Ciceronem fecisse peritissimè persuaserit. Barbarismorũ autem genus nostris tẽporibus tale cõpertũ est,vt & ipsa eius oratio barbara videatur, qua Roma seruata est. Sed tu contẽptis istis vel puerilibus rebus,vel ad te non pertinentibus,ita grammaticæ penè diuinã vim naturãq;,cognoscis,vt eius animã tenuisse, corpus reliquisse disertis videaris. Hoc etiã de cæteris huiusmodi artibus dixerim:quas si penitùs fortasse cõtemnis,admoneo te quantũ filius audeo , quãtúmque permittis,vt fidem istã tuam , quã venerãdis mysteriis percepisti,firmè cautéque custodias: deinde vt in hac vita atq; moribus constanter vigilantérq; permaneas. De rebus autẽ obscurissimis,& tamẽ diuinis,quomodo Deus,& nihil mali faciat,& sit omnipotẽs,& tanta mala fiant:& cui bono mundũ fecerit, qui nõ erat indigus:& vtrum semper fuerit malum,an tempore cœperit:& si semper fuit,vtrũ sub conditione Dei fuerit: & si fuit, vtrũ etiam iste mundus semper fuerit,in quo illud malũ diuino ordine domitaretur:si autẽ hic mũdus aliquando esse cœpit , quomodo antequam esset, potestate Dei malũ tenebatur:& quid opus erat mundum fabricari , quo malũ quod iã Dei potestas frenabat,ad pœnas animarũ includeretur : si autẽ fuit tempus,quo sub Dei dominio malũ non erat, quid subitò accidit,quod per ęterna retro tẽpora non acciderat. In Deo enim nouum extitisse consilium,ne dicam impium,ineptissimũ est dicere.Si autẽ importunũ fuisse, & quasi improbum malũ Deo dicimus,quod nonnulli existimant, iam nemo doctus risum tenebit , nemo non succensebit indoctus. Quid enim potuit Deo nocere mali nescio,quæ illa natura? Si enim dicunt non potuisse,fabricandi mundi causa nõ erit:si potuisse dicũt,inexpiabile nefas est Deũ violabilem credere:nec ita saltem, vt vel virtute prouiderit , ne sua substantia violaretur. Nanq; animam pœnas hic pẽdere fatẽtur, cum inter eius, & Dei substantiã nihil velint omnino distare. Si autẽ istum mundũ nõ factum dicamus: impium est atq; ingratũ crẽdere,ne illud sequatur, quod Deus eũ nõ fabricarit. Ergo de his atq; huiusmodi rebus,aut ordine illo eruditionis, aut nullo modo quicquam requirendũ est.

CAPVT XVIII. *Quo ordine anima prouehitur ad cognitionẽ sui & ipsius vnitatis.*

ET ne quisquã latissimum aliquid nos cõplexos esse arbitretur, hoc dico planius atq; breuius. Ad istarum rerũ cognitionem neminem aspirare debere sine vlla quasi duplici sciẽtia bonę disputationis, potentiæq; numerorũ. Si quis etiã hoc plurimũ putat,solos numeros optimè nouerit , aut solam dialecticã. Si & hoc infinitũ est, tantum perfectè sciat quid sit vnũ in numeris,quantúmq; valeat,nondũ illa summa lege summóq; ordine rerum omniũ, sed in iis quæ quotidie passim sentimus atq; agimus. Excipit enim hanc eruditionẽ iam ipsa philosophiæ disciplina, & in ea nihil plus inueniet quã quid sit vnum, sed longè altius longéq; diuinius. Cuius duplex quæstio est: vna de anima,altera de Deo. Prima efficit vt nosmetipsos nouerimus,altera vt originem nostrã. Illa nobis dulcior, ista charior:illa nos dignos beata vita , beatos hæc facit.Prima est illa discẽtibus,ista iam doctis. Hic est ordo studiorũ sapientiæ , per quẽ fit quisq; idoneus ad intelligendũ ordinem rerũ, id est, ad dignoscendos duos mundos, & ipsum parentem vniuersitatis, cuius nulla sciẽtia est in anima, nisi scire quomodo eum nesciat.Hunc igitur ordinẽ tenens anima iã philosophię tradita,primo seipsam inspicit: & cui iam illa eruditio persuasit,aut suã,aut seipsam esse rationem,in ratione autẽ aut nihil esse melius & potẽtius numeris, aut nihil aliud quam numerũ esse rationem,ita secũ loquetur:Ego quodã meo motu interiore & occulto,ea quę discenda sunt possum discernere & cõnectere ,& hæc vis mea ratio vocatur. Quid autẽ discernendũ est,nisi quod aut vnũ putatur & non est , aut certè non tam vnum est quam putatur ? Item cur quid cõnectendum est,nisi vt vnum fiat,quãtum potest?Ergo & in discernendo & in connectẽdo, vnum volo,& vnũ amo. Sed cum discerno,purgatum : cùm connecto,integrũ volo.In illa parte vitantur aliena,in hac propria copulantur, vt vnum aliquid perfectum fiat . Lapis vt esset lapis,omnes eius partes,omnisque natura in vnum solidata est . Quid arbor? Nónne arbor non esset , si vna non esset? Quid mẽbra cuiuslibet animãtis ac viscera, & quicquid est eorum è quibus cõstat? Certè si vnitatis patiantur diuortium , non erit animal. Amici quid aliud quàm vnum esse conantur ? Et quanto magis vnum,tanto magis amici sunt. Populus vna ciuitas est, cui est periculosa dissensio. Quid est autem dissentire nisi nõ vnum sentire ? Ex multis militibus fit vnus exercitus. Nónne quæuis multitudo eo minus vincitur, quo magis in vnum coit ? Vnde ipsa coitio in vnũ,cuneus nominat° est,quasi couneus. Quid amor omnis? Nónne vnum vult fieri cum eo quod amat?Et si ei cõtingat,vnum cum eo fit.Voluptas ipsa nõ ob aliud delectat vehementius,nisi quod amantia sese corpora in vnum coguntur. Dolor vnde pernicios⁹us est? Quia id quod vnum erat, discindere nititur.

Quòd omnia in vnum tendant.

Cuneus.

ERGO

CAPVT XIX. *Homo brutis præstantior, quomodo possit videre Deum.*

ERGO molestũ & periculosum est, cũ eo vnũ fieri quod separari potest. Ex multis rebus passim antè iacentibus, deinde in vnã formã congregatis, vnã facio domũ. Melior ego, siquidẽ ego facio, illa fit: ideo melior quia facio, non dubiũ est inde me esse meliorem, quã domus est. Sed nõ inde sum melior hirundine aut apicula, nã & illa nidos affabre struit, & illa fauos: sed his melior, quia rationale animal sum. At si in ratis dimensionibus ratio est, nunquid nã & aues, quod fabricant minus aptè cõgruentérq; dimensum est? Imò numerosissimũ est. Non ergo numerosa faciẽdo, sed numeros cognoscendo, melior sum. Quid ergo, illæ nescientes operari numerosa poterãt? Poterat profectò. Vnde id docetur? Ex eo quod nos quoq; certis dimensionibus linguã dentibus, & palato accõmodamus, vt ex ore litteræ ac verba prorũpant, nec tamen cogitamus cũ loquimur quo motu oris id facere debeamus. Deinde quis bonus cantator, etiã si musicæ sit imperitus, nõ ipso sensu naturali & rhythmũ & melos perceptũ memoria custodiat in canendo? Quo quid fieri numerosius potest? Hoc nescit indoctus, sed tamen facit operãte natura. Quando autẽ melior, & pecoribus pręponẽdus? Quando nouit quod facit? At nihil aliud me pecori præponit, nisi quod rationale animal sum. Quomodo igitur immortalis est ratio, & ego simul & rationale & mortale quiddã esse definior? An ratio nõ est immortalis? Sed vnum ad duo, vel duo ad quatuor, verissima ratio est. Nec magis heri fuit ista ratio vera quã hodie: nec magis cras aut post annũ erit vera. Nec si omnis iste mundus cõcidat, poterit ista ratio nõ esse: ista enim semper talis est, mundus autem iste nec heri habuit, nec cras habebit quod habet hodie, nec hodierno die, vel spacio vnius horæ eodẽ loco solem habuit: ita cũ in eo nihil manet, nihil vel paruo spacio tẽporis habet eodẽ modo. Igitur si immortalis est ratio, & ego qui ista omnia vel discerno vel connecto, ratio sum: illud quo mortale appellor, non est meũ. Aut si anima non id est quod ratio, & tamen ratione vtor, & per rationẽ melior sum: à deteriore ad melius, à mortali ad immortale fugiendũ est. Hæc & alia multa secũ anima bene erudita loquitur, atq; agitat: quæ persequi nolo, ne cũ ordinem vos docere cupio, modum excedã, qui pater est ordinis. Gradatim enim se, & ad mores vitámq; optimã non iam sola fide, sed certa ratione perducit. Cui numerorũ vim atq; potentiam diligenter intuenti, nimis indignum videbitur & nimis flendũ, per suam scientiã versum bene currere citharámq, concinere, & suã vitam séq; ipsam quæ anima est, deuiũ iter sequi, & dominante sibi libidine, cũ turpissimo se vitiorũ strepitu dissonare: cum autẽ se composuerit & ordinauerit, ac concinnã pulchrámq; reddiderit, audebit iam Deũ videre, atq; ipsum fontem, vnde manat omne verũ, ipsúmq; patrẽ veritatis. Deus magne, qui erunt illi oculi, quã sani, quàm decori, quã valentes, quàm cõstantes, quã sereni, quã beati. Quid autẽ est illud quod vident? Quid quæso? Quid arbitremur, quid æstimemus, quid loquamur? Quotidiana verba occurrunt, & sordidata sunt omnia vilissimis rebus. Nihil amplius dicã, nisi promitti nobis aspectum pulchritudinis, cuius imitatione pulchra, cuius cõparatione fœda sunt cætera. Hanc quisquis viderit, videbit autẽ qui bene viuit, bene orat, bene studet, quãdo eum mouebit, cur alius optãs habere filios, nõ habeat, alius abundantes exponat, alius oderit nascituros, diligat alius natos. Quomodo non repugnet nihil futurũ esse, quod non sit apud Deũ, ex quo necesse est ordine omnia fieri, & tamen nõ frustra Deum rogari. Postremò quando istũ virum mouebunt, aut vlla onera, aut vlla pericula, aut vlla fastidia, aut vlla blandimẽta fortunæ? In hoc enim sensibili mundo vehementer considerandum est, quid sit tempus & locus: vt quod delectat in parte, siue loci siue temporis, intelligatur tamẽ multò esse melius totum, cuius illa pars est: & rursus quod offendit in parte, perspicuum sit homini docto, non ob aliud offendere, nisi quia non videtur totum, cui pars illa mirabiliter congruit. In illo verò mundo intelligibili quamlibet partẽ tanquã totum totã pulchram esse atque perfectam. Dicentur ista latius, si vestra studia siue memoratum istum à nobis, siue alium fortasse breuiorem atque commodiorem, rectum tamen ordinem, vt hortor ac spero, tenere instituerint, atque omnino gnauiter constantérque tenuerint. *1. retr. cap. 3.*

CAP. XX. *Epilogus hortans ad bonã vitam.*

QVOD vt vobis liceat, summa opera dãda est optimis moribus: Deus enim noster aliter nos exaudire non poterit. Bene autem viuentes facillimè exaudiet. Oremus ergo, non vt nobis diuitiæ, vel honores, vel huiusmodi res fluxæ atq; nutantes, & quouis resistẽte transeuntes, sed vt ea proueniãt, quæ nos bonos faciãt ac beatos. Quæ vota vt deuotissimè impleantur, tibi maximè hoc negotium mater iniungimus, cuius precibus indubitanter credo, atque confirmo mihi istam mentem Deum dedisse, vt inueniendæ veritati nihil omnino præponã, nihil aliud velim, nihil cogitẽ, nihil amem. Nec desino credere nos hoc tantum bonum, quod te promerente concupiuimus, eadem te petente adepturos. Iam verò te Alipi quid horter, quid moneam? Qui propterea nimius non es, quia talia quantumuis amare, fortasse semper parum, nimium verò nunquam, rectè dici potest. Hic ille: Verè effecisti, inquit, vt memoriam doctissimorum ac magnorum virorum quæ aliquando pro rerũ magnitudine incredibilis videbatur, & quotidiana consideratione, & ista præsenti quæ in te nobis est admiratione, non solũ dubiam non habeamus, verumetiam si necesse sit de illa iurare possimus. Quid enim nobis, nónne illa venerabilis ac propè diuina, quæ iure & habita est, & probata Pythagoræ disciplina, abs te hodie nostris etiam penè oculis reserata est? Cum & vitæ regulas, & scientiæ non tam itinera quàm ipsos campos, ac liquida æquora, & quod illi viro magnæ venerationi fuit, ipsa etiã sacraria veritatis vbi essent, qualia essent, quales quærerent, & breuiter, & ita plenè significasti, vt quamuis suspicemur, & credamus tibi esse adhuc secretiora, tamen non absque impudẽtia nos putemus, si amplius quicquam flagitandum abs te arbitremur. Accipio ista, inquam, libenter. Neque enim me tam verba tua quæ vera non sunt, quàm verus in verbis animus delectat atque excitat. Et bene quod ei mittere statuimus has literas, qui de nobis solet libenter multa mẽtiri. Si qui autem alij fortasse legerint, neque hos metuo, ne tibi succensẽant. Quis enim amantis errori in iudicando non beneuolentissimè ignoscat? Quòd autem Pythagoræ mentionem fecisti, nescio quo illo diuino ordine occulto tibi in mentẽ venisse credo. Res enim multum necessaria mihi prorsus exciderat, quã in illo viro, si quid literis memoriæ mandatis credendum est, quamuis Varroni quis non credat, mirari & penè quotidianis, vt scis efferre laudibus soleo, quòd regẽdę reipublicæ disciplinam suis auditoribus vltimam tradebat iam doctis, iam perfectis, iam sapiẽtibus, iam beatis. Tantos ibi enim fluctus videbat, vt eis nollet committere nisi virum, qui & in regendo penè diuinè scopulos euitaret, & si omnia defecissent, ipse illis fluctibus quasi scopulus fieret. De solo enim sapiente verissimè dici potest, *1. retr. cap. 3.* *1. retr. cap. 3.*

Ille velut pelagi rupes immota resistit: & cætera quæ luculentis in hanc sentẽtiam versibus dicta sunt. Hic finis disputationis factus est, lętísque omnibus & multum sperantibus consessum dimisimus, cum iam nocturnum lumen fuisset illatum. *A Eneid. 7.*

DIVI AVRELII AVGVSTINI
DE BEATA VITA LIBER.

S. Augustinus 1. retractat. 2.

De beata vita.

LIBRVM De beata vita, non post libros de Academicis, sed inter illos vt scriberem cõtigit. Ex occasione quippe ortus est diei natalis mei, & tridui disputatione cõpletus, sicut satis ipse indicat. In quo libro constitit inter nos, qui simul quærebamus, non esse beatam vitã nisi perfectam cognitionem Dei. Displicet autem illic, quòd

In præfatione. al. Mallio.

†Málio Theodoro, ad quẽ librum ipsum scripsi, quãuis docto & Christiano viro, plus tribui quam deberem. Et quòd fortunam etiam illic sæpe nominaui. Et quòd tempore vitæ huius in solo animo sapientis dixi

Disput. 3.

habitare vitam beatam, quomodolibet se habeat corpus eius, cum perfectam cognitionem Dei, hoc est qua homini maior esse non possit, in futura vita speret Apostolus, quæ sola beata vita dicenda est, vbi & corpus incorruptibile atq; immortali spiritui suo sine vlla molestia vel reluctatione subdetur. Sanè istum librum nostro in codice interruptum reperi, & non parum minus habere, & sic à fratribus quibusdam descriptus est, nec adhuc apud aliquem integrum inueneram, ex quo emendarem quando hæc retractaui. Hic liber sic incipit:

1. retr. ca. 3.

SI ad philosophiæ portum, de quo iam in beatæ vitæ regionem solúque proceditur, vir humanissime atque magne Theodore, ratione institutus cursus, & voluntas ipsa perduceret, nescio vtrum temerè dixerim, multò minoris numeri homines ad eum peruenturos fuisse, quamuis nunc quoque vt videmus rari admodũ pauciq; perueniant. Cum enim in hunc mundum, siue Deus, siue natura, siue necessitas, siue voluntas nostra, siue cõiuncta horum aliqua, siue simul omnia: res enim multũ obscura est, sed tamen à te iam illustranda susceptа: veluti in quoddam procellosum salũ nos quasi temerè passimque proiecerit, quotus quisque cognosceret quo sibi nitendum esset, quáve redeundum, nisi aliquando, & inuitos contráque obnitentes aliqua tempestas, quæ stultis videtur aduersa, in optatissimam terram nescientes errantésque compingeret. Igitur hominum quos

Tria in philosophia nauigantium genera.

philosophia potest accipere, tria quasi nauigantiũ genera mihi videor videre. Vnum est eorum, quos vbi ętas compos rationis assumpserit, paruo impetu pulsúque remorum de proximo fugiunt, seséque recõdunt in illa tranquillitate, vnde cæteris ciuibus quibus possunt, quo admoniti conentur ad se, lucidissimum signum sui alicuius operis erigunt. Alterum vero est eorum superioriúque contrarium, qui fallacissima facie maris decepti, elegerunt in medium progredi, longéque à sua patria peregrinari audent, & sæpe eius obliuiscuntur. Hos si nescio quo & nimis latente modo à puppi ventus, quem prosperum putant, fuerit prosequutus, penetrant in altissima miseriarum elati atque gaudentes, quòd eis vsquequaque fallacissima serenitas voluptatum honorúmq; blanditur. His profectò quid aliud optandum est, quàm quædam in illis rebus à quibus iactati excipiantur improspera, & si parũ est, sæuiens omnino tempestas, contrariéque flans vẽtus, qui eos ad certa & solida gaudia, vel flentes gementésque perducat: huius generis tamen pleriq; nondũ longius euagati, quibusdã nõ ita grauibus molestiis redu-

1. retr. cap. 3

cuntur. Hi sunt homines, quos cum vel lachrymabiles tragœdiæ fortunarum suarũ, vel inanium negociorũ anxiæ difficultates, quasi nihil aliud habẽtes quod agant, in libros doctorum sapiẽtissimorúmque hominum truserunt, in ipso quodammodo portu euigilant, vnde illos nulla maris illius promissa nimium talio ridentis excludant? Est autem genus inter hæc tertium eorum, qui vel in ipso adolescẽtiæ limine, vel iam diu multúmq; iactati, tamen quædam signa respiciunt, & suæ dulcissimæ patriæ, quamuis in ipsis fluctibus, recordãtur: & aut recto cursu in nullo falsi, & nihil morati, eã repetunt: aut plerunq; vel inter nubila deuiantes, vel mergẽtia cõtuentes sidera, vel nõnullis illecebris capti, bonæ nauigationis tempora differentes, errant diutius, sæpe etiam periclitantur. Quos item sępe nonnulla in fluxis fortunis calamitas, quasi conatibus eorum aduersa tempestas, in optatissimam †vitã quietámq; compellit. His autem omnibus, qui quocũque modo ad beatæ vitæ regionem feruntur, vnus immanissimus mons ante ipsum portum constitutus, qui etiam magnas ingrediẽtibus gignit angũstias, vehemẽtissimè formidandus, cautissimẽq; vitandus est. Ná ita fulget, ita mentiẽte illa luce vestitur, vt non solũ peruenientibus, nondúmq; ingressis incolendum se offerat, & eorum voluntatibus pro ipsa beata terra satisfacturum polliceatur: sed plerunque de ipso portu ad sese homines inuitat, eósque nonnunquam detinet ipsa altitudine delectatos, vnde cæteros despicere libeat. Hi tamen admonent sæpe venientes, ne aut occultis subter scopulis decipiantur, aut ad se ascendere facilè putent: & quà sine periculo ingrediãtur propter illius terræ vicinitatem beneuolentissimè docent. Ita cũ eis inuident vanissimam gloriam, locum securitatis ostẽdunt. Nam quem montem alium vult intelligi ratio propinquantibus ad philosophiam ingressis ue metuẽdum, nisi superbum studium inanissimæ gloriæ: quod ita nihil intus plenum atque solidum habet, vt inflatos sibi superambulantes succrepante fragili solo demergat ac sorbeat, eisque in tenebras reuolutis, eripiat luculentissimam domum, quam penè iam viderant. Quæ cum ita sint, accipe mi Theodore: namque

1. retr. cap. 5

ad id quod desidero te: vnum intueor, téque aptissimũ semper admiror: accipe, inquam, & quod illorũ trium genus hominum me tibi dederit, & quo loco mihi esse videar, & abs te cuiusmodi auxilium certus expectem. Ego abusque vndeviceſimo anno ætatis meæ, postquam in schola rhetorum librum illum Ciceronis, qui Hortensius vocatur, accepi, tanto amore philosophiæ succẽsus sum, vt statim ad eam me transferre meditarer. Sed neque mihi nebulæ defuerunt, quibus confunderetur cursus meus, & diu fateor, quibus in errorem ducebar, labẽtia in Oceanum astra suspexi. Nam & superstitio quædam puerilis me ab ipsa inquisitione terrebat: & vbi factus erectior, illam caliginem dispuli, mihique persuasi docẽtibus potius quàm iubentibus esse credẽdum, incidi in homines, quibus lux ista quę oculis cernitur, inter summa & diuina colenda videretur. Non assentiebar, sed putabã eos magnum aliquid tegere illis inuolucris, quod essent aliquando aperturi. At vbi discussis eis euasi, maximè traiecto isto mari, diu gubernacula mea repugnantia omnibus ventis in mediis fluctibus Academici tenuerunt. Deinde veni in has terras, hic septentrionem cui me crederem didici. Animaduerti enim & sæpe in sacerdotis nostri, & aliquando in sermonibus tuis, cum de Deo cogitaretur, nihil omnino corporis esse cogitandum,

Ibidem.

al. patriam

Mons.

Infra Disputatione 3. Confess. lib. 3 cap. 4. & li. 6. ca. 11. & lib. 8. cap. 7.

Confess. lib. 5 cap. 6.

Confess. lib. 5 cap. 14.

tandum, neque cum de anima: nam id est vnum in rebus proximum Deo. Sed ne in philosophiæ gremium celeriter aduolarem, fateor, vxoris honorisque illecebra detinebar: vt cum hæc essem consecutus, tum demum me, quod paucis fœlicissimis licuit, totis velis omnibúsq; remis in illum sinum raperem, ibique conquiescerem. Lectis autem Platonis paucissimis libris, cuius te studiosissimum accepi, collatáque cum eis, quantum potui, etiam illorum auctoritate, qui diuina mysteria tradiderunt, sic exarsi, vt omnes illas vellem ancoras rumpere, nisi me nonnullorum hominum existimatio commoueret. Quid ergo restabat aliud, nisi vt immoranti mihi superfluis, tempestas quæ putabatur aduersa, succurreret? Itaque tantus me arripuit pectoris dolor, vt illius professionis onus sustinere non valens, qua mihi velificabam fortasse ad Sirenas, abiicerem omnia, & optatæ tranquillitati vel quassatam nauem fissámque perducerem. Ergo vides in qua philosophia quasi in portu nauigem. Sed etiam ipse latè patet, eiúsque magnitudo quamuis iam minus periculosum, non tamen penitus excludit errorem. Nam cui parti terræ, quę profectò† vita beata est, me admoueam, atque contingam, prorsus ignoro. Quid enim solidum tenui, cui adhuc de anima quæstio nutat & fluctuat? Quare obsecro te per virtutem tuam, per humanitatem, per animarum inter se vinculum atque commercium, vt dexteram porrigas. Hoc autem est, vt me ames, & à me vicissim te amari credas charúmque haberi. Quod si impetrauero, ad ipsam beatam vitam, cui te iam hærere præsumo, paruo conatu facillimè accedam. Quid autem agam, quóve modo ad istum portum necessarios meos congregem, vt cognoscas ex eo animum meum: neque enim alia signa inuenio quibus me ostendam: vel quo plenius intelligas pelagus disputationum mearum, quod mihi videtur religiosius euasisse, atque tuo titulo dignius, ad te scribendum putaui, & ipso tuo nomine dedicandum. Aptissimè sanè: nam de beata vita quæsiuimus inter nos, nihilque aliud video, quod magis Dei donum vocandum sit. Eloquentia tua territus non sum: quicquid enim amo, quamuis non assequar, timerè non possum: fortunæ verò sublimitatem multò minus: apud te enim verè quamuis sit magna, secũda est: nam quibus dominatur, eosdem ipsos secundos facit. Sed iam quid afferam, quæso aduerte. Idibus Nouembris mihi natalis dies erat: post tam tenue prandium, vt ab eo nihil ingeniorum impediretur, omnes qui simul non modò illo die, sed quotidie conuiuabamur in balneas ad consedendum vocaui: nam is tempori aptus locus secretúsque occurrerat. Erant autem, non enim vereor eos singulari benignitati tuę notos interim nominibus facere, in primis nostra mater, cuius meriti credo esse omne quod viuo: Nauigius frater meus, Trigetius & Licentius, ciues & discipuli mei, nec † Lastidianum & Rusticum consobrinos meos, quamuis nullum vel grammaticum passi sint, deesse volui, ipsúmque eorum sensum commu nem ad rem quam moliebar, necessarium putaui. Erat etiam nobiscum ætate minimus omnium, sed cuius ingenium, si amore non fallor, magnum quiddam pollicetur Adeodatus filius meus. Quibus attentis sic cœpi. MANIFESTVM vobis videtur ex anima & corpore nos esse compositos? Cum omnes consentirent: Nauigius se ignorare respõdit. Cui ego: Nihil ne omnino scis, inquam, an inter aliqua quæ ignoras etiam hoc numerandum est? Nõ puto me, inquit, omnia nescire. Potésne, inquam, nobis dicere aliquid eorum quæ nosti? Possum, inquit. Nisi molestum est, inquam, profer aliquid. Et cum dubitaret: Scísne, inquam, saltem te viuere? Scio, inquit. Scis ergo, habere te vitam? Siquidem viuere nemo nisi vita potest. Et hoc, inquit, scio. Scis etiam corpus te habere. Assentiebatur. Ergo iam scis te constare ex corpore & vita. Scio interim: sed vtrum hęc sola sint, incertus sum. Ergo duo ista, inquam, esse non dubitas, corpus & animam: sed incertus es, vtrum sit aliud quod ad cõplendum ac perficiẽdum hominem valet. Ita, inquit. Hoc quale sit, aliàs, si possumus, quæremus, inquam. Nunc illud iam ex omnibus quæro, cum fatemur cuncti, neque sine corpore, neque sine anima esse posse hominem, cibos propter quid horum appetamus. Propter corpus, inquit Licentius. Cæteri autem cunctabantur, varióq; sermone inter se agebant, quomodo posset propter corpus cibus necessarius videri, cum appeteretur propter vitam, & vita non nisi ad animam pertineret. Tum ego: Videtur, inquam, vobis ad eam partem cibum pertinere, quam cibo crescere robustioremque fieri videmus? Assentiebantur præter Trigetium. Ait enim: Cur ergo non pro edacitate mea creui? Modum, inquam, suum à natura constitutum habent omnia corpora, vltra quam mensuram progredi nequeant, tamen ea mensura minora essent si eis alimenta defuissent, quod & in pecoribus facilius animaduertimus. Et nemo dubitat cibis subtractis omnium animantium corpora macrescere. Macrescere, inquit Licentius, non decrescere. Satis est mihi, inquam, ad id quod volo. Etenim quæstio est, vtrum ad corpus cibus pertineat. Pertinet autem, cum eo subducto ad maciem deducitur. Omnes ita esse censuerunt. Quid ergo anima, inquam, nulla ne habet alimenta propria? An eius esca scientia vobis videtur? Planè, inquit mater, nulla re alia credo ali animam quàm intellectu rerum atque scientia. De qua sententia cum Trigetius dubium se ostenderet: Hodie, inquit illa, tuipse nõne docuisti, vnde aut vbi anima pascatur? Nam post aliquantam prandij partem te dixisti non aduertisse quo vasculo vteremur, quod alia nescio quæ cogitasses, nec tamen ab ipsa ciborum parte abstinueras manus atque morsus. Vbi igitur erat animus tuus, quo tempore illud te vescente non attendebat, inde mihi crede, & talibus epulis animus pascitur, id est theoriis & cogitationibus suis, si per eas aliquid percipere possit. De qua re cum dubitanter streperent, nónne, inquam, conceditis hominum doctissimorum animos multo esse quàm imperitorum quasi in suo genere pleniores atque maiores? Manifestum esse dixerunt. Rectè igitur dicemus eorum animos, qui nullis disciplinis eruditi sunt, nihilque bonarum artium hauserunt, ieiunos & quasi famelicos esse. Plenos, inquit Trigetius, & illorum animos esse arbitror, sed vitiis atque nequitia. Ista ipsa est, inquam, crede mihi quædam sterilitas, & quasi fames animorum. Nam quemadmodum corpus detracto cibo plerũque morbis atque scabie repletur, quæ in eo vitia indicant famem, ita & illorum animi pleni sunt morbis quibus sua ieiunia confitentur. Etenim ipsam nequitiam matrem omnium vitiorum, ex eo quod nequicquam sit, id est ex eo quod nihil sit, veteres dictam esse voluerunt. Cui vitio quæ contraria virtus est, frugalitas nominatur. Vt igitur hæc à fruge, id est à fructu, propter quandam animorum fœcunditatem: ita illa ab sterilitate, hoc est à nihilo, nequitia nominata est: nihil est enim omne quod fluit, quod soluitur, quod liquescit & quasi semper perit. Ideo tales homines etiam perditos dicimus. Est autem aliquid si manet, si constat, si semper tale est, vt est virtus, cuius magna pars est atq; pulcherrima, quæ temperantia & frugalitas dicitur. Sed si hoc obscurius est quàm vt id iam vos videre possitis, certè illud conceditis, quia si animi imperitorum etiam ipsi pleni sunt, vt corporum, ita animorum duo alimentorum genera inueniuntur, vnum salubre atque vtile, alterum morbidum atque pestiferum. Quæ

Confess. li. 6 cap. 6.

Confess. lib. 7 cap. 9. & 20

al. vna.

1. retr. cap. 2.

2. retr. cap. 2.

Occasio disputationis.

Monica mater. Nauigius frater. Trigetius, & Licentius discipuli. Lastidianus, & Rusticus consobrini. al. Lartidianum.

Confess. lib. 9 cap. 6.

Adeodatus filius.

Primi diei disputatio.

Infra Disputat. 3.

cum ita sint, arbitror die natali meo, quoniã duo quę- A dam esse in homine conuenit inter nos, id est, corpus atque animam, non me prandium paulo lautius, corporibus nostris solùm, sed & animis etiam exhibere debere. Quod autem hoc sit prandium, si esuritis, proferam. Nam si vos inuitos, & fastidientes alere conabor, frustra operam insumam, magísque vota faciẽda sunt, vt tales epulas potius quàm illas corporis desideretis. Quod eueniet si sani animi vestri fuerint: ægri enim sicut in morbis ipsius corporis videmus, cibos suos recusant & respuunt. Omnes se vultu ipso, & consentiente voce quicquid præparassem iam sumere ac vorare velle dixerunt. Atque ego rursus exordiens: Beatos esse nos volumus, inquam. Vix hoc effuderam, occurrerunt vna voce consentientes. Videtur ne vobis, inquam, beatus esse qui quod vult non habet? Negauerunt. Quid, omnis qui quod vult habet, beatus est? Tum mater. Si bona, inquit, velit & habeat, beatus est. Si autem mala velit, quamuis habeat, miser est. Cui ego arridens atq; gestiens: Ipsam, B inquam, prorsus mater arcem philosophiæ tenuisti. Nam tibi proculdubio verba defuerunt, vt non sicut Tullius te modo panderes, cuius de hac sentẽtia verba ista sunt. Nam in Hortensio, quem de laude ac defensione philosophiæ librum fecit: Ecce autem, ait, non Philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum, omnes aiunt esse beatos, qui viuant vt ipsi velint. Falsum id quidem: velle enim quod non deceat, idem ipsum miserrimum. Nec tam miserum est non adipisci quod velis, quàm adipisci velle, quod nõ oporteat. Plus enim mali prauitas voluntatis affert, quàm fortuna cuiquam boni. In quibus verbis illa sic exclamabat, vt obliti penitus sexus eius, magnum aliquem virum considere nobiscum crederemus, me interim quantum poteram intelligente ex quo illa, & quàm diuino fonte manarent. Et Licentius: Sed dicẽdum, inquit, tibi est, vt beatus sit quisque, quid velle C debeat, & quarum rerum eum oporteat habere desiderium. Inuita me, inquam, natali tuo quandò dignaberis, quicquid apposueris libenter sumam. Qua conditione hodie apud me, vt epuleris peto, nec flagites quod fortasse non est paratum. Quem cum modestæ ac verecundæ commonitionis suæ pœniteret: ergo illud, inquam, conuenit inter nos, neque quenquam beatum esse posse, qui quod vult non habet: neque omnem qui quod vult habet, beatum esse? Dederunt. Quid illud, inquam, conceditis, omnem qui beatus non est, miserum esse? Non dubitauerunt. Omnis igitur, inquam, qui quod vult non habet, miser est. Placuit omnibus. Quid ergo sibi homo comparare debet, vt beatus sit, inquam? Fortè enim etiam hoc isti nostro conuiuio subministrabitur, ne Licentij auiditas negligatur: nam id opinor ei comparandum est, quod cum vult, habet. Manifestum esse dixerunt. Id D ergo, inquam, semper manens, nec ex fortuna pendulum, nec vllis subiectum casibus esse debet. Nã quicquid mortale & caducum est, non potest à nobis quando volumus, & quandiu volumus haberi. Assentiebãtur omnes. Sed Trigetius: Sunt, inquit, multi fortunati, qui eas ipsas res fragiles casibúsque subiectas, tamẽ iucundas pro hac vita cumulatè largéque possideant, nec quicquam illis eorum quæ volunt desit. Cui ego: Qui timet, inquam, videtur ne tibi beatus esse? Non videtur, inquit. Ergo quod amat quisque si amittere potest, potest ne non timere? Non potest, inquit. Amitti autem possunt illa fortuita. Non igitur hæc qui amat & possidet, potest vllo modo beatus esse. Nihil repugnauit. Hoc loco autem mater: Etiam si securus sit, inquit, ea se omnia non esse amissurum, tamen talibus satiari non poterit. Ergo & eo miser, quo semper est indigus. Cui ego: Quid, inquam, his omnibus abundans rebus atque circumfluens, si cupiendi modum sibi statuat, eísque contentus decenter iucundéque perfruatur, nónne tibi videtur beatus? Non ergo, inquit, illis rebus, sed animi sui moderatione beatus est. Optimè, inquam: nec huic interrogationi aliud, nec abs te aliud debuit responderi. Ergo nullo modo dubitamus, si quis beatus esse statuit, id eum sibi comparare debere quod semper manet, nec vlla sæuiente fortuna eripi potest. Hoc, inquit, Trigetius, iã dudum consensimus. Deus, inquam, vobis æternus, & semper manens videtur? Hoc quidem, inquit Licentius, ita certum est, vt interrogatione non egeat, cæteríque omnes pia deuotione concinuerunt. Deum igitur, inquam, qui habet beatus est. Quod cum gaudentes libentissimè accepissent: Nihil ergo, inquam, nobis iam quærendum esse arbitror, nisi quis hominum habeat Deum, beatus enim profectò is erit. De quo quæro quid vobis videatur. Hic Licentius: Deum habet, qui bene viuit. Trigetius: Deum habet, inquit, qui facit quæ Deus vult fieri. In cuius sententiam † Lastidianus concessit. Puer autem ille minimus omnium, is habet Deum, ait, qui spiritum immundum non habet. Mater verò omnia, sed hoc maximè approbauit. Nauigius tacebat. Quem cũ interrogassem quid sentiret, illud vltimum sibi placere respondit. Nec Rusticum percontari visum est negligendum, quæ nam esset de re tanta eius sententia. Qui mihi videbatur quod non deliberatione magis quàm pudore impeditus fileret, Trigetio consensit. Tum ego: Teneo, inquam, omniũ placita de re magna sanè, & vltra quã nec quæri quicquam oportet, nec inueniri potest, si modò eã vti cœpimus sereníssimè ac syncerissimè inuestigemus. Quod hodie quia longum est, & habẽt in epulis suis, & animi quandam luxuriem, si vltra modum in eas, & voraciter irruant: ita enim malè quodammodo digerunt, vnde valetudini mentium non minus quàm ab illa ipsa fame metuendum est, melius nos hæc quæstio cras esurientes, si videtur, accipiet. Illud modo libenter liguriatis volo, quod subitò mihi ministratori vestro in mentem suggestum est inferendum: & est, nisi fallor, qualia solent vltima apponi, quasi scholastico melle confectum atque conditum. Quo audito sese omnes quasi in allatum ferculum tetenderunt, coëgerúntque vt dicere properarẽ quid nam id esset. Quid, inquam, putatis, nisi cum Academicis totum quod susceperamus confectum esse negocium? Quo accepto nomine, tres illi quibus res nota erat, sese erexerunt alacrius, & velut porrectis, vt fit, manibus inferẽtem ministrum adiuuerunt, quibus potuerunt verbis, nihil se iucundius adituros esse monstrantes. Tum ego ita rem proposui: Si manifestum est, inquam, beatum non esse, qui quod vult non habet, quod paulo antè ratio demonstrauit: nemo autem quærit quod inuenire non vult, & quærunt illi semper veritatem: volunt ergo inuenire: volunt igitur habere inuentionem veritatis, & non inueniunt: sequitur eos non habere quod volunt, & ex eo sequitur, etiam beatos non esse. At nemo sapiens, nisi beatus: sapiens igitur Academicus non est. Hic repentè illi, quasi totum rapientes exclamauerunt. Sed Licentius attentius & cautius aduertens timuit assensionem atque subiecit. Rapui quidem vobiscum, siquidem exclamaui illa cõclusione commotus. Sed nihil hinc admittam in viscera, & partem meam seruabo Alipio: nam aut simul eã mecum lambet, aut me admonebit cur non oporteat attingere. Dulcia, inquam, magis metuere Nauigius deberet splẽne vitioso. Hic ille arridẽs: Planè, inquit, me talia sanabunt. Nam nescio quomodo cõtortum hoc & aculeatum, quod posuisti, vt ait ille, de melle Hymetio, acriter dulce est, nihilque inflat viscera. Quare totum etiam palato aliquantum remorso, tamen vt possum

De Trinitate li. 13. ca. 4

Tullius in Hortens. De Trinitate lib. 13. cap. 5

4. sen. dist. 49. ca. solet.

2. retr. ca. 2.

† al. Lastidianus.

Supra Disputatione 1.

possum libentissimè in medullas traiicio. Nõ enim video quomodo redargui possit ista conclusio. Prorsus nullo modo potest, inquit Trigetius: Quare gaudeo iam diu cum illis me inimicitias suscepisse. Nam nescio qua impellente natura, vel (vt verius dicam) Deo, etiam nesciens quomodo refellendi essent, tamen eis nimis àduersabar. Hic Licentius: Ego, inquit, illos nõdum desero. Ergo, ait Trigetius, dissentis à nobis? Nunquid nam, ille inquit, vos ab Alipio dissentitis? Cui ego: Non dubito, inquam, quin si adesset Alipius, huic ratiunculæ cederet. Non enim tam absurdè sentire poterat, vt aut beatus illi videretur, qui tantum bonum animi quod ardentissimè vellet habere non haberet, aut illos nolle inuenire veritatem, aut eum qui beatus non sit esse sapientem: nam his tribus quasi melle, farre, atq; nucleis, illud quod metuis gustare confectum est. Illéne, inquit, huic tam paruæ puerorum illecebræ cederet, Academicorum tanta vbertate deserta, qua inundante hoc nescio quid breue aut obruetur, aut protrahetur? Quasi verò, inquam, longum aliquid nos quæramus, præsertim aduersus Alipium: nam non mediocriter parua ista esse fortia & vtilia, satis sibi ipse de suo corpore argumentaretur. Tu autem qui elegisti de absentis auctoritate pendere, quid horum non probas? Vtrum beatum non esse, qui quod vult non habet? An illos negas velle habere inuentam veritatem, quam vehementer inquirunt? An videtur tibi quisquam sapiens non beatus? Prorsus beatus est, inquit, qui quod vult non habet, quasi stomachanter arridens. Quod cum iuberem vt scriberetur: Non dixi, inquit, exclamans. Quod item cum annuerem scribi: Dixi, inquit. Atque ego semel præceperam, vt nullum verbum præter literas funderet. Ita adolescentem inter verecundiam atque constantiam exagitatum tenebam. Sed cùm his verbis eum iocantes, quasi ad vescendam particulam suam prouocaremus, animaduerti cæteros rei totius ignaros, sed scire cupientes quid inter nos solos tam iucundè ageretur, sine risu nos intueri. Qui mihi prorsus similes visi sunt, quod plerunque fieri solet, iis qui cum epulantur inter auidissimos rapacissimósque conuiuas, à rapiendo vel grauitate sese abstinent, vel pudore terrentur. Et quia ego inuitaueram, & magni cuiusdam hominis personam, atque vt totum explicem, veri hominis etiam in illis epulis inuitatorem gerebam, sustinere non potui, commouitque me illa inæqualitas mensæ nostræ & discrepantia. Arrisi matri. Atque illa liberrimè quod minus habebant, quasi de suo cellario promendum imperans: Iam dic nobis, inquit, & redde qui sint isti Academici, & quid sibi velint? Cui breuiter cum exposuissem apertéque, ita vt nemo illorum ignarus abscederet: Isti homines, inquit, caducarij sunt, quo nomine vulgò apud nos vocantur, quos comitialis morbus subuertit: & simul surrexit vt abiret, atque hic omnes læti ac ridentes interposito fine discessimus.

Secunde diei disputatio.

POSTRIDIE autem cum item post prandium, sed aliquanto quàm pridie serius iidem ibidémque consedissemus: Tarde, inquam, venistis ad conuiuium: quod vobis non cruditate accidisse arbitror, sed paucitatis ferculorum securitate, quod non tam maturè aggrediendum visum est, quod citò vos peresuros putastis. Non multũ enim reliquiarum credendum erat remãsisse, vbi die ipso atque solennitate tam exiguum repertum erat. Fortasse rectè. Sed quid vobis præparatum sit, ego quoque vobiscum nescio. Alius est enim qui omnibus cum omnes, tum maximè tales epulas præbere non cessat: sed nos ab edendo, vel imbecillitate, vel saturitate, vel negocio plerunque cessamus: quem manentem in hominibus beatos eos facere, inter nos heri, nisi fallor, piè constantérque conuenerat. Nam cum ratio demonstrasset eum beatum esse, qui Deũ haberet, nec huic quisquam vestrum sententiæ restitisset, quæsitum est, quis nam vobis videretur Deum habere. De quare, si bene memini, tres sententiæ dictæ sunt. Nam partim placuit, Deum habere illũ, qui ea faceret quæ Deus vellet. Quidam autem dixerunt, quòd is Deum haberet, qui bene viueret. Reliquis verò in eis Deus esse visus est, in quibus qui immundus appellatur, spiritus non est. Sed fortasse omnes diuersis verbis vnum idémque sensistis. Nam si duo prima cõsideremus, & omnis qui bene viuit, ea facit quæ vult Deus, & omnis qui ea facit quæ vult Deus, bene viuit: nec quicquam est aliud bene viuere, quàm ea facere quæ Deo placeant, nisi quid vobis aliud videtur? Assentiebantur. Tertium verò illud paulo diligentius considerandum est, propterea quòd ritu castissimorum sacrorúmque spirituum, spiritus immundus, quantum intelligo, duobus modis appellari solet: vel ille qui extrinsecus inuadit animam, sensúsq; conturbat, & quendam hominibus infert furorem, cui excludédo qui præsunt, manum imponere vel exorcizare dicũtur, hoc est per diuina eum adiurando expellere. Aliter autem dicitur spiritus immundus, omnis omnino anima immunda: quod nihil est aliud quàm vitiis, & erroribus inquinata. Itaq; abste quæro: Tu puer, qui fortasse aliquanto seremiore ac purgatiore spiritu istam sententiam protulisti, qui tibi videatur immundum spiritum non habere, ille ne qui dæmonem non habet, quo vesani homines fieri solent, an ille qui animam suam iam à vitiis omnibúsq; peccatis mundauit? Is mihi videtur, inquit, immundum spiritum non habere, qui castè viuit. Sed castum, inquam, quem vocas? Eúne qui nihil peccat, an eum qui ab illicito tantum concubitu temperet? Quomodo, inquit, castus potest esse, qui ab illicito tantum cõcubitu abstinens sese, cæteris peccatis non desinit inquinari? Ille est verè castus, qui Deum attendit, & ad ipsum solum se tenet. Quæ verba pueri sicut dicta erant, cum conscribi mihi placuisset: Is ergo, inquam, necesse est vt bene viuat, & qui bene viuit necessariò talis est, nisi quid tibi aliud videtur. Cõsensit cum cæteris. Ergo vna est hic, inquam, dicta sententia. Sed illud à vobis paululum quæro, velit ne Deus vt homo Deum quærat? Dederunt. Item quæro: nunquid nam possumus dicere, illum qui Deum quærit, malè viuere? Nullo modo, dixerunt. Etiam hoc tertium respondete, spiritus immũdus potest ne Deum quærere? Negabant aliquantum dubitante Nauigio, qui postea cæterorum vocibus cessit. Si igitur, inquam, qui Deum quærit, id facit quod Deus vult, & bene viuit, & spiritum immundum non habet: qui autem Deum quærit, nondum habet Deum: non igitur quisquis aut bene viuit, aut quod vult Deus facit, aut spiritũ immundum non habet, continuò Deum habere dicẽdus est. Hic cum se cæteri concessionibus suis deceptos riderent, postulauit mater, cum diu stupida fuisset, vt ei hoc ipsum quod cõclusionis necessitate intortè dixeram, explicando relaxarem atq; soluerem. Quod cum factum esset: Sed nemo, inquit, potest peruenire ad Deum, nisi Deum quęsierit. Optimè, inquam. Tamen qui adhuc quærit, nondum ad Deum peruenit, etiam si bene viuit. Non igitur quisquis bene viuit, Deum habet. Mihi, inquit, videtur Deum nemo nõ habere: sed eum qui bene viuit, habet propitium, qui malè, infestum. Malè igitur, inquam, hesterno die concessimus eum beatum esse qui Deum habet. Siquidem omnis homo Deũ habet, nec tamen omnis homo beatus est. Adde ergo, inquit, propitium. Saltem, inquam, hoc inter nos satis cõstat, eum beatum esse qui habet propitium Deum? Vellem, inquit Nauigius, consentire: sed illum vereor qui adhuc quærit, præsertim ne concludas beatum esse Academicum, qui hesterno

Spiritus immundus duobus modis appellari solet.

sermone vulgari quidem & malè Latino, sed aptissimo sanè, vt mihi videtur, verbo caducarius nominatus est. non enim possum dicere homini Deum quærenti aduersum Deum esse: quod si dici nefas est, propitius erit, & qui propitium Deum habet, beatus est. Beatus ergo erit ille, qui quærit. Omnis autem quærés nondum habet quod vult. Erit igitur beatus homo qui quod vult non habet, quod heri nobis omnibus videbatur absurdum, vnde credebamus Academicorum tenebras esse discussas. Quare iam de nobis Licentius triumphabit, mihique illa dulcia quæ contra valetudinem meam temere accepi has de me pœnas exigere, quasi prudens medicus admonebit. Hic cum etiam mater arrisisset: Ego, inquit Trigetius, non concedo continuo Deum aduersari cui non sit propitius, sed esse aliquid medium puto. Cui ego: Istum tamen hominem, inquam, medium, cui nec Deus propitius est nec infestus, Deum quoquomodo habere concedis? Hic cum ille cunctaretur: Aliud est, inquit mater, Deum habere, aliud non sine Deo. Quid ergo, inquam, melius est, vtrum habere Deum, an non esse sine Deo? Quantum, inquit, possum intelligere, ista est sententia mea: Qui bene viuit, habet Deum, sed propitium: qui male, habet Deum, sed aduersum. Qui autem adhuc quærit, nondúmque inuenit, neque propitium, neque aduersum, sed non est sine Deo. Hæc ne, inquam, vestra etiam sententia est? Hác esse dixerunt. Dicite mihi quæso, inquam: Non vobis videtur esse homini Deus propitius cui fauet? Esse cõfessi sunt. Non ergo, inquam, fauet Deus quærẽti sese homini? Responderunt: Fauet. Habet igitur, inquam, qui Deum quærit, Deum propitium, & omnis qui habet Deum propitium, beatus est. Beatus est ergo & ille qui quærit. Qui autem quærit nondum habet quod vult. Erit igitur beatus qui quod vult nõ habet. Prorsus, inquit mater, nõ mihi videtur beatus esse qui quod vult non habet. Ergo, inquam, non omnis qui habet Deum propitium, beatus est. Si hoc cogit ratio, inquit, non possum negare. Ista igitur, inquam, distributio erit, vt omnis qui iam Deum inuenit, & propitium Deum habeat, & beatus sit: omnis autem qui Deum quærit, propitium Deum habeat, sed nondum sit beatus. Iam verò quisquis vitiis atque peccatis à Deo se alienat, non modò beatus non sit, sed ne Deo quidem viuat propitio. Quod cum placuisset omnibus: Bene habet, inquam: sed adhuc illud vereor, ne vos moueat quod iã superius concesseramus, miserum esse quisquis beatus non sit: cui consequens erit, esse miserum hominem, qui propitium tenet Deum, quem adhuc Deum quærentem nondum diximus esse beatum. An verò quod ait Tullius, multorum in terris prędiorum dominos diuites appellamus, omnium virtutũ possessores pauperes nominabimus? Sed illud videte, vtrum quomodo verum est, quòd omnis egens miser sit, ita sit verum quòd omnis miser egeat. Ita enim erit verum, nihil aliud esse miseriam quàm egestatem, quod me nunc cum diceretur laudare sensistis. Hoc autem hodie longum est vt queramus, quare peto ne fastidio vobis sit ad istam mensam cras etiam conuenire. Quod cum omnes se libentissimè habere dixissent, surreximus.

Disputatio tertiæ diei.

TERTIVS autem dies disputationis nostræ, matutinas nubes quæ nos cogebant in balneas dissipauit, tempúsque pomeridianum candidissimum reddidit. Placuit ergo in pratuli propinqua descendere, atque omnibus nobis vbi commodum visum est considentibus, reliquus ita sermo peractus est. Omnia penè, inquam, quæ interroganti mihi concedi à vobis volui, habeo ac teneo: quare hodierno die, quo possimus tãdem hoc nostrum conuiuium aliquo interuallo dierum distinguere, aut nihil, aut non multũ erit, vt opinor, quod mihi vos respondere necesse sit. Dictum enim erat à matre, nihil aliud esse miseriam quàm egestatem, conuenitque inter nos: Omnes qui egeãt, miseros esse. Sed vtrum omnes etiam miseri egeant, nõnulla quæstio est, quam hesterno die nõ potuimus explicare. Hoc autem ita se habere, si ratio demonstrauerit, perfectissimè inuentum est qui sit beatus: erit enim ille qui non eget. Omnis enim non miser, beatus est. Beatus est ergo qui egestate caret, si quam dicimus egestatem, eandem miseriam esse constiterit. Quid enim, ait Trigetius, non potest ex eo iam confici, omnem non egentem beatum esse, quo manifestum est, omnem qui egeat esse miserum? Nam concessisse nos memini, nihil esse medium inter miserum & beatum. Aliquid ne, inquam, inter mortuum & viuum tibi medium videtur esse? Nónne omnis homo aut viuus aut mortuus est? Fateor, inquit, neque hic esse aliquid medium. Sed quorsum istud? Quia, inquam, etiam istud te fateri credo, omnem qui ante annum sepultus est esse mortuum. Non negabant. Quid omnis qui ante annum sepultus non est, viuit? Non, ait, sequitur. Ergo, inquam, non sequitur, vt si omnis qui eget, miser est, omnis qui non eget sit beatus, quamuis inter miserum & beatum, vt inter viuum & mortuũ, medium nihil inueniri queat. Quod cum aliqui eorum paulo tardius intellexissent, me id quibus potui verbis ad eorum sensum accommodatis aperiente atque versante: Ergo, inquam, miserum esse omnem qui egeat, dubitat nemo: nec nos terrent quædam sapientium corpori necessaria. Non enim eis eget ipse animus, in quo posita est vita beata. Ipse enim perfectus est, nullus autem perfectus aliquo eget, & quod videtur corpori necessarium sumet, si adfuerit: si non adfuerit, non eum istarum rerum franget inopia. Omnis nanque sapiens fortis est, nullus autem fortis aliquid metuit. Non igitur metuit sapiens aut mortem corporis, aut dolores, quibus pellendis vel vitandis vel differendis, sunt necessaria illa, quorum ei potest contingere inopia. Sed tamen non desinit eis bene vti, si ipsa non desunt. Verissima est enim illa sententia: Nam tu quod vitare possis, stultum admittere est. Vitabit ergo mortem ac dolorem quantum potest & quantum decet, ne si minimè vitauerit, non ex eo miser sit quia hæc accidunt, sed quia vitare cum posset, noluit: quod manifestum stultitiæ signum est. Erit ergo ista non vitans, non earum rerum perpessione, sed stultitia miser. Si autem non valuerit euitare, cum id sedulò ac decenter egerit, non eum ista irruentia miserum facient. Etenim & illa eiusdem Comici sententia non minus vera est: *Quoniam non potest id fieri quod vis, id velis quod possis*. Quomodo erit miser, cui nihil accidit præter voluntatem? Quia quod sibi videt non posse prouenire, non potest velle. Habet enim rerum certissimarum voluntatem, id est, vt quicquid agit, non agat nisi ex virtutis quodam præscripto & diuina lege sapientiæ, quæ nullo ab eo pacto eripi possunt. Item nunc videte, vtrum etiam omnis qui miser est egeat. Nam huic sententiæ concedendæ difficultatem illa res facit, quòd multi in magna fortuitarum rerum copia constituti sunt, quibus ita facilia sunt omnia, vt ad eorum nutũ præsto sit quicquid cupiditas poscit. Difficilis quidem ista vita est. Sed fingamus aliquem talem, qualem Tullius fuisse dicit † Oratam. Quis enim facile dicat † Oratam egestate laborasse, hominem ditissimum, amœnissimum, deliciosissimum, cui neque ad voluptatẽ quidquam defuit, neque ad gratiam, neque ad bonam integrámque valetudinem? Nam & prædiis quæstuosissimis & amicis iocundissimis, quantum libuit, abundauit, & illis omnibus aptissimè ad salutem corporis vsus est, eiúsque (vt breuiter totum explicem) omne institu-

Supra Disputatione 2.

Terentius in Andria.

1. nat. cap. 8

al. Oratum
al. Oratum

institutum voluntatémque omnem succeſſio proſpera conſecuta eſt. Sed fortaſſe inquiet aliquis veſtrum, plus illum quam habebat habere voluiſſe. Hoc ignoramus. Sed quod ſatis eſt quæſtioni, faciamus eum nõ deſideraſſe amplius quam tenebat. Videtur ne vobis eguiſſe? Etiamſi concedam, inquit Licentius, nihil eum deſideraſſe, quod in homine non ſapiente neſcio quomodo accipiam: metuebat tamen, erat enim vir (vt dicitur) ingenij non mali, ne illa omnia ſibi vel vno aduerſo impetu raperentur. Non enim magnum erat intelligere, talia cuncta quantacunque eſſent, eſſe ſub caſibus conſtituta. Tum ego arridens: Vides, inquam, Licenti, fortunatiſſimum iſtum hominem à beata vita ingenij bonitate impeditum. Quo enim erat acutior, eo videbat illa omnia ſe poſſe amittere: quo metu frangebantur, illúdque vulgare ſatis aſſerebat: infidum hominem malo ſuo eſſe cordatum. Hic cum & ille & cæteri arriſiſſent: Illud tamen, inquam, diligentius attẽdamus, quia & ſi timuit iſte, non eguit: vnde quæſtio eſt. Egere eſt enim in non habendo, non in timore amittendi quæ habeas. Erat autem iſte miſer, quia metuebat, quamuis non egeret. Nõ igitur omnis qui miſer eſt, eget. Quod cum approbauiſſet cum cæteris etiam ipſa cuius ſentẽtiam defendebam, aliquantulum tamen addubitans: Neſcio, inquit, tamen, & nondum plenè intelligo, quomodo ab egeſtate poſſit miſeria, aut egeſtas a miſeria ſeparari. Nam & iſte qui diues & locuples erat, & nihil (vt dicitis) amplius deſiderabat, tamẽ quia metuebat ne amitteret, egebat ſapientia. Ergo ne hunc egentem diceremus, ſi egeret argento & pecunia, cum egeret ſapientia, non diceremus? Vbi cum omnes mirando exclamaſſent, me ipſo etiam non mediocriter alacri atque læto, quod ab ea potiſſimum dictum eſſet, quod pro magno de philoſophorum libris, atque vltimum proferre paraueram: Videtis ne, inquam, aliud eſſe multas variáſque doctrinas, aliud animum attentiſſimum in Deum? Nam vnde iſta quæ miramur, niſi inde procedunt? Hic Licentius lætus exclamans: Prorſus, inquit, nihil verius, nihil diuinius dici potuit. Nam & maior & miſerabilior egeſtas nulla eſt, quàm egere ſapientia, & qui ſapientia non eget, nulla re omnino egere poteſt. Eſt ergo animi egeſtas, inquam, nihil aliud quàm ſtultitia. Hæc eſt enim contraria ſapientiæ, & ita contraria vt mors vitæ, vt beata vita miſeræ, hoc eſt ſine aliquo medio. Nam vt omnis non beatus homo miſer eſt, omniſque homo nõ mortuus viuit, ſic omnem non ſtultum manifeſtum eſt eſſe ſapientem. Ex quo & illud iam licet videre, non ex eo tantum Sergium †Oratam fuiſſe miſerum, quòd timebat ne fortunæ illa munera amitteret, ſed quia ſtultus erat. Quo fit vt miſerior eſſet, ſi tam pendulis nutantibúſque iis quæ bona putabat, nihil omnino metuiſſet. Eſſet enim non fortitudinis excubiis, ſed mentis ſopore ſecurior, & altiore ſtultitia demerſus miſer. At ſi omnis qui caret ſapientia magnam patitur egeſtatem, omniſque compos ſapientiæ nihilo eget, ſequitur vt ſtultitia ſit egeſtas. Vt autem omnis ſtultus miſer, ita omnis miſer ſtultus eſt. Ergo vt omnis egeſtas miſeria, ita omnis miſeria egeſtas eſſe conuincitur. Quam concluſionem Trigetius cum ſe parum intellexiſſe diceret: Quid, inquam, inter nos ratione conuenit? Eum egere, inquit, qui & ſapientiam non habeat. Quid eſt ergo, inquam, egere? Sapientiam, inquit, non habere. Quid eſt, inquam, ſapientiam non habere? Hic cum taceret, Nónne hoc eſt, inquam, habere ſtultitiam? Hoc, inquit. Nihil eſt ergo aliud, inquam, habere egeſtatem, quàm ſtultitiã. Ex quo iam neceſſe eſt egeſtatem alio verbo nominari quando ſtultitia nominatur: quanquam neſcio quomodo dicamus, habet egeſtatem, aut habet ſtultitiam.

A Tale eſt enim ac ſi locum aliquem qui lumine careat dicamus habere tenebras: quod nihil eſt aliud quàm lumen non habere. Non enim tenebræ quaſi veniunt aut recedunt, ſed carere lumine hoc ipſum eſt iam tenebroſum eſſe, vt carere veſte, hoc eſt eſſe nudũ. Non enim veſte accedente veluti aliqua res mobilis nuditas fugit. Sic ergo dicimus aliquem habere egeſtatem, quaſi dicamus habere nuditatem. Egeſtas enim verbũ eſt non habẽdi. Quamobrem vt quod volo explicem ſicut poſſum, ita dicitur, habet egeſtatem: quaſi dicatur habet non habere. Itaque ſi ſtultitiam ipſam veram & certam egeſtatem eſſe monſtratum eſt: videiam quæſtionem quam ſuſceperamus, vtrum ſoluta ſit. Dubitabatur enim inter nos, vtrum cum appellaremus miſeriam, nihil aliud quàm egeſtatem nominaremus. Dedimus autem rationem, rectè ſtultitiam vocari egeſtatem. Sicut ergo & omnis ſtultus miſer, & omnis miſer ſtultus eſt, ita neceſſe eſt non ſolum omnem qui egeat miſerum, ſed etiam omnem qui miſer ſit egentem eſſe fateamur. At ſi ex eo quod & omnis ſtultus miſer eſt, & omnis miſer ſtultus eſt, conficitur ſtultitiam eſſe miſeriam: cur non ex eo quòd & quiſquis eget miſer, & quiſquis miſer eſt egeat, nihil aliud miſeriam quàm egeſtatem eſſe conficimus? Quod cum omnes ita eſſe faterentur, illud iam, inquam, ſequitur, vt videamus quis non egeat: is enim erit ſapiens & beatus. Egeſtas autem ſtultitia eſt, egeſtatiſque nomen. Hoc autem verbum ſterilitatẽ quandam & inopiam ſolet ſignificare. Attendite quæſo altius, quanta cura priſcorum hominum, ſiue omnia, ſiue quod manifeſtum eſt, quædam verba creata ſunt, earum rerum maximè quarum erat notitia perneceſſaria. Iam enim conceditis, omnem ſtultum egere, & omnem qui egeat ſtultum eſſe, credo vos etiam concedere animum ſtultum eſſe vitioſum, omniáque animi vitia vno ſtultitiæ nomine includi. Primo autem die huius diſputationis noſtræ nequitiam dixeramus eſſe ab eo dictam quod nec quicquam ſit, cui contrariam frugalitatem à fruge fuiſſe nominatam. Ergo in iis duobus contrariis, hoc eſt frugalitate atque nequitia, illa duo videntur eminere, eſſe & non eſſe. Egeſtati autem de qua quæſtio eſt, quid putamus eſſe cõtrarium? Hic cum aliquantum cunctarentur: Si dicam, inquit Trigetius, diuitias: video his paupertatem eſſe contrariam. Eſt quidem, inquam, vicinum. Nam paupertas & egeſtas vnum atque idem accipi ſolent. Tamen aliud verbum inueniendum eſt, ne meliori parti deſit vnum vocabulum, vt cum illa pars paupertatis & egeſtatis nomine abundet, ex hac parte ſolũ opponatur diuitiarum nomen. Nihil enim abſurdius quam vt hic ſit egeſtas vocabuli, vbi eſt contraria pars egeſtati. Plenitudo, inquit Licentius, ſi dici poteſt, videtur mihi rectè opponi egeſtati. Poſtea, inquam, de verbo quæremus fortaſſe diligentius. Non enim hoc curandum eſt in inquiſitione veritatis. Quamuis enim Saluſtius lectiſſimus penſator verborum, egeſtati opoſuerit opulentiam, tamen accipio iſtam plenitudinem. Non enim nec hic grammaticorum formidine liberabimur, aut metuendum eſt ne ab eis caſtigemur, quòd incurioſe vtimur verbis, qui res ſuas nobis ad vtendum dederunt. Vbi cum arriſiſſent: Ergo quia mentes veſtras, inquam, cum intenti eſtis in Deum, velut quædam oracula non contemnere ſtatui, videamus quid ſibi velit hoc nomen: nam nullum accommodatius eſſe arbitror veritati. Plenitudo igitur & egeſtas contraria ſunt: at etiam hic ſimiliter, vt in nequitia & frugalitate, apparent illa duo, eſſe & non eſſe. Et ſi egeſtas eſt ipſa ſtultitia, plenitudo erit ſapientia. Meritò etiam virtutum omnium matrem multi frugalitatem eſſe dixerunt. Quibus conſentiens Tullius etiam in populari oratione ait,

Supra Diſputatione 1.

Saluſt. in Catil.

Plenitudo & egeſtas contraria ſunt.

Vt volet quisque accipiat: ego tamen frugalitatem, id est modestiam & temperantiam, virtutem esse maximam iudico. Prorsus doctissimè ac decentissimè: considerauit enim frugem, id est illud quod esse dicimus, cui est non esse contrarium. Sed propter vulgarem loquendi consuetudinem, qua frugalitas quasi parsimonia dici solet, duobus consequentibus quid senserit illustrauit, subiiciendo modestiam & temperantiam: & hæc duo verba diligentius attendamus. Modestia vtique dicta est à modo, & à temperie temperantia. Vbi autem modus est atque temperies, nec plus est quicquam nec minus. Ipsa est igitur plenitudo quam egestati contrariam posueramus, multo melius quàm si abundantiam poneremus. In abundantia enim intelligitur affluentia & quasi rei nimium exuberantis effusio. Quod cum euenit vltra quàm satis est, etiam ibi desideratur modus, & res quæ nimia est, modo eget. Ergo nec ab ipsa redundantia egestas aliena est, à modo autem & plus & minus aliena sunt. Ipsam etiam opulentiam si discutias, inuenies eam nihil aliud tenere, quam modum. Nam non nisi ab ope dicta est opulentia. Quomodo autem opitulatur, quod nimium est, cum incommodius sit sæpe quàm parum? Quicquid igitur vel parum vel nimium est, quia modo eget, obnoxium est egestati. Modus ergo animi sapientia est. Etenim sapientia contraria stultitiæ non negatur, & stultitia egestas, egestati autem contraria plenitudo. Sapientia igitur plenitudo. In plenitudine autem modus. Modus igitur animi in sapiẽtia est. Vnde illud præclarum est, & non immeritò diffamatur hoc primum in vita esse vtile: Vt ne quid nimis. Dixeramus autem in exordio hodiernæ disputationis nostræ, quòd si inueniremus nihil aliud esse miseriam quàm egestatem, eum beatum esse fateremur, qui non egeret. Est autem inuentum: ergo beatum esse nihil est aliud quàm non egere, hoc est esse sapientem. Si autem queritis quid sit sapientia, nam & ipsam ratio quantum in præsentia potuit, euoluit atq; eruit: nihil est aliud quam modus animi, hoc est quo sese animus librat, vt neque excurrat in nimium, neque infra quam plenum est coarctetur. Excurrit autem in luxurias, dominationes, superbias, cæteráque id genus, quibus immoderatorum miserorúmque animi sibi lætitias atque potentias comparari putant. Coarctatur autem sordibus, timoribus, mœrore, cupiditate, atque aliis quæcunque sunt quibus homines miseros etiam miseri confitentur. Cum verò sapientiam contemplatur inuentam, cúmque, vt huius pueri verbo vtar, ad ipsam se tenet, nec se ad simulacrorum fallaciam, quorum pondus amplexus à Deo suo cadere atque demergi solet, vlla commotus inanitate conuertit, nihil immoderationis, & ideo nihil egestatis, nihil igitur miseriæ pertimescit. Habet ergo modum suum, id est sapientiam, quisquis beatus est. Quæ est autem dicenda sapientia, nisi quæ Dei sapientia est? Accepimus autem etiam auctoritate diuina, Dei filium nil esse aliud quàm Dei sapientiam: & est Dei filius profectò Deus. Deum habet igitur quisquis beatus est: quod omnibus nobis iam antè placuit, cum hoc conuiuium ingressi sumus. Sed quid putatis esse sapientiam, nisi veritatem? Etiam hoc enim dictum est: Ego sum veritas. Veritas autem vt sit, fit per aliquem summum modum, à quo procedit, & in quem se perfecta conuertit. Ipsi autem summo modo nullus alius modus imponitur: Si enim summus modus per summum modum modus est, per seipsum modus est. Sed etiam summus modus necesse est vt verus modus sit. Vt igitur veritas modo gignitur, ita modus veritate cognoscitur. Neque igitur veritas sine modo, neq; modus sine veritate vnquam fuit. Quis est Dei filius? Dictum est, Veritas. Quis est qui non habet patrem. Quis alius quàm summus modus? Quisquis igitur ad summum modum per veritatem venerit, beatus est. Hoc est animis Deum habere, id est Deo frui. Cætera enim quamuis à Deo habeantur, non habent Deum. Admonitio autem quædam, quæ nobiscum agit, vt Deum recordemur, vt eum quæramus, vt eum pulso omni fastidio sitiamus, de ipso ad nos fonte veritatis emanat. Hoc interioribus luminibus nostris iubar sol ille secretus infundit. Huius est verum omne quod loquimur, etiam quando adhuc vel minus sanis vel repente apertis oculis audacter conuerti, & totum intueri trepidamus: nihilque aliud etiam hoc apparet esse quàm Deum, nulla degeneratione impediente perfectum. Nam ibi totum atque omne perfectũ est, simúlque est omnipotentissimus Deus. Sed tamen quandiu quærimus, nondum ipso fonte, atqué (vt illo verbo vtar) plenitudine saturati, nondum ad nostrum modum nos peruenisse fateamur: & ideo quamuis iam Deo adiuuante, nondum tamen sapientes ac beati sumus. Illa est igitur plena satietas animorum, hæc est beata vita, piè perfectéque cognoscere à quo inducaris in veritatem, quo veritate perfruaris, per quid connectaris summo bono. Quæ tria vnum Deum intelligentibus vnámque substantiam, exclusis vanitatibus variæ superstitionis, ostendunt. Hic mater recognitis verbis quæ suæ memoriæ penitus inhærebãt, & quasi euigilans in fidem suam, versum illum sacerdotis nostri: Foue precantes trinitas, læta effudit, atque subiecit: Hæc est nullo ambigente beata vita, quæ vita perfecta est, ad quam nos festinantes posse perduci, sola fide, alacri spe, flagrante charitate præsumendum est. Ergo, inquam, quoniam modus ipse nos admonet, conuiuium aliquo interuallo dierum distinguere, quantas pro viribus possum gratias ago summo & vero Deo patri Domino liberatori animarum. Deinde vobis qui concorditer inuitati, multis etiam me cumulastis muneribus. Nam tãtum in nostrum sermonem contulistis, vt me negare non possim, ab inuitatis meis esse satiatum. Hic omnibus gaudentibus & laudantibus Deum: Quàm vellem, inquit Trigetius, hoc modo nos quotidie pasceres. Modus, inquam, ille vbique seruandus est, vbique âmandus, si vobis cordi est ad Deum reditus noster. His dictis facto disputationis fine, discessimus.

Terent. in Andria. *Supra Disputatione 3.*

Sapientia quid sit.

1 Co. 1 d. 24

Ioan. 14. 6.

Ambrosius in hymno, Deus creator omnium *Lib. 9. conf. cap. 12. & lib. 1. cap. 27*

FINIS.

DIVI

DIVI AVRELII AVGVSTINI
SOLILOQVIORVM LIBRI, DE
COGNITIONE DEI ET ANIMÆ.

S. Augustinus 1. retract at. 4.

Soliloquiorũ.

INTER hæc scripsi etiam duo volumina secundum studium meum & amorem rationem indagandæ veritatis, de his rebus quas maximè scire cupiebam, me interrogãs, mihíque respondens, tãquam duo essemus, ratio & ego, cum solus essem. Vnde hoc opus Soliloquia nominaui, sed imperfectum remansit. Ita tamen vt in primo libro quæreretur, & vtcunque appareret, qualis esse debeat qui vult percipere sapientiam, quæ vtique non sensu corporis, sed mẽte percipitur. Et quadam ratiocinatione in libri fine colligitur, ea quæ vere sunt, immortalia esse. In secundo autem, de immortalitate animæ diu res agitur, & non peragitur. In his sanè libris non approbo, quod in oratione dixi, Deus qui nisi mundos verum scire noluisti. Respõderi enim potest, multos etiam non mundos multa scire vera. Neque enim definitum est hic quid sit verum, quod nisi mundi scire non possint, & quid sit scire. Et illud quod ibi positum est: Deus, cuius regnum est totus mundus, quem sensus ignorat. Si Deus intelligendus est, addenda fuerant verba, vt diceretur, Quem mortalis corporis sensus ignorat. Si autem mundus dictus est quem sensus ignorat, ille recte intelligitur, qui futurus est cælo nouo & terra noua. Sed etiam hic addenda erant illa verba, vt diceretur: mortalis corporis sensus. Sed illo more adhuc loquebar, quo sensus proprie corporis appellatur. Nec assidue repetẽdum est, quod & superius inde iam dixi, sed hoc recolendum, vbicunq; ista locutio in meis literis inuenitur. Et vbi dixi de patre & filio, Qui gignit, & quem gignit, vnum est. dicẽdum fuit, vnum sunt. Sicut aperte ipsa veritas loquitur, dicens: Ego & pater vnum sumus. Nec illud mihi placet, quod in ista vita Deo intellecto iam beatam esse animam dixi, nisi fortè spe. Item quod dixi, Ad sapientiæ coniunctionem nõ vna via peruenitur: non bene sonat, quasi alia via sit præter Christum, qui dixit, Ego sum via. Vitanda ergo erat hæc offensio aurium religiosarum, quamuis alia sit illa vniuersalis via, aliæ autem viæ de quibus in Psalmo canimus, Vias tuas Domine notas fac mihi, & semitas tuas doce me. Et in eo quod ibi dictum est, Penitus esse ista sensibilia fugienda: cauẽdum fuit ne putaremur illam Porphyrij falsi philosophi tenere sentẽtiam, qua dixit, Omne corpus esse fugiendum. Non autem dixi ego, omnia sensibilia, sed ista, hoc est corruptibilia, sed hoc potius dicendum fuit. Non autem talia sensibilia futura sunt in futuri sæculi cælo nouo & terra noua. Item quodam loco dixi, quòd disciplinis liberalibus eruditi, sine dubio in se illas obliuione obrutas eruunt discendo, & quodammodo refodiunt. Sed hoc quoque improbo. Credibilius est enim, propterea vera respondere de quibusdam disciplinis, etiam imperitos earum quãdo bene interrogantur, quia præsens est eis, quantũ id capere possunt lumen rationis æternæ, vbi hæc immutabilia vera conspiciunt, non quia ea nouerãt aliquando & obliti sunt, quod Platoni vel talibus visum est. Contra quorum opinionem quãta pro susceptа opera dabatur occasio, in libro duodecimo De trinitate, diserui. Hoc opus sic incipit:

Lib. 1. cap. 7
Lib. 1. ca. 15
Lib. 1. cap. 1
1. sen. dist. 2 cap. 1.
Lib. 1. cap. 1
Apo. 21. a. 1 1. retr. cap. 1 & 3.
Lib. 1. cap. 1
1. sen. dist. 2. cap. omnes.
Lib. 1. cap. 7
Io. 10. f. 30
Lib. 1. ca. 13
Ioan. 14. a. 6
Psal. 24. a. 4
Lib. 1. ca. 14
Apo. 21. a. 1
Lib. 2. ca. 20
Cap. 15.

A VOLVENTI mihi multa ac varia mecum diu, ac per multos dies sedulò quæreti memetipsum ac bonum meum, quidve mali euitandum esset: ait mihi subitò, siue ego ipse, siue alius quis extrinsecus siue intrinsecus, nescio. nam hoc ipsum est quod magnopere scire molior. Ait ergo mihi: RATIO, Ecce, fac te inuenisse aliquid, cui commendabis vt pergas ad alia? AVG. Memoriæ scilicet. R. Tanta ne illa est vt excogitata omnia bene seruet? AVG. Difficile est, imò non potest. R. Ergo scribendum est. Sed quid agis, quòd valetudo tua scribendi laborem recusat? Nec ista dictari debent, nam solitudinem meram desiderant. AVG. Verum dicis. Itaque prorsus nescio quid agam. RATIO, Ora salutem & auxilium, quo ad concupita peruenias, & hoc ipsum B literis manda, vt prole tua fias animosior. Deinde quod inuenis paucis conclusiunculis breuiter colligе. Nec modo cures inuitationem turbæ legentium, paucis ista sat erunt ciuibus tuis. AVG. Ita faciam. Deus vniuersitatis conditor, præsta mihi primum vt bene te rogem, deinde vt me agam dignum quem liberes, postremò vt liberes. Deus per quem omnia, quę per se non essent, tendunt esse. Deus qui ne id quidem quod se inuicem perimit, perire permittis. Deus qui de nihilo mundum istum creasti, omnium quæ oculi sentiunt pulcherrimum. Deus qui malũm non facis, & facis esse ne pessimum fiat. Deus qui paucis ad id quod verè est refugientibus, ostendis malum nihil esse. Deus per quem vniuersitas etiam cum sinistra parte perfecta est. Deus à quo dissonantia vsque in extremum nulla est, cum deteriora melioribus cõcinunt. Deus quem amat omne quod potest amare, C siue sciens, siue nesciens. Deus in quo sunt omnia, cui tamen vniuersæ creaturæ, nec turpitudo turpis est, nec malitia nocet, nec error errat. Deus qui nisi mundos verum scire noluisti. Deus pater veritatis, pater sapientiæ, pater veræ summæque vitæ, pater beatitudinis, pater boni & pulchri, pater intelligibilis lucis, pater euigilationis atque illuminationis nostræ, pater pignoris quo admonemur redire ad te. Te inuoco Deus veritas, in quo & à quo & per quem vera sunt quæ vera sunt omnia. Deus sapientia, in quo & à quo & per quem sapiunt quæ sapiunt omnia. Deus vera & summa vita, in quo & à quo & per quem viuunt quæ vere summeque viuunt omnia. Deus beatitudo, in quo & à quo & per quem beata sunt quæ beata sunt omnia. Deus bonum & pulchrum, in quo & à quo & per quem bona & pulchra sunt, D quæ bona & pulchra sunt omnia. Deus intelligibilis lux, in quo & à quo & per quem intelligibiliter lucent quæ intelligibiliter lucent omnia. Deus cuius regnum est totus mundus, quem sensus ignorat. Deus de cuius regno lex etiam in ista regna describitur. Deus à quo auerti, cadere: in quem conuerti, resurgere: in quo manere, consistere est. Deus à quo exire, emori: in quem redire, reuiuiscere: in quo habitare, viuere est. Deus quem nemo amittit, nisi deceptus: quem nemõ quærit, nisi admonitus: quem nemo inuenit, nisi purgatus. Deus quem relinquere, hoc est quod perire: quem attendere, hoc est quod amare:

CAP. 1. Precatio ad Deum.
Scriptura memoriæ subsidium.
Dictat qui non scribit ipse.
Precatium mihi.
1. retr. cap. 4
1. sent dist. 8 cap. 1.
1. retr. ca. 4.

quem

quem videre, hoc est quod habere. Deus cui nos fides excitat, spes erigit, charitas iungit. Deus per quē vincimus inimicum, te deprecor. Deus per quem accepimus, ne omnino periremus. Deus à quo admonemur vt vigilemus. Deus per quem à malis bona separamus. Deus per quem mala fugimus, & bona sequimur. Deus per quem non cedimus aduersitatibus. Deus per quem bene seruimus, & bene dominamur. Deus per quē discimus aliena esse quæ aliquando nostra, & nostra esse quæ aliquādo aliena putamus. Deus per quem malorum escis atq; illecebris nō hæremus. Deus per quem nos res minutæ non minuunt. Deus per quem melius nostrum deteriori subiectum nō est. Deus per quem mors absorbetur in victoriā. Deus qui
1. Corint. 15 g. 54. Peccatum. nos conuertis. Deus qui nos eo quod non est exuis, & eo quod est induis. Deus qui nos exaudibiles facis.
Ioā. 16. b. 13 Deus qui nos munis. Deus qui nos in omnem veritatem inducis. Deus qui nobis omnia bona loqueris, nec insanos facis, nec à quoquam fieri sinis. Deus qui nos reuocas in viam. Deus qui nos deducis ad ianuā.
a Mat. 7. b. 8 b Io. 6. d. 35 Deus[a] qui facis vt pulsantibus aperiatur. Deus[b] qui nobis das panem vitæ. Deus per quem sitimus potū, quo hausto nunquam sitiamus. Deus qui arguis sęculum,
Ioan. 16. b. 8. de peccato, de iustitia, & de iudicio. Deus per quē nos non mouēt qui minimè credunt. Deus per quem improbamus eorum errorem, qui animarum merita nulla esse apud te putant. Deus per quem non seruimus
Gal. 4. b. 9. infirmis & egenis elementis. Deus qui nos purgas, & ad diuina præparas præmia, adueni mihi propitius tu. Quicquid à me dictum est, vnus Deus tu, tu veni mihi in auxilium, vna ęterna vera substātia, vbi nulla discrepantia, nulla confusio, nulla transitio, nulla indigentia, nulla mors. Vbi summa concordia, summa euidentia, summa constātia, summa plenitudo, summa vita. Vbi nihil deest, nihil redundat. Vbi qui gignit, & quem gignit vnum est. Deus cui seruiunt omnia, quæ
1. Petr. cap. 4 seruiūt, cui obtemperat omnis bona anima. Cuius legibus rotantur poli, cursus suos sidera peragunt. Sol exercet diem, luna temperat noctem: omnisque mundus per dies vicissitudine lucis & noctis, per mēses incrementis decrementisque lunaribus, per annos veris, æstatis, autumni & hyemis succession ibus, per lustra perfectione cursus solaris, per magnos orbes recursu in ortus suos syderum, magnam rerum constantiam quantum sensibilis materia patitur, temporum ordinibus replicationibúsque custodit. Deus cuius legibus in æuo stantibus, motus instabilis rerum mutabilium perturbatus esse non sinitur, frenisque circumeūtium sęculorum semper ad similitudinem stabilitatis reuocatur: cuius legibus arbitrium animæ liberum est, bonisque præmia & malis pœnæ, fixis per omnia necessitatibus distributæ sunt. Deus à quo manant vsque ad nos omnia bona, à quo coërcentur vsque à nobis omnia mala. Deus supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil est. Deus sub quo totum est, in quo to-
Gen. 1. d. 27 tum est, cum quo totum est. Qui fecisti hominem ad imaginem & similitudinem tuam, quod qui seipsum nouit, agnoscit. Exaudi, exaudi, exaudi me Deus meus, Domine meus, rex meus, pater meus, causa mea, spes mea, res mea, honor meus, domus mea, patria mea, salus mea, lux mea, vita mea. Exaudi, exaudi, exaudi me more illo tuo paucis notissimo. Iam te solum amo, te solum sequor, te solum quæro, tibi soli seruire paratus sum, quia tu solus iustè dominaris, tui iuris esse cupio. Iube quæso atque impera quicquid vis, sed sana & aperi aures meas, quibus voces tuas audiam. Sana & aperi oculos meos, quibus nutus tuos videam. Expelle à me insaniam, vt recognoscam te. Dic mihi quà attendam, vt aspiciam te, & omnia me spero quæ iusseris esse facturum. Recipe, oro, fugitiuum tuum Domine clementissime pater: iamiam satis pœnas dederim, satis inimicis tuis, quos sub pedibus habes, seruierim, satis fuerim fallaciarum ludibrium. Accipe me ab istis fugientem famulum tuum, quia & ista me quando à te fugiebam acceperunt alienum. Ad te mihi redeundum esse sentio: pateat mihi pulsanti ianua tua: quomodo ad te perueniatur doce me. Nihil aliud habeo quá voluntatem: nihil aliud scio nisi fluxa & caduca spernenda esse, certa & æterna requirenda. Hoc facio pater, quia hoc solum noui, sed vnde ad te perueniatur ignoro. Tu mihi suggere, tu ostende, tu viaticum præbe. Si fide te inueniunt qui ad te refugiunt, fidem da. Si virtute, virtutem: si scientia, scientiam. Auge in me fidem, auge spem, auge charitatem. O admiranda & singularis bonitas tua. Ad te ambio, & quibus rebus ad te ambiatur, à te rursum peto. Tu enim si deseris, peritur hic: sed non deseris, quia tu es summum bonum, quod nemo rectè quæsiuit, & minimè inuenit. Omnis autem rectè quæsiuit, quem tu rectè quærere fecisti. Fac & me pater quærere te, Error animi. vindica me ab errore: quærenti te mihi nihil aliud pro te occurrat. Si nihil aliud desidero quàm te, inueniam te iam quæso pater. Si autem est in me superflui alicuius appetitio, tu ipse me munda, & fac idoneum ad videndum te. Cæterum de salute huius mortalis cor- Corpus. poris mei, quandiu nescio quid mihi ex eo vtile sit, vel eis quos diligo, tibi illud committo pater sapientissime atque optime, & pro eo quod ad tempus admoneris deprecabor: tantum oro excellentissimam clementiam tuam, vt me penitus ad te conuertas, nihilque mihi repugnare facias tendenti ad te, iubeásque me dum hoc ipsum corpus ago atque porto, purum, magnanimum, iustum, prudentémque esse, perfectúmque amatorem perceptorémque sapiētiæ tuæ, & dignum habitatione atque habitatorem beatissimi Obstacula. regni tui: amen.

A. ECCE oraui Deum. R. CAPVT II. Quid amandum. Quid ergo scire vis? A. Hæc ipsa omnia quæ orauí. R. Breuiter ea collige. A. Deum & animam scire cupio. R. Nihílne plus? A. Nihil omnino. R. Ergo incipe quærere. Sed prius explica quomodo tibi si demonstretur Deus, possis dicere, sat est. A. Nescio quomodo mihi demonstrari debeat, vt dicam sat est: non enim credo me scire aliquid sic, quomodo scire Deum desidero. R. Quid ergo agimus? Nónne censes prius tibi esse sciēdum, quomodo tibi Deum scire satis sit, quò cum perueneris non amplius quæras? A. Censeo quidem: sed quo pacto fieri possit, non video. Quid enim Deo simile vnquam intellexi, vt possim dicere quomodo hoc intelligo, sic volo intelligere Deum? R. Qui nondum Deum nosti, vnde nosti nihil te nosse Deo simile? A. Quia si aliquid Deo simile scirem, sine dubio id amarem: nunc autem nihil aliud amo quàm Deum & animam, quorum neutrum scio? R. Non igitur amas amicos tuos? A. Quo pacto eos possum amans animam non amare? R. Hoc modo ergo & pulices & cimices amas? A v. Animam me amare dixi, non animalia. R. Aut homines non sunt amici tui, aut eos non amas. Omnis enim homo animal, & animalia te non amare dixisti. A v G. Et homines sunt, & eos amo, non eo quòd animalia, sed eo quòd homines sunt, id est ex eo quod rationales animas habent, quas amo, etiam in latronibus. Licet enim mihi in quouis amare rationem, cum illum iure oderim, qui malè vtitur eo quod amo. Itaq; tanto magis amo amicos meos, quanto magis bene vtuntur anima rationali, vel certè quātum desiderant ea bene vti.

R. ACCIPIO istud: sed tamen si quis tibi diceret, CAPVT III. Cognitio Dei faciam te sic Deum nosse, quomodo nosti Alipium, nónne gratias ageres, & diceres, satis est? A. Agerem quidem gratias, sed satis esse nō dicerem. R. Cur quæso? A v. Quia Deum ne sic quidem noui, quomodo Alipium,

Alipium,& tamen Alipium non ſatis noui. R. Vide ergo ne impudẽter velis ſatis Deum noſſe, qui Alipium non ſatis noſti. A. Non ſequitur. Nam in comparatione ſyderum, quid eſt mea cœna vilius? & tamen cras quid ſim cœnaturus ignoro: quo autem ſigno luna futura ſit, non impudenter me ſcire profiteor. R. Ergo vel ita Deum noſſe tibi ſatis eſt, vt noſti quo cras ſigno luna curſura ſit? A. Non eſt ſatis: nam hoc ſenſibus approbo. Ignoro autem vtrum vel Deus vel aliqua naturæ occulta cauſa ſubito lunę ordinem curſúmq; commutet: quod ſi acciderit, totum illud quod pręſumpſeram falſum erit. R. Et credis hoc fieri poſſe? A. Nõ credo. Sed ego quid ſciam quæro, non quid credã. Omne autem quod ſcimus, rectè fortaſſe etiam credere dicimus: at nõ omne quod credimus, etiam ſcimus. R. Reſpuis igitur in hac cauſa omne teſtimonium ſenſuum? A. Prorſus reſpuo. R. Quid, illum familiarem tuum quem te adhuc ignorare dixiſti, ſenſu vis noſcere, an intellectu? A. Senſu quidem quod in eo noui, ſi tamen ſenſu aliquid noſcitur, & vile eſt, & ſatis eſt. Illam verò partem qua mihi amicus eſt, id eſt ipſum amicum, intellectu aſſequi cupio. R. Poteſt ne aliter noſci? A. Nullo modo. R. Amicum igitur tuum & vehementer familiarem, audes tibi dicere eſſe ignotum? A. Quid ni audeam? Illam enim legem amicitiæ iuſtiſſimã eſſe arbitror, qua præſcribitur, vt ſicut non minus, ita nec plus quiſq; amicum quàm ſeipſum diligat. Itaq; cum memetipſum ignorem, qua poteſt à me affici contumelia quem mihi eſſe dixero ignotum, cum præſertim (vt credo) ne ipſe quidem ſe nouerit? R. Si ergo iſta quæ ſcire vis, ex eo ſunt genere quæ intellectus aſſequitur, cum dicerem impudenter te velle Deum ſcire, cum Alipium neſcias, non debuiſti mihi cœnam tuam & lunam proferre pro ſimili, ſi hæc, vt dixiſti, ad ſenſum pertinent.

CAPVT IIII. *Certa ſcientia quæ.*

SED quid ad nos: Nunc illud reſponde: Si ea quæ de Deo dixerunt Plato & Plotinus vera ſunt, ſatis ne tibi eſt ita Deum ſcire, vt illi ſciebant? A V. Non continuo ſi ea quæ dixerũt, vera ſunt, etiam ſciſſe illos ea neceſſe eſt. Nam multi copioſe dicunt quæ neſciunt, vt ego ipſe omnia quę orauí, me dixi ſcire cupere, quod non cuperem ſi iam ſcirem. Num igitur eo minus illa dicere potui? Dixi enim non quæ intellectu comprehendi, ſed quæ vndecunque collecta memoriæ mandaui, & quibus accommodaui quantum potui fidem. Scire autem aliud eſt. R. Dic quæſo, ſcis ne ſaltem in geometrica diſciplina, quid ſit linea? A V. Iſtud planè ſcio. R. Nec in iſta profeſſione vereris Academicos? A. Non omnino. Illi enim ſapientem errare noluerunt: ego autem ſapiens non ſum. Itaque adhuc nõ vereor earum rerum quas noui ſcientiam profiteri. Quod ſi, vt cupio, peruenero ad ſapientiam, faciam quod illa monuerit. R. Nihil renuo: ſed vt quęrere cœperam, ita vt lineam noſti, noſti etiam pilam quam ſphæram nominant? A V. Noui. R. Æquè vtrunque noſti, an aliud alio magis aut minus? A V. Æque prorſus. Nam in vtroque nihil fallor. R. Quid hæc, ſenſibus ne percepiſti, an intellectu? A V G. Imõ ſenſus in hoc negocio quaſi nauim ſum expertus. Nam cum ipſi me ad locum quò tendebam peruexerint, vbi eos dimiſi, & iam velut in ſolo poſitus, cœpi cogitatione iſta voluere, diu mihi veſtigia tituberunt. Quare citius mihi videtur in terra poſſe nauigari, quàm geometriam ſenſibus percipi, quamuis primo diſcentes aliquantum adiuuare videantur. R. Ergo iſtarum rerum diſciplina, ſi qua tibi eſt, nõ dubitas vocari ſcientiam? A. Non ſi Stoici ſinant, qui ſcientiam tribuunt nulli niſi ſapienti. Perceptionem ſanè iſtorum me habere non nego, quam etiam ſtultitiæ concedunt. Sed nec iſtos quicquam pertimeſco. Prorſus hæc quæ interrogaſti ſcientia teneo. Perge modò videam quorſum iſta quæris. R. Ne propera, ocioſi ſumus. Intentus tantum accipe, ne quid temerè concedas. Gaudentem te ſtudeo reddere de rebus quibus nullum caſum pertimeſcas, & quaſi paruum negocium ſit, præcipitare iubes? A. Ita Deus faciat vt dicis. Itaque arbitrio tuo roga, & obiurgato grauius ſi quicquam tale poſthac.

Credere. *Scire.*

De animæ quantitate cap. 5. & 6.

R. ERGO lineam in duas lineas per longum ſcindi manifeſtum tibi eſt nullo modo poſſe? A. Manifeſtum. R. Quid tranſuerſim? A. Quid, niſi infinitè ſecari poſſe? R. Quid ſphæram ex vna qualibet parte à medio, ne duos quidem pares circulos habere poſſe pariter lucet? A. Pariter omnino. R. Quid linea & ſphæra, vnum ne aliquid tibi videntur eſſe, an quicquam inter ſe differre? A. Quis non videat differre plurimum? R. At ſi æquè illud atq; hoc noſti, & tamen inter ſe vt fateris plurimum differunt, eſt ergo differentium rerum ſcientia indifferens. A. Quis enim negauit? R. Tu paulo antè. Nam cum te rogaſſem quomodo velles Deum noſſe, vt poſſes dicere, ſatis eſt: reſpondiſti te ideo nequire hoc explicare, quia nihil haberes perceptum, ſimiliter atque Deum cupis percipere, nihil enim te ſcire Deo ſimile. Quid ergo nunc? Linea vel ſphęra ſimiles ſunt Deo? A. Quis hoc dixerit? R. Sed ego quæſieram, non quid tale ſcires, ſed quid ſcires ſic, quomodo Deum ſcire deſideras. Sic enim noſti lineam vt noſti ſphæram, cum ſe non ſic habeat linea, vt ſe habet ſphęra. Quamobrem reſponde vtrum tibi ſatis ſit ſic Deum noſſe, vt pilam illam geometricam noſti: hoc eſt, ita de Deo nihil vt de illa dubitare.

CAP. V. *Diſſimilium eadem aut par ſcientia.*

A. QVÆSO te quamuis vehementer vrgeas atque conuincas, non audeo tamen dicere ita me velle Deum ſcire vt hæc ſcio. Non ſolum enim res, ſed ipſa etiam ſcientia mihi videtur eſſe diſſimilis. Primo, quia linea & pila tantum inter ſe differunt, vt tamen eorum cognitionem vna diſciplina contineat: nullus autem geometres Deum ſe docere profeſſus eſt. Deinde ſi Dei & iſtarum rerum ſcientia par eſſet, tantum gauderem quòd iſta noui, quantum me Deo cognito gauiſurum eſſe præſumo. Nunc autem permultum hæc in illius comparatione contemno, vt nonnunquam videatur mihi, ſi illum intellexero, & modo illo quo videri poteſt videro, hæc omnia de mea notitia eſſe peritura. Siquidem nunc præ illius amore iam vix mihi veniunt in mentem. R. Eſto plus te ac multo plus quam de iſtis Deo cognito gauiſurum, rerum tamen non intellectus diſſimilitudine: niſi fortè alio viſu terram, alio ſerenum cælum intueris, cum tamen multo plus illius quã huius aſpectus te permulceat. Oculi autem ſi non falluntur, credo te interrogatum, vtrum tibi tam certum ſit terrã te videre quam cælũ, tam tibi certũ eſſe reſpondere debere, quãuis non tam terræ quam cæli pulchritudine atq; ſplendore lęteris. A. Mouet me fateor hæc ſimilitudo, adducórq; vt aſſentiar quantũ in ſuo genere à cælo terrã, tantum ab intelligibili Dei maieſtate ſpectamina illa diſciplinarum vera & certa differre.

CAP. VI. *Senſus animæ in quibus percipit Deũ.*

R. BENE moueris. Promittit enim ratio quę tecum loquitur, ita ſe demonſtraturam Deũ tuæ menti, vt oculis ſol demonſtratur. Nã mentes quaſi ſui ſunt ſenſus animis: diſciplinarũ autem quæq; certiſſima talia ſunt, qualia illa quæ ſole illuſtrantur vt videri poſſint, veluti terra eſt, atq; terrena omnia: Deus autẽ eſt ipſe qui illuſtrat. Ego autem ratio ita ſum in mẽtibus, vt in oculis eſt aſpectus. Non enim hoc eſt habere oculos quod aſpicere: aut item hoc eſt aſpicere, quod videre. Ergo animæ tribus quibuſdã rebus opus eſt: vt oculos habeat quibus iam bene vti poſſit, vt aſpiciat, vt videat. Oculus animæ mens eſt ab omni lãbe corporis pura, id eſt, à cupiditatibus rerum mortalium iam remota atque purgata: quod ei nihil aliud præſtat quam fides primo. Quod enim adhuc ei demonſtrari non poteſt vitiis inquinatæ atque ægrotanti, quia videre nequit

nequit nisi sana, si non credat aliter se nõ esse visuram, non dat operam suæ sanitati. Sed quid si credat quidẽ ita se rem habere vt dicitur, atque ita se si videre potuerit esse visurã, sanari se tamen posse desperet, nónne se prorsus abiicit atque contemnit, nec præceptis medici obtẽperat? A. Omnino ita est, præsertim quia ea præcepta necesse est vt morbus dura sentiat. R. Ergo fidei spes adiicienda est. A. Ita credo. R. Quid si & credat ita se habere omnia, & se speret posse sanari, ipsam tamen quæ promittitur lucem non amet, non desideret, suisque tenebris quæ iam consuetudine iucundæ sunt, se arbitretur debere interim esse contentam, nónne medicum illum nihilominus respuit? A. Prorsus ita est. R. Ergo tertia charitas necessaria est. A. Nihil omnino tam necessarium. R. Sine tribus istis igitur anima nulla sanatur, vt possit Deum suum videre, id est intelligere. Cum ergo sanos habuerit oculos, quid restat? A. Vt aspiciat. R. Aspectus animæ, ratio est: sed quia non sequitur vt omnis qui aspicit videat, aspectus rectus atque perfectus, id est quem visio sequitur, virtus vocatur: est enim virtus vel recta vel perfecta ratio. Sed & ipse aspectus quamuis iam sanos oculos cõuertere in lucem non potest, nisi tria illa permaneant, fides qua credatur ita se rem habere, ad quam cõuertendus aspectus est, vt visa faciat beatũ: spes qua cum bene aspexerit, se visurum esse præsumat: charitas qua videre perfruique desideret. Iam aspectũ sequitur ipsa visio Dei, qui est finis aspectus, non quod iam non sit, sed quod nihil amplius habeat quò se intendat: & hęc est verè perfecta virtus, ratio perueniẽs ad finẽ suum, quam beata vita consequitur. Ipsa autem visio, intellectus est ille qui in anima est, qui cõficitur ex intelligente & eo quod intelligitur: vt in oculis videre quod dicitur, ex ipso sensu constat, atque sensibili, quorum detracto quolibet, videri nihil potest.

CAPVT VII. *Fides, spes, charitas, quomodo necessaria.*

ERGO cum animæ Deum videre, hoc est, Deum intelligere contigerit, videamus vtrum adhuc ei tria illa sint necessaria. Fides quare sit necessaria, quũ iam videat? Spes nihilominus, quia iam tenet. Charitati verò non solũ nihil detrahitur, sed additur etiam plurimum. Nam & illam singularem verámque pulchritudinem cum viderit, plus amabit: & nisi ingẽti amore oculum infixerit, nec ab aspiciẽdo vspiam declinauerit, manere in illa beatissima visione nõ poterit. Sed dum in hoc corpore est anima, etiamsi plenissimè videat, hoc est intelligat Deum, tamen quia etiam corporis sensus vtuntur opere proprio, nihil quidẽ valente ad fallendum, non tamẽ nihil agente, potest adhuc dici fides ea qua his resistitur, & illud potius verũ esse creditur. Item quia in ista vita, quanquam Deo intellecto anima iam beata sit, tamẽ multas molestias corporis sustinet, sperandũ est ei post mortem omnia ista incommoda non futura. Ergo nec spes dum in hac est vita, animam deserit. Sed cum post hanc vitam tota se in Deum collegerit, charitas restat qua ibi teneatur. Nam neque dicenda est fidem habere quod illa sint vera, quando nulla falsorum interpellatione solicitatur, neq; quicquam sperandũ ei restat, cum totũ secura possideat. Tria igitur ad animã pertinẽt, vt sana sit, vt aspiciat, vt videat: alia verò tria, fides, spes & charitas, primo illorum triũ & secundo semper sunt necessaria, tertio verò in hac vita omnia, post hanc vitã sola charitas.

CAPVT VIII. *Quæ ad cognoscendum Deum necessaria. Σαφήνεια.*

NVNC accipe quantum præsens tempus exposcit ex illa similitudine sensibilium, etiam de Deo aliquid nunc me docentem. Intelligibilis nempe Deus est, intelligibilia etiam illa disciplinarũ spectamina, tamen plurimum differũt. Nam & terra visibilis, & lux, sed terra nisi luce illustrata videri nõ potest. Ergo & illa quæ in disciplinis traduntur, quæ quisquis intelligit, verissima esse nulla dubitatione cõcedit, credendum est ea nõ posse intelligi nisi ab alio quasi suo sole illustrentur. Ergo quomodo in hoc sole tria quædam licet animaduertere, quod est, quod fulget, quod illuminat: ita in illo secretissimo Deo quem vis intelligere, tria quædam sunt: quod est, quod intelligitur, & quod cætera facit intelligi. Hæc duo, id est, teipsum & Deũ vt intelligas, docere te audeo. Sed responde quomodo hæc acceperis, vt probabilia, an vt vera? A. Planè vt probabilia, & in spem quod fatendum est maiorem surrexi: nam præter illa duo de linea & pila, nihil abs te dictum est, quod me scire audeã dicere. R. Non est mirandum: non enim quicquam est adhuc ita expositum, vt abs te sit flagitanda perceptio. *Esse, lucere, illuminare.*

SED quid moramur? Aggrediẽda est via: videamus tamẽ, quod præcedit omnia, vtrum sani simus. A. Hoc tu videris, si vel in te, vel in me aliquantũ aspicere potes: Ego quærenti si quid sentio respondebo. R. Amas ne aliquid præter tui Deiq; scientiã? A. Possem respondere, nihil me amare amplius pro eo sensu qui mihi nunc est, sed tutius respondeo, nescire me. Nam sæpe mihi vsu venit, vt cum alia nulla re me credẽ commoueri, veniret tamen aliquid in mentem, quod me multo aliter atq; præsumpseram pungeret. Item sæpe quamuis in cogitationem res aliqua incidens non me peruellerit, reuera tamen veniens perturbauit plus quã putabam: sed modò videor mihi tribus tãtum rebus posse cõmoueri, metu amissionis eorũ hominum quos diligo, metu doloris, metu mortis. R. Amas ergo & vitam tecũ chariſſimorum tuorũ, & bonam valetudinem tuã, & vitam tuam ipsam in hoc corpore: neq; enim aliter amissionem horũ metueres. A. Fateor, ita est. R. Modo ergo quod non omnes tecum sunt amici tui, & quod tua valetudo minus integra est, facit animo nonnullã ægritudinem. A. Nã & id esse cõsequens video. R. Rectè vides. A. Negare non possum. R. Quid si te repentè sano esse corpore sentias & probes, tecũque omnes quos diligis concorditer, liberali ocio frui videas, nónne aliquãtum tibi etiam lætitia gestiẽdum sit? A. Verè aliquantum, imò si hæc præsertim, vt dicis, repente prouenerint, quando me capiam, quando id genus gaudij vel dissimulare permittar? R. Omnibus igitur adhuc morbis animi & perturbationibus agitaris. Quæ nam ergo talium oculorum impudentia est, velle illum solem videre? A. Ita cõclusisti quasi prorsus nõ sentiam quantũ sanitas mea promouerit, aut quid pestium receſſerit, quantúmq; restiterit. Fac me istud concedere. CAP. IX. *Amor noſtri.*

NONNE vides hos corporis oculos CAP. X. etiã sanos luce solis istius sæpe repercuti & auerti, atq; ad illa sua obscura cõfugere? Tu autem quid promoueris cogitas, quid velis videre non cogitas. Et tamen tecũ hoc ipsum discutiam quid profeciſſe nos putas. Diuitias nullas cupis? A. Hoc quidem nõ nũc primum. Nam cũ †xxxiij. annos agã, xiiij. ferè anni sunt ex quo ista cupere destiti, nec aliud quicquã in his si quo casu offerrẽtur, præter necessariũ victum liberalémq; vsum cogitaui. Prorsus mihi vnus Ciceronis liber facilimè persuasit, nullo modo appetendas esse diuitias, sed si prouenerint, sapiẽtissimè atq; cautissimè administrandas. R. Quid honores? A. Fateor eos modo, ac penè his diebus cupere destiti. R. Quid vxor? Nõne te delectat interdum pulchra, pudica, morigera, literata, vel quæ abs te facilè possit erudiri, afferens etiam dotis tãtum, quoniam contemnis diuitias, quantum eam prorsus nihilo faciat onerosam ocio tuo, præsertim si speres certúsque sis nihil ex ea te molestiæ esse passurum? A. Quãtum velis licet eam pingere atque cumulare bonis omnibus, nihil mihi tam fugiendum quam cõcubitum esse decreui: nihil esse sentio quod magis ex arce deiiciat animũ virilem, quã blandimẽta fœminea, corporúmq; ille contactus, sine quo vxor haberi non potest. Itaq; si ad officium pertinet sapiẽtis (quod nondum comperi) dare operam liberis, quisquis rei huius tantum

al. 34.

Amor verum corporis & externarum.

Lib. 3. contra Acad. ca. 20 Confeſſ. lib. 3. cap. 4.

De beata vita in Præfatione.

Cæna.

Confeſſ. lib. 6. cap. 13.

tantũ gratia concumbit, mirandus mihi videri poteſt, at verò imitandus nullo modo: nam tentare hoc periculoſius eſt, quam poſſe felicius. Quamobrem ſatis, vt credo, iuſtè atq; vtiliter pro libertate animę meę mihi imperaui, non cupere, non quærere, nõ ducere vxorẽ. R. Non ego nunc quæro quid decreueris, ſed vtrũ adhuc lucteris, an vero iam ipſam libidinem viceris? Agitur enim de ſanitate oculorũ tuorum. A. Prorſus nihil huiuſmodi quæro, nihil deſidero, etiam cum horrore atque aſpernatione talia recordor. Quid vis amplius? Et hoc mihi bonũ indies creſcit: nam quãto augetur ſpes videndæ illius cui vehementer æſtuo pulchritudinis, tanto ad illam totus amor voluptáſq; conuertitur. R. Quid ciborum iucunditas, quãtę tibi curæ eſt? A. Ea quæ ſtatui non edere, nihil me cõmouent. Iis autem quæ non amputaui, delectari me præſentibus fateor, ita tamen vt ſine vlla permotione animi vel viſa vel guſtata ſubtrahantur. Cum autẽ nõ adſunt prorſus, non audet hæc appetitio ſe inſerere ad impedimẽtum cogitationibus meis: ſed omnino ſiue de cibo & potu, ſiue de balneis, cęteráq; corporis voluptate nihil interroges. Tantum ab ea peto, quantum in valetudinis opem conferri poteſt. R. MVLTVM profeciſti: ea tamen quæ reſtant ad vidẽdam illam lucẽ, plurimũ impediunt. Sed molior aliquid quo mihi videtur facilè oſtẽdi, aut nihil edomandũ nobis remanere, aut nihil nos omnino profeciſſe, omniúmq; illorũ quæ reſecta credimus tabem manere. Nam quęro abs te, ſi tibi perſuadeatur aliter cũ multis chariſſimis tuis te in ſtudio ſapientiæ nõ poſſe viuere, niſi ampla res aliqua familiaris neceſſitates noſtras ſuſtinere poſſit, nõne deſiderabis diuitias & optabis? A. Aſſentior. R. Quid ſi etiã illud appareat, & multis te perſuaſurum eſſe ſapientiam, ſi tibi de honore auctoritas creuerit, eóſq; ipſos familiares tuos non poſſe cupiditatibus ſuis modum imponere, ſéq; totos conuertere ad quęrendũ Deum, niſi & ipſi fuerint honorati, idq; niſi per tuos honores dignitatémq; fieri non poſſe, nónne iſta etiã deſideranda erunt, & vt proueniant magnopere inſtandũ? A. Ita eſt vt ducis. R. Iam de vxore nihil diſputo, fortaſſe enim nõ poteſt vt ducatur exiſtere talis neceſſitas: quãquam ſi eius amplo patrimonio certum ſit ſuſtentari poſſe omnes quos tecum in vno loco viuere ocioſe cupis, ipſa etiam concorditer id ſinente, præſertim ſi generis nobilitate tanta polleat, vt honores illi quos eſſe poſſe neceſſarios iam dediſti, per eam facile adipiſci poſſis, neſcio vtrum pertineat ad officium tuũ iſta contemnere. A. Quando ego iſtud ſperare audeam? R. Ita iſtud dicis, quaſi ego nunc requiram quid ſperes. Non quæro quid negatum non delectet, ſed quid delectet oblatum. Aliud eſt enim exhauſta peſtis, aliud conſopita. Ad hoc enim valet quod à quibuſdam doctis viris dictum eſt, ita omnes ſtultos inſanos eſſe, vt malè olere omne cœnum, quod nõ ſemper, ſed dum cõmoues ſentias. Multũ intereſt vtrum animi deſperatione obruatur cupiditas, an ſanitate pellatur. A. Quanquã tibi reſpondere non poſſum, nunquã tamen mihi perſuadebis, vt hac affectione mentis, qua nunc me eſſe ſentio, nihil me profeciſſe arbitrer. R. Credo propterea tibi hoc videri, quia quamuis iſta optare poſſes, non tamen propter ſeipſa, ſed propter aliud expetenda viderentur. A. Hoc eſt quod dicere cupiebam: nam quãdo deſideraui diuitias, ideo deſideraui vt diues eſſem, honoréſq; ipſos, quorũ cupiditatẽ modo me perdomuiſſe reſpondi, eorum neſcio quo nitore delectatus volebam: nihilq; aliud in vxore ſemper attendi cum attẽdi, niſi quã mihi efficeret cũ bona fama voluptatem. Tunc erat iſtorum in me vera cupiditas, nũc ea omnia prorſus aſpernor: & ſi ad illa quæ cupio nõ niſi per hęc mihi tranſitus datur, non amplectẽda hæc appeto, ſed ſubeo toleranda. R. Optimè omnino: nam nec ego vllarum rerum vocandã puto cupiditatem, quæ propter aliud requiruntur. SED quæro abs te, cur eos homines quos diligis, vel viuere, vel tecũ viuere cupias? A. Vt animas noſtras & Deum ſimul cõcorditer inquiramus. Ita enim facilè cui priori contingit inuẽtio, cæteros eò ſine labore perducit. R. Quid ſi nolũt hæc illi quærere? A. Perſuadebo vt velint. R. Quid ſi nõ poſſis, vel quòd ſe inueniſſe iam, vel quòd iſta nõ poſſe inueniri arbitrantur, vel quòd aliarum rerum curis & deſiderio prępediũtur? A. Habebo eos, & ipſi me, ſicut poſſumus. R. Quid ſi te ab inquirendo etiã impediat eorum præſentia? Nónne laborabis atq; optabis, ſi aliter eſſe non poſſunt, non tecum eſſe potius quam ſic eſſe? A. Fateor, ita eſt vt dicis. R. Non igitur eorũ vel vitam vel præſentiã propter ſeipſam, ſed propter inueniendam ſapientiam cupis? A. Prorſus aſſentior. R. Quid? Ipſam vitam tuam ſi tibi certũ eſſet impedimẽto eſſe ad comprehendendam ſapientiam, velles eã manere? A. Omnino eam fugerem. R. Quid ſi docereris, tam te relicto iſto corpore, quam in iſto cõſtitutum, poſſe ad ſapientiã peruenire, curares vtrum hic, an in alia vita eo quod diligis fruereris? A. Si nihil me peius exceptũrum intelligerẽ, quod retroageret ab eo quò progreſſus ſum, non curarem. R. Nũc ergo propterea mori times, ne aliquo peiore malo inuoluaris, quo tibi auferatur diuina cognitio. A. Non ſolum ne auferatur timeo, ſi quid fortè percepi, ſed etiam ne intercludatur mihi aditus eorum quibus percipiendis inhio, quãuis quod iam teneo, mecum máſurum putem. R. Nõ igitur & vitam iſtã propter ſeipſam, ſed propter ſapientiã vis manere. A. Sic eſt. R. Dolor corporis reſtat, qui te fortaſſe vi ſua commouet. A. Et ipſum nõ ob aliud vehementer formido, niſi quia me impedit à quęrendo. Quanquã enim acerrimo his diebus dentium dolore torquerer, non quidem ſinebar animo voluere, niſi ea quæ iam fortè didiceram, à diſcendo autẽ penitus impediebar, ad quod mihi tota intentione animi opus erat, tamen mihi videbatur, ſi ſe ille mentibus meis veritatis fulgor aperiret, aut me non ſenſurum fuiſſe illum dolorem, aut certè pro nihilo toleraturum. Sed quia & ſi nihil maius aliquando pertuli, tamẽ ſępè cogitans quanto grauiores poſſint accidere, cogor interdum Cornelio Celſo aſſentiri, qui ait, Summũ bonũ eſſe ſapientiã, ſummum autem malum dolorẽ corporis. Nec eius ratio mihi videtur abſurda: nã quoniam duabus, inquit, partibus cõpoſiti ſumus, ex animo ſcilicet & corpore: quarum prior pars eſt animus melior, deterius corpus eſt, ſummum bonũ eſt melioris partis optimum, ſummum autem malum peſſimũ deterioris. Eſt autẽ optimum in animo ſapiẽtia, eſt in corpore peſſimũ dolor. Summum igitur bonũ hominis ſapere, ſummum malum dolere, ſine vlla (vt opinor) falſitate concluditur. R. Poſterius iſta videbimus. Aliud enim fortaſſe nobis ipſa ad quã peruenire nitimur ſapientia perſuadebit. Si autem hoc eſſe verum oſtenderit, hãc de ſummo bono & ſummo malo ſententiã ſine dubitatione tenebimus. NVNC illud quærimus, qualis ſis amator ſapiẽtiæ, quam caſtiſſimo conſpectu atque amplexu, nullo interpoſito velamento quaſi nudam videre ac tenere deſideras, qualem ſe illa non ſinit, niſi pauciſſimis & electiſſimis amatoribus ſuis. An verò ſi alicuius pulchræ fœminæ amore flagrares, iure ſe tibi non daret, ſi aliud abs te quicquam præter ſe amari comperiſſet: ſapientiæ ſe tibi caſtiſſima pulchritudo, niſi ſolam arſeris demonſtrabit? A. Quid ergo adhuc ſuſpendor infelix, & cruciatu miſerabili differor? Iam certè oſtendi nihil aliud me amare, ſiquidem quod non propter ſe amatur, non amatur. Ego autem ſolam propter ſe amo ſapientiam, cætera verò vel adeſſe mihi volo, vel deeſſe timeo propter ipſam: vitam, quietem, amicos. Quem modum autem poteſt habere

Cibus. Confeſſ. lib. 10. cap. 31.

CAP. XI. Externa commoda nõ propter ſe, ſed propter alia vera bona poſſunt admitti eatenus quãtum expeti.

CAP. XII. Nihil expetendum niſi quatenus conducit ad ſummum bonum, nihil horrendũ niſi quatenus auocat.

Cornelij Celſi ſententia.

CAPVT XIII. Quomodo & quibus gradibus perſpiciatur ſapientia.

Amor mentis.

habere illius pulchritudinis amor, in qua non ſolum nõ inuideo cæteris, ſed etiam plurimos quęro qui mecum appetant, mecum inhient, mecum teneant, mecúmq; perfruantur, tantũ mihi amiciores futuri, quãto erit nobis amata communior. R. Prorſus tales eſſe amatores ſapientiæ decet. Tales quærit illa cuius verè
1. ver cap. 4. caſta eſt, & ſine vlla contaminatione coniunctio. Sed non ad eam vna via peruenitur. Quippe pro ſua quiſque ſanitate ac firmitate comprehendit illud ſingulare ac veriſſimum bonum. Lux eſt quædam ineffabilis & incomprehẽſibilis mentium. Lux iſta vulgaris nos doceat quantum poteſt, quomodo ſe illud habeat. Nã ſunt nonnulli oculi tam ſani & vegeti, qui ſe mox vt aperti fuerint, in ipſum ſolem ſine vlla trepidatione conuertant. His quodammodo ipſa ſanitas dux eſt, nec ductore indigent, ſed ſola fortaſſe admonitione. His credere, ſperare, amare ſatis eſt. Alij verò ipſo quẽ videre vehementer deſiderant, fulgore feriuntur, & eo non viſo ſæpe in tenebras cũ delectatione redeunt. B Quibus periculoſum eſt, quamuis iam talibus vt ſani rectè dici poſſint, velle oſtendere quòd adhuc videre non valent. Ergo iſti exercendi ſunt prius, & eorum amor vtiliter differendus atque nutriendus eſt. Primo enim quædam illis demonſtranda ſunt quę non per ſe lucẽt, ſed per lucem videri poſſint, vt veſtis, aut paries, aut aliquid horum. Deinde quod non per ſe quidem, ſed tamen per illam lucem pulchrius effulgeat, vt aurum, argentum, & ſimilia, nec tamen ita radiatum vt oculos lædat. Tunc fortaſſe terrenus iſte ignis modeſtè demonſtrandus eſt, deinde ſidera, deinde luna, deinde auroræ fulgor, & albeſcẽtis cæli nitor. In quibus ſeu citius ſeu tardius, ſiue per totum ordinẽ, ſiue quibuſdã contẽptis, pro ſua quiſq; valetudine aſſueſcens, ſine trepidatione & cum magna voluptate ſolẽ videbit. Tale aliquid ſapiẽtiæ ſtudioſiſſimis, nec acutè iam tamen videntibus, magiſtri optimi faciunt. Nã ordine quodã ad eam peruenire bonæ diſciplinę officium eſt, C ſine ordine autẽ vix credibilis felicitatis. Sed hodie ſatis, vt puto, ſcripſimus, parcendum eſt valetudini.

CAPVT XIIII. *Ipſa ſapiẽtia medetur oculis, vt videri poſſit.*

A. ET alio die: Da quæſo, inquam, iam ſi potes illũ ordinẽ. Duc age quà vis, per quęuis, quomodo vis. Impera quæuis dura, quælibet ardua, quę tamẽ in mea poteſtate ſint, per quæ me quò deſidero, peruenturũ eſſe nõ dubitem. R. Vnum eſt quod tibi poſſum pręcipere, 1. ver. cap. 4 nihil plus noui. Penitus eſſe iſta ſenſibilia fugiẽda, cauendum qúe magnopere dum hoc corpus agimus, ne quo eorum viſco pennæ noſtrę impediantur, quib. integris perfectíſq; opus eſt, vt ad illam lucem ab his tenebris euolemus: quæ ſe ne oſtendere quidẽ dignatur in hac cauea incluſis, niſi tales fuerint vt iſta vel effracta vel diſſoluta poſſint in auras ſuas euadere. Itaque quando fueris talis vt nihil te prorſus terrenorum delectet, mihi crede, eodem momento, eodẽ pũcto temporis videbis quod cupis. A. Quando iſtud erit, oro te? Non enim puto poſſe mihi hæc in ſummum venire contemptum, niſi videro illud in cuius comparatione D iſta ſordeſcant. R. Hoc modo poſſet & iſte oculus corporis dicere, tum tenebras non amabo cum ſolem videro. Videtur enim quaſi & hoc ad ordinem pertinere, quòd lõge eſt ſecus. Amat enim tenebras, eo quòd ſanus non eſt: ſolem autem niſi ſanus videre non poteſt. Et in eo ſæpe fallitur animus, vt ſanum ſe putet & ſeſe iactet: & quia nondũ videt, veluti iure conqueritur. Nouit autem illa pulchritudo quando ſe oſtẽdat. Ipſa enim medici fungitur munere, meliúſq; intelligit qui ſint ſani, quàm iidem ipſi qui ſanãtur. Nos autem quantũ emerſerimus, videmur nobis videre: quãtum autem merſi eramus, & quò progreſſi fueramus, nec cogitare nec ſentire permittimur, & in comparatione grauioris morbi ſanos eſſe nos credimus. Nõne vides quam veluti ſecuri heſterno die pronũciauerãmus, nulla iam nos peſte detineri, nihílque amare niſi ſapientiam: cætera verò non niſi propter iſtam quærere aut velle? Quàm tibi ſordidus, quam fœdus, quam execrabilis, quam horribilis complexus fœmineus videbatur, quando inter nos de vxoris cupiditate quæſitum eſt. Certè iſta nocte vigilantes, cum rurſus eadem nobiſcum ageremus, ſenſiſti quam te aliter quã præſumpſeras imaginatæ illæ blanditiæ, & amara ſuauitas titillauerit, longè quidem lõgè minus quam ſolet, ſed item lõgè aliter quam putaueras: vt tibi ſecretiſſimus ille medicus vtrunq; demonſtraret, & vnde cura eius euaſeris, & quid curandũ remaneat. A. Tace obſecro, tace. Quid crucias quid tantum fodis altéq; deſcẽdis? Iam flere non duro, iamiam nihil promitto, nihil præſumo, ne me de iſtis rebus interroges. Certè dicis quod ille ipſe quẽ videre ardeo nouerit, quando ſim ſanus, faciat quod placet: quando placet ſeſe oſtendat: iã me totum eius clementiæ curæq; committo. Semel de illo credidi, quòd ſic erga ſe affectos ſubleuare non ceſſet. Ego nihil de mea ſanitate, niſi cum illam pulchritudinem videro, pronunciabo. R. Prorſus nihil aliud facias. Sed iam cohibe te à lachrymis, & ſtringe animum. Multũ omnino fleuiſti, & hoc omnino morbus iſte pectoris tui grauiter accipit. A. Modum vis habere lachrymas meas, cum miſeriæ meæ modũ non videã: aut valetudinem corporis conſiderare me iubes, cum ego ipſe tabe cõfectus ſim? Sed quæſo te ſi quid in me vales, vt me tentes per aliqua compẽdia ducere, vt vel vicinitate nõnulla lucis illius, quam ſi quid profeci tolerare iam poſſum, pigeat me oculos referre ad illas tenebras, quas reliqui, ſi tamen relictæ dicendæ ſunt, quæ cæcitati meæ adhuc blandiri audent. R. Concludamus ſi placet, hoc primũ volumen, vt iam in ſecundo aliquam quæ commoda occurrerit aggrediamur viam. Non enim huic affectioni tuæ à moderata exercitatione ceſſandum eſt. A. Non ſinam omnino con- CAP. XV. *Anima quomodo cognoſcatur.* cludi hunc libellum, niſi mihi modicum quo intẽtus ſim de vicinia lucis aperueris. R. Gerit tibi ille medicus morem. Nam neſcio quis me quo te ducã fulgor inuitat & tangit. Itaq; accipe intentus. A. Duc oro te, ac rape quò vis. R. Animam te certè dicis, & Deũ velle cognoſcere? A. Hoc eſt totum negotium meũ. R. Nihil ne amplius? A. Nihil prorſus. R. Quid? Veritatem non vis comprehẽdere? A. Quaſi verò poſſim hæc niſi per illam cognoſcere. R. Ergo prius ipſa cognoſcenda eſt per quam poſſunt illa cognoſci. A. Nihil abnuo. R. Primo itaque illud videamus, cum duo verba ſint veritas & verum, vtrum tibi etiam res duæ iſtis verbis ſignificari, an vna videatur? A. Duæ res videntur: nam vt aliud eſt caſtitas, aliud caſtum, & multa in hũc modũ, ita credo aliud eſſe veritatẽ, & aliud quod verum dicitur. R. Quid horũ duorum putas eſſe prętãtius? A. Veritatem opinor. Non enim caſto caſtitas, ſed caſtitate fit caſtũ: ita etiam ſi quid verũ eſt, veritate vtiq; verum eſt. R. Quid cum caſtus aliquis moritur, cenſes mori etiam caſtitatẽ? A. Nullo modo. R. Ergo cum interit aliquid quod verũ eſt, non interit veritas. A. Quomodo autem interit aliquid verum? Non enim video. R. Miror te iſtud quærere: nónne ante oculos noſtros millia rerum videmus interire? Niſi fortè putas hanc arboré, aut eſſe arborem, ſed veram non eſſe, aut certè interire non poſſe. Quamuis enim nõ credas ſenſibus, poſſisq; reſpondere, ignorare te prorſus, vtrum arbor ſit, tamen illud non negabis (vt opinor) veram eſſe arborem, ſi arbor eſt: non enim hoc ſenſu, ſed intelligentia iudicatur. Si enim falſa arbor eſt, nõ eſt arbor: ſi autem arbor eſt, vera ſit neceſſe eſt. A. Cõcedo iſtud. R. Quid illud alterum: nónne concedis hoc genus rerum eſſe arborem, quod naſcatur & intereat? A. Negare non poſſum. R. Concluditur, ergo aliquid quod verum ſit interire. A. Non contrauenio. R. Quid illud? Nónne

Nónne tibi videtur intereuntibus rebus veris veritatem non interire, vt non mori casto mortuo castitatem? A. Iam & hoc concedo,& magnopere quid moliaris,expecto. R. Ergo attende. A. Isthic sum. R. Veráne tibi videtur ista sententia, Quicquid est, alicubi esse cogitur? A. Nihil me sic ducit ad consentiendum. R. Fateris autem esse veritatem? A. Fateor. R. Ergo vbi sit, necesse est quæramus; nō est enim in loco; nisi fortè aut esse in loco aliquid aliud præter corpus, aut veritatem corpus esse arbitraris. A. Nihil horum puto. R. Vbinam igitur illam esse credis? Non enim nusquam est quam esse concedimus. A. Si scirem vbi esset, nihil fortasse amplius quærerem. R. Saltem vbi non sit, potes agnoscere? A. Si commemores, fortasse potero. R. Nō est certè in rebus mortalibus. Quicquid enim est, non potest manere, si nō maneat illud in quo est. Manere autem, etiam rebus veris intereuntibus, veritatē paulò antè concessum est. Non igitur est veritas in rebus mortalibus. Est autem veritas, & non est nusquā. Sunt igitur res immortales. Nihil autem verū in quo veritas non est. Conficitur itaq; non esse vera, nisi quę sunt immortalia. Et omnis falsa arbor, non est arbor, & falsum lignum non est lignum, & falsum argētum non est argentum, & omnino quicquid falsum est, nō est. Omne autem quod verum nō est, falsum est. Nulla igitur rectè dicuntur esse, nisi immortalia. Hanc tu tecum ratiunculam diligenter considera, ne quid tibi concedendum non esse videatur. Si enim rata est, totum negotium penè confecimus; quod in alio fortasse libro melius apparebit. A. Habeo gratiam, & ista mecum atque adeò tecum quando in silentio sumus, diligenter cauteq; retractabo, si nullæ se tenebræ immittant, suamq; etiam, quod vehementer formido, mihi faciant delectationem. R. Constanter Deo crede, eiq; te totum committe quantum potes. Noli esse velle quasi proprius & in tua potestate, sed eius clementissimi & vtilissimi Domini te seruum esse profitere. Ita enim te ad se subleuare non desinet, nihilq; tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiam si nescias. A. Audio, credo,& quantum possum obtempero, plurimumq; ipsum deprecor, vt plurimum possim, nisi quid fortè amplius à me desideras. R. Bene habet interim, facies post ea quicquid iam visus ipse †præcepit.

1. Retract. cap. 4.

Fiducia erga Deum.

al. fortè præceperit.

DIVI AVRELII AVGVSTINI SOLILOQVIORVM LIBER II.

CAPVT I. De immortalitate hominis.

SATIS intermissum est opus nostrum, & impatiens est amor, nec lachrymis modus fit, nisi amori detur quod amatur. Quare aggrediamur Librum secūdum. R. Aggrediamur. A. Credamus Deum affuturum. R. Credamus sanè, si vel hoc in potestate nostra est. A. Potestas nostra ipse est. R. Itaque ora breuissimè ac perfectissimè quantū potes. A. Deus semper idem, nouerim me, nouerim te: Oratum est. R. Tu qui vis te nosse, scis esse te? A. Scio. R. Vnde scis? A. Nescio. R. Simplicem te sentis, an ne multiplicem? A. Nescio. R. Moueri te scis? A. Nescio. R. Cogitare te scis? A. Scio. R. Ergo verum est cogitare te. A. Verum. R. Immortalem te esse scis? A. Nescio. R. Horum omnium quæ te nescire dixisti, quid scire prius mauis? A. Vtrum immortalis sim. R. Viuere igitur amas? A. Fateor. R. Quid cùm te immortalem esse didiceris, satísne erit? A. Erit id quidem magnum, sed id mihi paruū. R. Hoc tamen quod paruum est quantum gaudebis? A. Plurimum. R. Nihil iam flebis? A. Nihil omnino. R. Quid si ipsa vita talis esse inueniatur, vt in ea tibi nihil amplius quàm nosti nosse liceat, temperabis à lachrymis? A. Imò tantum flebo vt vita nulla sit. R. Non igitur viuere propter ipsum viuere amas, sed propter scire. A. Cedo conclusioni. R. Quid si eadem ipsa rerū scientia miserum faciat. A. Nullo id quidem pacto fieri posse credo. Sed si ita est, nemo esse beatus potest; non enim nunc aliunde sum miser, nisi rerum ignorantia. Quòd si & rerum scientia miserum facit, sempiterna miseria est. R. Iam video totum quod cupis: Nam quoniam neminem scientia miserum esse credis, ex quo probabile est vt intelligentia efficiat beatum: Beatus autem nemo nisi viuens, & nemo viuit qui nō est: Esse vis, viuere & intelligere, sed esse vt viuas, viuere vt intelligas. Ergo esse te scis, viuere te scis; intelligere te scis. Sed vtrum ista semper futura sint, an nihil horum futurum sit, an maneat aliquid semper, & aliquid intercidat, an minui & augeri hæc possint, cùm omnia mansura sint, nosse vis. A. Ita est. R. Si igitur probauerimus semper nos esse victuros sequetur etiam semper futuros. A. Sequetur. R. Restabit quærere de intelligendo. A. MANIFESTISSIMVM ordinem video atque breuissimum. R. Hic ergo esto nunc, vt interroganti cautè firmeque respondeas. Isthic sum. A. Si manebit semper mundus iste, verum est mundum semper mansurum esse? A. Quis hoc dubitet? R. Quid si non manebit? Nónne ita verum est mundū non esse mansurum? A. Nihil resisto. R. Quid cùm interierit, si interiturus est, nónne tunc id erit verum, mundum interisse? Nam quamdiu verum non est, mundum occidisse, nō occidit; repugnat igitur vt mundus occiderit, & verum non sit, mundū occidisse. A. Et hoc concedo. R. Quid illud? Videtúrne tibi verum aliquid esse posse, vt veritas non sit? A. Nullo modo. R. Erit igitur veritas, etiamsi mundus intereat. A. Negare non possum. R. Quid si ipsa veritas occidat, nónne verum erit veritatem occidisse? A. Et istud quis negat? R. Verum autem non potest esse, si veritas non sit. A. Iam hoc paulò antè concessi. R. Nullo modo igitur occidet veritas. A. Perge vt cœpisti, nam ista collectione nihil est verius. R. NVNC respondeas mihi vélim, vtrum tibi sentire anima videatur, an corpus? A. Anima videtur. R. Quid? Intellectus videtur tibi ad animam pertinere? A. Prorsus videtur. R. Ad solā, an ad aliquid aliud? A. Nihil aliud video præter animam, nisi Deum, vbi intellectum esse credam. R. Iam illud videamus. Si tibi quispiam istū parietem nō esse parietem, sed arborem diceret, quid putares? A. Aut eius sensum, aut meum falli, aut hoc nomine ab eo parietem vocari. R. Quid si & illi species arboris in eo appareat, & tibi parietis, nónne poterit vtrumque verum esse? A. Nullo modo: quia vna eademq; res & arbor & paries esse non potest. Quāuis enim singulis nobis singula esse videantur, necesse est vnū nostrūm imaginationē falsam pati. R. Quid si nec paries nec arbor est, & ambo fallimini. A. Potest id quidē. R. Hoc ergo vnū superiùs prętermiseras. A. Fateor. R. Quid si agnoscatis aliud vobis videri quàm est? nūquid nam fallimini? A. Non. R. Potest igitur & falsum esse quod videtur, & non falli cui videtur? A. Potest. R. Confitendum est igitur non eum falli qui falsa videt, sed eum qui assentitur falsis. A. Planè confitendum. R. Quid ipsum falsum, quare falsum est? A. Quod aliter sese habet quàm videtur. R. Si ergo non sint quibus videatur, nihil est falsum. A. Sequitur. R. Non igitur est in rebus falsitas, sed in sensu; non autem fallitur qui falsis non assentitur: quare conficitur vt aliud simus nos, aliud sensus: siquidem cùm ipse fallitur, possumus non falli. A. Nihil habeo quod contradicam. R. Sed nunquid cùm anima fallitur, audes te dicere non esse falsum? A. Quo pacto istud audeam? R. At nullus sensus sine anima, nulla falsitas sine sensu. Aut operatur igitur anima, aut cooperatur falsitati. A. Trahunt

CAPVT II. Veritas perpetua.

CAPVT III. Animæ immortalitas.

præcedentia consensionem. R. Illud nunc respondе, A vtrum tibi videatur posse fieri, vt aliquando falsitas
Sophistica indictio. non sit? A. Quomodo mihi hoc videri potest, cùm tanta sit difficultas inueniendæ veritatis, vt absurdius dicatur falsitatem quàm veritatem esse nō posse? R. Nūquid nam arbitraris eum qui non viuit, posse sentire? A. Non potest fieri. R. Confectum est, animam semper viuere. A. Nimis citò vrges me in gaudia: pedetentim quæso. R. Atqui si rectè illa concessa sunt, nihil de hac re dubitandum video. A. Nimis citò est, inquam. Itaque facilius adducor, vt me temerè aliquid concessisse arbitrer, quàm vt iam securus de immortalitate animæ fiam. Tamen euolue istam conclusionem, & quomodo id effectum sit, ostende. R. Falsitatem dixisti sine sensu esse non posse, & eam non esse non posse: semper igitur est sensus. At nullus sensus sine anima: anima igitur sempiterna est. Nec valet sentire, nisi viCAPVT IIII. Sophisticatur & hic de vero & falso. uat. Semper igitur anima viuit. A. O plumbeum pugionem! Posses enim concludere hominem esse immortalem, si tibi concessissem nunquam i- B stum mundum esse posse sine homine, eumque mundum esse sempiternum. R. Bene quidem vigilas. Sed tamen non parum est quod confecimus, rerum naturam sine anima esse non posse, nisi fortè in rerum natura falsitas aliquando non erit. A. Istud quidem consequens esse confiteor. Sed iam amplius deliberādum censeo, vtrum superiùs concessa non nutent. Non enim paruum gradum ad animæ immortalitatem factum esse video. R. Satis ne consideraſti, ne quid temerè dederis? A. Satis quidem, sed nihil video quo me arguam temeritatis. R. Ergo confectum est, rerum naturam sine anima viua esse non posse. A. Confectum hactenus, vt possint vicissim aliæ nasci, aliæ mori. R. Quid si de natura rerum falsitas auferatur, nónne fiet vt vera sint omnia? A. Consequi video. R. Respondе vnde tibi videatur paries iste verus esse. A. Quia eius non fallor aspectu. R. Ergo quia ita est vt videtur. A. Etiam. R. Si igitur aliquid inde falsum est, quod aliter videtur atque est, inde verum quod ita vt est videtur, ablato eo, cui videtur, nec falsum quicquam, nec verum est. At si falsitas in rerum natura nō sit, vera sunt omnia. Nec videri quicquam nisi viuenti animæ potest. Manet igitur anima in rerum natura, si auferri falsitas non potest, manet si potest. A. Video robustius quidem esse factum quod iam conclusum erat, sed nihil hac adiectione promouimus. Nihilominus enim manet illud quod plurimum me mouet, nasci animas & interire, atque vt non desint múdo, non earum immortalitate, sed successione prouenire. R. Videntúrne tibi quæque corporea, id est sensibilia, intellectu posse comprehendi? A. Non videntur. R. Quid illud? Videtur tibi sensibus vti Deus ad res cognoscendas? A Nihil audeo de hac re temerè affirmare, sed quātum coniicere datur, nullo modo Deus vtitur sensibus. R. Ergo concludimus non sentire posse nisi animam. A. Conclude interim quantū probabiliter licet. R. Quid illud? Das ne istum parietem, si verus paries non sit, non esse parietem? A. Nihil hoc facilius dederim. R. Neque quicquam si verum corpus non sit, corpus esse? A. Tale etiam hoc est. R. Ergo si nihil verum est, nisi ita sit, vt videtur, nec quicquam corporeum videri nisi sensibus potest, nec sentire nisi anima, nec si verū corpus nō sit, corp⁹ esse, restat vt corpus esse nō possit, nisi anima fuerit. A. Nimis vrges, & quid resistánō habeo. CAP. V. Verum quid sit. R. ATTENDE in ista diligētiùs. A. En adsum. R. Certè hic lapis est. Et ita verus est, si non se habet aliter ac videtur, & lapis non est, si verus non est, & nō nisi sensibus videri potest. A. Etiam. R. Non sunt igitur lapides in abditissimo terræ gremio, nec omnino vbi non sunt qui sentiant: nec iste lapis esset, nisi eum videremus, nec lapis erit cùm discesserimus, nemoq; alius eum præsens videbit. Nec si loculos bene claudas, quamuis multa in eis incluseris, aliquid habebūt. Nec prorsus ipsum lignum intrinsecus lignum est. Fugit enim omnes sensus quicquid in altitudine est corporis minimè perlucentis, quod non esse omnino cogitur. Etenim si esset, verum esset: nec verum quicquam est, nisi quod ita est vt videtur: illud autem non videtur, non est igitur verum, nisi quid habes ad hæc quod respondeas. A. De iis quidem quæ concessi, hoc natum esse video: sed absurdum ita est, vt quicquid vis illorum facilius negem, quàm hoc verum esse cōcedam. R. Nihil repugno. Vide ergo quid dicere velis: corporea nisi sensibus videri posse, an sentire nisi animam, an esse lapidem vel quid aliud, sed verum nō esse, an ipsum verum aliter esse definiēdum. A. Isthuc ipsum, oro te, vltimum videamus. R. Defini ergo verum. A. Verum est quod ita se habet vt cognitori videtur, si velit possitque cognoscere. R. Non erit igitur verum quod nemo potest cognoscere? Deinde si B falsum est, quod aliter quàm est, videtur: quid si alteri videatur hic lapis, lapis, alteri lignum eadem res & falsa & vera erit? A. Illud me magis superiùs mouet, quomodo si quid cognosci non potest, eò fiat vt verum non sit. Nam quod simul vna res, & vera & falsa est, non nimis curo. Etenim video vnam rem diuersis comparatam simul, & maiorem & minorem esse. Sed ex eo istud contingit, quòd nihil per se maius aut minus est. Comparationis enim sunt ista nomina. R. At si dicis, nihil esse verum per se, non times ne sequatur, vt nihil sit per se. Vnde enim lignum est hoc, inde etiam verum lignū est. Nec fieri potest vt per seipsum, id est sine cognitore lignum sit, & verum lignum non sit. A. Ergo illud dico & sic definio, nec vereor ne definitio mea ob hoc improbetur, quòd nimis breuis est. Nam verum mihi videtur esse id quod est. R. Ni- *Verum est, quicquid est.* hil ergo erit falsum, quia quicquid est, verum est. A. C In magnas angustias me coniecisti, nec inuenio prorsus quid respondeam. Ita fit, vt cùm aliter doceri nolim quàm istis interrogationibus, verear iam tamen interrogari. R. DEVS cui nos commisimus, CAPVT VI. *Vnde falsitas, & vbi.* sine dubitatione fert opem, & de his angustiis liberat nos, modò credamus, & eum rogemus deuotissimè. A. Nihil planè libētius hoc loco fecerim, nam nusquam tantam caliginem pertuli. Deus pater noster, qui vt oremus hortaris, qui & hoc quod rogaris præstas. Siquidem cùm te rogamus, meliùs viuimus, melioresq; sumus: exaudi me palpitantem in his tenebris, & mihi dexteram porrige. Prætende mihi lumen tuum, reuoca me ab erroribus, vt te duce in me redeam & in te: Amen. R. Hic esto quantum potes, & vigilantissimè attende. A. Dic quæso, si quid tibi suggestum est, ne pereamus. R. Hic esto. A. Ecce habes me nihil aliud agentem. R. Prius quid sit falsum, etiam atque etiam ventilemus. A. Miror si quicquam aliud erit, quàm D quod non ita est vt videtur. R. Attende potius, & ipsos sensus prius interrogemus. Nam certè quod oculi vident, non dicitur falsum, nisi habeat aliquam similitudinem veri. Vt verbi causa, homo quem videmus in somnis, non est vtique verus homo, sed falsus, eo ipso quòd habet veri similitudinem. Quis enim canem videat, & rectè se dicat hominem somniasse? Ergo & ille falsus canis est, ex eo quòd similis vero est. A. Ita est vt dicis. R. Quid, vigilans quisque si viso equo putet se hominem videre, nónne eo fallitur quòd ei appareat aliqua hominis similitudo? Nam si nihil ei appareat, nisi equi species, non potest arbitrari sese hominem videre. A. Prorsus cedo. R. Dicimus item falsam arborem quam pictam videmus, & falsam faciem quæ de speculo redditur, & falsum turrium motum nauigantibus, falsamq; infractionem remi, ob aliud nihil, nisi quòd verisimilia sunt. A. Fateor. R. Ita & in gemmis

fallimur,

fallimur, ita in ouis, ità in ſingulis ſigillis vno annulo impreſſis, & in cæteris talibus. A. Sequor omnino atque concedo. R. Similitudo igitur rerum quæ ad oculos pertinet, mater eſt falſitatis. A. Negare nõ poſſum. R. Et hæc omnis ſylua, niſi me fallit, in duo genera diuidi poteſt. Nam partim æqualibus in rebus, partim verò in deterioribus eſt. Æqualia ſunt, quando tam hoc illi quàm illud huic ſimile eſſe dicimus, vt de gẽmis dictum eſt, vel de impreſſionibus annuli: in deterioribus autem quando illud quod deterius eſt, ſimile eſſe dicimus meliori. Quis enim in ſpeculum attendat & rectè dicat ſe eſſe illi imagini ſimilem, ac nõ potius illam ſibi? Hoc autem genus partim eſt in eo quod anima patitur, partim verò in iis rebus quæ videntur. Sed ipſum quod anima patitur, aut in ſenſu patitur, vt turris motum qui nullus eſt: aut apud ſeipſam ex eo quod accepit à ſenſibus, qualia ſunt viſa ſomniantium, & fortaſſis etiam furentium. Porrò illa quæ in ipſis rebus quas videmus apparent, alia à natura, cætera ab animantibus exprimuntur atque fingũtur. Natura gignẽdo vel reſultando ſimilitudines deteriores facit. Gignendo, cùm parentibus ſimiles naſcũtur: reſultando, vt de ſpeculis †cuiuſcemodi. Quãuis enim pleraq; ſpecula homines faciant, non tamen ipſi effingunt eas quæ redduntur imagines. Iam verò animantium opera ſunt in picturis, & in huiuſcemodi quibusque figmentis: in quo genere includi etiam illa poſſunt, ſi tamen fiunt, quæ dæmones faciũt. Vmbræ autem corporum, quia non nimis ab ſe abſunt vt corporibus ſimiles, & quaſi falſa corpora dicãtur, nec ad oculorum iudicium pertinere negandæ ſunt, in illo eas genere poni placet, quod reſultãdo à natura fit. Reſultat enim omne corpus lumini obiectum, & in contraria parte vmbram reddit. An tibi aliquid contradicendum videtur? A. Mihi verò nihil. Sed quónam iſta tendant, vehementer expecto. R. Itaque oportet patienter feramus, donec nobis cæteri ſenſus renuncient in veriſimilitudine habitare falſitatem. Nam & in ipſo auditu totidem ferè genera veniunt ſimilitudinum: veluti cùm loquentis vocem quem non videmus audientes, putamus alium quempiam, cui voce ſimilis eſt: atque in deterioribus vel echo teſtis eſt, vel tinnitus ille ipſarum aurium, vel in horologiis, merulæ aut corui quædam imitatio, vel quæ ſibi ſomniantes aut furentes videntur audire. Falſæ autem voculæ quæ dicuntur à muſicis, incredibile eſt quantum atteſtantur veritati, quod pòſt apparebit; tamen etiam ipſæ, quod ſat eſt nunc, non abſunt ab earum ſimilitudine quas veras vocant. Sequeris hæc? A. Et libentiſſimè. Nam nihil laboro vt intelligam. R. Ergo ne moremur: videtúrne tibi aut lilium à lilio poſſe odore, aut mel †thyminum à melle †thymino de diuerſis aluearijs ſapore, aut mollitudo plumarum cygni ab anſeris tactu facilè diiudicari? A. Non videtur. R. Quid cùm talia nos vel olfacere, vel guſtare, vel tangere ſomniamus, nónne ſimilitudine imaginum eo deteriore quo inaniore decipimur? A. Verum dicis. R. Ergo apparet nos in omnibus ſenſibus ſiue æqualibus, ſiue in deterioribus rebus, aut ſimilitudine lenocinante falli, aut etiam ſi non fallimur ſuſpendentes conſenſionem, ſeu differentiam dignoſcentes, tamen eas res falſas nominare quas veriſimiles deprehendimus. A. Dubitare non poſſum.

CAPVT VII. De vero & ſimili.

R. NVNC attende, dum eadem rurſum recurrimus, quo fiat apertius quod conamur oſtendere. A. Eloquere quod velis. Nam ego circumitum iſtum ſemel ſtatui tolerare, neque in eo defatiſcar ſpe tantum perueniendi, quò nos tendere ſentio. R. Bene facis. Sed attende vtrum tibi videatur cùm oua ſimilia videamus, aliquod eorum falſum eſſe rectè nos poſſe dicere. A. Nullo modo videtur. Omnia enim ſi oua ſunt, vera oua ſunt. R. Quid cùm de ſpeculo reſultare imaginem videmus, quibus ſignis falſam eſſe comprehendimus? A. Scilicet quod nõ tenetur, non ſonat, non per ſe mouetur, non viuit, & cæteris innumerabilibus, quæ proſequi longum eſt. R. Video te nolle immorari, & properationi tuæ mos gerendus eſt. Itaque ne ſingula repetam, ſi & illi homines quos videmus in ſomnis, viuere, loqui, teneri à vigilantibus poſſent, nihilque inter ipſos differret, & eos quos expergefacti ac ſani alloquimur & videmus, nunquidnam eos falſos diceremus? A. Quo pacto iſtud rectè diceretur? R. Ergo ſi eo veri eſſent quo veriſimillimi apparerent, nihilque inter eos, & veros omnino diſtaret, eoque falſi quod per illas vel alias differentias diſſimiles conuincerentur, nónne ſimilitudinem veritatis matrem, & diſſimilitudinem falſitatis eſſe fatendum eſt? A. Non habeo quid dicam, & pudet me tam temerariæ conſenſionis meæ ſuperioris. A. Ridiculum eſt ſi te pudet, quaſi non ob idipſum elegerimus huiuſmodi ſermocinationes: quæ quoniam cùm ſolis nobis loquimur, Soliloquia vocari & inſcribi volo, nouo quidem & fortaſſe duro nomine, ſed ad rem demonſtrandam ſatis idoneo. Cùm enim neque melius queri veritas poſſit, quàm interrogando & reſpondendo, & vix quiſquam inueniatur, quem non pudeat conuinci diſputãtem, eoq; penè ſemper eueniat, vt rem bene inductam ad diſcutiendum inconditus peruicaciæ clamor explodat, etiam cum laceratione animorum plerũque diſſimulata, interdum & aperta, pacatiſſimè, vt opinor, & commodiſſimè placuit, vt à meipſo interrogatum, mihique reſpondentem Deo adiuuante verum quærerem: quare nihil eſt quod vereare, ſicubi te temerè illigaſti, redire atque reſoluere: aliter hinc enim euadi nõ poteſt.

CAPVT VIII. Vnde verum aut falſum.

A. RECTE dicis, ſed quid malè cõceſſerim non planè video: niſi fortè id rectè dici falſum, quod habeat aliquam veriſimilitudinem, cùm prorſus mihi nihil aliud dignum falſi nomine occurrat: & rurſus tamen cogor fateri eo falſa vocari quæ vocantur, quo à veris differunt. Ex quo conficitur eam ipſam diſſimilitudinem cauſam eſſe falſitatis. Itaque cõturbor: Non enim mihi facilè quicquam venit in mentem, quod contrariis cauſis gignatur. R. Quid ſi hoc vnum eſt in rerum natura genus, & ſolum quod ita ſit? An ignoras cùm per animalium innumerabilia genera cucurreris, ſolum crocodilum inueniri, qui ſuperiorem in mandendo partem moueat, præſertim cùm penè reperiri nihil queat ita cuique rei ſimile, vt non in aliquo etiam diſſimile ſit? A. Video quidem iſta, ſed cùm conſidero illud quod falſum vocamus, & ſimile aliquid habere veri & diſſimile, ex qua potius parte meruerit falſi nomen, non valeo diſcernere. Si enim ex eo quod diſſimile eſt, dixero, nihil erit quod non falſum dici poſſit: nihil enim eſt, quod non alicui rei diſſimile ſit, quam veram eſſe concedimus. Item ſi dixero eo quòd ſimile eſt, falſum appellandum, non ſolum oua illa reclamabunt quæ vera eo ipſo ſunt quo ſimillima, ſed etiam ſic non effugiam eum qui me coëgerit falſa eſſe omnia confiteri, quòd omnia ſibi ex aliqua parte ſimilia eſſe negare non poſſum. Sed fac me non metuere illud reſpondere, ſimilitudinem ac diſſimilitudinem ſimul efficere, vt aliquid falſum rectè nominetur, quam mihi euadendi viam dabis? Inſtabitur enim nihilominus vt omnia falſa eſſe renunciem, quippe omnia ſibimet, vt ſuprà dictum eſt, & ſimilia quadam ex parte, & diſſimilia reperiuntur. Reſtaret vt nihil aliud falſum eſſe dicerem, niſi quod aliter ſe haberet atq; videretur, ni vererer illa tot mõſtra, quæ me dudum enauigaſſe arbitrabar. Nam eò rurſum repellor vertigine inopinata, vt verum id eſſe dicam, quod ita ſe habet vt videtur. Ex quo conficitur ſine cognitore nihil verũ eſſe poſſe: vbi mihi naufragium

Pro cuiuſcuiuſmodi.

Virgil. Redolentq; thymo fragrãtia mella.

Al. Hymettinum, & Hymettino, à monte Hymetto. ſed altera lectio magis probatur.

Crocodilus.

I. Retract. cap. 4. Soliloquia cur dicta.

fragium in scopulis occultissimis formidandum est, qui veri sunt etiam si nesciantur. Aut si verum esse id quod est dixero, falsum non esse vspiam concludetur quouis repugnante. Itaq; redeunt illi æstus, nec quicquam tanta patientia morarum tuarum processisse me video. R. ATTENDE potius, nam nullo modo in animum inducam frustra nos auxilium diuinum implorasse. Video enim tentatis quantum potuimus omnibus rebus, non remansisse quod falsum iure dicatur, nisi quod aut se fingit esse quod nō est, aut omnino esse tendit & nō est. Sed illud superius falsi genus, vel fallax etiam, vel mendax est. Nam fallax id rectè dicitur, quod habet quendam fallendi appetitum, qui sine anima intelligi non potest; sed partim ratione fit, partim natura. Ratione, in animalib⁹ rationalibus, vt in homine: natura in bestiis, tanquam in vulpecula. Illud autem quod mendax voco, à mentientibus fit. Qui hoc differunt à fallacibus, quòd omnis fallax appetit fallere: non autem omnis vult fallere, qui mentitur: nam & mimi & comœdiæ & multa poëmata mendaciorum plena sunt, delectandi potius quàm fallendi voluntate, & omnes ferè qui iocantur, mentiuntur. Sed fallax vel fallens, is rectè dicitur, cuius negotium est vt quisque fallatur. Illi autem qui non id agunt vt decipiant, sed tamen aliquid fingunt, vel mendaces tantùm, vel sine hoc quidem, mentientes tamē vocari nemo ambigit. Nisi quid habes aduersus ista quod dicas. A. Perge quæso: nunc enim fortasse, de falsis non falsa docere cœpisti: sed iā illud genus expecto quale sit quod dixisti, Esse tendit, & non est. R. Quid ni expectes? Eadem illa sunt quorum multa suprà memorauimus. An non tibi videtur imago tua de speculo quasi tuipse velle esse, sed ideo esse falsa, quod nō est? A. Valde hoc videtur. R. Quid omnis pictura vel cuiuscemodi simulacrum, & id genus omnia opificum, nónne illud esse contendunt, ad cuius quidque similitudinem factum est? A. Prorsus adducor. R. Iam ea quibus vel dormientes vel furentes falluntur, concedis, vt opinor, in eo esse genere. A. At nulla magis tendunt talia esse qualia vel vigilantes vel sani cernunt, & eo tamen falsa sunt, quo id quod tendunt esse non possunt. R. Quid iam de turrium motu, vel de mersо remo, vel de vmbris corporum plura dicam? Planum est, vt arbitror, ex hac regula esse metienda. A. Planissimum. R. Taceo de cæteris sensibus, nam nemo considerans non hoc inueniet, falsum appellari in rebus ipsis quas sentimus, quod esse aliquid tendit & nō est.

CAPVT IX. *Quid falsum, quid fallax, & quid mendax.*

Fallax quid.

Mendax quid sit, & mentiens.

A. RECTE dicis: sed miror cur ab hoc genere tibi secernenda illa poëmata & ioca visa sunt, cæteræque fallaciæ. R. Quia scilicet aliud est falsum esse velle, aliud verum esse nō posse. Itaque ipsa opera hominum velut comœdias aut tragœdias, aut mimos, & id genus alia possumus operibus pictorum fictorumq; coniungere. Tam enim verus esse pictus homo non potest, quamuis in speciem hominis tendat, quàm illa quæ scripta sunt in libris Comicorum. Neque enim falsa esse volunt, aut vllo appetitu suo falsa sunt, sed quadā necessitate quātum fingentis arbitrium sequi potuerunt. At verò in scena Roscius voluntate falsa Hecuba erat, natura verus homo, sed illa voluntate etiam verus tragœdus, eo videlicet quo implebat institutū: falsus autem Priamus, eò quòd Priamum assimilabat, sed ipse nō erat. Ex quo iam nascitur quiddā mirabile, quod tamē ita se habere nemo ambigit. A. Quid nam id est? R. Quid putas, nisi hæc omnia inde esse in quibusdam vera, vnde in quibusdam falsa sunt, & ad suū verū hoc solum eis prodesse, quòd ad aliud falsa sunt? Vnde ad id quod esse, aut volunt aut debēt, nullo modo perueniunt, si falsa esse fugiunt. Quo pacto enim iste quem cōmemoraui, verus tragœdus esset, si nollet esse falsus Hector, falsa Andromache, falsus Hercules, & alia innumera? Aut vnde vera pictura esset, si falsus equus non esset? Vnde in speculo vera hominis imago, si nō falsus homo? Quare si quibusdam vt verum aliquid sint, prodest vt sint aliquid falsum, cur tā topere falsitates formidamus, & pro magno bono appetimus veritatem? A. Nescio, & multum miror, nisi quia in exemplis istis nihil imitatione dignum video. Non enim tanquam histriones, aut de speculis quæq; relucentia, aut tanquam Myronis bucula ex ære, ita etiam nos vt in nostro quodam habitu veri simus, ad alienum habitum adumbrati atque assimilati, & ob hoc falsi esse debemus: sed illud verum quærere, quod non quasi bifronte ratione sibique aduersanti, vt ex aliqua parte verum sit, ex aliquā falsum est. R. Magna & diuina quædam requiris. Quæ tamen si inuenerimus, nónne fatebimur his ipsam cōfici, & quasi conflari veritatem, à qua denominatur omne quod verū quoquo modo nominatur? A. Non inuitus assentior.

Myro fusilius signorum artifex.

CAPVT XI. *Disciplinarū ventas.*

R. QVID tibi ergo videtur? Disciplinā disputandi, verane an falsa est? A. Quis dubitet veram? Sed vera est etiam grammatica. R. Itáne vt illa? A. Non video quid sit vero verius. R. Illud profectò quod nihil falsi habet: quod intuens paulò antè offendebare ex iis rebus, quæ nescio quomodo, nisi falsæ essent, veræ esse non possent. An ignoras, omnia illa fabulosa & apertè falsa ad grammaticam pertinere? A. Non ignoro istud quidem, sed, vt opinor, non per grammaticam falsa sunt, sed per eam qualiacunque sunt demonstrātur. Siquidem est fabula compositum ad vtilitatem delectationémue mendacium. Est autem grammatica vocis articulatæ custos & moderatrix disciplina: cuius professionis necessitate cogitur humanę linguę omnia etiam figmenta colligere, quæ memoriæ literisque mandata sunt, non ea falsa faciens, sed de his veram quandam docens asserensque rationem. R. Rectè sanè: nihil nunc curo, vtrum abs te ista bene definita atque distincta sint. Sed illud quæro, vtrum hoc ita esse ipsa grammatica, an verò illa disciplina disputationis ostendat? A. Non nego vim peritiamque definiendi, qua nunc ego ista separare conatus sum disputatoriæ arti tribui. R. Quid ipsa grammatica, nónne si vera est, eo vera est quò disciplina est? Disciplina enim à discendo dicta est. Nemo autem quæ didicit ac tenet, nescire dici potest, & nemo scit falsa. Omnis ergo vera est disciplina. A. Non video quidem quid in ista ratiuncula temerè concedatur. Mouet me tamen ne per istam cuipiam videatur etiam illas fabulas veras esse, nam & has discimus & tenemus. R. Nunquid nam magister noster nolebat nos credere quæ docebat & nosse? A. Imò vehemēter vt nossemus instabat. R. Nunquid aliquando instituit vt Dædalum volasse crederemus? A. Hoc quidem nunquam. Sed planè nisi teneremus fabulam, vix nos posse aliquid manibus tenere faciebat. R. Tu ergo negas verum esse quòd ista fabula sit, & quòd ita sit Dædalus diffamatus? A. Hoc non nego verum esse. R. Non negas ergo te didicisse verum cùm ista didiceris. Nam si volasse Dædalum verum est, & hoc pueri pro ficta fabula acciperent atque redderent, eo ipso falsa retinerent, quo vera essent illa quæ redderent. Hinc enim extitit illud quod superiùs mirabamur, de volatu Dædali veram fabulam esse non potuisse, nisi Dædalum volasse falsum esset. A. Iam teneo istud, sed quid ex eo proficiamus expecto. R. Quid, nisi non esse falsam illam rationem, qua collegimus, disciplinam, nisi vera doceat, disciplinam esse non posse? A. Et hoc quid ad rem? R. Quia volo dicas mihi, vnde sit disciplina grammatica: inde enim vera est, vnde disciplina est. A. Nescio quid tibi respōdeam. R. Nónne tibi videtur, si nihil in ea definitum esset, & nihil in genera & partes distributum atque distinctum, eā nullo modo disciplinam esse potuisse?

Fabula quid. Quid sit grāmatica.

CAP. X. *An vtilis sit falsitas.*

Comicorum libri.

A. Iam

A. Iam intelligo quid dicas, nec vlla mihi occurrit cuiusuis facies disciplinæ, in qua non definitiones ac diuisiones ac rationes & ratiocinationes, dū quid quidque sit declaratur, dum sine confusione partium sua cuique reddūtur, dum nihil prętermittitur proprium, nihil annumeratur alienum, totum hoc ipsum quod disciplina dicitur egerint. R. Ergo & totum hoc ipsum quoque vera dicitur. A. Video consequi. R. Responde nunc quæ disciplina contineat definitionum, diuisionum, partitionumq; rationes. A. Iam superiùs dictum est, hæc disputandi regulis contineri. R. Grammatica igitur eadem arte creata est, vt disciplina, & vt vera esset, quæ est abs te superiùs à falsitate defensa. Quod non de vna grammatica mihi licet concludere, sed prorsus de omnibus disciplinis. Nam dixisti, vereque dixisti, nullam disciplinam tibi occurrere, in qua non definiēdi ius atq; distribuēdi idipsum vt disciplina sit, fecerit. At si eo veræ sunt, quo disciplinæ, negabítne quispiam, veritatem ipsam esse per quam omnes veræ sunt disciplinæ? A. Propè est omnino vt assentiar. Sed illud me mouet, quòd etiam rationem disputandi inter easdem disciplinas numeramus. Quare illam potius existimo esse veritatem, qua & ista ipsa ratio vera est. R. Optimè omnino ac vigilantissimè. Sed non negas, vt opinor, eo veram esse quo disciplina est. A. Imò idipsum est quod me mouet. Aduerti enim etiam ipsam disciplinam esse, & ob hoc veram dici. R. Quid ergo? Istam putas aliter disciplinam esse potuisse, nisi omnia in ea definita essent & distributa? A. Nihil aliud habeo quod dicam. R. At si ad eam pertinet hoc officium, per seipsam disciplina vera est. Quisquámne igitur mirum putabit, si ea quæ vera sunt, omnia ab ipsa vera sunt, si & ipsa sit veritas? A. Nihil mihi obstat, quo minus rectè perganr in istam sententiam. R. Ergo attende pauca quæ restant. A. Profer si quid habes modo tale sit quod intelligam, libēterque concedam. R. Esse aliquid in aliquo, non nos fugit duobus modis dici. Vno quo ita est, vt etiam seiungi atque alibi esse possit, vt hoc lignum in hoc loco, vt sol in Oriente. Altero autem quo ita est aliquid in subiecto, vt ab eo nequeat separari, vt in hoc ligno forma & species quam videmus, vt in sole lux, vt in igne calor, vt in animo disciplina, & si qua sunt talia. An tibi aliter videtur? A. Ista quidē vetustissima sunt nobis, & ab ineunte adolescentia studiosissimè percepta & cognita. Quare non possum de his interrogatus, quin ea sine vlla deliberatione cōcedam. R. Quid illud? Nónne concedis, quod in subiecto est inseparabiliter, si subiectum ipsum non maneat, manere non posse? A. Hoc quoque video necessarium: nam manente subiecto, posse id quod in subiecto est non manere, quisquis diligenter res aduertit intelligit. Siquidem huius corporis color potest vel valetudinis ratione vel ætate immutari, cùm ipsum corpus necdum interierit. Et hoc non peræquè in omnibus valet, sed in his in quibus nō, vt sint ipsa subiecta ea quæ in subiectis sunt, coëxistunt. Non enim vt sit iste paries, hoc colore fit quem in eo videmus, cùm etiam si quo casu nigrescat aut albescat, vel aliquem alium mutet colorem, nihilominus tamen maneat paries ac dicatur. At verò ignis si calore careat, nec ignis quidē erit: nec niuē vocare nisi candidā possumus. Illvd verò quod interrogasti quis concesserit, aut cui posse fieri videatur, vt id quod in subiecto est, maneat ipso intereunte subiecto? Monstruosum enim & à veritate alieniissimum est, vt id quod non esset nisi in ipso esset, etiam cùm ipsum non fuerit possit esse. R. Illud igitur quod quærebamus inuentum est. A. Quid narras? R. Id quod audis. A. Iámne ergo liquidò constat animum esse immortalem? R. Si ea quæ concessisti vera sunt, liquidissimè: nisi fortè animum dicis etiamsi

Caput XII. *Quot modis quædam sint in alio.*

Caput XIII. *Immortalitas animæ colligitur.*

A moriatur animum esse. A. Nunquam equidem hoc dixerim, sed eoipso quo interit, fieri vt animus non sit, dico. Nec me ab hac sententia reuocat quod à magnis philosophis dictum est, eam rem quæ quocumque venerit vitam præstat, mortem in se admittere non posse. Quamuis enim lumen quocunque intrare potuerit faciat id lucere, tenebrasq; in se propter memorabilem illam vim contrariorum non possit admittere, tamen extinguitur, locusque ille extincto lumine tenebratur. Ita illud quod tenebris resistebat, neque vllo modo in se tenebras admisit, & sic eis intereundo locum fecit, vt poterat etiam discedendo. Itaque timeo ne mors ita contingat corpori, vt tenebræ loco, aliquando discedente animo vt lumine, aliquando autem ibidem extincto: vt iam non de omni morte corporis securitas sit, sed aliquod genus mortis sit optandum, quo anima ex corpore incolumis educatur, perducaturque ad locum, si est vllus talis locus, vbi non possit extingui. Aut si nec hoc quidem potest, atque in ipso corpore anima quasi lumen accenditur, nec alibi potest durare, omnisque mors est extinctio quædam animæ in corpore vel vitæ, aliquod genus eligendum est quantum homo sinitur, quo idipsum quod viuitur cum securitate ac tranquillitate viuatur, quanquam nescio quomodo istud possit si anima moritur. O multum beatos, quibus siue ab ipsis, siue abs quolibet, non esse metuendam mortem, etiāsi anima intereat, persuasum est. At mihi misero nullæ adhuc rationes, nulli libri persuadere potuerunt. R. Noli gemere, immortalis est animus humanus. A. Vndę hoc probas? R. Ex iis quæ cum magna cautione, vt arbitror, superiùs concessisti. A. Nihil quidem me minus vigilanter interroganti tibi memini dedisse: sed collige iam ipsam summam, oro te, videamus quò tantis ambagibus peruenerimus, nec mē iam interroges volo. Si enim ea breuiter enumeraturus es quæ concessi, quónam rursus responsio mea desideratur? An vt moras gaudiorum mihi frustra inferas, si quid boni fortè confecimus. R. Faciam quod te velle video, sed attende diligentissimè. A. Loquere iā, quid enecas? R. Omne quod in subiecto est, si semper manet, ipsum etiam subiectum maneat semper necesse est. Et omnis in subiecto est animo disciplina. Necesse est igitur semper animus maneat, si semper maneat disciplina. Est autem disciplina veritas, & semper, vt in initio libri huius Ratio persuasit, veritas manet. Semper igitur animus manet, nec anim⁹ mortuus dicitur. Immortalem igitur animum solus non absurdè negat, qui superiorum aliquid non rectè cōcessum esse conuincit.

Caput XIIII. *Excutitur superior syllogismus.*

A. Iam me volo in gaudia mittere, sed duabus aliquantum reuocor causis. Nam primum me mouet quòd circuitu tanto vsi sumus, nescio quam ratiocinationum catenam sequentes, cùm tam breuiter totum de quo agebatur, demōstrari potuerit, quod nunc demonstratum est. Quare me solicitum facit, quòd tam diu quasi ad insidiandū obambulauit ratiocinatio. Deinde non video quomodo in animo semper sit disciplina, prę sertim disputandi, cùm & tam pauci eius gnari sint, & quisquis eā nouit, tanto ab infantia tempore fuerit indoctus. Nō enim possumus dicere, aut imperitorum animos, non esse animos: aut esse in animo eam quam nesciant disciplinam. Quod si vehementer absurdum est, restat vt aut non semper in animo sit veritas, aut disciplina illa veritas non sit. R. Vides quàm non frustra tantos circuitus egerit nostra ratiocinatio. Quærebamus enim quid sit veritas, quod ne nunc quidem in hac sylua rerum omnibus penè callibus oberratis video nos inuestigare potuisse. Sed quid facimus? An incepta omittimus, & expectamus ecquid nobis librorum alienorum in manus incidat, quod huic quæstioni satisfaciat?

tisfaciat? Nam & multos ante noſtram ætatem ſcriptos eſſe arbitror, quos non legimus: & nunc vt nihil quod neſcimus opinemur, manifeſtum habemus, & carmine de hac re ſcribi, & ſoluta oratione: & ab iis viris quorum nec ſcripta latere nos poſſunt, & eorum ingenia talia nouimus, vt nos in eorum literis quod volumus, inuenturos deſperare non poſſimus, præſertim cùm hic ante oculos noſtros ſit ille, in quo ipſam eloquentiam quam mortuam dolebamus, perfectam reuixiſſe cognouimus. Ille ne nos ſinet, cum ſcriptis ſuis viuendi modum docuerit, viuendi ignorare naturam? A. Non arbitror equidem & multum inde ſpero, ſed vnum doleo quòd vel erga ſe, vel erga ſapientiam ſtudium noſtrum non ei vt volumus valemus aperire. Nam profectò ille miſereretur ſitim noſtram, & exundaret multo citius quàm nunc. Securus enim eſt, quòd ſibi iam totum de animæ immortalitate perſuaſit, nec ſcit aliquos eſſe fortaſſe, qui huius ignorationis miſeriam ſatis cognouerunt, & quibus præſertim rogantibus non ſubuenire crudele ſit. Ille autem alius nouit quidem pro familiaritate ardorem noſtrum, ſed ita longè abeſt, & ita nunc conſtituti ſumus, vt vix ad eum vel epiſtolæ mittendæ facultas ſit. Quem credo iam otio Tranſalpino perfeciſſe carmen quo mortis metus excantatus effugiat, & antiqua glacie duratus animæ ſtupor frigusque pellatur. Sed interim dum iſta proueniunt, quæ in noſtra poteſtate non ſunt, nónne turpiſſimum eſt perire otium noſtrum, & totum ipſum animum ex incerto arbitrio pendere deligatum? VBI eſt quod Deum & rogauimus & rogamus, vt nobis non diuitias, non corporis voluptates, non populares ſuggeſtus atque honores, ſed animam noſtram, ſeque ipſum quærentibus iter aperiat? Itáne nos deſeret, aut à nobis deſeritur? R. Alieniſſimum quidem ab ipſo eſt, vt eos qui talia deſiderant deſerat. Vnde à nobis quoque alienum eſſe debet, vt tantum ducem deſeramus. Quare ſi placet, repetamus breuiter, vnde illa duo confecta ſint, aut ſemper manere veritatem, aut veritatem *nor. eſſe diſputandi rationem. Hæc enim vacillare dixiſti, quo minus nos faciat totius rei ſumma ſecuros. An potius illud quæremus, quomodo eſſe poſſit in imperito animo diſciplina, quem non poſſumus non animum dicere? Hinc enim commotus videbare, vt de illis quæ conceſſeras, dubitare rurſus neceſſe fuerit. A. Imò diſcutiamus prius illa, deinde hoc quale ſit videbimus. Ita enim, vt opinor, nulla controuerſia remanebit. R. Ita fiat, ſed adeſto totus atque cautiſſimus. Scio enim quid tibi eueniat attendenti, dum nimis pendes in concluſionem, & vt iam iamque inferatur expectas, ea quæ interrogantur non diligenter examinata concedis. A. Verum fortaſſe dicis, ſed enitar contra hoc genus morbi quantum poſſum: modò iam tu incipe quærere, ne ſuperfluis immoremur. R. Ex eo quantum memini, veritatem non poſſe interire concluſimus, quod non ſolum ſi totus mũdus intereat, ſed etiam ſi ipſa veritas, verum erit & mundum & veritatem interiſſe. Nihil autem verum ſine veritate: nullo modo igitur interit veritas. A. Agnoſco iſta, & multum miror ſi falſa ſunt. R. Ergo illud alterum videamus. A. Sine me paululum conſiderare, oro te, ne huc iterum turpiter redeam. R. Ergóne interiſſe veritatem verum non erit? Si non erit verum, non ergo interit, ſed verum erit. Vnde poſt occaſum veritatis verum erit, cùm iam veritas nulla eſt. A. Nihil habeo quid plus cogitem atque conſiderem: perge ad aliud. R. Certè faciemus quantum poſſumus, vt docti atque prudentes viri legant hæc, & noſtram, ſi qua eſt, corrigant temeritatem: nam me nec modò nec aliquando arbitror quid contra hoc dicatur poſſe inuenire. Nunquídnam ergo dicitur veritas, niſi qua verum eſt quicquid verum eſt? A. Nullo modo. R. Nunquídnam rectè dicitur verum, niſi quod non eſt falſum? A. Hinc verò dubitare dementia eſt. R. Num falſum non eſt quod ad ſimilitudinem alicuius accommodatum eſt, neque id tamen eſt cuius ſimile apparet? A. Nihil quidem aliud video quod libentiùs falſum vocem. Sed tamen ſolet falſum dici, etiam quod à veri ſimilitudine longè abeſt. R. Quis negat? Sed tamen quod habeat ad verum nonnullam imitationem. A. Quomodo? Non enim cùm dicitur, iũctis alitibus anguibus Medeam volaſſe, vlla ex parte res iſta verum imitatur; quippe quæ nulla ſit, nec imitari aliquid poſſit ea res quæ omnino non ſit. R. Rectè dicis: ſed non attendis eam rem quæ omnino nulla ſit, nec falſam quidem poſſe dici. † Si enim falſum eſt, non eſt: ſi eſt, non eſt falſum. A. Non ergo dicemus illud de Medea, neſcio quod monſtrum, falſum eſſe. R. Non vtique: nam ſi factum eſt, quomodo falſum eſt? Si non eſt factum, quomodo monſtrum eſt? A. Miram rem video: itáne tandem cùm audio,

Angues ingentes alites iunctos iugo:

non dico falſum? R. Dicis planè. Eſt enim quod falſum eſſe dicas. A. Quid quæſo? R. Illam ſcilicet ſententiam quæ ipſo verſu enunciatur. A. Et quam tandem habet iſta imitationem veri? R. Quia ſimiliter enunciaretur etiamſi verè illud Medea feciſſet. Imitatur ergo ipſa enunciatione veras ſententias falſa ſententia. Quæ ſi non creditur, eo ſolo imitatur veras quod ita dicitur, eſtque tantum falſa, non etiam fallens. Si autem fidem impetrat, imitatur etiam creditas veras. A. Iam intelligo multum intereſſe inter illa quæ dicimus, & illa de quibus dicimus aliquid, quare iam aſſentior: nam hoc ſolo reuocabar, quicquid falſum dicimus non rectè dici, niſi habeat veri alicuius imitationem. Quis enim lapidem falſum argẽtum eſſe dicens non iure rideatur? tamen ſi quiſquam lapidem argentum eſſe dicat, dicimus falſum eum dicere, id eſt falſam proferre ſententiam. Stannum autem vel plumbum non abſurdè, vt opinor, falſum argentum vocamus, quòd id res ipſa velut imitatur: neque ex eo falſa eſt noſtra ſententia, ſed illud ipſum de quo enũciatur. R. BENE intelligis. Sed illud vide vtrum & argentum falſi plumbi nomine congruenter appellare poſſimus. A. Non mihi placet. R. Quid ita? A. Neſcio: niſi illud video, vehementer contra voluntatem meam dici. R. Num fortè propterea quòd argentum melius eſt, & quaſi in contumeliam eius dicitur: plumbi autem quidam velut honor eſt, ſi falſum argentum vocetur. A. Prorſus explicaſti quod volebam. Et ideo credo iure infames inteſtabilesq; haberi, qui muliebri habitu ſe oſtentant, quos neſcio vtrum falſas mulieres, an falſos viros melius vocem. Veros tamen hiſtriones, verosq; infames ſine dubitatione poſſumus vocare: aut ſi latent, nec infame quicquam niſi à turpi fama nominatur, veros nequam non ſine veritate dicimus, vt opinor. R. Alius locus nobis erit de iſtis rebus differendi: multa enim fiunt, quæ quaſi facie populari turpia videntur, aliquo tamen fine laudabili honeſta monſtrentur. Et magna quæſtio eſt, vtrum patriæ liberãdæ cauſa muliebri tunica indutus, debeat hoſtem decipere, hoc ipſo quo mulier falſa ſit, fortaſſe verior vir futurus. Et vtrum ſapiẽs qui aliquo modo certum habeat, neceſſariam fore vitam ſuam rebus humanis, malit emori frigore, quàm femineis veſtibus, ſi aliud nõ ſit, amiciri. Sed de hoc, vt dictum eſt, aliàs videbimus. Profectò enim cernis quantæ inquiſitionis indigeat, quatenus iſta progredi debeant, ne in quaſdam inexcuſabiles turpitudines decidatur. Nunc autem quod præſenti quæſtioni ſatis eſt, iam puto apparere, neque dubitari non eſſe falſum quicquam, niſi veri aliqua imitatione.

A. PRO-

CAP. XV. *Veri & falſi natura.*

† al. Si enim falſum eſt, eſt: ſi non eſt, falſum non eſt.

CAPVT XVI. *An meliora deteriorum nominibus vocari poſſint.*

An veſtis muliebris deceat virum.

CAPVT XVII. *Num quid ex omni parte falsum sit aut verum.*

A. PROFICISCERE ad reliqua: nam hoc mihi bene persuasum est. R. Ergo illud quæro, vtrum præter disciplinas quibus erudimur, & quibus etiam ipsum studium sapientiæ annumerari decet, possimus quicquam ita verum inuenire, quod non sicut theatricus Achilles ex aliqua parte falsum sit, vt ex alia verũ esse possit? A. Mihi videntur multa inueniri. Non enim disciplinæ istum habent lapidem, nec tamen vt verus sit lapis, imitatur aliquid secundum quod falsus dicatur. Quo vno commemorato, vides iam innumerabilibus supersedendum esse, quæ sponte occurrãt cogitantibus. R. Video prorsus. Sed nónne tibi videntur vno corporis nomine includi? A. Viderentur, si aut inane nihil esse certum haberem, aut ipsum animum inter corpora numerãdum arbitrarer, aut etiam Deum corpus aliquod esse crederem. Quæ omnia si sunt, & nullius imitatione falsa & vera esse video. R. In longũ nos mittis, sed vtar quantũ possum compendio. Certè enim aliud est quod inane appellas, aliud quod veritatem. A. Longè aliud. Quid enim me inanius, si veritatem inane aliquid puto, aut tantopere aliquid inane appeto. Quid enim aliud quàm veritatẽ inuenire desidero? R. Ergo & illud fortasse concedis, nihil verum esse quod non veritate fiat vt verum sit. A. Iam hoc olim manifestum est. R. Num dubitas nihil esse inane præter ipsum inane, aut certè corpus? A. Prorsus non dubito. R. Opinor ergo, veritatem corpus esse aliquod credis. A. Nullo modo. R. Quid in corpore? A. Nescio. R. Nihil ad rem: arbitror enim vel illud te scire: si est inane, magis illud esse vbi nullum sit corpus. A. Hoc sanè planum est. R. Quid igitur immoramur? An tibi aut veritas videtur feciſse inane, aut aliquid verũ esse vbi veritas non sit? A. Non videtur. R. Non est ergo inane verum, quia neque ab eo quod inane non est, inane fieri potest. Et quod veritate caret, verum non esse manifestum est. Et omnino ipsum quod inane dicitur, ex eo quod nihil sit dicitur. Quomodo igitur potest verum esse quod non est, aut quomodo potest esse quod penitùs nihil est? A. Age nunc inane tanquã inane deseramus. R. QVID de cæteris dicis? A. Quid nisi id quod vides mihi plurimum suffragari? Restat enim animus & Deus, quę duo si propterea vera sunt quòd in his est veritas, de immortalitate Dei nemo dubitat. Animus autem immortalis creditur, si veritas quæ interire non potest, etiam in illo esse probabitur. Quare iam illud vltimum videamus, vtrum corpus non sit verè verum, id est non in eo sit veritas, sed quasi quædam imago veritatis. Nam si & in corpore, quod satis certum est recipere interitũ, tale verum inuenerimus, quale est in disciplinis, non continuò erit disputandi disciplina veritas, qua omnes verę sunt disciplinæ. Verum est enim & corpus quod non videtur disputandi ratione esse formatum. Si verò & corpus imitatione aliqua verum est, & ob hoc non ad liquidũ verũ, nihil erit fortasse quod impediat disputandi rationem, quo minus ipsa veritas esse doceatur. Interim quæramus de corpore: nam ne hoc quidem cùm constiterit, video istam controuersiam terminatam. R. Vnde scis quid velit Deus? Itaque attẽde: nam ego puto corpus aliqua forma & specie contineri, quã si non haberet, corpus non esset: si veram haberet, animus esset. An aliter putandum est? A. Assentior in partem, de cætero dubito: nam nisi teneatur aliqua figura, corpus non esse concedo. Quomodo autem si eam veram haberet, animus esset, non satis intelligo. R. Nihil ne tãdem de primi libri exordio, & de illa tua geometrica recordaris? A. Bene commemoras: recordor prorsus, ac libentissimè. R. Talésne in corporibus figuræ inueniũtur, quales illa disciplina demonstrat? A. Imò incredibile est, quanto deteriores esse conuinceuntur. R. Quas ergo istarum veras putas? A. Ne quęso etiam istuc me interrogandũ putes. Quis enim mente tam cæcus est qui non videat, istas quæ in geometrica docentur habitare in ipsa veritate, aut in his etiam veritatem: illas verò corporis, siquidem quasi ad istas tendere videntur, habere nescio quam imitationem veritatis, & ideo falsas esse? Iam enim totũ illud quod ostendere moliebaris intelligo. R. QVID ergo iã opus est, vt de disciplina disputationis requiramus? Siue enim figuræ geometricæ in veritate, siue in eis veritas sit, anima nostra, id est intelligentia nostra contineri nemo ambigit, ac per hoc in nostro animo etiam veritas esse cogitur. Quòd si quælibet disciplina ita est in animo, vt in subiecto inseparabiliter, nec interire veritas potest, quid quæso de animi perpetua vita, nescio qua mortis familiaritate dubitamus? An illa linea vel quadratura vel rotũditas habent alia quę imitentur vt vera sint? A. Nullo modo id possum credere, nisi fortè aliud sit linea quàm longitudo sine latitudine, & aliud circulus quàm linea circũducta vndique ad medium æqualiter vergens. R. Quid ergo cunctamur? An vbi ista sunt, veritas non est? A. Auertat Deus amentiam. R. An disciplina nõ est in animo? A. Quis hoc dixerit? R. Sed fortè potest intereunte subiecto id quod in subiecto est permanere? A. Quando mihi hoc persuadetur. R. Restat vt occidat veritas. A. Vnde fieri potest? R. Immortalis est igitur anima: iamiam crede rationibus tuis, crede veritati: clamat, & in te sese habitare, & immortalem esse, nec sibi suã sedem quacunque corporis morte posse subduci. Auertere ab vmbra tua, reuertere in te, nullus est interitus tuus, nisi oblitum te esse quod interire nõ possis. A. Audio, resipisco, recolere me incipio. Sed quæso, illa quę restant expedias, quomodo in animo imperito, non enim eum mortalem dicere possumus, disciplina & veritas esse intelligantur? R. Aliud ista quæstio volumen desiderat, si eam vis tractari diligenter: simul & illa quæ vt potuimus inuestigata sunt, recensenda tibi esse video: quia si nihil eorum quæ concessa sunt, dubium est, multum nos egisse arbitror, nec cum parua securitate cætera quærere. A. ITA plane est vt dicis, & obtempero præceptis tuis libens. Sed illud saltem impetrem, antequam terminum istius voluminis statuas, vt quid interſit inter veram figuram, quæ intelligentia continetur, & eam quam sibi fingit cogitatio, quæ Græcè siue phantasia siue phantasma dicitur, breuiter exponas. R. Hoc quæris quod videre nisi mundissimus non potest, & ad cuius rei visionem parum es exercitatus: neque nunc per istos circuitus aliud quàm exercitationem tuam, vt illud videre sis idoneus operamur: tamen interesse plurimum quomodo possit doceri, fortasse breuiter planum facio. Fac enim te aliquid esse oblitum, aliosq; te velle quasi in memoriam reuocare. Dicunt ergo illi: Nunquid nam hoc est, aut illud? diuersa velut similia proferentes: Tu verò nec illud vides quod recordari cupis, & tamen vides nõ hoc esse quod dicitur, Nunquid nam tibi cùm hoc euenit, omni modo videtur obliuio? Nã ipsa discretio qua non admittitur quod falso admoneris, pars quædam recordationis est. A. Ita videtur. R. Tales ergo nondum verum vident, falli tamen decipiúque non possunt, & quid quærant, satis norunt. At si tibi quispiam dicat te post paucos dies risisse quàm natus es, non audes dicere falsum esse: & si author sit cui fides habenda est, non recordaturus, sed crediturus es: totum enim tempus illud validissima obliuione tibi sepultum est: an aliter putas? A. Prorsus consentio. R. Hæc igitur ab illa obliuione plurimum differt, sed illa media est: nam est alia recordationi reuisendæque veritati propior atque vicinior: cui simile est quando videmus aliquid, certoq; recognoscimus, id nos vidisse aliquando, atque nosse affirmamus, sed

CAPVT XVIII. *An verè sit corpus.*

CAPVT XIX. *Veritas immortalis arguit animã immortalem.*

CAP. XX. *Quædã vera credimus, quædam recordamur, quædam nec sensu nec phantasia, sed tantum ratione deprehenduntur.*

vbi, aut quando, aut quomodo, aut apud quem nobis in notitiam venerit, ſatagimus repetere atq; recolere. Vt ſi de homine nobis contigerit, etiam quęrimus vbi eum nouerimus: quod cùm & ille commemorauerit, repentè tota res memorię quaſi lumen infunditur, nihil amplius, vt reminiſcamur, laboratur. An hoc genº ignotum tibi eſt, aut obſcurum? A. Quid hoc planius; aut quid crebrius mihi accidere ſolet? R. Tales ſunt qui bene diſciplinis liberalibus eruditi: ſiquidem illas ſine dubio in ſe obliuione obrutas eruunt diſcẽdo, & quodãmodo refodiunt: nec tamen contenti ſunt, nec ſe tenent donec totam faciem veritatis, cuius quidam in illis artibus ſplendor iam ſubrutilat, †lætiſſimè atq; pleniſſimè intùeãtur. Sed ex his quidam falſi colores atque formæ, velut in ſpeculum cogitationis ſe fundunt, falluntq; inquirentes ſæpe ac decipiunt, putãtes illud totum eſſe quod norunt vel quod inquirũt. Ipſæ ſunt illæ imaginationes magna cautione vitandæ quę deprehenduntur fallaces, cùm cogitationes variato quaſi ſpeculo variãtur, cùm illa facies veritatis vna & immutabilis maneat. Tum enim alterius atque alterius magnitudinis quadratum ſibi cogitatio depingit, & quaſi ante oculos præfert, ſed mens interior: quæ vult verum videre, ad illud ſe potius conuertat, ſi poteſt, ſecundùm quod iudicat illa omnia eſſe quadrata. A. Quid ſi nobis quiſpiam dicat ſecundùm id eam iudicare, quod videre oculus ſolet? R. Quare ergo iudicat, ſi tamen bene erudita eſt, quantam vis pilam veram vera planitie puncto tangi? Quid tale vnquam oculus vidit, aut videre poteſt, cùm ipſa imaginatione cogitationis fingi tale quicquam huiuſmodi non poteſt? An non hoc probamus, cùm etiam minimum circulum imaginando animo deſcribimus, & ab eo lineas ad centrum ducimus? Nam cùm duas duxerimus inter quas quaſi acu vix pungi poſſit, alias iam in medio non poſſumus ipſa cogitatione imaginari ac ducere, vt ad centrum ſine vlla commixtione perueniant: cùm clamet ratio innumerabiles poſſe duci, nec ſeſe in illis incredibilibus anguſtiis niſi centro poſſe contingere, ita vt in omni earum interuallo ſcribi etiam circulus poſſit. Hoc cùm illa phantaſia implere non poſſit, magisq; quàm ipſi oculi deficiat, ſi quidem per ipſos eſt animo inflicta, manifeſtum eſt & multum eam differre à veritate, & illam dum hæc videtur non videri. Hæc dicentur operoſiùs atq; ſubtiliùs, cùm de intelligendo differere cœperimus, quæ nobis pars propoſita eſt, cùm de animæ vita quicquid ſolicitat, fuerit quantum valemus enucleatum atque diſcuſſum. non enim credo te parum formidare, ne mors humana etiamſi nõ interficiat animam, rerum tamen omnium, & ipſius ſi qua comperta fuerit, veritatis obliuionem inferat. A. Non poteſt ſatis dici quãtum hoc malum metuẽdum ſit. Qualis enim erit illa æterna vita, vel quæ mors non ei præponenda eſt, ſi ſic viuit anima, vt videmus eã viuere in puero mox nato? vt de illa vita nihil dicam quæ in vtero agitur, non enim puto eſſe nullã. R. Bono animo eſto, Deus aderit vt iam ſentimus quærentibus nobis, qui beatiſſimum quiddam poſt hoc corpus, & veritatis pleniſſimum ſine vllo mendacio pollicetur. A. Fiat ſicut ſperamus.

1. Retract. cap. 4.

Libro 12. de Trinitate, cap. 5. al. latiſſimè.

FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
DE MAGISTRO LIBER.

S. Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 12.

PER idem tempus ſcripſi librum, cuius eſt titulus, De magiſtro: in quo diſputatur & quæritur, & inuenitur, magiſtrum non eſſe qui docet hominem ſcientiam, niſi Deum. Secundùm illud etiam quod in Euangelio ſcriptum eſt: Vnus eſt magiſter veſter Chriſtus. Hic liber ſic incipit:

Matth. 23. b. 10.

CAP. 1. *Oratio ad quid inſtituta.*

QVID tibi videmur efficere velle cùm loquimur? ADEODATVS. Quantum quidem mihi nunc occurrit, aut docere aut diſcere. AV. Vnum horum video & aſſentior: nam loquendo nos docere velle manifeſtum eſt, diſcere autẽ quomodo? AD. Quo tandem cenſes, niſi cùm interrogamus? AVG. Etiam tunc nihil aliud quàm docere nos velle intelligo. Nam quæro abs te, vtrum ob aliam cauſam interroges, niſi vt eum quem interrogas doceas quid velis? AD. Verum dicis. AVG. Vides ergo iam nihil nos locutione, niſi vt doceamus appetere. AD. Non planè video: nam ſi nihil eſt aliud loqui quàm verba promere, video nos id facere cùm cantamus. Quod cũ ſoli ſæpe facimus nullo præſente qui diſcat: non puto nos docere aliquid velle. AVG. At ego puto eſſe quoddam genus docendi per cõmemorationem, magnum ſanè quod in noſtra hac ſermocinatione res ipſa indicabit. Sed ſi tu nõ arbitraris nos diſcere cùm recordamur, nec docere illum qui commemorat, nõ reſiſto tibi: & duas iam loquendi cauſas conſtituo, aut vt doceamus, aut vt cõmemoremus vel alios vel noſmetipſos. Quod etiam dum cantamus, efficimus. An tibi non videtur? AD. Non prorſus: nam rarum admodum eſt, vt ego cantem commemorandi me gratia, ſed tantùmmodo delectandi. AV. Video quid ſentias. Sed nónne attendis, id quod te delectat in cantu modulationem quandam eſſe ſoni, quæ quoniam verbis & addi & detrahi poteſt, aliud eſt loqui, aliud eſt cantare. Nam & tibiis & cithara cantatur, & aues cantãt, & nos interdum ſine verbis muſicũ aliquid ſonamus, qui ſonus cantus dici poteſt, locutio non poteſt. An quicquam eſt quod contradicas? AD. Nihil ſanè. AVG. Videtur ergo tibi, niſi aut docendi, aut cõmemorandi cauſa non eſſe inſtitutam locutionem? AD. Videretur, niſi me moueret, quòd dum oramus vtiq; loquimur, nec tamẽ Deum aut doceri aliquid à nobis, aut commoneri fas eſt credere. AV. Neſcire te arbitror non ob aliud nobis præceptum eſſe, vt in clauſis cubiculis oremus, quo nomine ſignificántur mentis penetralia, niſi quòd Deus vt nobis quod cupimus præſtet, commoneri aut doceri noſtra locutione non quærit. Qui enim loquitur, ſuę voluntatis ſignum foras dat per articulatum ſonum. Deus autem in ipſis rationalis animæ ſecretis, qui homo interior vocatur, & quærẽdus & deprecandus eſt. Hæc enim ſua templa eſſe voluit. An apud Apoſtolum non legiſti, Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis, & in interiore homine habitare Chriſtũ? Nec in Propheta animaduertiſti, Dicite in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini: Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino. Vbi putas ſacrificium iuſtitiæ ſacrificari, niſi in templo mentis, & in cubilibus cordis. Vbi autem ſacrificãdum eſt, ibi & orandũ. Quare non opus eſt locutione cùm oramus, id eſt ſonantibus verbis, niſi fortè, ſicut ſacerdotes faciunt, ſignificandæ mentis ſuæ cauſa, non vt Deus, ſed vt homines audiãt, & cõſenſione quadam per cõmemorationem ſuſpendátur in Deum. An tu aliud exiſtimas?

Diſcere reminiſci.

1. Cor. 3. c. 16.

Pſal. 4. b. 5.

AD. Omni-

AD. Omnino assentior. AV. Non te ergo mouet quòd summus Magister cũ orare doceret discipulos, verba quędam docuit, in quo nihil aliud videtur fecisse, quã docuisse, quomodo in orãdo loqui oporteret? AD. Nihil me omnino istud mouet: non enim verba, sed res ipsas eos verbis docuit, quibus & seipsi cõmonefacerent, à quo & quid esset orãdum, cùm in penetralibus (vt dictũ est) mentis orarẽt. AV. Rectè intelligis: simul enim te credo animaduertere, etiam si quisquam cõtendat, quamuis nullum edamus sonum, tamen quia ipsa verba cogitamus, nos intus apud animum loqui; sic quoq; locutione nihil aliud agere quàm commonere, cũ memoria cui verba inhærent, ea reuoluendo facit venire in mentẽ res ipsas quarũ signa sunt verba.

Matth. 6. b. 9.

al. commemorare.

CAP. II. Verba signa rerum.

AD. Intelligo ac sequor. AV. CONSTAT ergo inter nos verba signa esse? AD. Constat. AV. Quid signũ, nisi aliquid significet, potest esse signum? AD. Non potest. AV. Quot verba sunt in hoc versu,

Aeneid. 2. *Si nihil ex tanta superis placet vrbe relinqui?*

AD. Octo. AV. Octo ergo signa sunt? AD. Ita est. A. Credo te hunc versum intelligere. AD. Satis arbitror. AV. Dic mihi quid singula verba significent. AD. Video quidem quid significet, sí: sed nullum aliud verbum quo id exponi possit inuenio. AV. Saltẽ illud inuenis, quicquid significatur hoc verbo vbinã sit? AD. Videtur mihi quod sí, dubitationem significet, iam dubitatio, vbi nisi in animo est? AV. Accipio, interim persequere cætera. AD. Nihil, quid aliud significat, nisi id quod nõ est? AV. Verum fortasse dicis, sed reuocat me ab assentiendo quod superiùs concessisti, nõ esse signũ nisi aliquid significet. Quod autem nõ est, nullo modo esse aliquid potest: quare secũdùm verbum in hoc versu non est signum, quia non significat aliquid, & falsò inter nos constitit, quòd omnia verba signa sint, aut omne signum aliquid significet. AD. Nimis quidẽ vrges: sed quando non habemus quid significemus, omnino stultè verbum aliquod promimus: Tu autem nunc mecum loquendo, credo quòd nullum sonum frustra emittis, sed omnibus quæ ore tuo erumpunt, signum mihi das vt intelligam aliquid: quapropter nõ te oportet istas duas syllabas enunciare dum loqueris, si per eas non significas quicquam. Si autem vides necessariam per eas enunciationem fieri, nosque doceri vel cõmoneri cùm auribus insonãt, vides etiam profectò quid velim dicere, sed explicare nõ possum. AV. Quid igitur facimus? An affectionem animi quãdam cùm rem non videt, & tamen nõ esse inuenit, aut inuenisse se putat, hoc verbo significari dicimus potius, quã rem ipsam quæ nullà est? AD. Istud ipsum est fortasse quod explicare moliebar. AV. Transeamus ergo hinc quoquo modo se habet, ne res absurdissima nobis accidat. AD. Quæ tandem? AV. Si nihil nos teneat, & moras patiamur. AD. Ridiculum hoc quidem est, & tamen nescio quomodo video posse contingere, imò planè video contigisse. AV. Suo loco genus hoc repugnantiæ, si Deus fuerit, planius intelligemus. Nunc ad illum versum te refer, & conare vt potes cætera ei⁹ verba quid significent pandere. AD. Tertia præpositio est, ex, pro, qua, de, possumus vt arbitror dicere. AVG. Nõ id quæro, vt pro vna voce notissima aliam vocem æquè notissimam, quæ idem significet dicas, si tamen idem significat. Sed interim cõcedamus ita esse. Certè si Poëta iste nõ ex tanta vrbe, sed de tanta dixisset, quærerem abs te quid de, significaret. Diceres, ex, cũ hæc duo verba essent, id est signa, vnum aliquid, vt tu putas, significantia: ego autem idipsum, nescio quid, vnum quod his duobus signis significatur inquiro. AD. Mihi videtur secretionem quandam significare ab ea re in qua fuerat aliquid, quod ex illa esse dicitur, siue illa non maneat, vt in hoc versu, non manente vrbe, poterant aliqui ex illa esse Troiani: siue manente, sicut ex vrbe Roma dicimus esse negotiatores in Africa. AVG. Vt concedam tibi hæc ita esse, nec enumerem quàm multa fortasse præter hanc tuam regulam reperiantur: illud certè tibi attẽdere facile est, exposuisse te verbis verba, id est signis signa, eisdemq; notissimis notissima: ego autem illa ipsa quorum hæc signa sunt, mihi si posses vellem vt ostenderes.

CAPVT III. An signis vt querimus, nisi respondeamus.

AD. MIROR te nescire, vel potius simulare nescientem, responsione mea fieri, quod vis omnino nõ posse: siquidem sermocinamur vbi non possumus respondere nisi verbis. Tu autem res quæris eas, quæ quodlibet sint, verba certa non sunt, quas tamen ex me tu quoque verbis quæris. Prior itaque tu sine verbis quære, vt ego deinde ista conditione respondeam. AVG. Iure agis fateor: sed si quærerem istæ tres syllabæ quid significent, cùm dicitur paries, nónne posses digito ostendere, vt ego prorsus rem ipsam viderem, cuius signum est hoc trisyllabum verbum, demonstrante te, nulla tamen verba referente. AD. Hoc in solis nominibus quibus corpora significãtur, si eadem corpora præsentia sint, fieri posse concedo. AVG. Num colorem corpus dicimus, an non potius quandam corporis qualitatem? AD. Ita est. AVG. Cur ergo & hic digito demonstrari potest? An addis corporibus etiam corporum qualitates, vt nihilominus etiam istæ cùm præsentes sunt, doceri sine verbis possint? AD. Ego cùm corpora dicerem, omnia corporalia intelligi volebam, id est omnia quæ in corporibus sentiuntur. AVG. Considera tamen, vtrum etiam hinc aliqua tibi excipienda sint. AD. Bene admones: non enim omnia corporalia, sed omnia visibilia dicere debui. Fateor enim sonum, odorem, saporem, grauitatem, calorem, & alia quæ ad cæteros sensus pertinent, quamquam sentiri sine corporibus nequeant, & propterea sint corporalia, non tamen digito posse monstrari. AVG. Nunquam ne vidisti vt homines cùm surdis gestu quasi sermocinentur, ipsíque surdi non minus gestu, vel quærant, vel respondeant, vel doceant, vel indicent, aut omnia quæ volunt, aut certè plurima? Quod cùm fit, non vtique sola visibilia sine verbis ostenduntur, sed & soni & sapores, & cætera huiusmodi. Nam & histriones totas in theatris fabulas sine verbis saltando plerumque aperiunt & exponunt. AD. Nihil habeo quod contradicam, nisi quod illud, ex, non modò ego, sed nec ipse quidem saltator histrio tibi sine verbis quid significet posset ostendere. AVG. Verum fortasse dicis, sed fingamus eum posse: non, vt arbitror, dubitas, quisquis ille motus corporis fuerit, quo mihi rem quæ hoc verbo significatur, demonstrare conabitur, non ipsam rem futuram esse, sed signum. Quare hic quoque non quidem verbo verbum, sed tamen signo signum nihilominus indicabit: vt & hoc monosyllabum, ex, & ille gestus, vnam rem quandam significent, quam mihi ego vellem non significando monstrari. AD. Qui potest quod quæris oro te? AVG. Quomodo paries potuit? AD. Ne ipse quidem quantum ratio progrediens docuit, ostendi sine signo potest. Nam & intentio digiti non est vtique paries, sed signum datur per quod paries possit videri. Nihil itaque video quod sine signis ostendi queat. AVG. Quid si ex te quærerem, quid sit ambulare, surgeresque & id ageres, nónne re ipsa potius quàm verbis ad me docendum, aut vllis aliis signis vtereris? AD. Fateor ita esse, & pudet me rem tam in promptu positam non vidisse: ex qua etiam mihi milia rerum iam occurrunt, quæ ipsæ per se valeant, non per signa monstrari, vt edere, bibere, sedere, stare, clamare, & innumerabilia cætera. AVG. Age nunc dic mihi, si omnino nesciens huius verbi vim, abs te ambulante quærerem, quid sit ambulare, quomodo me doceres?

AD. Idipsum agerem aliquanto celeriùs, vt post interrogationem tuam aliqua nouitate admonereris, & tamen nihil aliud fieret quàm id quod deberet ostēdi. AVG. Scis ne aliud esse ambulare, aliud festinare? Nam & qui ambulat, non statim festinat: & qui festinat, non continuò ambulat: dicimus enim & in scribendo & in legendo, aliisque innumerabilibus rebus festinationem. Quare cùm illud quod agebas celeriùs ageres post interrogationem meam, putarē ambulare nihil esse aliud quàm festinare: id enim noui addideras, & ob hoc fallerer. AVG. Fateor rem non posse nos monstrare sine signo, si cùm id agimus interrogemur. Si enim nihil addamus, putabit qui rogat nolle nos ostendere, contemptoque se in eo quod agebamus perseuerare. Sed si de his roget quæ agere possumus, nec eo tamen tempore quo agimus roget, possumus post eius interrogationem id agēdo, re ipsa potius quàm signo demonstrare quod rogat. Nisi fortè loquentem me interroget quid sit loqui. Quicquid enim dixero vt eum doceam, loquar necesse est. Ex quo securius docebo, donec ei planum faciā quod vult, non recedens à re ipsa quam sibi voluit demonstrari, nec signa quærens quibus eam ostendam præter ipsam.

CAPVT III I. *An signa signis monstrentur.*

AVG. Acutissimè omnino: quare vide vtrum conueniat iam inter nos ea posse demonstrari sine signis, quæ aut non agimus cùm interrogamur, & tamen statim agere possumus, aut ipsa signa fortè agimus. Cùm enim loquimur, signa facimus, de quo dictum est significare. AD. Conuenit. AVG. Cùm ergo de quibusdam signis quæritur, possunt signis signa monstrari: cùm autem de rebus quæ signa non sunt, aut eas agendo post inquisitionem si agi possunt, aut signa dando per quæ animaduerti queant. AD. Ita est. AVG. In hac igitur tripartita distributione prius illud consideremus, si placet, quòd signis signa monstrantur. Num enim sola verba sunt signa? AD. Non. AVG. Videtur ergo mihi loquēdo nos aut verba ipsa signare verbis, aut alia signa, velut cùm gestum dicimus, aut literam. Nam his duobus verbis quæ significantur, nihilominus signa sunt: aut aliquid aliud quod signum non sit, velut cùm dicimus, lapis: hoc enim verbum signum est, nam significat aliquid, sed id quod eo significatur, non continuò signum est: quod tamē genus, id est, cùm verbis ea quæ signa non sunt significantur, non pertinet ad hanc partem quam discutere proposuimus. Suscepimus enim considerare illud, quòd signis signa monstrantur, & partes in eo duas comperimus, cùm aut eadem aut alia signa signis docemus vel commemoramus, an non tibi videtur? AD. Manifestum est. AVG. Dic ergo signa quæ verba sunt ad quem sensum pertineant? AD. Ad auditum. AVG. Quid gestus? AD. Ad visum. AVG. Quid enim cùm verba scripta inuenimus, num verba non sunt? An signa verborum veriùs intelliguntur, vt verbū sit quod cū aliquo significatu articulata voce profertur? Vox autem nullo alio sensu quàm auditu percipi potest. Ita fit vt cùm scribitur verbum, signum fiat oculis quo illud quod ad aures pertinet, veniat in mentem. AD. Omnino assentior. AVG. Id quoque te arbitror assentiri, cùm dicimus nomen, significare nos aliquid. AD. Verum est. AVG. Quid tandem? AD. Id scilicet quod quidque appellatur, velut Romulus, Roma, virtus, fluuius, & innumerabilia cætera. AV. Num ista quatuor nomina nullas res significant? AD. Imò aliquas. AVG. Num quid distat inter hæc nomina, & eas res quæ his significantur? AD. Imò plurimum. AVG. Vellem abs te audire, quid nam id sit. AD. Hoc vel in primis, quòd hæc signa sunt, illa non sunt. AVG. Placétne appellemus significabilia ea, quæ signis significari possunt, & signa non sunt, sicut ea quę videri possunt, visibilia nominamus, vt de his deinceps commodiùs differamus? AD. Placet verò. AVG. Quid illa quatuor signa quæ paulò antè pronunciasti, nullóne alio signo significantur? AD. Miror quod iam mihi excidisse arbitraris, quòd ea quæ scribuntur, eorum quæ voce proferuntur, signorum signa esse comperimus. AVG. Dic inter ista quid distet? AD. Quòd illa visibilia sunt, hæc audibilia. AVG. Cur enim & hoc nomen non admittas, si admisimus significabilia? AD. Prorsus admitto, & gratum habeo. AVG. Sed rursus quæro, quatuor hæc signa nullóne alio signo audibili significari queant, vt visibilia recordatus es? AD. Hoc quoque recentius dictum recordor. Nam nomen respondera m significare aliquid, & huic significationi quatuor ista subieceram: & illud autem & hæc, si quidem voce proferuntur, audibilia esse cognosco. AVG. Quid ergo inter audibile signum & audibilia significata, quæ rursus signa sunt, interest? AD. Inter illud quidem quod dicimus nomen, & hæc quatuor quæ significationi ei° subiecimus, hoc distare video, quòd illud audibile signum est signorum audibilium: hæc verò audibilia quidem signa sunt, non tamen signorum, sed rerum partim visibilium, sicut est Romulus, Roma, fluuius; partim intelligibilium, sicut est virtus. AVG. Accipio & approbo. Sed scísne omnia quæ voce articulata cum aliquo significatu proferuntur, verba appellari? AD. Scio. AVG. Ergo & nomen verbum est, quandoquidem id videmus cum aliquo significatu articulata voce proferri. Et cùm dicimus disertum hominem bonis verbis vti, etiam nominibus vtique vtitur. Et cùm seni domino apud Terentium seruus retulit, Bona verba quæso: multa ille etiam nomina dixerat. AD. Assentior. AVG. Concedis igitur iis duabus syllabis quas edimus, cùm dicimus verbum, nomen quoque significari, & ob hoc illud huius signum esse? AD. Concedo. AVG. Hoc quoque respondeas velim. Cùm verbum signum sit nominis, & nomen signum sit fluminis, & flumen signum sit rei, quæ iam videri potest, vt inter hanc rem & flumen, id est signū eius, & inter hoc signum & nomen, quod huius signi signum est dixisti quid interfit, quid interesse arbitraris inter signum nominis, quod verbum esse comperimus, & ipsum nomen cuius signum est? AD. Hoc distare intelligo, quòd ea quæ significantur nomine, etiam verbo significantur: vt enim nomen verbum est, & ita flumen verbum est. Quæ autem verbo significantur, non omnia significantur & nomine. Nam & illud, si, quod in capite habet abs te propositus versus, & hoc, ex, de quo iam diu agentes in hæc duce ratione peruenimus, verba sunt, nec tamen nomina, & alia multa inueniuntur. Quamobrem cùm omnia nomina verba sint, non autem omnia verba nomina sint, planum esse arbitror quid inter verbum distet & nomen, id est inter signum signi eius, quod nulla rursus alia signa significat, & signum signi eius quod rursus alia significat. AVG. Concedísne omnem equum animal esse, nec tamen omne animal equum esse? AD. Quis dubitauerit? AVG. Hoc ergo inter nomen & verbum, quod inter equum & animal interest. Nisi fortè ab assentiendo id te reuocat, quod dicimus & alio modo verbum quo significantur ea quæ per tempora declinantur, vt scribo scripsi, lego legi, quæ manifestum est non esse nomina. AD. Dixisti omnino quod me dubitare faciebat. AV. Ne te istud moueat: dicimus enim ea signa vniuersaliter omnia quæ significant aliquid, vbi etiam verba esse inuenimus. Dicimus item signa militaria, quæ etiam propriè signa nominantur, quò verba non pertinent. Et tamen si tibi dicerem, vt omnis equus animal, non autem omne animal equus est, ita omne nomen verbum est, non tamen omne verbum nomen, nihil (vt opinor) dubitares. AD. Iam intelligo, & prorsus

In Andria.

Signa signorum.

assentior,

assentior, hoc interesse inter vniuersale illud verbum & nomen, quod inter animal & equum. AVG. Scis ne etiam cùm dicimus animal, aliud esse hoc trisyllabũ nomen quod voce prolatum est, aliud id quod significatur? AD. Iam hoc suprà concessi de omnibus signis & significabilibus. AV. Num omnia signa tibi videntur aliud significare quàm sunt, sicut hoc trisyllabum cùm dicimus, animal? An vllo modo idem significat quod est ipsum? AD. Non sanè: nam cùm dicimus signum, non solùm signa cætera quæcunque sunt, sed etiam seipsum significat: est enim verbum, & vtique omnia verba signa sunt. AV. Quid hoc disyllabo cùm dicimus, verbum, nónne tale aliquid contingit? Nam si omne quod cum aliquo significatu articulata voce profertur, hoc disyllabo significatur, etiam ipsum hoc genere includitur. AD. Ita est. AV. Quid nomen? Nónne se similiter habet? Nam & omnium generum nomina significat, & ipsum nomen generis neutri nomẽ est. An si ex te quærerem quæ pars orationis nomen, posses mihi respondere rectè nisi nomen? AD. Verum dicis. AVG. Sunt ergo signa quæ inter alia quæ significant, & seipsa significent? AD. Sunt. AVG. Num tale tibi videtur hoc quadrisyllabum signum, cùm dicimus, coniunctio? AD. Nullo modo. Nam ea quæ significat, non sunt nomina, hoc autem nomen est.

CAP. V. *Signa innata.*

AVG. Bene attendisti: nunc illud vide, vtrum inueniantur signa, quę se inuicem significent, vt quemadmodum hoc ab illo, sic illud ab hoc significetur: non enim ita sunt inter se hoc quadrisyllabum, cùm dicimus, coniunctio, & illa quæ ab hoc significantur, cùm dicimus, si, vel, nam, namque, nisi, ergo, quoniam, & similia: nam hæc illo vno significantur, nullo autem horum vnum illud quadrisyllabum significatur. AD. Video, & quæ nam signa sint seinuicem significantia, cupio cognoscere. AVG. Tu ergo nescis, cùm dicimus, nomen & verbum, duo verba nos dicere. AD. Scio. AVG. Quid illud, nescis cùm dicimus, nomen & verbum, duo nomina nos dicere? AD. Id quoque scio. AV. Scis igitur tam nomen verbo, quàm etiam verbum nomine significari? AD. Assentior. AV. Potésne dicere excepto eo quòd diuersè scribuntur & sonant, quid inter se differant? AD. Possum fortasse, nam id esse video quod paulò antè dixi. Verba enim, cùm dicimus, omne quod articulata voce cum aliquo significatu profertur, significamus: vnde omne nomen, & ipsum, cùm dicimus Nomen, verbum est: at non omne verbum nomen est, quamuis nomen sit, cùm dicimus verbum. AV. Quid si quisquam tibi affirmet & probet, vt omne nomen, verbũ est: ita omne verbum, nomen esse: poteris ne inuenire quid distent, præter diuersum in literis sonum? AD. Non potero, nec omnino distare aliquid puto? AVG. Quid si omnia quidem, quæ voce articulata cum aliquo significatu proferuntur, & verba sunt & nomina: sed tamen alia de causa verba, & alia de causa nomina sunt, nihil ne distabit inter nomen & verbum? AD. Quomodo istud sit non intelligo. AV. Hoc saltem intellige, omne coloratum visibile esse, & omne visibile coloratum, quamuis hæc duo verba distinctè differenterque significent. AD. Intelligo. AV. Quid si ergo ita & omne verbum nomen, & omne nomen verbum est? Quamuis hæc ipsa duo nomina, vel duo verba, id est nomen & verbum, differentem habeant significationem. AD. Iam video posse id accidere: sed quomodo id accidat, expecto vt ostendas. AV. Omne quod cũ aliquo significatur articulata voce prorumpit, animaduertis, vt opinor, & aurem verberare, vt sentiri: & memoriæ mandari, vt nosci possit. AD. Animaduerto. AVG. Duo ergo quædam contingunt, cùm aliquid tali voce proferimus. AD. Ita est. AVG. Quid si horum duorum ex vno appellata sunt verba, ex altero nomina: verba scilicet à verberando, nomina verò à noscendo, vt illud primum ab auribus, hoc autem secundum ab animo vocari meruerit? AD. Cõcedam cùm ostenderis, quomodo rectè possimus omnia †nomina verba dicere. AV. Facile est: nam credo te accepisse ac tenere pronomen dictum, quod pro ipso nomine valeat, rem tamen notet minus plena significatione quàm nomen. Nam, vt opinor, definiuit ille ita, quem grammatico reddidisti: Pronomẽ est pars orationis, quæ pro ipso posita nomine, minus quidem plenè, idem tamen significat. AD. Recordor & probo. AVG. Vides igitur secundum hanc definitionem nullis nisi nominibus seruire, & pro his solis poni posse pronomina, velut cùm dicimus: hic vir, ipse rex, eadem mulier, hoc aurum, illud argentum: hic, ipse, eadem, hoc, illud, pronomina esse: vir, rex, mulier, aurum, argentum, nomina, quibus plenius quàm illis pronominibus res significatæ sunt. AD. Video & assentior. AVG. Tu ergo nunc mihi paucas coniunctiones quaslibet enuncia. AD. Et, que, at, atque. AVG. Hæc omnia quæ dixisti, nónne tibi videntur esse nomina? AD. Non omnino. AV. Ego saltem tibi rectè locutus videor, cùm dicerem, hæc omnia quę dixisti? AD. Rectè prorsus: & iam intelligo quàm mirabiliter ostenderis me nomina enunciasse: non enim aliter de his rectè dici potuisset, hæc omnia. Sed enim vereor adhuc, ne propterea mihi rectè locutus videaris, quòd has quatuor coniunctiones etiam verba esse non nego: vt ideo de his rectè dici potuerit, hæc omnia, quoniam rectè dicitur, hæc verba omnia. Si autem à me quæras quæ sit pars orationis, verba, nihil aliud respondebo, quàm nomen. Quare huic nomini fortasse pronomen adiunctum est, vt illa recta esset locutio tua. AV. Acutè quidem falleris, sed vt falli desinas, acutiùs attende quod dicam, si tamen id dicere, vt volo, valuero: nam verbis agere, tam implicatum est, quàm digitos digitis inserere & confricare: vbi vix dignoscitur, nisi ab eo ipso qui id agit, qui digiti pruriant, & qui auxilientur prurientibus. AD. En toto animo adsum, nam hæc ista similitudo me intentissimum fecit. AV. Verba certè sono, & literis constant. AD. Ita est. AV. Ergo vt ea potissimum authoritate vtamur, quæ nobis charissima est, cùm ait Paulus apostolus: Non erat in Christo est, & non est, sed est in illo erat: non opinor putandum esse tres istas literas, quas enunciamus cùm dicimus est, fuisse in Christo, sed illud potius, quod istis tribus literis significatur. AD. Verum dicis. AV. Intelligis igitur eum qui ait, Est in illo erat: nihil aliud dixisse, quàm Est appellatur quod in illo erat, tanquam dixisset: Virtus in illo erat: non vtique dixisse acciperetur, nisi virtus appellatur quod in illo erat: ne duas istas syllabas quas enunciamus, cùm dicimus Virtus, & non illud quod his duabus syllabis significatur, in illo fuisse arbitraremur. AD. Intelligo ac sequor. AV. Quid illud? nónne intelligis etiam nihil interesse vtrum quisque dicat, virtus appellatur, an virtus nominatur? AD. Manifestum est. AV. Ergo ita manifestum est, nihil interesse vtrũ quis dicat, Est appellatur, an Est nominatur quod in illo erat. AD. Video & hic nihil distare. AV. Iámne etiã vides quid velim ostendere? AD. Nondum sanè. AV. Itáne tu non vides nomen esse id quo res aliqua nominatur? AD. Hoc planè nihil certius video. AV. Vides ergo, est nomẽ esse, si quidem illud quod erat in illo est, Est nominatur. AD. Negare non possum. AV. At si ex te quærerem quæ sit pars orationis, est: non opinor nomen, sed verbum esse diceres, cùm id ratio etiam nomen esse docuerit. AD. Ita est prorsus vt dicis. AV. Num adhuc dubitas alias quoque partes orationis eodem modo quo demonstrauimus nomina esse? AD. Non dubito, quandoquidem fateor ea significare aliquid.

al. verba nomina.

2. Cor. 1. d. 18. τὸ ναὶ καὶ τὸ οὔ.

Si

Si autem res ipſæ quas ſignificant, quid ſingulæ appellentur, id eſt nominentur, interroges, reſpondere non poſſum, niſi eas ipſas partes orationis, quas nomina non vocamus, ſed, vt cerno, vocare conuincimur. AV. Nihil te mouet, ne quis exiſtat, qui veſtram iſtam rationem labefactet, dicēdo Apoſtolis non verborum, ſed rerum authoritatem eſſe tribuendam, quamobrem fundamentum perſuaſionis huius non tam eſſe firmum quàm putamus? Fieri enim poſſe vt Paulus, quanquam vixerit præceperitque rectiſſimè, minus tamen rectè locutus ſit, cùm ait, Eſt in illo erat, præſertim cùm ſe ipſe imperitū in ſermone fateatur. Quo tandem modo iſtum refellendum arbitraris? AD. Nihil habeo quod contradicam, & te oro vt aliquem de illis reperias, quibus verborum notitia ſumma conceditur, cuius authoritate potius id quod cupis efficias. AV. Minus enim tibi videtur idonea, remotis authoritatibus, ipſa ratio, qua demonſtratur omnibus partibus orationis ſignificari aliquid, & ex eo appellari: ſi autem appellari, & nominari: ſi nominari, nomine vtique nominari: quod in diuerſis linguis facillimè iudicatur. Quis enim non videat, ſi quæras quid Græci nominent, quod nos nominamus, quis, reſponderi τίς: quid Græci nominent quod nos nominamus, volo, reſponderi θέλω: quid Græci nominent quod nos nominamus, bene: reſponderi καλῶς: quid Græci nominent quod nos nominamus, ſcriptum, reſponderi τὸ γεγραμμένον: quid Græci nominent quod nos nominamus, &, reſponderi καὶ: quid Græci nominent quod nos nominamus, ab, reſponderi ἀπὸ: quid Græci nominent quod nos nominamus, heu, reſponderi οἴ: atque in his omnibus partibus orationis, quas nunc enumeraui, rectè loqui eum qui ſic interroget: quod, niſi nomina eſſent, fieri non poſſet? Hac ergo ratione Paulum apoſtolum rectè locutum eſſe, cùm remotis omnium eloquentium authoritatibus obtinere poſſimus, quid opus eſt quærere cuius perſona ſententia noſtra fulciatur? Sed ne quis tardior aut impudentior nondum cedat, aſſeratque, niſi illis authoribus, quibus verborū leges conſenſu omnium tribuuntur nullo modo eſſe ceſſurum: quid in Latina lingua excellentius Cicerone inueniri poteſt? At hic in ſuis nobiliſſimis orationibus quas Verrinas vocant, Coram, præpoſitionem, ſiue illo loco aduerbium ſit, nomen appellauit. Veruntamen quia fieri poteſt, vt ego illum locum minus bene intelligam, exponaturque aliàs aliter, vel à me vel ab alio, eſt ad quod reſponderi poſſe nihil puto. Tradunt enim nobiliſſimi diſputationum magiſtri, nomine & verbo plenam conſtare ſententiam, quod affirmari negarique poſſit: quod genus idem Tullius quodam loco pronunciatum vocat. Et cùm verbi tertia perſona eſt, nominatiuum cum ea caſum nominis aiunt eſſe oportere, & rectè aiunt: quod mecum ſi conſideres: velut cùm dicimus, homo ſedet, equus currit: agnoſcis, vt opinor, duo eſſe pronunciata. AD. Agnoſco. AVG. Cernis in ſingulis ſingula eſſe nomina, in vno homo, in altero equus: & verba ſingula, in vno ſedet, in altero currit? AD. Cerno. AVG. Ergo ſi dicerem, ſedet tantum, aut currit tantum, rectè à me quæreres, quis vel quid: vt reſponderem homo, vel equus, vel animal, vel quodlibet aliud, quo poſſit nomen redditum verbo implere pronunciatum, id eſt illam ſententiam quæ affirmari & negari poteſt. AD. Intelligo. AVG. Attende cætera, & finge nos videre aliquid longius, & incertum habere vtrum animal ſit an ſaxum, vel quid aliud, meque tibi dicere, quia homo eſt, animal eſt: nónne temerè dicerem? AD. Temerè omnino: ſed non temerè planè diceres, ſi homo eſt, animal eſt. AVG. Rectè dicis. Itaque in locutione tua placet mihi, ſi placet & tibi: vtrique autem noſtrûm in mea diſplicet, quia. AD. Aſſentior. AV. Vide iam vtrum iſtæ duæ ſententiæ plena pronunciata ſint: placet ſi diſplicet quia. AD. Plenè omnino. AV. Age nunc, dic mihi, quæ ibi ſint verba, quæ nomina? AD. Verba ibi video eſſe, placet & diſplicet: nomina verò quid aliud quàm, ſi & quia? AVG. Has ergo duas coniunctiones etiam nomina eſſe ſatis probatum eſt. AD. Prorſus ſatis. AVG. Poteſne ipſe per te in aliis partibus orationis hoc idem ad eandem regulam docere? AD. Poſſum.

AVG. Tranſeamus ergo hinc, & iam dic mihi, vtrum ſicut omnia verba nomina, & omnia nomina verba eſſe comperimus, ita tibi & omnia nomina vocabula, & omnia vocabula nomina eſſe videantur. AD. Planè inter hæc quid diſtet præter diuerſum ſyllabarum ſonum non video. AVG. Nec ego interim reſiſto, quanquam non deſint, qui etiam ſignificatione iſta diſcernunt, quorum ſententiam modò conſiderare non opus eſt. Sed certè animaduertis ad ea iam ſigna nos peruenisſe, quæ ſe inuicem ſignificent, nulla præter ſonum diſtantia, & quæ ſeipſa ſignificent, cum cæteris omnibus partibus orationis. AD. Non intelligo. AVG. Non ergo intelligis & nomen vocabulo & vocabulum nomine ſignificari: & ita vt præter ſonum literarum nihil interſit, quantum ad generale nomen pertinet: nam & ſpeciale nomen dicimus, quod inter octo partes orationis ita eſt, vt alias ſeptem non contineat. AD. Intelligo. AVG. At hoc eſt quod dixi, ſe inuicem ſignificare vocabulum & nomen. AD. Teneo, ſed quæro quid dixeris, cùm etiam ſeipſa ſignificant cum aliis partibus orationis. AVG. Nónne ſuperior ratio docuit nos, omnes partes orationis, & nomina poſſe dici, & vocabula, id eſt & nomine & vocabulo poſſe ſignificari? AD. Ita eſt. AVG. Quid ipſum nomen, id eſt ſonum iſtum duabus ſyllabis expreſſum, ſi ex te quæram quid appelles, nónne rectè mihi reſpondebis nomen? AD. Rectè. AV. Num ita ſe ſignificat hoc ſignum quod quatuor ſyllabis enunciamus cùm dicimus coniunctio? Hoc enim nomen inter illa quæ ſignificat numerari non poteſt. AD. Rectè accipio. AVG. Idem quod dictum eſt nomen ſeipſum ſignificare cum aliis quæ ſignificat: quod etiam de vocabulo licet per teipſum intelligas. AD. Iam facile eſt: ſed illud mihi nunc venit in mentem, nomen & generaliter & ſpecialiter dici, vocabulum autem inter octo partes orationis non accipi: quare hoc quoque inter ſe præter diuerſum ſonum differre arbitror. AV. Quid nomen & onoma diſtare inter ſe aliquid putas præter ſonum, quo etiam linguæ diſcernuntur Latina atque Græca? AD. Hic verò nihil aliud intelligo. AV. Peruentum eſt ergo ad ea ſigna quæ & ſeipſa ſignificent, & aliud ab alio inuicem ſignificetur: & quicquid ab vno, hoc & ab alio, & nihil præter ſonum inter ſe differant: nam hoc quartum modò inuenimus. Tria enim ſuperiora, & de nomine & verbo intelliguntur. AD. Omnino peruentum.

AVG. Iam quæ ſermocinando inuenerimus velim recenſeas. AD. Faciam quantum poſſum. Nam primò omnium recordor aliquandiu nos quæſiſſe quam ob cauſam loquamur, inuentumque eſſe docendi commemorandiue gratia nos loqui, quandoquidem nec cùm interrogamus, aliud agimus quàm vt ille qui rogatur diſcat quid velimus audire: & in cantando, quod delectationis cauſa facere videmur, non ſit proprium locutionis: in orando Deo, quem doceri aut commoneri exiſtimare non poſſumus, id verba valeant, vt vel nos ipſos commonefaciamus, vel alij commoneantur doceantúrue per nos. Deinde cùm ſatis conſtitiſſet verba nihil aliud eſſe quàm ſigna: ea verò quæ non aliquid ſignificent, ſigna eſſe non poſſe, propoſuiſti verſum, cuius verba ſingula quid ſignificarent, conarer oſtendere. Is autem erat:

Si nihil

ἀπόφασις, proloquium.

CAPVT VI. Signa ſui ſignificatiua.

ἴτομα.

CAPVT VII. Epilogus præcedentium capitum.

Aenid. 2. *Si nihil ex tanta ſuperis placet vrbe relinqui.* Cuius ſecũdùm verbũ quàuis notiſſimũ & manifeſtiſſimum, quid tamen ſignificaret, non reperiebamus. Cumque mihi videretur non fruſtra nos id in loquendo interponere, ſed quòd eo aliquid doceamus audientem, ipſam mentis affectionem, cùm rem quam quærit, nõ eſſe inuenit, vel inueniſſe ſe putat, hoc verbo fortaſſe indicari? reſpondiſti tu quidem, ſed tamen neſcio quã profunditatem quæſtionis loco euitans, in aliud tempus illuſtrandam diſtuliſti, ne me debiti quoque tui oblitum putes. Inde tertium in verſu verbũ cùm ſatagerem exponere, vrgebar abs te, vt non verbum aliud quod idem valeret, ſed rem ipſam potius quę per verba ſignificaretur, oſtenderem. Cumque id ſermocinantibus nobis fieri non poſſe dixiſſem, ventum eſt ad ea quæ interrogantibus digito monſtrantur. Hæc ego corporalia eſſe omnia arbitrabar, ſed inuenimus ſola viſibilia. Hinc neſcio quomodò ad ſurdos, & hiſtriones deuenimus, qui non ſola quæ videri poſſunt, ſed multa præterea ac propè omnia quæ loquimur, geſtu ſine voce ſignificant, eoſdem tamen geſtus ſigna eſſe comperimus. Tum rurſus quærere cœpimus, quomodo res ipſas quæ ſignis ſignificãtur, ſine vllis ſignis valeremus oſtendere, cùm & ille paries, & color, & omne viſibile, quod intentione digiti oſtenditur, ſigno quodam conuinceretur oſtendi. Hic ego errans cùm inueniri tale nihil poſſe dixiſſem, tandem inter nos conſtitit, ea poſſe demonſtrari ſine ſigno, quæ cùm à nobis quæruntur, non agimus, & poſt inquiſitionem agere poſſumus, locutionem tamen ex eo nõ eſſe genere. Siquidem & loquentes cùm interrogamur, quid ſit locutio, iſtam per ſeipſam demonſtrare facile eſſe ſatis apparuit. Ex quo admoniti ſumus aut ſignis ſigna monſtrari, aut ſignis alia quę ſigna nõ ſunt, aut etiam ſine ſigno res quas agere poſt interrogationem poſſumus. Horumque trium primum diligentiùs conſiderandum diſcutiendumque ſuſcepimus. Qua diſputatione declaratum eſt, partim eſſe ſigna, quæ ab iis ſignis quæ ſignificarent, ſignificari viciſſim nõ poſſent, vt eſt hoc quadriſyllabum, cùm coniunctio dicimus: partim quæ poſſent, vt cùm dicimus ſignum, etiam verbum ſignificamus: & cùm dicimus verbum, etiam ſignum ſignificamus: nam ſignum & verbum, & duo ſigna, & duo verba ſunt. In hoc autem genere quo inuicem ſe ſignificant, quædam non tantum, quædam tantum, quædam verò etiam idem valere monſtratum eſt. Etenim hoc diſyllabum quod ſonat, cùm dicimus ſignum, prorſus omnia quibus quidque ſignificatur ſignificat: non autem omnium ſignorum ſignum eſt, cùm dicimus verbum, ſed tantum eorum quæ articulata voce proferuntur. Vnde manifeſtum eſt, quamuis & verbum ſigno, & ſigno verbum, id eſt, & duæ iſtæ ſyllabæ illis, & illæ iſtis ſignificentur, plus tamen ſignum valere quàm verbum, plura ſcilicet illis duabus ſyllabis, quàm illis ſignificantibus. Tantundem autem valet generale verbum, & generale nomen. Docuit enim ratio omnes partes orationis etiam nomina eſſe, quòd & pronomina his addi poſſunt, & de omnibus dici poteſt quòd aliquid nominent, & nulla earum ſit, quæ non verbo adiuncto pronunciatum poſſit implere. Sed cùm tantundem valeant nomen & verbum, eo quòd omnia quæ verba ſunt, ſint etiam nomina, non tamen idem valent. Alia quippe de cauſa & verba, & alia nomina nuncupari, ſatis probabiliter diſputatum eſt. Siquidem alterum horum ad † auris verberationem, alterum ad animi commemorationem notandum eſſe compertum, vel ex hoc intelligi poteſt, quod in loquendo rectiſſimè dicimus, quod eſt huic rei nomen, rem memoriæ mãdare cupientes; quod eſt autem huic rei verbum, dicere non ſolemus. Quæ verò non ſolum tantundem, ſed etiam idem omnino ſignificent, & inter quæ nihil præter literarum diſtet ſonum, nomen & ὄνομα inuenimus. Illud ſanè mihi elapſum erat in hoc genere, in quo inuicem ſe ſignificant, nullum nos ſignum cõperiſſe, quod non inter cætera quæ ſignificat, ſe quoque ſignificet. Hæc quantum potui recordatus ſum. Tu iam videris, quem nihil putò in hoc ſermone niſi ſcientem certumque dixiſſe, vtrum iſta bene ordinateque digeſſerim. AVG. Satis tu quidem memoriter omnia quæ vellẽ recoluiſti, & vt tibi fatear, multo euidentius mihi nunc videntur iſta diſtincta, quàm cùm ea inquirendo ac diſſerẽdo de neſcio quibus latebris ambo eruerimus. Sed quónam tantis ambagibus tecũ peruenire moliar, difficile dictu eſt hoc loco. Tu enim fortaſſe aut ludere nos, & à ſeriis rebus auocare animum, quaſi quibuſdam puerilibus quæſtiunculis arbitraris, aut paruam vel mediocrem aliquam vtilitatem requirere, aut ſi magnum quiddam parturire iſtam diſputationem ſuſpicaris, iamiamque id ſcire, ſiue ſaltem audire deſideras. Ego autem credas velim, neque me vilia ludicra hoc inſtituiſſe ſermone, quamuis fortaſſe ludamus, idque ipſum tamen non puerili ſenſu æſtimandum ſit, neque parua bona vel mediocria cogitare. Et tamen ſi dicam vitam eſſe quandam beatam, eandemq; ſempiternam, quo nos Deo duce, id eſt ipſa veritate gradibus quibuſdam infirmo greſſui noſtro accommodatis perduci cupiam, vereor ne ridiculus videar, qui nõ rerum ipſarum quæ ſignificantur, ſed conſideratione ſignorum tantam viam aggredi cœperim. Dabis igitur veniam ſi præludo tecum non ludendi gratia, ſed exercendi vires & mẽtis aciem, quibus regionis illius, vbi beata vita eſt, calorem ac lucem non modò ſuſtinere, verùm & amare poſſimus. AD. Perge potius vt cœpiſti: nam nunquam ego contemnenda putem, quæ tu dicenda vel agenda putaueris. AVG. Age iam ergo illam partem conſideremus, cum ſignis non alia ſigna ſignificãtur, ſed ea quæ ſignificabilia nominamus. Et primùm dic mihi, vtrum homo, homo ſit. AD. Nunc verò an ludas neſcio. AVG. Quid ita? AD. Quia quærendum ex me cenſes, vtrum homo aliud ſit quàm homo. AV. Ità credo te illudi arbitrareris, ſi etiam quærerem vtrum prima huius nominis ſyllaba aliud ſit quàm ho, & aliud ſecunda quàm mo. AD. Ita omninò. AVG. At iſtæ duæ ſyllabæ coniunctæ, homo eſt, an negabis? AD. Quis neget? AVG. Quæro ergo, num tu duæ iſtæ ſyllabæ coniunctæ ſis? AD. Nullo modo: ſed video quò tẽdas. AVG. Dicito ergo, ne me contumelioſum putes. AD. Concludi exiſtimas, quòd homo non ſim? AVG. Quid? Tu non idem exiſtimas, qui omnia ſuperiora ex quibus hoc confectum eſt, vera eſſe concedis? AD. Non tibi ego dicam quid exiſtimem, niſi prius abs te audiero, cùm quæreres vtrũ homo, homo ſit, de duabus iſtis ſyllabis, an de re ipſa quam ſignificãt, me interrogaueris? AVG. Tu potius reſponde ex qua parte acceperis interrogationem meam: nã ſi eſt ambigua, prius hoc caueri debuiſti, neque mihi reſpondere antequam certus fieres quónam modo rogauerim. AD. Quid enim me impediret hæc ambiguitas, cùm ego ad vtrunque reſponderim: homo enim prorſus homo eſt: nam & iſtæ duæ ſyllabæ nihil aliud ſunt quàm iſtæ duæ ſyllabæ, & id quod ſignificant, nihil aliud eſt, quàm id quod eſt. AVG. Scio hoc quidem, ſed cur hoc ſolum quod dictum eſt homo, non etiam cætera quæ locuti ſumus, ad vtrunque accepiſti? AD. Vnde enim conuincor quòd & cæteta non ſic acceperim? AVG. Vt alia omittam, eam ipſam primam interrogationẽ meã, ſi totam ex ea parte accepiſſes, qua ſyllabę ſonãt, nihil mihi reſpondiſſes: poſſem tibi enim videri nihil etiã interrogaſſe, nunc verò cùm tria verba ſonuerim, quorum vnum in medio repetiui, dicens vtrum homo;

CAPVT VIII. *Non fruſtrà hæc diſputata.*

† al. ærĩs.

mo,homo ſit, primum & vltimum verbum, non ſecundum ipſa ſigna, ſed ſecundum ea quæ his ſignificantur te accepiſſe,vel hoc ſolo manifeſtum eſt,quod ſtatim certus ac fidens rogationi reſpondendum putaſti. AD. Verum dicis. AVG. Cur ergo id tantum quod in medio poſitum eſt, & ſecundum id quod ſonat, & ſecundum id quod ſignificat, te accipere libuit? AD. Ecce iam totum ex ea tantum parte qua ſignificatur accipio: aſſentior enim tibi, ſermocinari nos omnino non poſſe, niſi auditis verbis ad ea referatur animus, quorum iſta ſint ſigna. Quare oſtende nunc quomodo iſta ratiocinatione deceptus ſim, qua me hominem non eſſe concluditur. AVG. Imò eadem rurſus interrogabo,vt ipſe inuenias vbi lapſus ſis. AD. Bene facis. AVG. Illud ergo quod primò quæſieram, quia iam dediſti, non quæram. Vide igitur diligentiùs, vtrum ſyllaba ho, nihil aliud ſit quàm ho, & vtrum mo, nihil aliud ſit quàm mo. AD. Hic prorſus nihil aliud video. AVG. Vide etiam num iſtis duabus iunctis homo fiat. AD. Nequaquam hoc conceſſerim:placuit enim, & rectè placuit,ſigno dato id quod ſignificatur attendere, & ex eius conſideratione, vel dare vel negare quod dicitur. Illæ autem ſeparatim enunciatæ ſyllabæ,quia ſine vlla ſignificatione ſonuerunt,hoc eas eſſe quod ſonuere conceſſum eſt. AVG. Placet igitur,firmumque animo tenes non reſpondendum eſſe interrogationibus, niſi ex iis rebus quæ verbis ſignificantur. AD. Non intelligo cur diſpliceat, ſi modò verba ſint. AVG. Vellem ſcire quomodo illi reſiſteres,de quo iocanter ſolemus audire, quòd ex eius ore cum quo diſputabat, leonem proceſſiſſe concluſerit. Cùm enim quæſiſſet, vtrum ea quæ loqueremur, noſtro ore procederent,atque ille non potuiſſet negare,quod facile fuit,egit cum homine,vt in loquēdo leonem nominaret. Hoc vbi factum eſt, ridiculè inſultare cœpit & premere, vt quoniam quicquid loquimur, ore noſtro exire confeſſus erat, & leonem ſe locutum eſſe nequibat abnuere, homo non malus tam immanem beſtiam videretur vomuiſſe. AD. Minimè verò erat arduum ſcurræ huic reſiſtere: non enim concederem ore noſtro exire quodcunque loquimur: nam quæ loquimur, ea ſignificamus. Non autem quæ res ſignificatur, ſed ſignum quo ſignificatur loquentis ore procedit,niſi cùm ipſa ſigna ſignificantur:quod genus paulò antè tractauimus. AV. Bene tu quidem hoc modo aduerſus illum eſſes paratus, veruntamen mihi quid reſpondebis, vtrum homo nomen ſit requirenti. AD. Quid niſi eſſe nomen. AVG. Quid cùm te video, num nomen video? AD. Non. AVG. Vis ne igitur dicam quod ſequitur? AD. Ne quæſo,nam mihi ipſe renuncio, me hominem non eſſe, qui nomen eſſe reſponderim, cùm homo vtrum nomen eſſet inquireres. Iam enim placuerat, ex ea re quæ ſignificaretur, aut aſſentiri, aut negare quod dicitur. AVG. At mihi videtur non te fruſtra in hanc reſponſionem decidiſſe: nam vigilantiam tuam mentibus noſtris indita ipſa lex rationis euicit: nam ſi quærerem quid eſſet homo, reſponderes fortaſſe animal: ſi autem quærerem quæ pars orationis eſſet homo, nullo modo poſſes rectè reſpondere niſi nomen: quamobrem cùm homo & nomen & animal eſſe inueniatur, illud dicitur ex ea parte qua ſignum eſt,hoc ex parte rei quam ſignificat. Qui ergo quærit, vtrum homo nomen ſit, nihil ei aliud quàm nomen eſſe reſpondeam: ſatis enim ſignificat ex ea parte ſe velle audire, qua ſignum eſt. Si autem quærit vtrum animal ſit, multo procliuius annuam:quoniam ſi tacens & nomen & animal,tantum quid eſſet homo requireret,placita illi loquendi regula ad id quod duabus ſyllabis ſignificatur, animus curreret. Neque quicquam reſponderetur niſi animal, vel etiam tota definitio diceretur, id eſt animal rationale mortale. An tibi non videtur? AD. Prorſus videtur? Sed cùm eſſe nomen conceſſerimus, quomodo illam concluſionem nimis contumelioſam euitabimus, qua nos homines non eſſe cōficitur? AV. Quomodo putas, niſi docendo non ex ea parte illatam, qua interroganti aſſentiebamur: aut ſi ex ea parte illam ſe fateatur inferre, nullo modo eſſe formidandam. Quid enim metuam hominem, id eſt tres iſtas ſyllabas non eſſe me confiteri? AD. Nihil eſt verius. Cur ergo animum offendit,cùm dicitur,Non es igitur homo;cùm ſecundum illa conceſſa nihil verius dici potuerit? AVG. Quia non poſſum non putare ad id concluſionem referri, quod his duabus ſyllabis ſignificatur, ſimul atque ita verba ſonuerint, ea ſcilicet regula,quæ naturaliter plurimum valet, vt auditis ſignis ad res ſignificatas feratur intentio. AD. Accipio quod dicis. AVG. Iam ergo intelligas volo, res quæ ſignificantur, pluris quàm ſigna eſſe pendendas. Quicquid enim propter aliud eſt, vilius ſit neceſſe eſt etiam quàm id propter quod eſt: niſi tu aliud exiſtimas. AD. Videtur mihi non temerè hic eſſe aſſentiendum: nam cùm dicimus, cœnum, longè hoc nomen arbitror rei quam ſignificat antecellere. Quòd enim nos offendit audientes, non ad ipſius verbi pertinet ſonum: cœnum enim nomen, mutata vna litera cælum eſt, inter illa verò quæ his nominibus ſignificantur, quantum diſtet videmus. Quamobrem nequaquam huic ſigno tribuerim, quod in re quam ſignificat odimus, & propterea hoc illi iure antepono: libentiùs enim hoc audimus, quàm vllo ſenſu illud attingimus. AV. Vigilantiſſimè omnino. Itaque falſum eſt, omnes res pluris quàm earū ſigna eſſe pendendas. AD. Ita videtur. AV. Dic ergo mihi,quid arbitreris eos ſecutos eſſe, qui huic rei tam fœdæ atque aſpernabili nomen indiderunt, vel vtrum eos probes vel improbes? AD. Ego verò illos nec probare, nec improbare audeo,nec quid fuerint ſecuti ſcio. AVG. Potes ne ſaltem ſcire quid tu ſequaris,cùm hoc nomen enuncias? AD. Hoc planè poſſum: nam ſignificare volo, vt eum cū quo loquor, doceā vel admoneam de re illa, quod eum doceri vel admoneri oportere arbitror. AV. Quid ipſum docere aut admonere, ſiue doceri aut admoneri, quod vel tu exhibes commodè per hoc nomen, vel exhibetur tibi,nónne charius quàm ipſum nomen habendum eſt? AD. Concedo ipſam ſcientiam, quæ per hoc ſignum euenit, eidem ſigno eſſe anteponendam: ſed non ideo etiam rem ipſam puto. AV. In illa igitur ſententia noſtra,quanquam ſit falſum, res omnes ſignis ſuis præponi oportere: non tamen falſum eſt, omne quod propter aliud eſt, vilius eſſe quàm id propter quod eſt. Cognitio quippe cœni,propter quā hoc nomen eſt inſtitutum, pluris habenda eſt ipſo nomine, quod eidem cœno præponendum eſſe comperimus. Non enim ob aliud iſta cognitio ſigno, de quo agimus,antelata eſt, niſi quia illud propter hanc, non hæc propter illud eſſe conuincitur. Nam ita cùm quidam orator, qui ventris ab Apoſtolo dicitur cultor,diceret ideo ſe viuere,vt veſceretur: non tulit qui audiebat frugi homo,&: Quanto,inquit,melius ideo veſcereris vt viueres? Vterque tamen ex eadem iſta regula locutus eſt:nam neque alia de cauſa ille diſpliceuit,niſi quòd vitam ſuam tam paruipenderet,vt eam duceret gutturis voluptate viliorem, dicendo ſe propter epulas viuere: neque hic ob aliud iure laudatur, niſi quòd in iis duobus quid propter quid fieret, hoc eſt quid cui ſubiectum eſſet intelligens, cibādum potius vt viuamus, quàm viuendum vt cibemur admonuit. Similiter & tu fortaſſe,& quilibet hominum nō imperitè res æſtimantium,dicenti cuipiam loquaci amatoriq; verborū,ideo doceo vt loquar,reſpōderetis: Homo, cur nō potius ideo loqueris vt doceas? Quòd

CAP. IX. *Res verbis potiores.*

Rom. 16. 6. 18. Phil. 3. d. 19.

ſi hæc

si hæc vera sunt, sicuti esse cognoscis, vides profectò quanto verba minoris habenda sint, quàm id propter quod vtimur verbis, cùm ipse vsus verborum iam sit verbis anteponendus: verba enim sunt vt his vtamur. Vtimur enim his ad docẽdum. Quanto est ergo melius docere quàm loqui, tanto melior est quàm verba locutio. Multo ergo melior doctrina quá verba. Sed cupio audire quid fortè contradicendum putes. AD. Assentior quidem meliorem quàm verba esse doctrinam, sed vtrum aduersus istam regulam qua dicitur, Omne quod propter aliud est, inferius esse quàm id propter quod est, nihil sit quod obiici possit, ignoro. AV. Aliàs hoc opportuniùs, diligentiusq; tractabimus. Nunc illud quod concedis, satis est ad id quod conficere studeo. Das enim cognitionẽ rerum quàm signa rerum esse chariorem. Quamobrem cognitio rerum quæ significantur, cognitioni signorum anteferenda est. An tibi non videtur? AD. Num ego cognitionem signorum cognitione rerum, ac non signis ipsis præstantiorem esse concessi? Quare vereor vt hic tibi assentiar. Quid si enim vt cœnum nomen melius est ea re quam significat, ita & huius nominis cognitio cognitioni quoque illius rei est anteponenda: quamuis ea cognitione sit ipsum nomen inferius? Quatuor quippe sunt: nomẽ & res, cognitio nominis, & cognitio rei. Sicut ergo primum secũdo, cur non & tertium quarto antecellat? Sed si non antecellat, num etiam subiiciendum est? AV. Mirè omnino te video & tenuisse quid cõcesseris, & explicasse quid senseris. Sed, vt opinor, intelligis, hoc tibi trisyllabum nomẽ, quod sonat cùm dicimus vitium, melius esse quàm id quod significat, cùm ipsius cognitio nominis multo sit inferior cognitione vitiorum. Licet itaque constituas etiam ista quatuor atque consideres, nomen & rem, cognitionem nominis, & cognitionem rei. Primum secundo iure præponimus. Hoc enim positum nomẽ in carmine, cùm ait Persius, *Sed stupet hic vitio*, non modò nihil vitij fecit in versu, sed nonnihil etiam ornatùs dedit: cùm tamen res ipsa quæ significatur hoc nomine, in quocunque inest, cogit esse vitiosum. At non ita & tertium quarto, sed quartũ tertio videmus excellere. Huius enim cognitio nominis vilis est præ cognitione vitiorum. AD. Etiámne cùm ista cognitio miseriores facit, censes esse præferendam? Nam idem Persius omnibus pœnis, quas tyrannorum vel crudelitas excogitauit vel cupiditas pendit, hanc vnam anteponit, qua cruciantur homines, qui vitia quæ vitare non possunt, coguntur agnoscere. AV. Potes hoc modo cognitioni huius nominis ipsam quoque virtutum cognitionem negare præferendam: quia virtutem videre nec tenere, supplicium est: quod idem ille Satyricus tyrannis vt puniantur optauit. AD. Deus hanc auertat amẽtiam: iam enim intelligo non ipsas cognitiones, quibus animum imbuit optima omniũ disciplina, esse accusandas, sed eos omnium miserrimos iudicandos, sicut & Persium iudicasse arbitror, qui tali morbo affecti sunt, cui nec tanta medicina subueniat. AV. Bene intelligis: sed quoquo modo se habeat Persiana sententia, quid ad nos? Non enim horum authoritati subiecti sumus in talibus rebus. Deinde si qua cognitio cognitioni præferenda sit, non hic facile est explicare: satis habeo quod effectũ est, cognitionem rerum quæ significantur, & si non cognitione signorum, ipsis tamẽ signis esse potiorem. Quare iam illud magis magisque discutiamus, quale sit genus rerum quas sine signis monstrari posse dicebamus per seipsas, vt loqui, ambulare, sedere, iacere, atque huiusmodi cætera. AD. Iam recolo quid dicas. AV.

Doctrina melior est quàm verba.

Satyra 3. Nempe.

CAP. X. *Signa rebus illustrantur.*

OMNIANE tibi videntur, quæ interrogati mox agere possumus, sine signo posse monstrari, an aliquid excipis? AD. Ego verò etiam atque etiam genus hoc totum considerans, nihil adhuc inuenio quod sine signo valeat doceri, nisi fortè locutionem, & si idipsum quispiam quærat, quid sit docere: video enim eum quicquid post eius interrogationem fecero vt discat, ab ea ipsa re non discere quam sibi demonstrari cupit: nam si me cessantem, vt dictum est, vel aliud agentem roget quispiam, quid sit ambulare, & ego statim ambulando, eum quod rogauit sine signo coner docere, vnde cauebo ne id tantum putet esse ambulare, quantum ego ambulauero? Quòd si putauerit, decipietur. Quisquis enim plus minúsue quàm ego ambulauerit, hunc ille ambulasse non arbitrabitur: & quod de hoc vno verbo dixi, transit in omnia quæ sine signo monstrari posse consenseram, præter duo illa quæ excipimus. AV. Accipio quidem istud: sed nónne tibi videtur aliud esse loqui, aliud docere? AD. Videtur sanè: nam si esset idem, nõ doceret quisquam nisi loquens: cùm verò & aliis signis præter verba multa doceamus, quis de ista differentia dubitauerit? AV. Quid docere & significare, nihil ne interest, an aliquid differunt? AD. Idem puto esse. AV. Nónne rectè dicit, qui dicit ideo nos significare vt doceamus? AD. Rectè prorsus. AV. Quid si dicat alius, ideo nos docere vt significemus, nónne facilè superiore sententia refelletur? AD. Ita est. AVG. Si ergo significamus, vt doceamus, non docemus vt significemus: aliud est docere, aliud significare. AD. Verum dicis, nec rectè idem esse vtrumque respondi. AVG. Nunc illud responde, vtrum qui docet quid sit docere, significando id agat, an aliter. AD. Non video quomodo aliter possit. AVG. Falsum est igitur quod paulò antè dixisti, doceri rem posse sine signis, cùm quæritur quid sit ipsum docere, quando ne hoc quidem videmus sine significatione agi posse, cùm aliud esse significare, aliud docere concesseris. Si enim diuersa sunt, sicut apparet, neque hoc nisi per illud ostenditur, non per se vtique ostenditur, sicut tibi visum erat. Quamobrem nihil adhuc inuentum est, quod mõstrari per seipsum queat præter locutionem, quæ inter alia se quoque significat: quæ tamen cùm etiam ipsa signum sit, nondum prorsus extat quod sine signis doceri posse videatur. AD. Nihil habeo cur non assentiar. AVG. Confectum est igitur & nihil sine signis doceri, & cognitionem ipsam signis quibus cognoscimus, chariorem nobis esse oportere: quamuis non omnia quæ significantur possint suis signis esse potiora. AD. Ita videtur. AV. Quanto tandẽ circuitu res tantilla peracta sit, meministi ne quæso? Nam ex quo inter nos verba iaculamur, quod tamdiu fecimus, hæc tria vt inuenirentur laboratum est: vtrum nihil sine signis possit doceri: & vtrum sint quædam signa rebus quas significant præferenda: & vtrum melior quàm signa sit rerum ipsa cognitio. Sed quartum est, quod breuiter abs te vellem cognoscere, vtrum nam ista inuenta sic putes, vt iam de his dubitare non possis. AD. Vellem quidem tantis ambagibus atque anfractibus esse ad certa peruentum, sed & ista rogatio tua nescio quomodo me solicitat, & ab assensione deterret. Videris enim mihi non hæc de me fuisse quæsiturus, nisi haberes quod contradiceres: & ipsa rerum implicatio totum me inspicere, ac securum respondere non sinit, verentem ne quid in tantis inuolucris lateat, quod acies mentis meæ lustrare non possit. AVG. Dubitationem tuam non inuitus accipio, significat enim animum minimè temerarium, quæ custodia tranquillitatis est maxima: nam difficillimum omnino est non perturbari, cùm ea quæ prona & procliua approbatione tenebamus, contrariis disputationibus labefactantur; & quasi extorquentur è manibus. Quare vt æquum est, bene consideratis perspectisque rationibus cedere; ita incognita pro cognitis habere periculosum.

Metus

Metus est enim ne cùm sæpe subruuntur, quæ firmissimè statura & mansura præsumimus, in tantum odiũ vel timorem rationis incidamus, vt ne ipsi quidẽ perspicuæ veritati fides habenda videatur. Sed age nunc expeditiùs retractemus, vtrum rectè ista dubitãda putaueris. Nam quæro abs te, si quisquam ignarus deceptionis auium, quæ calamis & visco affectatur, obuiã fieret aucupi, armis quidem suis instructo, non tamen aucupanti, sed iter agẽti; quo viso premeret gradum, secumq́; vt fit admirans cogitaret & quæreret, quidnam sibi hominis ille vellet ornatus; auceps autem cũ in se videret attentum, ostentandi se studio cánas expediret, & propè animaduersam aliquam auiculam fistula & accipitre figeret, subigeret & caperet, nónne illum spectatorem suum doceret nullo significatu, sed re ipsa quod ille scire cupiebat? AD. Metuo ne quid hic tale sit, quale de illo dixi, qui quærit quid sit ambulare. Neque enim video, & hic totum illud aucupium esse monstratum. AV. Facile est hac cura te exuere; addo enim, si ille ita intelligẽs esset, vt ex hoc quod vidit, totum illud genus artis agnosceret. Satis est namque ad rem, de quibusdam rebus tametsi non omnibus, & quosdã homines docere posse sine signo. AD. Hoc etiam ego possum illi addere; si enim sit bene intelligens, paucis passibus ambulatione monstrata, totum quid sit ambulare cognoscet. AV. Facias per me licet, nec tãtum nihil resisto, verùm etiam faueo; vides enim ab vtroque nostrûm id effici, vt quædam quidem doceri sine signis queant, falsumque illud sit quod nobis paulò antè videbatur, nihil esse omnino quod sine signis possit ostendi. Iam enim ex his non vnum aliquid aut alterum, sed milia rerũ animo occurrunt, quę nullo signo dato per seipsa monstrentur. Quid enim dubitemus oro te? Nam vt hominum omittam innumerabilia spectacula in omnibus theatris sine signo ipsis rebus exhibentium, solem certè istum lucemq́; hæc omnia perlustrantem atq; vestientem, lunam & cætera sidera, terras & maria, quæq́; in his innumerabiliter gignuntur, nónne per seipsa exhibet atq; ostendit Deus & natura cernẽtibus? Quod si diligẽtiùs cõsideremus, fortasse nihil inuenies quod per sua signa discatur. Cùm enim mihi signum datur, si nescientem me inuenit, cuius rei signum sit, docere me nihil potest. Si verò sciẽtem, quid disco per signũ? Non enim mihi rem quam significat ostẽdit verbum cùm lego, Et saraballæ eorum non sunt immutatæ. Nam si quædam capitum tegmina nuncupantur hoc nomine, num ego hoc audito, aut quid sit caput, aut quid sint tegmina didici? antè ista noueram, neque cùm appellarentur ab aliis, sed cùm à me viderentur, eorum est mihi facta notitia. Etenim cùm primum istæ duæ syllabæ cùm dicimus, caput, aures meas impulerunt, tam nesciui quid significarent, quàm cùm primò audirem legerémue, saraballas. Sed cùm sæpe dicerent, caput, notans atque animaduertens quando diceretur, reperi vocabulum esse rei quæ mihi iam erat videndo notissima. Quod prius quàm reperissem, tantum mihi sonus erat hoc verbum; signum verò esse didici, quando cuius rei signum esset inueni, quam quidem (vt dixi) non significatu, sed aspectu didicerã. Itaq; magis signum re cognita, quàm signo dato ipsa res discitur. Quod vt aperti⁹ intelligas, finge nos primum nunc audire quod dicitur, caput; & nescientes vtrum vox ista sit tantummodo sonans, an aliquid etiam significans quærere quid sit caput; memento nos non rei quæ significatur, sed ipsius signi velle habere notitiam, qua caremus profectò quamdiu cuius signũ est ignoramus. Si ergo ita quærentibus res ipsa digito demonstratur, hac conspecta discimus signum quod audieramus tantum, nondum noueramus. In quo tamen signo cùm duo sint, sonus & significatio, sonum certè non per signum percipimus, sed eo ipso aure pulsata, significationem autem re quæ significatur aspecta. Nam illa intentio digiti significare nihil aliud potest, quàm illud in quod intenditur digitus. Intentus est autem non in signum, sed in membrum quod caput vocatur. Itaque per illam neque rem possum nosse quam noueram, neque signum in quod intentus digitus non est. Sed de intentione digiti non nimis curo, quia ipsius demonstrationis signum mihi videtur potius, quàm rerum aliquarum quæ demonstrãtur, sicut aduerbium quod ecce dicimus; nam cùm & hoc aduerbio digitum solemus intẽdere, ne vnum demonstrandi signum non sit satis. Et id maximè tibi nitor persuadere, si potero, per ea signa quæ verba appellantur nos nihil discere; potius enim, vt dixi, vim verbi, id est significationem, quæ latet in sono, re ipsa quæ significatur cognita discimus, quàm illam tali significatione percipimus. Et quod dixi de capite, hoc etiam de tegminibus, deq́; aliis rebus innumerabilibus dixerim: quas tamen cùm iam nouerim, saraballas adhuc vsque nõ noui: quas mihi si gestu quispiam significarit aut pinxerit, aut aliquid cui similes sunt, ostenderit, non dicam non me docuerit, quod facilè obtinerem, si paulò amplius loqui vellem, sed dico id quod proximum est, non verbis docuerit. Quòd si eis fortè conspectis cùm simul adero me admonuerit, dicens: Ecce saraballa, discam rem quam nesciebam, nõ per verba quæ dicta sunt, sed per eius aspectum, per quem factum est, vt etiam nomen illud quid valeret, nosterem ac tenerem. Non enim cùm rem ipsam didici, verbis alienis credidi, sed oculis meis: illis tamen fortasse vt attenderẽ credidi, id est vt aspectu quærerẽ quid viderem.

HACTENVS verba valuerunt, quibus vt plurimum tribuam, admonent tantum vt quæramus res, non exhibent vt nouerimus. Is me autem aliquid docet, qui vel oculis, vel vlli corporis sensui, vel ipsi etiam mẽti præbet ea quæ cognoscere volo. Verbis igitur nisi verba nõ discimus, imò sonitum strepitumq́; verborum: nam si ea quæ signa non sunt, verba esse non possunt, quamuis iam auditum verbũ, nescio tamen verbum esse, donec quid significet sciã. Rebus ergo cognitis, verborum quoque cognitio perficitur: verbis verò auditis, nec verba discuntur. Non enim ea verba quæ nouimus, discimus: aut quæ non nouimus, didicisse nos possumus confiteri, nisi eorum significatione percepta, quæ non auditione vocum emissarum, sed rerum significatarum cognitione contingit. Verissima quippe ratio est, & verissimè dicitur, cùm verba proferuntur, aut scire nos quid significẽt, aut nescire. Si scimus, commemorari potius quàm discere: si autem nescimus, nec commemorari quidem, sed fortasse ad quærendum admoneri. Quòd si dixeris, tegmina quidem illa capitũ, quorum nomen sono tantum tenemus, non nos posse nisi visu cognoscere, neque nomen ipsum plenius, nisi ipsis cognitis nosse: quod tamen de ipsis pueris accepimus, vt regem ac flammas fide ac religione superauerint, quas laudes Domino cecinerint, quos honores ab ipso etiam inimico meruerint, num aliter nisi per verba didicimus? respondebo, cuncta quæ illis verbis significata sunt, in nostra notitia iam fuisse. Nã quid sint tres pueri, quid fornax, quid ignis, quid rex, quid deniq; illæsi ab igne, cæteraq; omnia iam tenebam quæ verba illa significant. Ananias verò, & Azarias & Misaël tã mihi ignoti sunt quàm saraballæ; nec ad eos cognoscendos hæc me nomina quicquam adiuuerunt aut adiuuare iam potuerunt. Hęc autem omnia quæ in illa leguntur historia, ita illo tempore facta esse, vt scripta sunt, credere me potius quàm scire confiteor: neque istam differentiam iidem ipsi quibus credimus nesciunt. Ait enim Propheta: Nisi credideritis, non intelligetis.

CAPVT XI. *Credere & scire, quid differant.*

Dan. 3. g. 94.

Dan. 3. f. 25.

Esa. 7. b. 9.

Quod

Quod non dixisset profectò, si nihil distare iudicasset. Quod ergo intelligo, id etiam credo: at non omne quod credo, etiam intelligo. Omne autem quod intelligo, scio: non omne quod credo, scio: nec ideo nescio quàm sit vtile credere etiam multa quæ nescio. Cui vtilitati hanc quoque adiungo de tribus pueris historiam: quare pleraque cùm scire non possim, quanta tamen vtilitate credantur, scio. De vniuersis autem quæ intelligimus non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi menti præsidentem consulimus veritatem, verbis fortasse vt consulamus admoniti. Ille autem qui cõsulitur, docet, qui in interiore homine habitare dictus est Christus, id est incõmutabilis Dei virtus atq; sempiterna sapiẽtia: quã quidẽ omnis rationalis anima consulit, sed tantum cuique panditur, quãtum capere propter propriam, siue malam siue bonam voluntatem potest. Et si quando fallitur, non fit vitio consultæ veritatis, vt neque huius, quæ foris est lucis vitium est, quòd corporei oculi sæpe falluntur: quam lucem de rebus visibilibus consuli fatemur, vt eas nobis quantum cernere valemus ostendat.

CAPVT XII. *Christus intus docet.*

QVOD si & de coloribus lucem & de cæteris quæ per corpus sentimus, elementa huius mũdi eademq; corpora quæ sentimus, sensusq; ipsos quibus tanquam interpretibus ad talia noscenda mens vtitur de his autem quæ intelliguntur, interiorem veritatem ratione cõsulimus: quid dici potest vnde clareat, verbis nos aliud discere præter ipsum qui aures percutit sonum? Namque omnia quę percipimus, aut sensu corporis, aut mente percipimus. Illa sensibilia, hæc intelligibilia, siue, vt more authorum nostrorum loquar, illa carnalia, hæc spiritualia nominamus. De illis dum interrogamur, respondemus, si præsto sunt ea quæ sentimus: velut cùm à nobis quæritur intuentibus lunã nouã, qualis aut vbi sit. Sic ille qui interrogat, si non videt, credit verbis, & sæpe non credit. Discit autẽ nullo modo, nisi & ipse quod dicitur videat, vbi iam non verbis quæ sonuerunt, sed rebus ipsis & sensibus discit. Nam verba eadem sonãt videnti, quæ non videnti etiam sonuerant. Cùm verò nõ de iis quæ coram sentimus, sed de his quæ aliquando sensimus quæritur, nõ iam res ipsas, sed imagines ab eis impressas memoriæq; mãdatas loquimur: quæ omnino quomodo vera dicamus, cùm falsa intueamur ignoro, nisi quia non nos ea videre ac sentire, sed vidisse ac sensisse narramus. Ita illas imagines in memoriæ penetralibus rerum antè sensarum quædam documenta gestamus, quæ animo contemplantes bona conscientia nõ mẽtimur cùm loquimur, sed nobis sunt ista documẽta: is autem qui audit, si ea sensit atque adfuit, non discit meis verbis, sed recognoscit ablatis secum & ipse imaginibus. Si autem ille non sensit, quis non eũ credere potius verbis quàm discere intelligat? Cùm verò de iis agitur quæ mente conspicimus, id est intellectu atque ratione, ea quidẽ loquimur quæ præsentia contuemur in illa interiore luce veritatis, qua ipse qui dicitur homo interior, illustratur & fruitur: sed tunc quoque noster auditor, si & ipse illo secreto ac simplici oculo videt, nouit quod dico sua contemplatione, non verbis meis. Ergóne huno quidem doceo vera, dicens vera intuentem: docetur enim nõ verbis meis, sed ipsis rebus Deo intus pandente manifestiùs. Itaq; de his etiam interrogatus respõdere posset. Quid autem absurdius quàm eum putare locutione mea doceri, qui posset antequam loquerer ea ipsa interrogatus exponere? Nam quod sæpe contingit, vt interrogatus aliquid neget, atq; ad id fatendum aliis interrogationibus vrgeatur, fit hoc imbecillitate cernentis, qui de re tota illam lucem cõsulere non potest: quod vt partibus faciat, admonetur, cùm de istis partibus interrogatur, quibus illa summa constat, quam totam cernere non valebat. Quòd si verbis perducitur eius qui interrogat, non tamen docentibus verbis, sed eo modo inquirentibus, quo modo est ille à quo quæritur intus discere idoneus: velut si abs te quærerẽ hoc ipsum quod agitur: vtrum nam verbis doceri nihil possit, & absurdum tibi primò videretur non valenti totum conspicere: sic ergo quærere oportuit, vt tuæ sese vires habeant ad audiendum illum intus magistrum, vt dicerem ea quæ me loquente vera esse confiteris & certus es, & te illa nosse confirmas. Vnde didicisti? respõderes fortasse quòd ego docuissem. Tum ego subnecterem: quid si me hominem volantem vidisse dicerem, itáne te certum verba mea redderent; quemadmodum si audires sapientes homines stultis esse meliores? Negares profectò & responderes, illud te nõ credere, aut etiam si crederes ignorare, hoc autem certissimè scire. Ex hoc iam nimirum intelligeres, neque in illo quod me affirmante ignorares, neq; in hoc quod optimè scires, aliquid te didicisse verbis meis, quandoquidem etiam interrogatus de singulis; & illud ignotum, & hoc tibi notum esse iurares. Tum verò totum illud quod negaueras fatereris, cùm hæc ex quibus constat clara & certa esse cognoscerес, omnia scilicet quæ loquimur, aut ignorare auditorem vtrum vera sint, aut falsa esse nõ ignorare, aut scire vera esse. Horum trium in primo aut credere aut opinari aut dubitare: in secundo aduersari atque renuere: in tertio attestari: nusquam igitur discere. Quia & ille qui post verba nostra rem nescit, & qui se falsa nouit audisse, & qui posset interrogatus eadem respondere quæ dicta sunt, nihil verbis meis didicisse cõuincitur.

CAPVT XIII. *Oratio non semper patefacit animum.*

QVAMOBREM in iis etiam quæ mente cernuntur, frustra cernentis loquelas audit quisquis ea cernere non potest, nisi quia talia quamdiu ignorantur vtile est credere: quisquis autem cernere potest, intus est discipulus veritatis, foris iudex loquentis, vel potius ipsius locutionis: nam plerumque scit illa quæ dicta sunt, eò ipso nescieẽte qui dixit: veluti si quisquam Epicureis credens, & mortalem animam putans, eas rationes quæ de immortalitate eius à prudentioribus tractatæ sunt, eloquatur illo audiente, qui spiritalia contueri potest. Iudicat iste eum vera dicere. At ille qui dicit, vtrum vera dicat ignorat, imò etiam falsissima existimat. Num igitur putãdus est ea docere quæ nescit? Atqui iisdem verbis vtitur quibus vti etiam sciens posset. Quare iam ne hoc quidem relinquitur verbis, vt his saltem loquẽtis animus iudicetur: siquidem incertum est vtrum ea quæ loquitur sciat. Adde mentientes atque fallentes, per quos facilè intelligas non modò non aperiri, verumetiam occultari animũ verbis. Nam nullo modo ambigo id conari verba veracium, & quodammodo profiteri, vt animus loquẽtis appareat, quòd id obtineret omnibus concedentibus, si loqui mentientibus non liceret. Quanquam sæpe experti fuerimus, & in nobis & in aliis, nõ earum rerum quæ cogitantur verba proferri: quod duobus modis posse accidere video, cùm aut sermo memorię mandatus, & sæpe decursus alia cogitantis ore funditur: quod nobis cùm hymnum canimus sæpe contingit: aut cùm alia pro aliis verba præter voluntatem nostram linguæ ipsius errore prosiliunt: nam hic quoque non earum rerum signa quas in animo habemus audiuntur. Nam mentientes quidem cogitant etiam de iis rebus quas loquuntur, vt tametsi nesciamus an verum dicant, sciamus tamẽ eos in animo habere quod dicunt, si non eis aliquid duorum quæ dixi accidat: quæ si quis & interdum accidere contendit, & cùm accidit apparere, quanquam sæpe occultum est, & sæpe me fallit audientem, non resisto. Sed his accidit aliud genus, sanè latè patẽs, & semen innumerabilium dissensionum atque certaminum: cùm ille qui loquitur,

tur, eadẽ quidem significat quæ cogitat, sed plerunq; tantum sibi & aliis quibusdam: ei verò cui loquitur & item aliis nonnullis, nõ idem significat. Dixerit enim aliquis audientibus nobis, ab aliquibus belluis hominem virtute superari: nos ilico ferre non possumus, & hanc tam falsam pestiferamq; sententiam magna intentione refellimus: cùm ille fortasse virtutem, vires corporis vocet, & hoc nomine id quod cogitauit enunciet: nec mentiatur, nec erret in rebus, nec aliud aliquid voluens animo, mandata memoriæ verba cõtexit, nec linguæ lapsu aliud quàm voluebat sonat: sed tantummodo rem quam cogitat, alio quàm nos nomine appellat: de qua illi statim assentiremur, si eius cogitationem possemus inspicere, quam verbis iam prolatis explicataq; sententia sua, nondum nobis pandere valuit. Huic errori definitionem mederi posse dicunt: vt in hac quæstione si definiret quid sit virtus, eluceret, aiunt, non de re, sed de verbo esse cõtrouersiam: quod vt concedam ita esse, quotus quisque bonus definitor inueniri potest: & tamen aduersus disciplinam definiendi multa disputata sunt, quæ neque hoc loco tractare opportunum est, nec vsquequaque à me probantur. Omitto quòd multa non bene audiuimus, & quasi de auditis diu multumque contendimus: velut tu nuper verbo quodam Punico, cùm ego misericordiam dixissem, pietatem significari te audisse dicebas ab eis quibus hæc lingua magis nota esset. Ego autem resistens, quod acceperis tibi omnino excidisse asserebam. Visus enim mihi eras non pietatem dixisse, sed fidem, cùm & coniunctissimus mihi assideres, & nullo modo hæc duo nomina similitudine soni aurem decipiant. Diu te tamen arbitratus sum nescire quid tibi dictum sit, cùm ego nescirem quid dixeris: nam si te bene audissem, nequaquam mihi videretur absurdum pietatem & misericordiam vno vocabulo Punicè vocari. Hæc plerũque accidunt, sed ea (vt dixi) omittamus, ne calumniam verbis de audiendi negligentia, vel etiam de surditate hominum videar commouere: illa magis angunt quæ superiùs enumeraui, vbi verbis liquidissimè aure perceptis & Latinis non valemus, cùm eiusdem linguæ simus, loquentium cogitata cognoscere. Sed ecce iam remitto & concedo, cùm verba eius auditu cui nota sunt, accepta fuerint, posse illi esse notum de iis rebus quas significant loquentem cogitauisse: num ideo etiam quod nunc quæritur, vtrum vera dixerit, discit?

CAPVT XIIII. *Christus docet, homo admonet.*

NVM hoc magistri profitẽtur, vt cogitata eorum, ac non ipsæ disciplinæ quas loquendo se tradere putant, percipiantur atque teneantur? Nam quis tam stultè curiosus est, qui filium suum mittat in scholã, vt quid magister cogitet discat? At istas omnes disciplinas quas se docere profitentur, ipsiusq; virtutis atq; sapientiæ cùm verbis explicauerint, tum illi qui discipuli vocantur, vtrum vera dicta sint, apud semetipsos considerant, interiorem scilicet illam veritatem pro viribus intuentes. Tunc ergo discunt. Et cùm vera dicta esse intus inuenerint, laudant, nescientes nõ se doctores potius laudare quã doctos, si tamen & illi quod loquuntur sciunt. Falluntur autem homines, vt eos qui non sunt magistros vocent, quia plerumque inter tempus locutionis & tempus cognitionis, nulla mora interponitur. Et quoniam post admonitionem sermocinantis citò intus discunt, foris se ab eo qui admonuit didicisse arbitrantur. Sed de tota vtilitate verborum, quæ si bene consideretur non parua est, aliàs si Deus fuerit requiremus. Nunc enim ne plus eis quàm oportet tribueremus, admonui te: vt iam non crederemus tantum, sed etiam intelligere inciperemus, quàm verè scriptum sit authoritate diuina, ne nobis quenquam magistrum dicamus in terris, quòd vnus omnium magister in cælis sit. Quid sit autem in cælis, docebit ipse à quo etiam per homines signis admonemur & foris, vt ad eum intrò conuersi erudiamur, quem diligere ac nosse beata vita est, quam se omnes clamãt quærere, pauci autem sunt qui eam verè se inuenisse lætentur. Sed iam mihi dicas velim, quid de hoc toto meo sermone sentias? Si enim vera esse quæ dicta sunt nosti, etiam de singulis sententiis interrogatus ea te scire dixisses. Vides ergo à quo ista didiceris. Neque enim à me, cui roganti omnia respondere res. Si autem vera esse nõ nosti, nec ego nec ille te docuit. Sed ego quia nunquam possum docere, ille quia tu adhuc non potes discere. AD. Ego verò didici admonitione verborum tuorum, nihil aliud verbis quã admoneri hominem vt discat, & perparum esse quod per locutionem aliquanta cogitatio loquentis appareret. Vtrum autem verà dicantur, eum docere solum qui se intus habitare cùm foris loqueretur admonuit: quem iam fauente ipso tanto ardentiùs diligam, quãto ero in discendo prouectior. Veruntamen huic orationi tuæ, qua perpetua vsus es, ob hoc habeo maximè gratiam, quòd omnia quæ contradicere paratus eram, præoccupauit atque dissoluit, nihilque omnino abs te derelictum est, quod me dubium faciebat, de quo non ita mihi responderet secretum illud oraculum, vt tuis verbis asserebatur.

Matth. 23. b. 10.

FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
DE IMMORTALITATE ANIMÆ LIBER.

D. Augustl. lib. 1. Retract. cap. 5.

POST libros Soliloquiorũ iam de agro Mediolanum reuersus, scripsi librum De immortalitate animæ, quem mihi quasi commonitorium esse volueram propter Soliloquia terminanda, quæ imperfecta remanserant. Sed nescio quomodo me inuito exiit in manus hominũ, & inter mea opuscula nominatur. Qui primò ratiocinationum contorsione atque breuitate sic obscurus est, vt fatiget cùm legitur etiam intentionem meam, vixq; intelligatur à meipso. Deinde cogitans nihil aliud quàm animos hominum, in quadam argumentatione eiusdem libri dixi, Nec esse in eo quod nihil discit, disciplina potest. Item quod alio loco dixi, Nec vllam rem scientia complectitur, nisi quæ ad aliquam pertinet disciplinam: nec venit in mentem Deum nõ discere disciplinas, & habere omnium rerum scientiam, in qua etiam præscientia est futurorum. Tale est & illud quod ibi dictum est, Non esse vitam cum ratione vlli, nisi animæ. Neque enim Deo sine ratione vita est, cùm apud eum & summa vita, & summa sit ratio. Et illud quod aliquãto superiùs dixi, id quod intelligitur, eiusmodi esse semper; cùm intelligatur & animus, qui vtique nõ eiusmodi est semper. Quod verò dixi, Animum propterea non posse ab æterna ratione separari, quia non ei localiter iungitur: profectò non dixissem, si iam tunc essem literis sacris ita eruditus, vt recolerem quod scriptum est: Peccata vestra separant inter vos & Deum. Vnde intelligi datur, etiam earum rerum posse dici separationem, quæ non locis, sed incorporaliter iunctæ fuerãt. Quid sit etiam quod dixi: Anima si caret corpore, in hoc mũdo non est; nõ potui

Cap. 1. *Cap. 4.* *Cap. 1.* *Cap. 6.* *Esa. 59. d. 2.* *Cap. 13.*

potui recordari. Nunquid enim animæ mortuorum aut non carent corpore, aut in hoc mundo non sunt? Quasi verò inferi non sint in hoc mũdo. Sed quia carere corpore, in bono posui, fortasse nomine corporis pestes corporeas appellaui. Quod si ita est, nimis insoléter verbo vsus sum. Illud quoq; temerè dictum est: A summa essentia speciem corpori per animam tribui, qua est, inquantũcunque est. Per animam ergo corpus subsistit, & eo ipso est quo animatur: siue vniuersaliter vt mundus, siue particulariter vt vnũ quodque animal intra mundum. Hoc totũ prorsus temerè dictum est. Hic liber sic incipit:

Corpus, pestes corporeas significat.

Cap. 15.

CAP. I. *Prima ratio, quòd anima sit immortalis, ab adiacente immortali.*

SI ALICVBI est disciplina, nec esse nisi in eo quod viuit potest, & semper est, neq; quicquam in quo quid semper est, potest esse non semper, semper viuit in quo est disciplina. Si nos sumus qui ratiocinamur, id est animus noster, nec B rectè ratiocinari sine disciplina potest: nec sine disciplina esse animus nisi in quo disciplina nõ est, potest: est in hominis animo disciplina. Est autem alicubi disciplina: nam est, & quicquid est, nusquam esse nõ potest. Item disciplina nõ potest esse nisi in eo quod viuit. Nihil enim quod nõ viuit, aliquid discit. Nec esse in eo quod nihil discit disciplina potest. Item semper est disciplina. Nam quod est, atque immutabile est, semper sit necesse est. Esse autem disciplinam, nemo negat. Et quisquis fatetur fieri non posse, vt ducta per medium circulum linea non sit omnium, quæ nõ per medium ducuntur maxima, idq; esse alicuius disciplinæ, immutabilem disciplinam esse non negat. Item nihil in quo quid semper est, potest esse non semper. Nihil enim quod semper est, patitur sibi subtrahi aliquãdo id in quo semper est. Iá verò cũ ratiocinamur, animus id agit. Non enim id agit, nisi quod intelligit: nec corpus intelligit, nec animus auxiliante corpore C intelligit: quia cùm intelligere vult, à corpore auertitur. Quod enim intelligit, eiusmodi est semper, nihilque corporis eiusmodi est semper: non igitur potest adiuuare animum ad intellectum nitentem, cui non impedire satis est. Item nemo sine disciplina rectè ratiocinatur. Est enim recta ratiocinatio à certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio: nihilq; certum est in animo quod ignorat. Omne autem quod scit animus in sese habet, nec vllam rem scitia complectitur, nisi quæ ad aliquam pertineat disciplinam. Est enim disciplina quarumq; rerum scientia. Semper igitur animus humanus viuit.

1. Retract. cap. 3.

Ibid. cap. 5.

Recta ratiocinatio quid sit.

1. Retract. cap. 5.

CAP. II. *Secunda ratio, quod sit immutabilis, vel adiacẽtis immutabilis subiectum.*

RATIO profectò aut animus est, aut in animo. Melior autẽ ratio nostra quàm corpus nostrum. Et corpus nostrum nonnulla substãtia est, & melius est esse substãtiam quàm nihil: non est igitur ratio nihil. Rursum quęcunque harmonia corporis est, in subiecto corpore sit necesse est inseparabiliter, nec aliud quicquã in illa harmonia esse D credatur, quod nõ æquè necessariò sit in subiecto illo corpore, in quo & ipsa harmonia non minus inseparabiliter. Mutabile est autem corpus humanũ, & immutabilis ratio. Mutabile est enim omne, quod semper eodem modo nõ est. Et semper eodem modo est, duo & quatuor & sex. Item semper eodem modo est quod est, quod quatuor habẽt duo & duo, hoc autem non habent duo. Duo igitur quatuor nõ sunt. Est autem ista ratio immutabilis: igitur ratio est. Nullo modo autẽ potest mutato subiecto, id quod in eo est inseparabiliter nõ mutari. Non est igitur harmonia corporis animus. Nec mors potest accidere immutabilibus rebus. Sẽper ergo animus viuit, siue ipsa ratio sit, siue in eo ratio inseparabiliter.

CAPVT III. *Vita substãtia & immutabilis animus, nec si quomodo mutabilis, propterea morta lis sit. Ratio tertia.*

QVÆDAM constantia virtus est, & omnis constantia immutabilis est, & omnis virtus potest aliquid agere, nec cùm non agit aliquid, virtus non est. Omnis porrò actio mouetur, aut mouet. Aut igitur nõ omne quod mouet, aut certè non omne quod mouetur, mutabile est: aut omne quod ab alio mouetur, nec mouet ipsũ aliquid, mortale est. Neque mortale quicquam immutabile. Quare de certo iam & sine vlla disiunctione concluditur, non omne quod mouet, mutari. Nullus autem motus sine substantia: & omnis substantia aut viuit, aut non viuit: atque omne quod non viuit, exanime est: nec est vlla exanimis actio. Illud igitur quod ita mouet vt non mutetur, non potest esse sine viua substantia. Hæc autem omnis per quoslibet gradus corpus mouet quod mutabile est. Corpus autem non nisi secundùm tempus mouetur: ad hoc enim pertinet tardius, & celerius moueri: conficitur esse quiddam quod tempore moueat, nec tamen mutetur. Omne autem quod tempore mouet corpus, tametsi ad vnũ finem tendat, tamen nec simul potest omnia facere, B nec potest non plura facere: neque enim valet quauis ope agatur, aut perfectè vnum esse, quod in partes secari potest, aut vllum esse sine partibus corpus, aut sine morarum interuallo tempus, aut verò vel breuissima syllaba enuncietur, cuius non tunc finem audias, cùm iam non audis initium. Porrò quod sic agitur, & expectatione opus est vt peragi, & memoria vt comprehendi queat quantum potest. Et expectatio futurarum rerum est, præteritarum verò memoria. At intentio ad agendum præsentis est temporis, per quod futurum in præteritum transit, nec cœpti motus corporis expectari finis potest sine vlla memoria. Quomodo enim expectatur vt desinat, quod aut cœpisse excidit, aut omnino nondum esse? Rursus intentio peragendi quæ præsens est, sine expectatione finis qui futurus est, nõ potest esse: nec est quicquam quod aut nondum est, aut iam non est. Potest igitur in agendo quiddam esse, quod ad ea quæ nõdum sunt pertineat. C Possunt simul in agente plura esse, cùm ea plura quæ aguntur simul esse non possint. Possunt ergo etiam in mouente, cùm in eo quod mouetur non possint. At quæcunque in tempore simul esse non possunt, & tamen à futuro in præteritum transmittuntur, mutabilia sint necesse est. Hinc iá colligimus, posse esse quiddam quod cùm mouet mutabilia, non mutatur. Cùm enim non mutatur mouentis intentio perducendi ad finem quem volet corpus quod mouet, illudque corpus de quo aliquid fit eodem motu per momẽta mutetur, atq; illa intentio perficiendi quàm immutatam manere manifestum est, & ipsa membra artificis, & lignum aut lapidem artifici subiectum moueat, quis dubitet consequens esse quod dictum est? Non igitur si qua mutatio corpori mouente animo fit, quamuis in eam sit intẽtus, hinc eum necessariò mutari, & ob hoc etiam mori arbitrandum est. Potest enim in hac intentione simul & memoriam præteritorum & expectationem futurorum habere, quæ omnia sine vita D esse non possunt. Quãquam etsi nullus interitus sine mutatione fit, & nulla mutatio sine motu, non tamẽ omnis mutatio interitum, omnisq; motus mutationẽ operatur. Licet enim ipsum corpus nostrum, & motũ plerunque qualibet actione, & mutatum certè vel ætate dicere, tamen nondum interisse, id est non esse sine vita. Liceat igitur & animum non continuò putare priuari vita, quanquam ei fortasse per motum mutatio nonnulla contingat.

Quòd nulla mutatio sine motu. Nec omnis mutatio interitum operatur.

CAPVT IIII. *Ars & ratiõ numerorum immutabilis quæ animo non sine vitã inhærent. Ratio quarta.*

SI enim manet aliquid immutabile in animo, quod sine vita esse non possit, animo etiam vita sempiterna maneat necesse est. Nã hoc prorsus ita se habet, vt si primum est, sit secundũ. Est autem primum. Quis enim, vt alia omittam, aut rationẽ numerorũ mutabilem esse audeat dicere: aut artem quamlibet non ista ratione constare: aut artem non esse in artifice, etiam cùm eam non exercet: aut

eius esse, nisi in animo: aut vbi vita non sit, esse posse: aut quod immutabile est esse aliquando non posse: aut aliud esse artem, aliud rationem? Quamuis enim ars vna multarum quasi quidam cœtus rationum esse dicatur, tamen ars etiam vna ratio dici verissimè atque intelligi potest. Sed siue hoc, siue illud sit, non minus immutabilem artem esse conficitur: artem autem non solum esse in animo artificis, sed etiam nusquam esse nisi in animo artificis manifestum est, idque inseparabiliter. Nam si ars ab animo separabitur, aut erit præterquam in animo, aut nusquam erit, aut de animo in animum continuò transibit. At vt sedes
2. Remed. cap. 5. arti nulla sine vita est, ita nec vita cum ratione vlli nisi animæ. Nusquam porrò esse quod est, vel quod immutabile est non esse aliquando non potest. Si verò ars de animo in animum transit, in illo mansura deserens istum, nemo artem docet, nisi amittendo, aut etiam non nisi docentis obliuione fit aliquis peritus sine morte. Quæ si absurdissima & falsissima sunt, sicuti sunt, immortalis est animus humanus. At enim si ars aliquando est, aliquando non est in animo, quod per obliuionem atque imperitiam satis notum est, nihil ad eius immortalitatem affert argumenti huius connexio, nisi negetur antecedens hoc modo. Aut est aliquid in animo, quod in præsenti cogitatione non est, aut non est in erudito animo ars musica, cũ de sola geometrica cogitat. Hoc autem falsum est, illud igitur verum. Non autem quicquam se habere animus sentit, nisi quod in cogitationem venerit. Potest igitur aliquid esse in animo, quod esse in se animus ipse nõ sentiat. Id autem quamdiu sit, nihil interest. Namque si diutius fuerit in aliis animus occupatus, quàm vt intentionem suam in antecogitata facilè possit reflectere, obliuio vel imperitia nominatur. Sed cùm vel nos ipsi nobiscum ratiocinantes, vel ab alio bene interrogati de quibusdam liberalibus artib⁹ quædam inuenimus, non alibi quàm in animo nostro inuenimus. Neque enim id est inuenire quod facere aut gignere: alioquin æterna gigneret animus inuentione temporali, nam æterna sæpe inuenit. Quid enim tam æternum quàm circuli ratio, vel si quid aliud in huiuscemodi artibus, nec non fuisse aliquando, nec non fore comprehenditur? Manifestum etiam est, immortalem esse animum humanum, & omnes veras rationes in secretis eius esse, quamuis eas siue ignoratione siue obliuione, aut non habere, aut amisisse videatur.

CAP. V. *Animus non mutatur vt desinat esse animus. Ratio quinta.*

NVNC quatenus accipienda sit animi mutatio, videamus. Si enim subiectus est animus arte in subiecto existente, neque subiectum immutari potest, quin & id quod in subiecto est immutetur, quî possumus obtinere immutabilem esse artem atque rationem, si mutabilis animus in quo illa sunt esse conuincitur? Quæ autem maior quàm in contraria solet esse mutatio, & quis negat animum, vt omittam cætera, stultum aliàs, aliàs verò esse sapientem? Prius ergo quot modis accipiatur, quæ dicitur animę mutatio, videamus, qui (vt opinor) manifestiores duntaxat clarioresque nobis duo sunt genere, specie verò plures inueniuntur. Namque aut secundùm corporis passiones, aut secundùm suas, anima dicitur immutari. Secũdùm corporis, vt per ætates, per morbos, per dolores, labores, offensiones, per voluptates. Secundùm suas autem, vt cupiendo, lætando, metuendo, ægrescendo, studendo, discendo. Hæ omnes mutationes, si non necessariò argumento sunt mori animam, nihil quidem metuendæ sunt per se ipsæ separatim: sed ne rationi nostræ aduersentur, qua dictum est, mutato subiecto omne quod in subiecto est necessariò mutari, videndum est. Sed non aduersantur. Nam illud secundùm hanc mutationem subiecti dicitur, per quam omnino mutare cogitur nomen.

A Nam si ex albo cera nigrum colorem ducat alicunde, non minus cera est, & si ex quadrata rotundam formam sumat, & ex molli durescat, frigescatque ex calida: at ista in subiecto sunt, & cera subiectum. Manet autem cera nõ magis minúsue cera cùm illa mutentur. Potest igitur aliqua mutatio fieri eorum quæ in subiecto sunt, cùm ipsum tamen iuxta id quod hoc est ac dicitur, non mutetur. At si eorum quæ in subiecto sunt, tanta cõmutatio fieret, vt illud quod subesse dicebatur, dici iam omnino nõ posset, veluti cùm calore ignis cera in auras discedit, eamque mutationem patitur vt rectè intelligatur mutatum esse subiectum, quod cera erat, & cera iam nõ est, nullo modo aliqua ratione quicquam eorum, quæ in illo subiecto ideo erant, quia hoc erat, manere putaretur. Quamobrem si anima subiectum est, vt suprà diximus, in quo ratio inseparabiliter ea necessitate quoque qua in subiecto esse mõstratur, nec nisi viua anima potest esse anima, nec in ea ratio potest esse sine vita, & immortalis ra-
B tio, immortalis est anima. Prorsus enim nullo pacto non existente subiecto suo immutabilis ratio permaneret. Quod eueniret, si tanta accideret animæ mutatio, vt eam non animam faceret, id est mori cogeret. Nulla autem illarum mutationũ, quæ siue per corpus siue per ipsam animam fiunt, quamuis vtrum aliquæ per ipsam fiant, id est quarum ipsa sit causa, non parua sit quæstio: id agit vt animam nõ animam faciat. Iam igitur non solum per se, verùm nec nostris rationibus formidandæ sunt. ERGO incumbendum omnibus ratiocinandi viribus video, vt ratio quid sit, & quoties definiri possit sciatur, vt secundùm omnes modos, & de animæ immortalitate constet. Ratio est aspectus animi, quo per seipsum, non per corpus verum intuetur: aut ipsa veri contemplatio, non per corpus, aut ipsum verum quod contemplatur. Primùm illud in a-
C nimo esse ne.no ambigit. De secundo & tertio quæri potest, sed & secũdum sine animo esse non potest. De tertio magna quæstio est, vtrũ verum illud quod sine instrumẽto corporis animus intuetur sit per seipsum, & non sit in animo, aut possit esse sine animo. Quoquolibet modo autem se habeat, non id posset contẽplari animus per seipsum, nisi aliqua coniunctione cũ eo. Nam omne quod cõtemplamur, siue cogitatione capimus, aut sensu aut intellectu capimus. Sed ea quæ sensu capiuntur, extra etiam nos esse sentiũtur, & locis continentur, vnde nec percipi quidem posse affirmantur. Ea verò quæ intelligũtur, non quasi alibi posita intelliguntur quã ipse qui intelligit animus, simul enim etiam intelligũtur non cõtineri loco. Quare ista coniunctio intuẽtis animi, & eius veri quod intuetur, aut ita est, vt subiectum sit animus, verum aũt illud in subiecto: aut contrà subiectum verum, & in subiecto animus, aut vtrumq; substantia. Horum autem trium si primum est, tam est immortalis animus, quàm ratio secundùm superiorem disputationem, quòd inesse illa nisi viuo non potest. Eadem necessitas in secundo
D est. Nam si verũ illud quod ratio dicitur, nihil habet commutabile sicut apparet, nihil commutari potest, quod in eo tanquam in subiecto est. Remanet igitur omnis pugna de tertio. Nam si animus substantia est, & substantia rationi coniungitur, non absurdè quis putauerit fieri posse, vt manente illa hic esse desinat. Sed manifestum est quamdiu animus à ratione non separatur, eiq; cohæret, necessariò eum manere atque viuere. Separari autem qua tandem vi potest? Num corporea, cuius & potẽtia infirmior, & origo inferior, & ordo separatior? Nullo modo. Animali ergo? Sed etiam id quo modo? An aliter animus potentior quisquis est, contemplari rationem non potest, nisi alterũ inde separauerit? At neque ratio cuiquam contemplanti defuerit, si omnes contemplentur: & cùm nihil

CAPVT VI. *Ratio quæ incommutabilis est, siue animo siue cum animo sit, siue animus ipse ea, ab ipso eodem animo separari nequit. Ratio sexta.*

sit

sit ipsa ratione potentius, quà nihil est incommutabilius, nullo pacto erit animus nondum rationi coniunctus, eo qui est coniunctus potētior. Restat vt aut ipsa ratio à se ipsum separet, aut ipse animus ab ea voluntate separetur. Sed nihil est in illa natura inuidentiæ, quo minus fruendam se animo præbeat. Deinde quo magis est, eo quicquid sibi coniungitur facit vt sit, cui rei contrarius est interitus. Voluntate autem animum separari à ratione, non minus absurdè quis diceret, si vlla abinuicem separatio posset esse rerum quas non continet locus. Quod quidem dici aduersus omnia superiora potest, quibus alias cōtradictiones opposuimus. Quid ergo? Iámne concludendum est, animum esse immortalem? An etiamsi separari non potest, extingui potest? At si illa rationis vis ipsa sua cōiunctione afficit animum, neque enim non afficere potest, ita profectò afficit vt ei esse tribuat. Est enim maximè ipsa ratio, vbi summa etiam incōmutabilitas intelligitur. Ita quæcunque ex se afficit, cogit esse quodammodo. Non ergo extingui animus potest, nisi à ratione separatus. Separari autem non potest, vt suprà ratiocinati sumus. Non potest igitur interire. AT enim auersio ipsa à ratione per quā stultitia cōtingit animo, sine defectu eius fieri non potest: si enim magis est ad rationem conuersus, eiq; inhærens, ideo quòd inhæret incommutabili rei quæ est veritas, quę & maximè & primitùs est, cùm ab ea est auersus idipsum esse minus habet, quod est deficere. Omnis autem defectus tēdit ad nihilum, & interitum nullum magis propriè oportet accipi, quàm cùm id quod aliquid erat nihil fit. Quare tendere ad nihilum, est ad interitū tendere. Qui cur non cadat in animum, vix est dicere, in quem defectus cadit. Dantur hic cætera. Sed negatur esse consequens interire id quod tendit ad nihilum, id est ad nihilum peruenire. Quod in corpore quoq; animaduerti potest. Nam quoniam quodlibet corpus pars est mundi sensibilis, & ideo quanto maius est locique plus occupat, tanto magis propinquat vniuerso: quātoque id magis facit, tanto maius est. Maius est enim totum quàm pars. Quare etiam minus sit cùm minuitur necesse est. Defectum ergo patitur cùm minuitur. Porrò autem minuitur, cùm ex eo aliquid præcisione detrahitur. Ex quo conficitur vt tali detractione tendat ad nihilum. At nulla præcisio perducit ad nihilū. Omnis enim pars quæ remanet, corpus est, & quicquid hoc est, quantolibet spatio locum occupat. Neque id posset, nisi haberet partes in quas identidē cæderetur. Potest igitur infinitè cędendo infinitè minui, & ideo defectum pati atque ad nihilum tendere, quāuis peruenire nūquam queat. Quod item de ipso spatio & quolibet interuallo dici atque intelligi potest. Nam & de his etiam terminatis, dimidiam, verbi gratia, partem detrahendo, & ex eo quod restat, semper dimidiam, minuitur interuallum, atq; ad finem progreditur, ad quē tamen nullo peruenitur modo. Quo minus hoc de animo formidandum est. Est enim profectò corpore melior & viuacior, à quo huic vita tribuitur. QVOD si non id quod est in mole corporis, sed id quod in specie facit corpus esse, quæ sententia inuictiore ratione approbatur: tāto enim magis est corpus, quanto speciosius est atque pulchrius, tantóque minus est, quāto fœdius ac deformius, quæ defectio non præcisione molis, de qua iam satis actum est, sed speciei putatione contingit: quærendum de hac re diligenter ac discutiendum est, nequis affirmet animum tali defectu interire, vt quoniam specie aliqua sua priuatur dum stultus est, credatur in tantum augeri posse hāc priuationem vt omnimodo specie spoliet animum, & ea labe ad nihilum redigat cogatque interire. Quamobrem si potuerimus impetrare vt ostendatur, ne corpori quidem hoc posse accidere, vt etiam ea specie priuetur qua corpus est, iure fortasse obtinebimus multò minus auferri posse animo quo animus est. Siquidem nemo se bene inspexit, qui non omni corpori qualemlibet animum præponendum esse fateatur. Sit igitur nostræ ratiocinationis exordium, quòd nulla res se facit aut gignit, alioquin erat antequam esset. Quod si falsum est, illud est verum. Item quod factum ortúmue non est, & tamē est, sempiternum sit necesse est. Quam naturam & excellentiam quisquis vlli corpori tribuit, vehementer errat quidem. Sed quid† pugnamus, multò enim magis eam dare animo cogimur. Ita si corpus vllum est sempiternum, nullus animus non sempiternus est. Quoniam quilibet animus cuilibet corpori præferēdus est, & omnia sempiterna non sempiternis. At si quod verè dicitur, factum est corpus, aliquo faciēte factum est, nec eo inferiore. Neque enim esset potens ad dandum ei, quod faceret quicquid illud est quod est, id quod faciebat. Sed ne pari quidem: oportet enim facientem melius aliquid habere ad faciēdum, quàm est id quod facit. Nam de gignente non absurdè dicitur, hoc eum esse quod est illud quod ab eo gignitur. Vniuersum igitur corpus ab aliqua vi, & natura potentiore atque meliore factum est, nō vtiq; corporea. Nam si corpus à corpore factum est, non potuit vniuersum fieri. Verissimum est enim quod in exordio ratiocinationis huius posuimus, nullam rem à se posse fieri. Hæc autem vis & natura incorporea effectrix corporis vniuersi præsente potentia tenet vniuersum. Non enim fecit atque discessit, effectumque deseruit. Ea quippe substantia quæ corpus non est, neque (vt ita dicam) localiter mouetur, vt ab ea substantia quæ locum obtinet, separari queat, & illa effectoria vis vacare non potest, quin id quod ab ea factum est tueatur & specie carere nō sinat, qua est in quantumcūq; est. Quod enim per se nō est, si deseratur ab eo per quod est, profectò non erit: & nō possumus dicere id accepisse corpus cùm factum est, vt seipso iam contētum esse posset, etiamsi à conditore desereretur. Quanquam si ita est, magis id habet animus, quē corpori præstare manifestum est. Atque ita de proximo immortalis probatur, si potest esse per seipsum. Quicquid enim tale est, incorruptibile sit necesse est, ac per hoc interire non possit, quia nihil se deserit. Sed corporis mutabilitas in promptu est, quod ipsius vniuersi corporis vniuersus motus satis indicat. Vnde diligenter inspicientibus quantum talis natura inspici potest, ordinata mutabilitate id quod mutabile est mutari reperitur. Quod autem per se est, nec motum quidem habet vllum, omni copia sibi in se ipso existente, quia motus omnis ad aliud est, cuius indiget quod mouetur. Adest igitur species vniuerso corpori, meliore natura sufficiente atque obtinente quæ fecit: quare illa mutabilitas nō adimit corpori corpus esse, sed de specie in speciem transire facit motu ordinatissimo. Non enim quæpiam eius pars ad nihilum redigi sinitur, cū totum capessat vis illa effectoria nec laborāte nec deside potentia, dans vt sit omne quod per illam est, inquantum est. quamobrem nemo tam deuius à ratione debet esse, cui aut non sit certum corpore animum esse meliorem, aut qui hoc concesso arbitretur corpori non accidere vt corpus non sit, animo accidere vt animus non sit. Quod si non accidit, neque animus esse nisi viuat, potest, nunquam profectò animus moritur. QVOD si quisquam non eum interitum dicat formidandum animo, quo efficitur vt nihil sit quod aliquid fuit, sed eum quo dicimus, ea mortua quæ vita carent, attendat quòd nulla res seipsa caret. Est autem animus vita quædam, vnde omne quod animatum est, viuere: omne autem inanime quod animari potest, mortuū, id est vita priuatum intelligitur.

1. Retract. cap. 5.

CAPVT VII. Nec, si per substantiam ad defectum tendit animus, ob id interit: idq; sequenti capite. Ratio septima.

Omnis defectus tendit ad nihilum.

CAPVT VIII.

Quòd nulla res seipsam gignat aut faciat.

al. ponamus.

Mutabilitas non adimit corpori, corpus esse.

CAPVT IX. Animus vita est, sic vita carere nō potest. Nona ratio, et id agitur subsequēti capite.

Non ergo poteſt animus mori. Nam ſi carere poterit vita, non animus ſed animatum aliquid eſt. Quod ſi abſurdum eſt, multò minus hoc genus interitus timendum eſt animo, quod vitæ certè non eſt timendum. Nam prorſus ſi tum moritur animus, cùm eum deſerit vita illa, ipſa vita quæ hunc deſerit multò melius intelligitur animus, vt iam non ſit animus quicquid à vita deſeritur, ſed ea ipſa vita quæ deſerit. Quicquid enim vita deſertum mortuum dicitur, id ab anima deſertum intelligitur: hæc autem vita quæ deſerit ea quæ moriuntur, quia ipſa eſt animus, & ſeipſam non deſerit, non moritur animus.

CAP. X. *Animus non eſt temperatio corporis. Ratio decima.*

NISI fortè vitam temperationem aliquam corporis, vt nõnulli opinati ſunt, debemus credere. Quibus profectò nunquam hoc viſum eſſet, ſi ea quæ verè ſunt & incommutabilia permanent, eodem animo à corporum conſuetudine alienato atque purgato videre valuiſſent. Quis enim bene ſe inſpiciens, non expertus eſt tanto ſe aliquid intellexiſſe ſincerius, quanto remouere atque ſubducere intentionem mentis à corporis ſenſibus potuit? Quod ſi temperatio corporis eſſet animus, non vtique id poſſet accidere. Non enim ea res quæ naturam propriam non haberet, neque ſubſtantia eſſet, ſed in ſubiecto corpore tanquam color & forma inſeparabiliter ineſſet, vllo modo ſe ab eodem corpore ad intelligibilia percipienda conaretur auertere, & inquantum id poſſet, intantum illa poſſet intueri, eaque viſione melior & præſtantior fieri. Nullo quippe modo forma vel color, vel ipſa etiam corporis temperatio, quæ certa commixtio eſt earum quatuor naturarum quibus idem corpus ſubſiſtit, auertere ſe ab eo poteſt in quo ſubiecto eſt inſeparabiliter. Ad hęc ea quę intelligit animus cùm ſe auertit à corpore, non ſunt profectò corporea, & tamen ſunt, maximeque ſunt, nam eodem modo ſemper ſeſe habent. Nam nihil abſurdius dici poteſt, quàm ea eſſe quæ oculis videmus, ea non eſſe quæ intelligẽtia cernimus, cùm dubitare dementis ſit, intelligentiam incomparabiliter oculis anteferri. Hæc autem quæ intelliguntur eodem modo eſſe habentia cùm ea intuetur animus, ſatis oſtendit ſe illis eſſe coniunctum, miro quodam eodemq; incorporali modo, ſcilicet non localiter. Namque aut in illo ſunt, aut ipſe in illis. Et vtrumlibet horum ſit, aut vt in ſubiecto alterum in altero eſt, aut vtrumque ſubſtantia eſt. Sed ſi illud primum, non eſt in ſubiecto corpore animus, vt color & forma: quia vel ipſe ſubſtantia eſt, vel alteri ſubſtantię quæ corpus non eſt, in ſubiecto ineſt. Si autem hoc ſecundum verum eſt, non eſt in ſubiecto corpore tanquã color animus, quia ſubſtãtia eſt. Temperatio autem corporis in ſubiecto corpore eſt tanquam color: non eſt ergo temperatio corporis animus, ſed vita eſt animus. Et ſi nulla res ſe deſerit, & id moritur quod vita deſerit: non igitur animus mori poteſt.

CAP. XI. *Animus nec per falſitatem perit veritati contrariam, etſi animi eſt cauſa veritas. Ratio vndecima.*

RVRSVS igitur ſi quid metuendum eſt, id eſt metuendum ne deficiendo animus intereat, id eſt dum ipſa exiſtendi ſpecie priuatur. De qua re quanquam ſatis eſſe dictum arbitrer, & quàm hoc fieri non poſſit certa ratione monſtratum ſit, tamen etiam hoc attẽdendum eſt, non eſſe aliam cauſam huius formidinis, niſi quia fatendum eſt in defectu quodam eſſe animũ ſtultum, & in eſſentia certiore atque pleniore ſapientem. Sed ſi, quod nemini dubium eſt, tunc eſt animus ſapientiſſimus, cũ veritatem quæ ſemper eodem modo eſt intuetur, eiq; immobilis inhæret diuino amore coniunctus, & illa omnium quæ quoquo modo ſunt ſummè maximeq; eſt, aut ab illa eſt animus inquantũ eſt, aut per ſeipſum eſt. Sed ſi per ſeipſum eſt, quoniam ipſe ſibi cauſa exiſtendi eſt, & nunquam ſe deſerit, nunquam interit, vt ſuprà etiam diſputauimus. Si verò ex illa, diligẽter opus eſt quęrere quæ res ei poſſit A eſſe contraria, quæ animo auferat animum eſſe quod illa præbet. Quid eſt igitur? An fortè falſitas, quia illa veritas? Sed non manifeſtum eſt, atque in promptu ſitum, quãtum nocere animo falſitas poſſit. Non enim amplius poteſt quàm fallere: at niſi qui viuit, fallitur nemo. Non igitur falſitas interimere animum poteſt. Quod ſi hæc non poteſt quæ contraria veritati eſt, auferre animo animum eſſe quod ei veritas dedit; ita enim eſt inuictiſſima veritas, quid aliud inuenitur quod auferat animo id quod eſt animus? Nihil profectò: nam nihil eſt cõtrario valẽtius ad id auferendũ, quod fit ab eius contrario. CAPVT XII. *Veritati à quæ eſt animus quod eſt, quatenus ipſa eſt, nihil contrarium. Ratio duodecima.* AT ſi veritati contrarium ita quæramus, vt non inquantum veritas eſt, ſed inquantum ſummè maximeq; eſt, quanquam intantum eſt idipſum inquantum eſt veritas, ſiquidem veritatem eam dicimus qua vera ſunt omnia, inquantũcũque ſunt, intãtum autem ſunt inquãtum vera ſunt, tamen nullo modo id defugerim, quod mihi euidentius ſuffragatur. Nam ſi nulla eſſentia inquantum eſſentia eſt, aliquid habet cõtrarium, multo minus habet contrarium prima illa eſſentia quę dicitur veritas, inquantum eſſentia eſt. Primùm autem verum eſt. Omnis enim eſſentia non ob aliud eſſentia eſt, niſi quia eſt. Eſſe autem non habet contrarium, niſi non eſſe: vnde nihil eſt eſſentiæ contrarium. Nullo modo igitur res vlla eſſe poteſt contraria illi ſubſtantiæ, quæ maximè ac primitùs eſt. Ex qua ſi habet animus idipſum quod eſt: non enim aliunde hoc habere poteſt, qui ex ſe non habet, niſi ab illa re quæ illo ipſo eſt animo præſtantior: nulla res eſt qua id amittat, quia nulla res ei rei eſt contraria qua id habet, & propterea eſſe nõ deſinit. Sapientiam verò, quia cõuerſionem habet ad id ex quo eſt, auerſione illam poteſt amittere. Cõuerſioni namq; auerſio contraria eſt. Illud verò quod ex eo habet cui nulla res eſt cõtraria, non eſt vnde poſſit amittere. Non igitur poteſt interire. CAPVT XIII. *Animus nec in corpus commutatur.* HIC fortè oboriatur nonnulla quæſtio, vtrum ſicut non interit animus, ita nec in deteriorem cõmutetur eſſentiam. Videri enim cuipiam poteſt, neq; iniuria, id effectum eſſe ratiocinatione hac, vt animus ad nihilum nõ poſſit peruenire, cõuerti autem in corpus forſitan poſſit. Si enim quod erat antè animus, corpus fuerit effectũ, non vtique omnino non erit. Sed hoc fieri nõ poteſt, niſi aut ipſe id velit, aut ab alio cogatur. Nec cõtinuò tamen animus, ſiue ipſe id appetierit, ſiue coactus fuerit, poterit corpus eſſe. Illud enim ſequitur, vt ſi ſit, velit aut cogatur. At illud non ſequitur, vt ſi velit aut cogatur, ſit. Nunquam autem volet. Nam omnis eius appetitus ad corpus, aut vt id poſſideat eſt, aut vt viuificet, aut vt quodãmodo fabricetur, aut quolibet pacto ei conſulat. Nihil autem horum fieri poteſt, ſi non ſit corpore melior. At ſi erit corpus, melior corpore profectò non erit. Non igitur corpus eſſe volet. Neq; vllum rei huius certius argumentum eſt, quàm cùm ſeipſum hic interrogat animus. Ita enim facilè comperit appetitum ſe nõ habere, niſi agendi aliquid, aut ſciendi, aut ſentiendi, aut vel tantummodo viuẽdi inquantum ſua illi poteſtas eſt. Si autem cogitur corpus eſſe, à quo tandem cogitur? A quolibet, certè à potentiore. Non ergo ab ipſo corpore cogi poteſt. Nullo enim modo, vllo animo vllum corpus potentius. Potentior autem animus non cogit in aliquid niſi quod ſuæ poteſtati ſubditum eſt. Nec vllo modo animus poteſtati alterius animi, niſi ſuis cupiditatibus ſubditur. Cogit ergo ille animus non amplius quàm quantum eius quem cogit cupiditates ſinunt. Dictum eſt autem cogi non poſſe animum, vt corpus ſit. Illud etiam manifeſtum eſt ad nullam ſuæ cupiditatis expletionem peruenire, dum amittit omnem cupiditatem: & amittit dum corpus fit. Non igitur poteſt ab eo cogi vt fiat, qui cogendi ius niſi per ſubditi cupiditates

non

nō habet. Deinde quisquis animus alterum animum habet in potestate, magis eum necesse est velut in potestate habere, quā corpus, & ei vel bonitate consulere, vel malitia imperitare. Nō ergo volet vt corpus sit. Postremò iste animus cogens, vt animal est, aut caret corpore. Sed si caret corpore, in hoc mūdo nō est. Et si ita est, summè bonus est, nec potest velle alteri tā turpem cōmutationem. Si aūt animal est: aut animal est etiā ille quem cogit, aut non est. Sed si non est, ad nihil cogi ab alio potest. Non enim habet potentiorem qui in summo est. Si autem in corpore est, ab eo rursus qui in corpore est per corpus cogitur, ad quodcunque cogitur. Quis autem dubitet nullo modo per corpus fieri tantam commutationem animo? Fieret enim si esset illo corpus potentius: quamuis quicquid illud est ad quod per corpus cogitur, prorsus non per corpus, sed per cupiditates suas cogitur, de quib⁹ satis dictum est. Quod autem rationali anima melius est, omnibus consentientibus Deus est. Qui profectò consulit animæ, & ideo non ab eo cogi anima potest, vt conuertatur in corpus.

CAPVT XIIII. *Nec somno, nec huiusmodi corporis affectione animæ quicquam nocet.*

Si igitur nec propria voluntate, nec alio cogente id animus patitur, vnde id pati potest: an quia inuitos nos plerunque opprimit somnus, metuendum est ne quo tali defectu animus conuertatur in corpus? Quasi verò quoniam somno membra nostra marcescunt, idcirco animus sit ex vlla parte debilior. Sensibilia tantum non sentit, quia quicquid illud est quod somnum facit, è corpore est atq; in corpore operatur. Corporeos enim sensus sopit & claudit quodam modo, ita sanè, vt tali commutationi corporis cedat anima cum voluptate. Quia secundùm naturam est talis commutatio quæ reficit corpus à laboribus: non tamen hæc adimit animo vel sentiendi vim vel intelligendi. Nam & imagines sensibilium præsto habet, tanta expressione similitudinis, vt eoipso tempore discerni nequeant ab aliis rebus quarum imagines sunt: & si quid intelligit æquè dormienti ac vigilanti verum est. Nam verbi gratia si per somnium disputare sibi visus fuerit, verasque rationes secutus disputando didicerit aliquid, & iam expergefacto eædem incommutabiles manent, quamuis falsa reperiantur cætera, veluti locus vbi disputatio, & persona cum qua disputatio fuisse visa erat, & verba ipsa quod ad sonum attinet quibus disputari videbatur, & alia huiusce modi, quæ etiam cum ipsis sensibus sentiuntur agunturque à vigilantibus, prętereunt tamen, nec vlla ex parte sempiternam præsentiam verarum rationum assequuntur. Ex quo colligitur, tali commutatione corporis qualis somn⁹ est, vsum eiusdem corporis animæ, non vitam propriam, posse minui.

CAP. XV. *Rursum animam non posse in corpus mutari.*

POSTREMÒ si quemuis locum occupanti corpori, anima tamen non localiter iungitur, summis illis æternisq; rationibus quæ incommutabiliter manent, nec vtique loco continentur, prior afficitur anima quàm corpus, nec prior tantum, sed etiam magis. Tanto enim prior quanto propinquior, & eadem causa tanto etiam magis, quanto est corpore melior. Nec ista propinquitas loco, sed naturæ ordine dicta sit. Hoc autem ordine intelligitur à summa essentia speciem corpori per animam tribui, qua est in quantumcunque est. Per animam ergo corpus subsistit, & eoipso est quo animatur, siue vniuersaliter, vt mundus; siue particulariter, vt vnumquodque animal intra mūdum. Quapropter consequens erat vt anima per animam corpus fieret, nec omnino aliter posset. Quod quia non fit, manente quippe anima in eo quo anima est, corpus per illam subsistit, dantem speciem non adimentem, commutari in corpus anima non potest. Si enim non tradit speciem quam sumit à summo bono, non per illam fit corpus: & si non per illam fit, aut non fit omnino, aut tam propinquè speciem sumit quàm anima: sed & fit corpus, & si tam propinquè sumeret speciem, id esset quod anima, nā hoc interest. Eoque anima melior quo sumit propinquius. Tam propinquè autem corpus sumeret, si non per animam sumeret. Etenim nullo interposito tā propinquè vtique sumeret. Nec inuenitur aliquid quod inter summam vitam, quæ sapientia & veritas est incommutabilis, & id quod vltimum viuificatur, id est corpus, nisi viuificās anima. Quòd si tradit speciē anima corpori, vt sit corpus inquantum est, nō vtique speciem tradendo adimit. Adimit autem in corpus animam trāsmutando. Non igitur anima siue per seipsam corpus fit, quia non nisi anima manente corpus per eam fit: siue per aliam, quia non nisi traditione speciei fit corpus per animam, & ademptione speciei anima in corpus conuerteretur, si conuerteretur. *Quod anima non vertatur in corpus.*

CAPVT XVI. *Ne in animā quidem rationalem rationalis anima conuertitur. Anima tota est in toto corpore & singulis partibus.*

Hoc & de irrationali anima vel vita, quòd nec in eam rationalis anima conuertitur, dici potest. Et ipsa enim nisi inferiore ordine rationali subiiceretur, æquè sumeret speciem & talis esset. Tradunt ergo speciem à summa pulchritudine acceptam potētiora infirmioribus naturali ordine. Et vtique cùm tradunt, non adimunt. Eoq; sunt quæ infirmiora sunt, inquantum sunt, quòd species eis quasi à potētioribus traditur. Quæ quidem potentiora etiam meliora sunt. Quod his naturis datum est, quæ non mole maiore plus possunt minoribus molibus, sed sine tumore vllo localis magnitudinis eadem specie potentiora sunt qua meliora. In quo genere est anima corpore melior & potentior. Quapropter cùm per illam, vt dictum est, corpus subsistat, ipsa in corpus nullo modo verti potest. Corpus enim nullum fit, nisi accipiendo per animam speciem. At anima vt corpus fieret, non accipiendo speciem, sed amittendo fieri posset. Et propterea fieri non potest, nisi fortè loco anima continetur, & localiter corpori iungitur. Nam si ita est, potest eam fortasse maior moles, quanquam speciosiorem, in suam deteriorem vertere speciem, vt aër maior ignem minorem. Sed nō est ita. Moles quippe omnis quæ occupat locū, nō est in singulis suis partibus tota, sed in omnibus. Quare alia pars eius alibi est, & alibi alia. Anima verò non modò vniuersæ moli corporis sui, sed etiam vnicuiq; particulæ illius tota simul adest. Partis enim corporis passionem tota sentit, nec in toto tamē corpore. Cùm enim quid dolet in pede, aduertit oculus, loquitur lingua, admouetur manus. Quod non fieret, nisi id quod animæ in eis partibus est & in pede sentiret, nec sentire quod ibi factum est absens posset. Non enim nuncio aliquo credibile est fieri non sentiente quod nunciat: quia passio quæ fit non per continuationem molis currit, vt cæteras animæ partes quæ alibi sunt latere non sinat, sed illud tota sentit anima quod in particula fit pedis, & ibi tantum sentit vbi fit. Tota igitur singulis partibus simul adest, quæ tota simul sentit in singulis. Nec tamen hoc modo adest tota, vt candor vel alia huiusmodi qualitas in vnaquaq; parte corporis tota est. Nam quod in alia parte corpus patitur candoris immutatione, potest ad candorem qui est in alia parte non pertinere. Quapropter secūdùm partes molis à se distantes, & ipse à se distare conuincitur. Non autem ita esse in anima per sensum, de quo dictum est, probatur.

FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
DE ANIMÆ QVANTITATE LIBER.

D. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 8.

EN eadem vrbe scripsi dialogum, in quo de anima multa quæruntur ac disseruntur, id est, vnde sit, qualis sit, quanta sit, cur corpori fuerit data, cùm ad corpus venerit qualis efficiatur, qualis cùm abscesserit. Sed quoniam quanta sit, diligentissimè ac subtilissimè disputatum est, vt eam si possemus ostenderemus corporalis quantitatis non esse, & tamen magnum aliquid esse, ex hac vna inquisitione totus liber nomen accepit vt appellaretur, De animæ quantitate. In quo libro illud quod dixi, Omnes artes animam secum attulisse mihi videri: nec aliud quicquam esse id quod dicitur discere, quã reminisci ac recordari: non sic accipiendum est, quasi ex hoc approbetur, animam vel hic in alio corpore, vel alibi siue in corpore, siue extra corpus, aliquando vixisse: & ea quæ interrogata respondet, cùm hic non didicerit, in alia vita ante didicisse. Fieri enim potest, sicut iam in hoc opere suprà diximus, vt hoc ideo possit, quia natura intelligibilis est, & cõnectitur non solum intelligibilibus, verùm etiam immutabilibus rebus. Eo ordine facta est, vt cùm se ad eas res mouet quibus connexa est, vel ad seipsam, inquantum eas videt, in tantum de his vera respondeat. Nec sanè omnes artes eo modo secum attulit, ac secum habet. Nã de artibus quæ ad sensus corporis pertinẽt, sicut multa medicinæ, sicut astrologiæ omnia, nisi quod hic didicerit, non potest discere. Ea verò quæ sola intelligentia capit, propter id quod dixi, cùm vel à seipsa vel ab alio fuerit bene interrogata, & recordata respondet. Alio loco: Vellem, inquam, hinc plura dicere, ac meipsum constringere, dum quasi tibi præcipio, vt nihil aliud agerem quàm reddere me mihi, cui me maximè debeo. Vbi videor dicere potius debuisse, redderer Deo, cui me maximè debeo. Sed quoniam prius sibi ipse homo reddendus est, vt illic quasi gradu facto inde surgat atque attollatur ad Deum, sicut filius ille minor prius reuersus est ad semetipsum, & tunc ait: Surgam, & ibo ad patrem meum: ideo sic sum locutus. Denique mox addidi: Atque ita fieri amicum mancipium Domino. Quod ergo dixi, Cui me maximè debeo, ad homines retuli: Magis enim mihi me debeo quàm hominibus cæteris, quamuis Deo magis quàm mihi. Hic liber sic incipit:

Cap. 1.

Cap. 20.

Lib 12. de Trinitate, cap. 15.

Homo sibiipsi est reddendus. Deinde ad Deum accedendum.

Luc. 15. d. 18.

CAP. I. *Anima substantia propria & simplex.*

QVONIAM video te abundare otio, quæso vt mihi respondeas de iis quæ me mouent, non, vt opinor, importunè atque incongruè. Sæpe enim cùm abs te multa quæsissem, nescio quã illa Græca sententia me deterrẽdum putasti, qua prohibemur ea quæ supra nos sunt requirere. Nunc verò non puto nos ipsos supra nos esse: quamobrem cùm de anima quæro, non sum dignus qui audiam, Quod supra nos, quid ad nos? sed fortasse dignus qui audiam quid simus nos. AVG. Enumera breuiter quæ de anima audire velis. AD. Faciam: nam sunt mihi ista diuturna cogitatione præparata. Quæro igitur vnde sit anima, qualis sit, quanta sit, cur corpori fuerit data, & cùm ad corpus venerit qualis efficiatur, qualis cùm abscesserit? AVG. Cùm quæris vnde sit anima, duo quædam intelligere cogor. Aliter enim dicimus A vnde sit homo, quæ sit eius patria scire cupientes: aliter vnde sit, cùm quærimus vnde constet: id est, ex quibus elementis rebusque compositus. Quid horum scire vis, cùm interrõgas vnde sit anima? Vtrum nam quasi regionem eius & patriam vnde huc venerit nosse desideras, an verò quæ sit eius substantia requiris? AD. Equidem vtrumque scire vellem, sed quid sit sciendum prius, tuo iudicio malo committere. AV. Propriam quãdam habitationem animæ ac patriam, Deum ipsum credo esse à quo creata est. Substantiam verò eius nominare non possum, non enim eam puto esse ex iis vsitatis notisque naturis, quas istis corporis sensibus tangimus. Nam neque ex terra, neque ex aqua, neque ex aëre, neque ex igni, neque ex hominibus, neque ex aliquibus horum coniunctis constare animam puto. Sed quemadmodum si ex me quæreres, arbor ista ex quibus constet, notissima ista elementa quatuor nominarem, ex quibus omnia talia constare credendum est. Porrò si pergeres quærere, B vnde ipsa terra, vel aqua, vel aër, vel ignis constent: nihil iam quod dicerem reperirem. Sic cùm quæritur, ex quibus sit homo compositus, respondere possum, ex anima & corpore. Rursum de corpore si quæras, ad illa elementa quatuor recurram. De anima verò quærenti tibi, cùm simplex quiddam, & propriæ substantiæ videatur esse, non aliter hæream, ac si quæras, vt dictum est, vnde sit terra. AD. Quomodo eam propriam velis habere substantiam, cùm dixeris à Deo factam, non intelligo. AVG. Quomodo & terram ipsam à Deo factam, negare non possum: & tamen nõ possum dicere, ex quibus quasi aliis corporibus terra constet. Simplex enim corpus est terra, eoipso quo terra est, & ideo elemẽtum dicitur omnium istorum corporum, quæ fiunt ex quatuor elementis. Non ergo sibi aduersatur sententia qua dicimus, & à Deo animam factam, & propriam quandam habere naturam. Hanc enim eius propriam quandam naturam & suam, Deus ipse fecit, vt ignis, vt aëris, vt aquæ, vt terræ, quo cætera ex his omnibus componerentur. AD. C INTERIM accipio vnde sit anima, id est, ex Deo quę mecum sedulò retractabo, & si quid me mouerit, pòst requiram. Vnde quæso explices qualis sit. AVG. Videtur mihi esse similis Deo. De anima enim, nisi fallor, requiris humana. AD. Idipsum est quod abs te explicari vellem, quemadmodum sit anima similis Deo, cùm Deum à nullo factum esse credamus, animam verò ab ipso Deo factam suprà dixeris. AVG. Quid tu difficile putas Deo fuisse, vt aliquid sibi simile faceret, cùm hoc in tanta varietate imaginum etiam videas nobis esse concessum. AD. Sed nos videmur mortalia facere, Deus autem immortalem animam fecit, vt opinor, nisi fortè tibi aliter videtur. AVG. Ergo tu velles talia fieri ab hominibus, qualia Deus fecit? AD. Non equidem hoc dixerim. Sed quemadmodum ipse immortalis immortale quiddam fecit ad similitudinem suam, sic & nos immortales à Deo facti ad similitudinem nostram quod facimus immortale esse deberet. AVG. Rectè diceres, si ad eius imaginem pingeres tabulam, quod in te immortale esse credis, nunc verò in ea exprimis similitudinem corporis, quod profectò mortale est. AD. Quomodo ergo sum similis Deo, cùm immortalia nulla possum facere vt ille? AVG. Quomodo nec imago corporis tui potest hoc

Quæ sint partes animæ.

Natura animæ est simplex.

Terra, corpus est simplex.

CAP. II. *Anima quatenus Deo similis.*

Anima qualis sit.

valere

Socratis dictum: ὁ τὰ ἐν ἡμῖν τί ποτ' ἐστὶν ἡμῶν. 1. Retract. cap. 8.

Vnde sit anima.

valere quod tuum corpus valet, sic anima non mirandum est, si potentiam tantam non habet, quantam ille ad cuius similitudinem facta est. AD. ET hoc interim satis est. Dic nunc quanta sit anima. AVG.

CAPVT III. *Anima supra omnia corporea.* *Anima quanta sit.*

Quomodo quæris quanta sit? Non enim intelligo, vtrum eius quasi spatium latitudinis, vel longitudinis, vel roboris, vel horum simul omnium requiras, an quantum valeat nosse velis. Solemus enim quærere quantus fuerit Hercules, id est in quot pedes statura eius porrecta fuerit. Et item quantus vir fuerit, id est quantæ potentiæ atque virtutis. AD. Vtrumque de anima scire cupio. AVG. Atqui illud superiùs dici non potest, nec omnino intelligi de anima. Non enim vllo modo, aut longa, aut lata, aut quasi valida suspicanda est anima: corporea ista sunt, vt mihi videtur, & de consuetudine corporum sic animam quærimus. Id-eoque bene præcipitur etiam in mysteriis, vt omnia corporea contemnat, vniuersoque huic mundo renunciet, qui vt videmus corporeus est, quisquis se talem reddi desiderat, qualis à Deo factus est, id est similem Deo: non enim alia salus animæ est, aut renouatio, aut reconciliatio authori suo. Quamobrem quanta sit anima secundùm inquisitionem hanc tibi respondere non possum, sed possum affirmare, neque illam longam esse, nec latam, nec robustam, neque aliquid horum quæ in mensuris corporum quæri solent. Et hoc cur existimem, rationem tibi reddam, si placet. AD. Placet verò, ac vehementer expecto: videtur enim mihi quasi nihil esse anima, si nihil est horum. AVG. Prius ergo si videtur, ostendam tibi multas esse res quas non possis dicere nihil esse, nec tamen in eis inuenire aliqua huiusmodi spatia qualia in anima requiris: vt non solum non tibi ex eo anima nihil esse videatur, quòd in ea non inuenis longitudinem, siue aliquid tale, sed eo pretiosior & pluris æstimanda sit quòd nihil horum habet. Deinde vtrum verè nihil horum habeat videbimus. AD. Vtere quo vis ordine ac modo, ego audire & discere paratꝰ sum.

In baptismo.

CAPVT IIII. *Animam aliquid esse.*

AVG. RECTE facis: sed volo interroganti mihi respondeas. Fortasse enim ea quæ te docere conor, ipse iam nosti: credo enim non te dubitare hanc arborem non esse omnino nihil. AD. Quis hoc dubitauerit? AVG. Quid illud? num dubitas iustitiam multo esse hac arbore meliorem? AD. Ridiculum istud quidem est, quasi verò vlla sit comparatio. AVG. Liberaliter mecum agis: sed illud nunc attende, cùm constet ita hanc arborem esse deteriorem quàm est iustitia, vt nec comparanda quidem tibi videatur, & hoc lignum non esse nihil confessus sis, placétne tibi vt ipsam iustitiam nihil esse credamus? AD. Quis hoc demens crediderit? AVG. Rectè omnino: sed fortasse arbor hæc propterea tibi videtur esse aliquid, quòd longa est pro suo modo & lata & robusta, quæ si detraxeris, nihil erit. AD. Ita videtur. AVG. Quid ergo iustitia, quam non nihil esse confessus es, imò quiddam longè diuinius hac longeque præstantius, videtur tibi longa esse? AD. Nullo modo mihi iustitia aut longa aut lata, aut tale aliquid cogitanti potest occurrere. AVG. Si igitur nihil horum est iustitia, & tamen ipsa nonnihil est, cur tibi anima nihil videtur, nisi eius aliqua longitudo sit? AD. Age iam non mihi videtur ex eo nihil esse anima, quòd nec longa, nec lata, nec robusta sit: sed vtrum verè ita sit, nondum à te dictum esse scis. Fieri enim potest, vt multa sint magni æstimanda, quæ istis careant, sed non continuò ex hoc genere animam esse credendum puto. AVG. Scio istud nobis enodandum restare, & hoc me deinceps explicaturum promiseram, verùm quia res subtilissima est, & longè alios mentis oculos quærit, quàm humana consuetudo in quotidianæ vitæ actibus habere solita est, admoneo te, vt per ea per quæ te ducendum A existimo, libens pergas, nec nostro quodam necessario circuitu defatigatus, ægrè toleres aliquanto te tardiùs ad id quod cupis peruenire. Nam prius abs te quæro, vtrum corpus vllum putas esse, quod non pro modo suo habeat aliquam longitudinem & latitudinem & altitudinem? AD. Quam dicas altitudinem, non intelligo. AVG. Illam dico qua efficitur vt interiora corporis cogitentur, aut etiam sentiantur, si perlucet vt vitrum: quam si demas corporibus quantum mea opinio est, neque sentiri possunt, neque omnino corpora esse rectè existimari. Hinc mihi volo aperias quid tu sentias. AD. Prorsus non dubito corpora omnia his carere non posse. AVG. Quid illud potes cogitare, ista tria non esse nisi in corporibus? AD. Non intelligo quomodo alibi esse possint. AVG. Ergo animam non putas esse aliud quàm corpus? AD. Si etiam ventum corpus esse confitemur, negare non possum corpus mihi animam videri: nam tale aliquid eam esse cogito. AVG. Corpus quidem ventum esse B tam concedo, quàm si me de fluctu interroges. Nam nihil aliud quàm istum aërem commotum ac agitatum ventum esse sentimus, quod in loco tranquillissimo, & ab omnibus ventis quietissimo vel breui flabello approbari potest, quo etiam muscas abigentes aërem commouemus, flatumque sentimus. Quod cùm euenerit occultiore quodam motu cælestium vel terrenorum corporum per magnum spatiũ mundi, ventus vocatur, ex diuersis partibus mundi vel cæli nomina etiam diuersa sortitus. An tibi aliter videtur? AD. Mihi verò nihil, & probabile esse accipio quod dicis: sed ego animam non ipsum ventum, sed tale aliquid esse dixi. AVG. Dic mihi prius, vtrum ipsum ventum cuius mentionem fecisti, habere aliquam longitudinem, latitudinem & altitudinem sentias. Deinde videbimus vtrum tale aliquid anima sit, vt hoc modo etiam quanta sit inuestigare possimus. AD. Quid hoc aëre longius & latius & altius facilè inueniri potest, quem cõmotum, ventum esse nunc abs te mihi persuasum est? AVG. RECTE dicis: sed C nunquídnam animam tuam putas esse nisi in corpore tuo? AD. Ita puto. AVG. Intrinsecùs tantum, vt tanquam aqua vtrem impleat, an tantum forinsecùs, velut tectorium, an & intrinsecùs & extrinsecùs eam esse arbitraris. AD. Hoc sentio quod vltimum requisisti. Nam nisi esset intrinsecùs, nihil in visceribus nostris vitale haberetur: nisi esset extrinsecùs, non etiam in cute leuiter possis sentire pungentem. AVG. Quid ergo amplius quæris quanta sit anima, cùm videas esse tantam quantam ipsa spatia corporis patiuntur? AD. Si hoc ratio docet, nihil amplius requiro. AVG. Rectè facis nihil quærere amplius quàm docet ratio: Sed hæc ratio videtur ne tibi firmissima? AD. Quando aliam non inuenio, videtur. Suo enim loco quæram quod me multum mouet, vtrum hæc figura eadem maneat cùm corpore excesserit: nam hoc inter discutienda vltimum me posuisse memini. Sed quoniam de numero animarum quærere, ad quantitatem mihi videtur pertinere, non esse hoc loco prætereundum existimo. AVG. Non incongruè existimas, sed prius de spatio eius quod me adhuc multum mouet, explicemus, si placet, vt etiam ego aliquid discam si tibi iam satisfactum est. AD. Quære vt vis, nam tua ista simulata dubitatio dubitare me verissimè facit de hoc ipso quod iam peractum esse præsumpseram. AV. Dic mihi quæso te, vtrum ea quæ appellatur memoria, non tibi nomen inane videatur. AD. Cui hoc videri potest? AVG. Animæ hanc esse arbitraris, an corporis? AD. Et hinc dubitare ridiculum est. Quid enim exanime corpus meminisse aliquid credi, aut intelligi potest? AVG. Meministine tandem vrbis Mediolanensis? AD. Valde memini. AVG. Nunc ergo quia

Altitudo quid sit.

Ventus quid sit. al. flatu.

CAP. V. *Infinita animæ vis.*


eius facta mentio est, recordaris quanta & qualis sit. AD. Recordor sanè, ac nihil recentius atque integrius. AVG. Nunc ergo cùm oculis eam non videas, animo vides? AD. Ita est. AVG. Meministi credo etiam, quanto spatio terrarum nunc à nobis longè absit. AD. Ita & hoc memini. AVG. Vides itaque animo etiam ipsam locorum distantiam? AD. Video. AV. Cùm igitur anima tua hic sit vbi corpus, nec vltra spatium eius porrigatur, vt superior ratio demonstrabat, vnde fit vt illa omnia videat? AD. Per memoriam hæc fieri puto, non quòd illis locis sit præsens. AVG. Imagines ergo illorum locorum memoria continentur. AD. Ita sentio: nam & quid ibi nunc agatur ignoro, quod vtique non ignorarem, si animus meus vsque ad ea loca porrigeretur, præsentiaq; sentiret. AVG. Verum mihi videris dicere: sed certè istæ imagines corporum sunt. AD. Ita necesse est, non enim aliud sunt vrbes terræque quàm corpora. AVG. Nunquámne intuitus es parua specilla, aut nunquam in pupilla oculi alieni faciem tuam vidisti? AD. Imò sæpe. AVG. Cur multo breuior quàm est apparet? AD. Quid enim velles aliud quá vt pro modo speculi videretur? AVG. Necesse est ergo imagines corporum, si parua sunt corpora in quibus apparent, paruas apparere. AD. Necesse omnino. AVG. Cur ergo cùm tam paruo spatio sit anima quàm corpus est eius, tam magnæ in ea possunt exprimi imagines, vt & vrbes, & latitudo terrarum, & quæque alia ingentia apud se possit imaginari? Volo enim cogites paulò diligentiùs, quanta & quàm multa memoria nostra contineat, quæ vtique anima nostra continetur. Qui ergo fundus est, qui sinus, quæ immensitas quæ possit hæc capere, cùm & eam tantam quantum corpus est, superior ratio docuisse videatur? AD. Non inuenio quid respondeam, nec satis explicare possum, quantum me ista moueant: & multum me ipse derideo, qui superiori rationi tam citò consenseram, vt ex isto corporis modo quanta sit anima terminarem. AVG. Non ergo iam tibi tale aliquid videtur qualis ventus est? AD. Nullo modo: nam etiam si aër iste cuius quasi fluctum ventum esse probabiliter creditur, vniuersum istum mundum possit implere, innumerabiles tales tantosque mundos secum anima imaginari potest, quas imagines quo spatio contineat suspicari non possum. AV. Vide ergo ne melius sit eam credere, vt superiùs dixeram, nec longam, nec latam, nec altam, sicut mihi de iustitia concesseras. AD. Facilè assentirem, nisi me plus conturbaret, quo rursum pacto tantorum spatiorum imagines innumerabiles nulla sua & lõgitudine & latitudine & altitudine capere possit.

CAP. VI. *Longitudo sola in animo est, non in corpore.*


AV. INVENIEMVS hoc fortasse quantum licet, si prius diligenter discutiamus hæc tria, id est longitudinem, latitudinem, & altitudinem. Itaque enitere cogitare longitudinem, quæ adhuc nullam latitudinem assumpserit. AD. Nihil possum tale cogitare: si enim filum araneæ in animo constituero, quo nihil exilius solemus videre, occurrit mihi etiam in eo tamen & longitudo per se, & latitudo, & altitudo: quæ qualescumque sint, esse tamen negare non possum. AVG. Non vsquequaque absurda est responsio tua, sed certè cùm tria ista in araneæ filo esse intelligis, discernis hæc, & quid inter se differant nosti. AD. Quidni quid differant nossem? An aliter potui videre nihil horum deesse huic filo? AVG. Quo igitur intellectu hæc discreuisti, hoc potes etiam seiunctis aliis, solam longitudinem cogitare, si nec aliquod corpus voluas animo. Nam quodcumque fuerit, his omnibus non carebit. Incorporeum est enim quod te nunc intelligere cupio, nam sola longitudo non nisi intelligi animo potest, in corpore inueniri non potest. AD. Iam intelligo. AVG. Ergo istam longitudinem si quasi secare cogitatione perlongum velis, vides profectò non posse. Nam si potest, ineſt etiam latitudo. AD. Manifestum est. AV. Hanc igitur longitudinem meram & simplicem, si tibi placet, lineam vocemus: hoc enim nomine à doctis multis appellari solet. AD. Voca quicquid vis: non enim mihi de nominibus laborandum est, cùm res aperta sit. AVG. Bene facis, & non solum approbo, verum etiam moneo, vt semper rerum curam magis quàm verborum te habere delectet. Sed linea ista quam iam, vt opinor, bene intelligis, si porrigatur siue ex vna, siue ex vtraque parte, quàm in longum porrigi potest, cernis nullum esse finem. An ad hoc contemplandum minus valet acies mentis tuæ? AD. Contemplor omnino, ac nihil facilius. AVG. Vides ergo etiam nullam figuram posse fieri, si nihil agatur aliud quá vt illa linea porrigatur. AD. Quam dicas figuram nondum intelligo. AVG. FIGVRAM interim voco, cùm aliquod spatium linea lineisue cõcluditur, tanquam si circulum faceres, aut quatuor lineas finibus suis sibimet iũgeres, ita vt nullius finis ab alterius copulatione liber esset. AD. Quid dicas figuram, iam me videre arbitror, sed vtinam tam viderem quò ista tendant, aut quid ex his effecturus sis, vt ego quod de anima requiro sciam. AVG. Hoc initio te admonui, & postulaui vt patienter ferres aliquãtum circuitum nostrum, quod item quæso vt facias. Non leuis res quæritur, non facilis ad cognoscendum: nosse enim hoc planè ac tenere volumus, si fieri potest. Aliud est enim cùm authoritati credimus, aliud cùm rationi. Authoritati credere magnum compendium est, & nullus labor. Quod si te delectat, poteris multa legere, quæ magni & diuini viri de his rebus necessaria quæ videbãt, & salubriter imperitioribus quasi nutu quodam locuti sunt, crediq́ue sibi voluerunt ab iis quorum animis vel tardioribus vel implicatioribus alia salus esse non posset. Tales enim homines, quorum profectò maxima multitudo est, si ratione velint verum comprehendere, similitudinibus rationum facillimè decipiuntur, & in varias noxiasque opiniones ita labuntur, vt emergere inde ac liberari, aut nunquam, aut ægerrimè queant. His ergo vtilissimum est excellentissimæ authoritati credere, & secũdùm hoc agere vitam: quod si tutius putas, non solum nihil resisto, sed etiam multum approbo. Si autem cupiditatem istam refrenare non potes, qua tibi persuasisti ratione peruenire ad veritatem, multi & longi circuitus tibi tolerandi sunt, vt non ratio te adducat, nisi ea quę sola ratio dicenda est, id est, vera ratio: & non solum vera, sed ita certa, & ab omni similitudine falsitatis aliena, si tamẽ vllo modo hæc ab homine inueniri potest, vt nullæ disputationes falsæ aut verisimiles ab ea te possint traducere. AD. Nihil iam præproperè desiderabo: agat ac ducat ratio quò vult, dummodo perducat. AVG. DEVS hoc faciet, qui aut de solis talibus rebus, aut certè de his maximè deprecãdus est. Sed ad rem quam instituera mus redeamus. Nam si & quid sit linea, & quid sit figura iam tibi notum est, dic quod abs te quæro, id est, vtrum putes vllam figuram fieri posse, si linea ex vtraque parte, aut ex altera per infinitum ducatur. AD. Nullo modo id fieri posse confirmo. AVG. Quid igitur agendum est vt figuram faciamus? AD. Quid nisi vt illa linea infinita non sit, & ducatur in circulum, vt ex alia parte se contingat? non enim video quomodo aliter possit ex vna linea concludi aliquod spatium, quod nisi fiat, secundùm tuam descriptionem, figura non erit. AVG. Quid si rectis lineis figuram facere velim, potest fieri vt de vna linea fiat, an non potest? AD. Nullo modo. AVG. Quid duabus? AD. Nec hoc quidem. AVG. Quid tribus? AD. Video posse. AVG. Bene igitur nosti ac tenes, cùm figura lineis rectis facienda est, minus quàm tribus non posse. An si vlla tibi aduersetur ratio, de hac te sententia de-

al. ei iam.

CAPVT VII. *Authoritati cum ratione credendum. Linea curua.*



Linea recta.




Sentit lineam vt in longum protenditur secari linea non posse, quanquam transuersim potest.

Quot lineis figura fiat.

al. quã.

CAPVT VIII. *De figuris mathematicis.*



Quomodo tribus lineis figura possit fieri.

tia deuocabit? AD. Planè si quis mihi hoc falsum esse monstrauerit, nihil erit quod me scire posse cõfidam. AVG. Nunc ergo illud responde, quomodo tribus lineis figuram feceris. AD. Cùm se finibus iungunt. AVG. Quid vbi se iungunt, nónne videtur tibi angulus fieri? AD. Ita est. AVG. Quot ergo angulis hæc figura constat? AD. Totidem quot lineis. AVG. Quid ipsas lineas, pares constituis, an impares? AD. Pares. AVG. Quid? anguli tantũdem omnes patent, an est alius alio contractior vel apertior? AD. Etiam ipsos pares esse video. AVG. Potest ne fieri, vt in figura quæ tribus rectis paribus lineis facta sit, impares anguli sint, an non potest? AD. Nullo prorsus modo. AVG. Quid si rectis lineis tribus, sed imparibus figura constet possunt etiam in ista pares esse anguli, an aliud intelligis? AD. Omnino non possunt. AVG. Rectè dicis: sed dic quæso, quæ nam tibi figura melior videatur & pulchrior? Eáne quæ paribus, an quæ imparibus lineis constat? AD. Quis dubitat esse meliorem in qua æqualitas præualet? AVG. ERGO inæqualitati æqualitatem præponis? AD. Nescio vtrum quispiam non præponat. AVG. Vide nunc in figura quæ tribus angulis paribus perfecta est, quid in ea sit angulo contrarium, id est ex altera parte contrapositum, vtrum linea, an angulus? AD. Lineam video. AVG. Quid ergo si & angulus angulo, & linea lineæ contraria sit, nónne fateris æqualitatem esse potiorem in ea figura in qua id accidit? AD. Fateor quidem, sed quemadmodum id fiat tribus lineis omnino non video. AVG. Quid quatuor lineis, potest ne hoc fieri? AD. Prorsus potest. AV. Melior est igitur figura quæ quatuor lineis rectis paribus, quàm quæ tribus constat. AD. Melior certè, siquidem magis in ea æqualitas valet. AV. Quid ergo istam quæ quatuor rectis paribus lineis constat, censes ne posse etiam ita fieri, vt non anguli omnes in ea pares sint, an non putas? AD. Video posse. AVG. Quónam modo? AD. Si duo contractiores, duo apertiores sint. AVG. Vidésne etiam quemadmodum & ambo contractiores & ambo apertiores sibi contrarij sunt? AD. Ac verissimè atque apertissimè. AVG. Seruatam igitur & hic, quanta seruari potuit, cernis æqualitatem: cernis enim profectò fieri non posse, vt cùm quatuor paribus lineis figura perficitur, non aut omnes, aut certè vel bini anguli pares sint: quæque tamen paria sunt sibi ex contrario respondere. AD. Cerno, & firmissimè teneo. AVG. Nihílne te mouet etiam in his rebus tanta & tam inconcussa quædam iustitia? AD. Quónam modo? AVG. Quia nihil vt arbitror dicimus esse iustitiam nisi æquitatem: æquitas autem ab æqualitate quadam videtur appellata. Sed quæ in hac virtute æquitas, nisi vt sua cuique tribuantur? Porrò sua cuique, nisi quadam distinctione tribui non possunt: an aliter putas? AD. Manifestum est, & prorsus assentior. AVG. Quid distinctionem arbitrarisne esse vllam, si omnia paria sint, vt nihil omnino inter se differant? AD. Nullo modo. AVG. Ergo iustitia seruari non potest, nisi in rebus in quibus seruatur, sit quædam, vt ita dicam, imparitas & dissimilitudo. AD. Intelligo. AVG. Cùm igitur fateamur istas figuras, de quibus agimus, inter se esse dissimiles, illam scilicet quæ tribus, & hãc quæ quatuor angulis constat, cùm ambæ paribus lineis fiant, nónne videtur tibi quædam retenta iustitia, vt illa quæ habere non potest parilitatem contrariorum, incõcussam teneat angulorum æqualitatem: in hac verò quia tanta est contrariorum congruentia, illa lex angulorum admittat nonnullam inæqualitatem? Hoc ergo cùm me multum mouerit, quærendum abs te visum est, quónam modo ista veritate, æquitate, æqualitate delectere. AD. Iam cerno quid dicas, & non mediocriter admiror. AVG. Age nunc, quia inæqualitati æqualitatẽ iure præponis, nec quisquam omnino est, vt opinor, humano sensu præditus, cui non id videatur, quæramus, si placet, figuram, in qua summa æqualitas inueniri queat, quæcunque enim erit, ea cæteris sine dubitatione præferetur. AD. Placet verò, & quæ ista sit, scire cupio.

CAP. IX. Quæ figura præstantior. In triangulo quid angulo contrarietur.








Rhombus.

Iustitia est æquitas.







AVG. Prius ergo responde, vtrum tibi illarum figurarum, quarum iam quantum satis videbatur facta mentio est, ea videatur excellere, quæ quatuor lineis paribus totidemque angulis paribus constet: namque, vt vides, in hac & linearum æqualitas & angulorum est: & quod in illa quæ tribus lineis paribus clauditur non inueniebamus, adest huic parilitas contrariorum: nam lineæ linea, & angulus angulo est (vt cernis) contrarius. AD. Ita verò est, vt dicis. AVG. Habétne summam æqualitatem, an aliter tibi videtur? Nam si habet, frustra vt institueramus aliam quærimus: si autem non habet, volo idipsum mihi abs te demonstretur. AD. Videtur mihi habere: nam vbi & anguli pares & lineæ pares sunt, vbi deprehendam inæqualitatem non video. AVG. Ego aliud sentio: nam recta linea donec veniat ad angulos, summa æqualitate prædita est, sed cùm ex diuerso latere alia coniungitur linea, & angulum facit, nónne censes hoc ipsum esse inæquale? An tibi figuræ pars qua linea clauditur cum illa parte quæ angulo concluditur, congruere videtur æqualitate aut similitudine? AD. Nullo modo: & me pudet temeritatis meæ: eò enim ductus sum, quòd & angulos in ea pares inter se & latera cernerem: sed quis non videat eorum laterum ab angulis magnam differentiam? AVG. Accipe aliud inæqualitatis apertissimum indicium: certè enim cernas, vel illam figuram triangulam paribus lineis constantem, vel istã quadratam habere aliquod medium. AD. Cerno planè. AVG. Quid ab eodem medio cùm lineas ad omnes figuræ partes ducimus, parésne tibi duci lineæ videntur, an impares? AD. Impares prorsus: nam longiores eas necesse est esse quas in angulos ducimus. AVG. Istæ in quadrata quot sunt, & quot in triangula? AD. Quatuor hic, tres ibi. AVG. Quid minimæ omnium quæ rursum & quot sunt in figura vtraque? AD. Totidem, scilicet eæ quæ in media latera ducuntur. AVG. Verissimè mihi videris dicere, neque hic opus est diutius immorari, ad id enim quod volumus satis est: nam & magnam æqualitatem hic seruari, vt opinor, vides, & tamen nondum ex omni parte perfectam. AD. Omnino video & quæ illa figura sit quæ summam æqualitatem habeat, nosse vehementer expecto. AVG. QVAM censes nisi eam, cuius & extremitas sibi concors est vndique, nullo angulo æqualitatem perturbante, & à cuius medio ad omnes extremitatis partes pares lineę duci possunt? AD. Iam, vt opinor, intelligo: nam illam figuram quæ vna linea in circulum ducta terminatur, mihi videris describere. AVG. Rectè intelligis. Nunc itaque illud considera, cùm superior ratio docuerit lineam in sola longitudine intelligi, nec quicquam latitudinis vsurpare, & ideo per longum quà ducitur diuidi non posse, vtrum tibi videatur figura quælibet sine latitudine inueniri. AD. Nullo modo. AVG. Quid ipsa latitudo? Potéstne longitudinem non habere, quamuis latitudo sola sit, quemadmodum superiùs longitudinem sine latitudine intelleximus, an non potest? AD. Video non posse. AVG. Vides ergo etiam illud, nisi fallor, quòd latitudo ab omni parte diuidi queat, linea verò per longum non queat. AD. Manifestum est. AVG. Quid ergo putas pluris habendum, quod diuidi potest, an id quod non potest? AD. Profectò id quod non potest. AVG. Præponis igitur lineam latitudini. Nam si quod diuidi non potest, præponendum est, præponamus necesse est etiam id quod minus diuidi potest: latitudo autem ex omni parte diuiditur, longi-

CAP. X. Summa æqualitas in figuris.




CAP. XI. Figurarum præstantia.





longitudo verò non niſi ex diuerſo, nam per longum diuiſionem non admittit: eſt ergo latitudine præſtantior. An tu aliter exiſtimas? AD. Ita prorſus ratio cogit fateri vt dicis. AV. Iam quæramus, ſi placet, vtrum ſit aliquid in iſta ratione, quod omnino non queat diuidi, erit enim hoc multo etiam quàm illa linea melius.



Nam lineam cernis ex diuerſo innumerabiliter ſecari poſſe, itaque tibiipſi hoc inueniendum dimitto. AD. Ego illud puto non poſſe diuidi, quod medium in figura ponebamus, vnde in extrema lineæ ducuntur.



Nam ſi diuiditur, longitudine aut etiam latitudine carere non poteſt. Sed ſi longitudinem ſolam habet, non iam vnde ducuntur lineæ, ſed ipſa linea eſt. Si verò etiam latum eſt, aliud deſiderat medium à quo in extrema latitudinis lineæ ducantur. Vtrumque autem hoc ratio reſpuit. Id erit igitur quod diuidi nequeat. AV. Rectè dicis. Sed nónne tibi aliquid tale videtur etiam illud vnde linea ducitur, & ſi figura nondum ſit cuius medium intelligamus? Illud enim dico lineæ principium à quo incipit longitudo, quod volo ſine vlla longitudine intelligas. Nam ſi longitudinem intelligis, nequaquam profectò intelligis vnde ipſa incipit longitudo. AD. Tale omnino. AV. Hoc ergo quod iam te intelligere video, potentiſſimum omniũ eſt, quæ demonſtrata ſunt. Siquidem hoc eſt, quod nullam diuiſionem patiatur, & punctum vocatur, cùm medium tenet figuræ: ſi autem principium lineę eſt vel lineis, aut etiam finis, vel cùm omnino aliquid notat quod ſine partibus intelligendum ſit, nec tamẽ obtineat figuræ medium, ſignum dicitur. Eſt ergo ſignum nota ſine partibus. Eſt autem punctum, nota medium figuræ tenens. Ita fit vt omne punctum etiam ſignum ſit, non autem omne ſignum pũctum videatur. Volo enim de his nominibus inter nos conuenire, vt minus inter diſputandũ circumloquamur: quanquam plerique punctum appellent, non quod omnis figuræ medium, ſed quod ſolius circuli vel pilæ tenet, tametſi min⁹ nobis de vocabulis laborandũ eſt.

Signum quid. Punctum quid.

CAPVT XII. *Puncti excellentia.*

AD. Aſſentior. AV. VIDES certè etiam quantum valeat. Nam ab ipſo incipit linea, ipſo terminatur, & figuram rectis lineis nullam videmus fieri poſſe, niſi ipſo angulus claudatur. Deinde vndecunque ſecari linea poteſt, per ipſum ſecatur, cũ ipſum omnino nullam in ſe admittat ſectionem. Nulla linea lineæ, niſi per ipſum copulatur. Poſtremò cum cæteris planis figuris: nam de altitudine adhuc nihil diximus, eã præponendam ratio demonſtrauerit quæ circulo claditur, propter ſummam æqualitatem, quæ alia ipſius æqualitatis moderatio eſt, quàm punctum in medio conſtitutum? Multa de huius potentia dici poſſunt, ſed adhibeo modum, & tibiipſi cogitanda plura permitto. AD. Sanè vt videtur: non enim me requirere pigebit, ſi quid fuerit obſcurius: cerno autem mediocriter, vt puto, magnam huius ſigni eſſe potentiam. AV. Nunc ergo illud attende, cùm & quid ſit ſignum, & quid ſit longitudo, & quid ſit latitudo perſpexeris: quid horum tibi videatur alterius, & cuius indigere, ſine quo eſſe non poſſit. AD. Video quòd latitudo longitudine indigeat, ſine qua prorſus intelligi non poteſt. Rurſus longitudinem cerno latitudine quidem non indigere vt ſit, ſed ſine ſigno illo eſſe non poſſe. Illud autem ſignum per ſemetipſum eſſe, & nullius horum indigere, manifeſtum eſt. AV. Ita eſt vt dicis: ſed diligentiùs conſidera, vtrum latitudo verè vndique ſecari queat, an alicunde nec ipſa ſectionem poſſit admittere, quamuis plus admittat quàm linea. AD. Neſcio prorſus vnde non poſſit. AV. Credo te non recordari, nam neſcire iſtud nullo modo potes: quare commonefaciam te iſto modo. Certè enim latitudinem ſic intelligis, vt cogitatione tua de altitudine nihil vſurpes. AD. Sic omnino. AV. Accedat igitur huic latitudini altitudo, & reſponde iam vtrum etiam aliquid acceſſerit, quo magis vndique ſecari queat. AD. Mirè omnino admonuiſti. Nunc enim video non ſolum deſuper aut ex inferiori parte, ſed à laterib⁹ quoque admitti poſſe ſectionem, nihilq; omnino remanſiſſe, vnde non queat penetrare diuiſio. Quare manifeſtum eſt, & latitudinem ex his partibus ſecari non poſſe, per quas ſurrectura eſt altitudo. AV. Quoniam tibi igitur ſi non fallor, & longitudo, & latitudo, & altitudo nota eſt, quæro vtrum poſſint deeſſe duo ſuperiora, vbi aderit altitudo. AD. Sine longitudine quidem video eſſe non poſſe altitudinem, ſine latitudine autem poteſt. AV. Redi ergo ad cogitationem latitudinis, & ſi eam quaſi iacentem animo figuraueris, erigatur in quodlibet latus, táquam ſi eam velles per tenuiſſimam rimam vbi ſe clauſæ ianuæ iungunt educere. An nondum intelligis quid velim? AD. Intelligo quid dicas, ſed nondum fortaſſe quid velis. AV. Illud ſcilicet vt reſpondeas, vtrum ſic erecta latitudo videatur tibi migraſſe in altitudinem, & latitudinis iam nomen deſcriptionemq; amiſiſſe: an adhuc maneat latitudo, quamuis ita ſit collocata? AD. Videtur mihi altitudo eſſe facta. AVG. Recordariſne obſecro quemadmodum altitudinem definieramus? AD. Recordor planè, & me iam ſic reſpondiſſe pudet. Nam etiam hoc modo quaſi erecta latitudo ſectionem per longum deorſum verſus non admittit: quare nulla in ea poſſunt interiora cogitari, quamuis medium & extrema cogitentur. Secundùm autem ſuperiorem demonſtrationem altitudinis, quam feciſti vt recordarer, nulla omnino eſt altitudo, vbi nihil intus cogitari poteſt. AV. Rectè dicis, & ſic te omnino meminiſſe cupiebam. Quamobrem illud iam volo reſpondeas, vtrum falſo verum anteponas. AD. Iam hinc dubitare, incredibilis dementia eſt. AV. Dic ergo quæſo te: nunquid nam vera linea eſt, quæ per lõgum ſecari poteſt: aut verum ſignum quod vllo modo ſecari poteſt: aut vera latitudo, quæ cùm erecta eſt, vt diximus, ſectionem per longum deorſum verſus admittit? AD. Nihil minus. AVG. Vnquámne igitur oculis iſtis corporeis, vel tale punctum, vel talem lineam, vel talem latitudinem vidiſti? AD. Omnino nunquam. Non enim ſunt iſta corporea. AV. Atqui ſi corporea corporeis oculis mira quadam rerum cognatione cernuntur, oportet animum quo videmus illa incorporalia, corporeum corpus non eſſe: an tu aliter exiſtimas? AD. Age, iam concedo corpus non eſſe animum vel quicquam corporeum. Quid eſt tandem, dic mihi? AV. Vide interim vtrum confectum ſit carere illum illa omni quantitate, de qua nunc quæſtio eſt: nam quid ſit animus, oblitum te eſſe miror priore inter nos quæſtione diſcuſſum. Meminiſti enim te quæſiſſe primitùs, vnde eſſet, quod duobus modis à nobis tractatum eſſe memini: vno, quo quaſi de regione eius quęſitum eſt: altero, vtrum nam ex terra, vel igne, vel alio quopiam iſtorum elementorum eſſet, vel ex omnibus, vel ex aliquibus horum. In qua quæſtione conſtitit inter nos, non magis hoc quærendum eſſe, quàm vnde ſit terra, vel ſi quod aliud elementorum ſingulorum. Intelligendum eſt enim quanquam Deus fecerit animum, habere illum certam ſubſtantiam, quæ neque terrena, neque ignea, neque aërea ſit, neque humida: niſi fortè arbitrandum eſt Deum terræ dediſſe: vt nihil aliud ſit quàm terra, & non dediſſe animo, vt nihil aliud quàm animus ſit. Si autem definiri tibi animum vis, & quæris quid ſit animus, facilè reſpondeo. Nam mihi videtur eſſe ſubſtantia quædam rationis particeps, regendo corpori accommodata.

CAPVT XIII. *Animus incorporeis cernit incorporea.*

Animus quid ſit.

ITAQVE illud potius attende, vnde ambigitur nunc, vtrum quantitas, & quaſi, vt ita dicam, locale ſpatium animo vllum ſit. Nam profectò quia corpus

CAPVT XIIII. *Animus incorporeus quantus ſit.*

non

non est, neque enim aliter incorporea illa cernere valeret, vt superior ratio demonstrabat, proculdubiò caret spatio quo corpora metiuntur: & ob hoc rectè credi, aut cogitari, aut intelligi talis eius quantitas nõ potest. Si autem te mouet, cur tanta cæli, terræ marisque spatia memoria contineat, cùm sit ipse nullius quantitatis, mira quædam vis est, quam tamen ex iis quæ à nobis comperta sunt, quantum ineſt ingenio tuo luminis, animaduertere potes. Si enim corpus nullum est, vt ratio iam ostendit, quod longitudine, latitudine, altitudine careat, nihilq; horum nisi cum aliis duobus esse in corpore potest, animo tamen etiam solam lineam interiore quodam oculo, id est intelligentia, videre concessum est, arbitror nos concedere sic animum corpus non esse, vt sit corpore melior: quo concesso non opinor dubitandum esse eum etiam linea esse meliorem. Ridiculum est enim cùm tria illa insint corpori vt corpus sit, non his omnibus esse meliorem, qui corpore est melior. At ipsa linea, qua melior esse conuincitur animus, ideo cęteris duobus præstat, quia minus quàm illa duo secari potest. Porrò illa duo eo magis secãtur quàm linea, quo magis se in spatium distendunt: linea verò spatium nisi longitudinis nullum habet, quo sublato nihil omnino remanet spatij. Quapropter quicquid linea melius est, necesse est nullo spatio sit, & omnino diuidi secariq́ue non possit. Frustra igitur, vt opinor, quantitatem animi quæ nulla est, inuenire laboramus, cùm eum linea concedamus esse meliorem. Etsi figurarum omnium planarum illa optima est quæ circulo effingitur, in qua ratio docuit nihil melius esse puncto atque potentius, quod nullo dubitante partibus caret, quid mirum si anima neque corporea sit, neque vlla aut longitudine porrecta, aut latitudine diffusa, aut altitudine solidata: & tamen tãtum valeat in corpore, vt penes eam sit regimẽ omnium membrorum, & quasi cardo quidam in agendo, cunctarum corporalium motionum? Cùm autem oculi medium, quæ pupilla dicitur, nihil aliud sit quàm quoddam punctũ oculi, in quo tamen tanta vis est, vt eo dimidium cælum, cuius ineffabile spatium est, ex aliquo eminenti loco cerni collustrariq́ue possit, non abhorret à vero animum carere omni corporea magnitudine, quę tribus illis differentiis consummatur, quamuis corporum magnitudines quaslibet imaginari queat: sed paucis licet ipso animo animum cernere, id est vt ipse se animus videat, videt autem per intelligentiam. Huic soli enim licet videre nihil esse in rebus potentius & magnificentius iis naturis, quæ, vt ita dicam, sine tumoribus esse intelliguntur: tumor enim non absurdè appellatur corporis magnitudo, quæ si magni pendenda esset, plus nobis profectò elephanti saperent. Quòd si quisquam eorum cognatus dicet elephantos esse sapientes: sensi enim quamuis admirans, sensi tamen etiam hinc homines sæpe ambigere: illud quantum opinor saltem concedet, plus asino sapere apiculam, quorum comparare magnitudines plus profectò est quàm asininum: vel quòd etiam de oculo dicebamus, cui non liqueat aquilæ oculum multò quàm noster est, esse breuiorem? Quo tamen illa sublime ita volans, vt à nobis in tanta luce difficile cernatur, latentem sub frutice lepusculum, & sub fluctibus piscem videre comperta est. Quòd si in ipsis sensibus quibus nisi corporea sentire non datum est, nihil ad rem, id est ad vim sentiendi valet corporis magnitudo, metuendúmne est quæso, ne animus humanus, cuius excellentior & penè solus aspectus est ipsa ratio, qua etiam se inuenire molitur, nihil sit, si illum eadem ratio, id est, seipsam omni magnitudine qua obtinetur locus, carere conuicerit? Magna quædam, crede mihi, magna, sed sine vlla mole de animo

Tumor quid sit.

A cogitanda sunt. Quod facilius contingit iis qui aut bene eruditi ad hæc accedunt non studio inanis gloriæ, sed diuino amore veritatis accensi: aut qui iam in his quærendis versantur, quamuis minus eruditi ad inuestiganda ea venerint, si patienter bonis se dociles præbent, atque ab omni corporum consuetudine, quantum in hac vita permittitur, semet auertunt. Fieri autem non potest quadam diuina prouidentia, vt religiosis animis seipsos & Deum suum, id est, veritatem, piè, castè, ac diligenter quærentibus, inueniendi facultas desit. SED & ab ista quæstione, CAPVT XV. *Anima quo modo crescat & sentiat.*
nisi quid adhuc te moueat, iam recedamus, si placet; & ad alia transeamus: quicquid autem de illis figuris
B loquacius à nobis fortasse disputatum est quàm volebas; videbis quantum ad alia valebit, si hanc disceptationem aliquid eo adiutam esse concedis: nam & exercet animum hoc genus disciplinarum ad subtiliora cernenda; ne, luce illorum repercussus, & eam sustinere non valens, in easdem tenebras quas fugere eupiebat, libenter refugiat: & adfert argumenta, nisi fallor, certissima; quibus quod fuerit inuentum atque confectum, non nisi impudentem habeat dubitationem, quantum homini talia vestigare permissum est. [Impudẽs dubitatio duobus modis fieri cognoscitur: dum aut homo qui ratione vti potest, in tantum hebes pigerq́ue ad quærendam veritatem efficitur, vt plus velit in tenebris vanitatis remanere, quàm in eo quod à creatore suo est conditus ad seipsum semel & Deum suum vera ratiocinatione inueniendum inuestigandumq́ue laborare: aut tam improba contumacia eaque ab aliis laborantibus studioseè & piè quærẽtibus & inuenta & confecta sunt, inueniri & confici posse dubitare: neque aliam ob causam faciunt nisi quòd à semetipsis inuenta non sint: quod genus inuidiæ impudẽtissimum esse ratio probat.] Minus enim ego de his rebus dubito, quàm de iis quas istis oculis
C videmus cum pituita semper bellum gerẽtibus. Quid enim minus ferendum & audiendum est, quàm fateri nobis ratione præstare bestias, & eam rem fateri esse aliquid, quã corporeo lumine sentimus, quã etiam nonnullæ bestiæ melius cernunt, id autem quod ratione intuemur nihil esse contendere? Quòd si diceretur tale esse quale illud est quod oculi vident, nihil profectò dici posse indignius videretur. AD. Accipio ista libentissimè atque assentior: sed illud me mouet, cùm corporeæ quantitatis non esse animam, res ita clara sit mihi, vt omnino quemadmodum resistam illis argumentis, & quid eorum non concedam, prorsus ignorem: Primùm cur ætate vt corpus crescit, ita & anima vel crescat vel crescere videatur. Quis enim neget pueros infantes, ne bestiarum quidem nõnullarum astutiæ comparandos? Quis autem dubitet, illis crescẽtibus etiam ipsam in eis quodammodo crescere rationem? Deinde si per spatium sui corporis anima distenditur, quomodo nullius quantitatis est? Si autem non distenditur, quomodo sentit vbique pungentem? AV. Omnino ea quæris quæ me quoque sæpe
D mouerunt: itaque non sum imparatus tibi respondere, vt mihi soleo. Vtrum autem bene, ratio quæ te agit iudicabit: qualecunque id tamen sit, plus certè nõ possum, nisi fortè aliquid melius cùm disputamus, in mentem diuinitùs venerit. Sed agamus, si placet, more nostro, vt duce ratione tu tibi ipse respondeas: ac prius quæramus, vtrum crescentis cum corpore animi certum argumẽtum sit, quod ætatis accessu aptior humanæ consuetudini homo; & in ea magis magisq́ue peritus est. AD. Age vt placet: nam & ego id genus docendi ac discendi maximè probo: nescio quo enim modo cùm id quod nesciens quærebam ipse respondeo, fit ipsa inuentio non modò re, sed † animi ratione etiam dulcior. AVG. Dic ergo vtrum

al. admiratione.

CAPVT XVI. *Virtus circuli similis.*

tibi

tibi maius & melius duo quædam, an vnum atque idem esse videatur duobus nominibus appellatum? AD. Scio aliud esse quod maius, aliud quod melius dicimus. AVG. Quid horum duorum est cuius esse putes quantitatem? AD. Id videlicet quod maius dicimus. AVG. Quid cùm duarum figurarum rotundam quadrata meliorem esse confitemur, quantitas ne id facit, aut quid aliud? AD. Nullo modo quantitas, sed illa de qua superiùs egimus æqualitas, huius excellentiæ causa est. AVG. Nunc ergo illud attende, vtrum tibi videatur virtus æqualitas quædam esse vitæ, rationi vndique consentientis: nam si aliud ab alio in vita discrepet, magis, ni fallor, offendimur, quàm si aliqua pars circuli, maiore minoréue interuallo, quàm aliæ partes distet à puncto. An tu aliter existimas? AD. Imò assentior & hanc quæ abs te descripta est, probo esse virtutem: nam & ratio non dicenda est aut existimãda, nisi vera: & cuius vita per omnia congruit veritati, is est profectò vel solus, vel certè maximè qui bene atque honestè viuit: & qui ita sit affectus, solus habere virtutem, & ea viuere iudicandus est. AVG. Probè dicis: sed certè etiam illud vides, vt opinor, similiorem esse virtuti circulum quàm figurarum planarum aliam quamlibet. Hinc est enim quòd apud Horatium magnis laudibus solemus extollere illum versum, quo ait, cùm de sapiente ageret,

Fortis & in seipso totus teres atque rotundus.

Et rectè: nam neque in animi bonis quicquam inuenis, quod magis sibi ex omni parte consentiat quàm virtutem: neque in planis figuris quàm circulum. Quamobrem si circulus non magnitudine spatij, sed quadam conformatione cæteris præstat, quanto magis de virtute existimandum est, quod non maioris loci occupatione, sed diuina quadam congruentia rationum atque concordia, cæteras affectiones animi superat? Cùm autem puer proficit laudabiliter, ad quam rem magis quàm ad virtutem proficere dicitur? an non tibi videtur? AD. Manifestum est. AVG. Non igitur tibi debet videri animus sicut corpus crescendo cum ætate proficere: proficiendo enim ad virtutem peruenit, quam fatemur nulla spatij magnitudine, sed magna vi constantiæ pulchram esse atque perfectam: & si aliud est maius, aliud melius, vt iam dedisti, quicquid anima cum ætate proficit, compósque rationis fit, non mihi videtur fieri maior, sed melior. Quòd si membrorum id faceret magnitudo, eo quisque prudentior esset, quo longior aut validior, quòd se aliter habere nõ, vt opinor, negabis. AD. Quis istud negauerit? Sed tamen cùm proficere animam per ætatem etiam tu concedas, miror qui fiat, vt omnis quantitatis expers, & si non membrorum spatio, at certè temporis adiuuetur. AVG. Desine mirari, nam & hic tibi simili ratione respondeo: vt enim membrorum magnitudo ideo nihil affert argumenti cur animam adiuuet, quòd multi exilioribus breuioribusque membris prudentiores inueniuntur quibusdam magna mole corporis præditis: ita quoniam iuniores nonnullos senioribus pleriſque magis industrios atque strennuos videmus, non video cur putanda sint spatia temporis in ætatibus incremẽta vt corporibus sic animis dare: cùm & ipsa corpora quibus per tempus crescere atque ampliora spatia tenere cõcessum est, sæpe sint annosiora breuiora, non modò senilia, quæ magnitudine temporis contrahuntur atque minuuntur, sed etiam puerorum, quos animaduertimus his breuiores esse corpore, quibus sunt ætate maiores. Si igitur porrecta in plurimum tempora, ne ipsis quidem corporibus magnitudinis afferunt causam, sed omnis illa seminis vis est, & quorundam naturæ numerorum sanè occultorum, & difficilium ad dignoscendum, quanto minus arbitrandum est longo tempore animam fieri longiorem, quia eam videmus vsu rerum atque assiduitate multa didicisse. Quòd si te illud mouet, quòd solemus eam quam Græci μακροθυμίαν vocant, longanimitatem interpretari, animaduertere licet à corpore ad animum multa verba transferri, sicut ab animo ad corpus: nam si mõtem improbum, & iustissimam tellurem dixit Virgilius, quæ verba cernis ab animo ad corpus esse translata, quid mirum si mutua vice longanimitatem dicimus, cùm longa nisi corporea esse non possint? Ea verò inter virtutes quæ appellatur animi magnitudo, ad nullum spatium, sed ad vim quandam, id est ad potestatem potentiamque animi relata, rectè intelligitur, virtus eo pluris æstimanda, quo plura contemnit. Sed de hac re pòst loquemur, cùm quæremus quanta sit anima, sicut quæri adsolet, quantus fuerit Hercules, factorum excellentia, non mole membrorum: ita enim suprà distribuimus. Oportet autem nunc te recordari quòd de puncto iam satis egimus: nam id potissimum esse, maximeque in figuris dominari ratio docebat. Potentia verò atque dominatus nónne ostẽtant quandam magnitudinem, & in puncto tamen nullum spatium reperiebamus? Non igitur magnum vel ingentem animum cùm audimus aut dicimus, quantum loci occupet, sed quantum possit, cogitandum est. Quamobrem si iam primum argumentum tuum, quo tibi per ætatem cum corpore animus crescere videbatur, satis discussum est, transeamus ad aliud. AD. NESCIO vtrum omnia quæ me non frustra mouere adsolent, prosecuti fuerimus: & fieri potest vt recordationem meam aliqua fugiant: verũ tamen quod nunc in mentem venit videamus quale sit, quod puer infans non loquitur, atque id crescendo assequitur. AVG. Facile est istud: nam credo videri tibi ea lingua quemque loqui, quam loquuntur homines inter quos natus educatusque sit. AD. Nemo id ignorat. AVG. Constitue ergo quempiam ibi natum atque alitum vbi homines non loquerentur, sed nutibus membrorumque motu cogitationes suas sibimet exprimendas signarent, nónne censes eum talia esse facturum, neque locuturum, qui loquentem neminem audierit? AD. Nolo me hoc interroges quod fieri non potest. Qui enim tales homines, inter quos quenquam natum cogitare possim? AVG. Itáne tu non vidisti Mediolani adolescẽtem honestissimi corporis & elegantissimæ vrbanitatis, mutum tamen atque ita surdum, vt neque alios nisi motu corporis intelligeret, neque ipse aliter quæ vellet significaret? Hic enim est notissimus: nam ego noui rusticũ quendam loquentem, de loquente vxore, filios omnes mares atque feminas quatuor ferè, aut eo amplius (non enim satis nunc commemini) mutos surdosque genuisse. Nam ex eo quòd loqui non poterant muti: ex eo autem quòd nulla signa nisi oculis colligebant, etiam surdi intelligebantur. AD. Illum verò ego bene noui, & de istis nescio quibus credo tibi: sed quorsum ista? AVG. Quia dixisti non te posse cogitare inter tales homines nasci quempiam. AD. Nec nunc aliud dico: nam istos, nisi fallor, inter eos qui loquerentur, natos esse concedis. AVG. Non equidem negauerim, sed cùm iã inter nos constet nonnullos tales homines esse posse, quæso cogites, si ex hoc genere mas & femina iungerentur, atq; in aliquam quocunq; casu delati solitudinem, vbi tamen viuere valerent, gignerent filium non surdum, quemadmodum esset cum parentibus iste locuturus? AD. Quemadmodum censes, nisi vt parentes ei dabãt, ita gestu signa redditurum? Sed tamen puer paruus ne hoc quidẽ posset: quare illa ratio mea manet integra. Quid enim refert vtrum loqui, an gestum facere crescendo assequatur, cùm ad animam vtrũq; pertineat, quam fateri nolumus crescere?

AVG. Iam

Virtus quid sit.

Lib. 2. Sermonum.

CAPVT XVII. *Anima nec mole nec tempore crescit, nisi metaphoricõs.*

al. potentissimum.

CAPVT XVIII. *Imitatione loquimur.*

al. formæ. Differũt mutus & surdus.

AVG. Iam mihi videris etiam cùm in fune quisque ambulat, ampliorem credere hunc habere animam, quàm eos qui id facere nequeunt. AD. Hoc aliud est, quis enim hoc non videat esse artis? AV. Cur obsecro artis, an quia didicit? AD. Ita verò. AV. Quare tibi ergo etiamsi aliud quisque discat, nõ artis videtur? AD. Planè quicquid discitur, artis esse non nego. AV. Non ergo ille didicit à parentibus gestum facere? AD. Didicit sanè. AV. Oportet igitur & hoc non animæ crescẽdo amplioris, sed imitatoriæ cuiusdam artis esse concedas. AD. Non possum hoc concedere. AV. Ergo non omne quod discitur artis est, quod nunc concesseras. AD. Artis omnino. AVG. Non ergo ille didicit gestum, quod item non minus dederas. AD. Didicit, sed hoc non est artis. AVG. Atqui tu paulò antè dixisti artis esse quod discitur. AD. Age iam concedo & loqui & gestum facere, eo quòd ea didicimus artis esse. Tamen aliæ sunt artes quas dum in alios intendimus, discimus, aliæ quæ à magistris inseruntur nobis. AV. Quas tandem istarum putas animam, ex eo quòd amplior fiat, adipisci? An ne omnes? AD. Non omnes, puto, sed illas superiores. AVG. Nónne tibi ex hoc genere videtur in fune ambulare? nam & hoc videndo, vt arbitror, qui id faciunt assequuntur. AD. Ita credo: sed tamen non omnes qui hęc spectant & magno studio intuentur, assequi possunt, sed qui huius rei magistros patiuntur. AVG. Bene sanè dicis: nam & hoc tibi etiam de locutione responderim: multi enim Græci & aliud genus linguæ crebrius nos loquentes audiunt, quàm funambulum spectant, qui vt linguam nostram discant, quemadmodum nos cùm ipsorum nosse volumus, sæpe magistris traduntur. Quæ cùm ita sint, miror cur animæ incremẽtis tribuere velis quod loquuntur homines, quòd autem in fune ambulant, nolis. AD. Nescio quomodo ista confundis: nam qui vt linguam nostram discat, magistro traditur, nouit aliam quãdam suam, quam eum quod eius anima creuerit puto didicisse: cùm autem discit alienam, non ampliori animæ, sed arti tribuo. AVG. Quid si ille qui inter mutos natus atque alitus est, serò ac iam iuuenis in alios homines incidens loqui didicisset, cùm aliam linguam nullam nosset, eo tempore putares animam eius creuisse quo loqui didicerat? AD. Nunquam isthuc ausim dicere: sed iam cedo rationi, nec puto amplioris animæ argumentum esse quod loquimur, ne & alias omnes artes cogar fateri crescẽdo animam cõsecutam: quod si dixero, illud sequetur absurdum, decrescere animam cùm quid obliuiscitur.

CAPVT XIX. *Anima quomodo crescere minuique dicitur.*

AVG. Bene intelligis, & verum vt audias, rectè dicitur anima in discendo quasi crescere, & contrà minui dediscendo, sed translato verbo, vt superiùs ostẽdimus. Tamen illud cauendum est, ne quasi spatium loci maius occupare videatur dum dicitur crescere, sed maiorem quandam vim peritior quàm imperitior habere ad agendum. Magni tamen refert qualia sint illa ipsa quæ discit, quibus quodammodo videtur augeri. Nam vt in corpore tria sunt genera incrementorum: vnum necessarium, quo naturalis conuenientia impletur in membris; alterum superfluum, quo à cæteris membris integra valetudine augendo aliquid discrepat, per quod interdum euenit, vt senis digitis nascantur homines, & pleraque alia, quæ cùm præter consuetudinem nimia sunt, monstruosa nominantur: tertium noxium, quod cùm accidit, tumor vocatur: nam etiam sic membra crescere dicuntur, & reuera locum occupant ampliorem, sed expugnata bona valetudine: ita in animo quædam quasi naturalia incrementa sunt, cùm honestis & ad bene beatéque viuendum accommodatis disciplinis augeri dicitur. Cùm verò ea discimus, quæ mirabiliora quàm vtiliora sunt, quanquam nonnullis rebus plerumque opportuna, superuacanea tamen & de illo secundo genere numeranda sunt. Non enim si quidam tibicen, vt Varro author est, ita populum delectauit vt rex fieret, ideo animum nostrum illo artificio augendum putare debemus: quia nec maiores quàm humani sunt, dentes habere vellemus, si audissemus, à quopiam quòd tales habuerit morsu hostem necatum. Noxium verò illud est genus artium, quo animi valetudo sauciatur: nam & odore ac sapore mirè diiudicare pulmẽta, & quo lacu piscis captus sit, vel quotenne vinum sit, nosse dicere, quædam est miseranda peritia. Et his artibus cùm quasi creuisse anima videtur, quæ neglecta mente defluxit in sensus, nihil aliud quàm tumuisse vel etiam contabuisse iudicanda est.

CAPVT XX. *Anima num quid ex se sciat.*

AD. Accipio ista & assentior, nec tamen nihil angor ex eo quòd imperita omnium rerum & bruta est anima quam in puero recens nato quantum licet inspicimus. Cur enim nullam artem secum attulit, si æterna est? AVG. Magnam, omnino magnam, & qua nescio vtrum quicquam maius sit, quæstionem moues, in qua tantum nostræ sibimet opiniones aduersantur, vt tibi anima nullam, mihi contrà, omnes artes secum attulisse videatur: nec aliud quicquam esse id quod dicitur discere, quàm reminisci & recordari. Sed videsne quàm huius temporis non sit, vtrum ista habeant ita sese, requirere? Nunc enim agimus vt appareat, si potest, non eam secundum loci spatia paruam magnámue nominari: æternitatem autem eius si vlla est, opportunè scrutabimur cùm illud quod quartum posuisti, cur corpori fuerit data, quantum fas est tractare cœperimus. Quid enim ad talem eius quantitatem attinet, sempérne, an non semper fuerit futuráue sit, aut quod nunc imperita, nunc perita est, cùm & longum tempus, ne corporibus quidem afferre magnitudinis causam, superiùs probauerimus, & peritiam notissimum sit posse nullam adesse crescentibus, ac sæpe senescentibus opportunam esse, multáque alia dicta sint satis, vt opinor, ad demonstrandum non cum magnitudine corporis, quam ætas affert, etiam animam fieri ampliorem. *1. Retract. cap. 8.*

CAPVT XXI. *In pueris motu grandescit corpus, non animus.*

QVARE videamus, si placet, illud alterum argumentum tuum quale sit, quod per totum spatium corporis tactus sentitur ab anima, quam spatij nullius esse volumus. AD. Sinerem iam ad aliud transiri, nisi de viribus dicendum aliquid arbitrarer. Quid est enim hoc quòd auctiora per ætatem corpora vires præbent animæ ampliores, si cum his amplior non fit anima? Quanquam enim virtus animæ, vires autem corporis putari soleant, nunquam tamen ab anima eas abiudicauerim, cùm videam in exanimis corporibus nullas esse. Per corpus quidem viribus, sicuti sensibus vti animam non negandum est, tamen quoniam ista sunt viuentis officia, quis hæc dubitauerit ad animam potius pertinere? Cùm igitur maiores vires in pueris grandiusculis quàm in infantibus esse videamus, ac deinde adolescentes, iuuenesque indies viribus præstent, donec rursus corpore senescente minuantur, non leue quantum mihi videtur crescentis cum corpore, ac deinde senescentis animæ indicium est. AVG. Non vsquequaque absurdum est quod dicis: sed ego vires non magis in amplitudine corporis ætatisque incrementis, quàm in exercitatione quadam & confirmatione membrorum esse soleo putare: id adeò vt tibi probem, quæro abs te vtrum alium alio pertinacius ambulare, ac minus defatigari, maiorum virium esse arbitreris? AD. Ita sentio. AVG. Cur ergo puer multo amplius itineris conficiebam fine defectu, cùm aucupandi studio in ambulãdo exercerer, quàm adolescẽs cùm me ad alia studia, quibus sedere magis cogebar, contuliſſem, si accedenti ætati, & per hanc homini crescenti vires ampliores tribuẽdę sunt?

deinde

deinde in ipſis luctatorum corporibus palæſtritæ non molem ac magnitudinem, ſed nodos quoſdam lacertorum,& deſtrictos toros,figuramq́; omnem corporis ſibi congruẽtem peritiſſime inſpiciunt,& hinc potius argumenta virium colligunt. Quæ tamen omnia parum valent,niſi vis artis & exercitationis accedat. Sæpe etiam viſum eſt ingentis corporis viros, ab exiguis breuibusque ſuperari, vel in mouendis, vel in ferendis ponderibus, vel in ipſo etiam luctamine. Nam Olympionicum quemlibet laſſari in itinere citius, quã circumforaneum aliquem mercatorem,qui vno illius digito collidi poſſit, cui eſt incognitum? Quare ſi & ipſas vires nõ peræquè omnes,ſed alias ad aliud aptiores magnas vocamus, & corporum lineamenta magis & figuræ,quàm magnitudines valent plurimum,& ſi exercitationes tantum afferunt,vt celeberrimè creditum ſit, hominem tollendo quotidie vitulum paruũ, egiſſe vt eum etiam taurum ſine ſenſu maioris oneris, quod paulatim addebatur, tollere ac ſuſtinere poſſet, nequaquam amplioris ætatis vires cum corpore animam creuiſſe ſignificant.

CAPVT XXII. *Vires corporis creſcunt,non animæ.*

QVOD ſi amplius aliquot animalium maiora corpora eoipſo quo maiora ſunt habent virium, illa cauſa eſt quòd lege naturæ cedunt pondera minora maioribus: non modò cùm ad proprium locum ſuopte nutu ferũtur, vt humida & terrena corpora in ipſius mundi medium locum qui eſt infimus,rurſus aërea & ignea ſurſum verſus: ſed etiam cum aliquo tormento aut iactu aut impulſu aut repulſu,eo quò non ſponte feruntur, vi aliena ire coguntur. Nam ſi ex alto deieceris quanquam ſimul duos lapides diſparis quantitatis,citius quidem maior ad terram peruenit: ſed ſi ei minor ſubiiciatur, eoq́; ineuitabiliter occupetur,cedit profectò, ſimulq́; in ſolum deducitur. Item ſi deiicitur deſuper maior, minor autem contra ſurſum verſus iacitur, vbi obuiã venerint,repercuſſio minoris & retroceſſio fiat neceſſe eſt. Quod ne ideo accidere putes,quòd minor contra naturam in ſublimia ire cogebatur,alter verò maiore impetu locum ſuum petebat, facito, vt maior in ſupna iaculetur, & minori occurrat in terras deiecto, videbis nihilominus repulſum minorem in cælũ cogi, ſed repercuſſu ipſo cadere in aliam partem, vt qua expeditũ eſt,in ima deferatur. Item ſi ambo non motu naturali,ſed à duobus quaſi in campo pugnantibus aduerſus inuicem iacti,ſibimet in medio ſpatio complodantur,quis dubitauerit minorem maiori eſſe ceſſurum,in eam partem vnde ipſe eſt & quò ille ferebatur? Quæ cùm ita ſint, id eſt cùm minora, vt dictum eſt,pondera maioribus cedant, multum tamen refert quanto in ſeſe agantur impetu:nam ſi maiore impetu minor, velut vehementi aliquo tormento emiſſus infligatur maiori laxius iaculato, vel iam langueſcenti, quamuis ab eodem reſiliat, retardat illum tamen, aut etiam retro agit pro modo ictuum atque ponderum. His præiactis atque intellectis, quantum præſens negotium poſtulat, vide nunc eas quæ dicuntur in animalibus vires,vtrum rationi huic congruãt:nam corpora omnia animalium quis negat ſuo pondere †prædita? Quod pondus nutu animæ actum, quò inclinauerit, multum valet magnitudine propria. Sed nutus animæ ad mouendum corporis pondus, neruis quaſi tormentis vtitur: neruos autem vegetat mobilioresq́; efficit ſiccitas calorq́; moderatus, contrà eos laxat atque infirmat humidus rigor. Itaque ſomno quia eum frigidum & humidum dicunt medici & probant,mẽbra langueſcunt,atque ipſe expergefactorum conatus multo eſt debilior, ideoque nihil eſt fractius & eneruius lethargicis. At quoſdam phreneticos, quibus vigiliæ & vini vis & acutæ febres, id eſt tot calida plus nimio neruos tendunt atque durant, maioribus viribus quàm integra valetudine reluctari & multa facere manifeſtum eſt,cùm eorum corpus ſit ægritudine attenuatius & exilius.Si igitur & nutu animæ,& neruorum quodam machinamento, & pondere corporis confiunt hæ quæ vires vocantur, voluntas autem nutũ exhibet, qui pronior fit ſpe vel audacia, retunditur autem timore, ſed multo magis deſperatione: nam in metu cùm aliqua ſpes ſubeſt,vehementiores vires apparere adſolent: machinamentum configuratio quædam corporis coaptat, temperatio modificat valetudines, confirmat exercitationis induſtria, pondus dat moles membrorum, quam ætas & nutrimenta comparant,inſtaurant autem ſola nutrimenta. His omnibus qui æqualiter præualet, mirandus eſt viribus, & tanto eſt alius alio inualidior, quãto plus eum iſta deficiunt. Fitq́; ſæpe vt pertinaci nutu meliore machinamento, alius quamuis paruum pondus corporis egerit, alium maiore mole præditum vincat. Rurſusq́; nonnunquam tanta moles eſt, vt etiam ſi imbecilliore niſu agatur, opprimat tamen paruum aduerſarium multo vehementius innitentem. Cùm verò non pondus corporis, nec moderatio neruorũ, ſed nutus ipſe, id eſt animus cedit,vt omnino valẽtior, ab omni modo inualidiore, ſed tamen timidior ab audaciore ſuperetur, neſcio vtrum viribus attribuendum ſit: niſi quis dicat habere quaſdam ſuas vires animam,quibus ei maior audacia vel fiducia pariatur. Quæ cùm alteri adſunt, alteri deſunt, tunc intelligitur quantum animus corpori ſuo, etiam in eo quod per corpus agitur antecellat. Quamobrem cùm infanti puero ſolus ad trahendum aliquid vel repellẽdum nutus ſit integer, nerui autem & propter recentem minusq́; perfectam confirmationem inhabiles, & propter humorem qui illi ætati exuberat marcidi, & propter nullam exercitationem languidi, pondus verò adeò ſit exiguum, vt ne ab alio quidem impactum grauiter vrgeat, opportuniusq́; ſit ad accipiendam quàm ad inferẽdam moleſtiam,quis eſt qui cùm hæc omnia quę deſunt,contuliſſe annos viderit,viresq́; per eos datas cognouerit, creuiſſe animam, quæ his indies amplioribus vtatur, rectè ac prudenter exiſtimet? Poteſt enim iſte ſi ab aliquo iuuene, quem velamine interpoſito non conſpiciat,paruos ac leues calamos laxo arcu quãtum poteſt iaculatos viderit non longè ire moxq́; recidere,ac poſt paululum ſagittas iam ferro graues, pennulis vectas,neruo intẽtiſſimo emiſſas, cælum remotiſſimum petere,fidesq́; facta fuerit pari conatu hominis vtrunque eſſe factum, creuiſſe illum tãtillo tempore,atque auctum viribus arbitrari: quo quid dici poteſt peruerſius? Deinde anima ſi creſcit, vide quàm ſit inſcitum, incrementa eius de viribus corporis credere,de copia doctrinarum non credere,cùm illis ſolum accommodet nutum,hæc autem ſola poſſideat. At ſi creſcere animam putamus cùm additur viribus,minui putanda eſt,cùm demitur. Demitur autem in ſenecta,demitur in labore ſtudiorum, atque his temporibus doctrinæ aggerari atque extrui ſolent,neque vllo modo eodem tempore ſimul augeri quicquã & minui poteſt. Nullũ igitur creſcentis animæ argumentum eſt,vires in maiori ætate maiores. Multa alia dici poſſunt, ſed ſi iam tibi ſatisfactum eſt,modum adhibebo, vt ad alia trãſeamus. AD. Mihi verò ſatis perſuaſum eſt,maiores vires non ex eo eſſe quòd anima creuerit:nam,vt alia omittã,quæ abs te ſubtiliter dicta ſunt, inſania & morbo corporis animam creſcere, cùm ipſum corpus minuatur, ne ipſe quidem phreneticus dixerit, cui vires multo ampliores,quàm ſano eſſe ſolent,nemo neſcit. Vnde mihi maximè videtur in neruis eſſe omne quod miramur,cùm præter ſpem vires in quopiam reperiũtur: quare oro,aggredere iam illud cui totus intendo, cur anima ſi non tanti ſpatij magnitudinem habet, quanti corpus eſt, vbique ictus ſentit cùm tangitur?

AVG.

al. præpedire.

CAPVT XXIII. *De sensibus & quomodo fiat visio.*

AVG. AGE verò, aggrediamur quod vis, sed multo te mihi attentiore opus est, quàm fortasse existimas esse debere. Quare facito vt quàm maximè adsis, ac respondeas mihi, quid nam tibi videatur iste esse sensus quo anima per corpus vtitur: nam ipse iam nomine proprio sensus dicitur. AD. Sensus esse quinque audire soleo, videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi, atque tangendi: plus quid respondeam, nescio. AV. Partitio ista vetustissima est, & ferè in concionibus celebrata. Vellem autem definiri mihi abs te, quid sit ipse sensus, vt eadem definitione omnia illa includerentur, neque aliud quicquam quod sensus non esset, in ea includeretur vel intelligeretur: sed si id non potest, nihil vrgeo. Illud enim quod satis est, certè potes meã definitionem vel refellere vel probare. AD. Hoc modo tibi fortasse non deero, quantum valeo: non enim & hoc semper est facile. AV. Attende ergo: nam sensum puto esse, non latere animam quod patitur corpus. AD. Placet mihi hæc definitio. AV. Adesto ergo huic tanquam tuæ, ac tuere illam dum à me paulisper refellitur. AD. Tuebor sanè si tu adiuueris: sin minimè, iam mihi displicet, non enim frustra tibi visa est refellenda. AV. Noli nimis ex authoritate pendere, *Horatius.* præsertim mea quæ nulla est. Et quod ait Horatius: *Sapere aude*: ne non te ratio subiuget prius quàm metus. AD. Ego prorsus nihil metuo, quoquo res modo processerit, non enim errare me sines. Sed iam incipe si quid habes, ne differendo potius, quàm aduersando defatiger. AV. Dic igitur quid patiatur corpus tuum cùm me vides? A. Patitur omnino aliquid: nam oculi mei partes, nisi fallor, corporis mei sunt, qui si nihil paterentur, quomodo te viderem? AV. At non satis est, vt persuadeas tuos oculos aliquid pati, nisi etiam quid patiãtur ostenderis. AD. Quid tandem nisi ipsum visum? Nam vident. Si enim me rogares quid pateretur ægrotans, ægritudinem responderem: quid cupiens, cupiditatem: quid metuens, metum: quid gaudens, gaudium. Cur ergo roganti quid videns patiatur, non rectè ipsum visum respondeam? AV. Sed enim gaudens gaudium sentit, an negabis? AD. Imò assentior. AV. Hoc & de cæteris perturbationibus dixerim. AD. Sic habeo. AV. Quicquid autem oculi sentiunt, hoc vident? AD. Nullo modo istud dederim: quis enim dolorem videat, quem tamen sæpe oculi sentiunt? AV. Apparet te de oculis agere: bene vigilas: itaque vide, vtrum vt gaudens gaudendo gaudium sentit, ita etiam videns videndo sentiat visum. AD. An aliter potest? AV. Quicquid autem videns videndo sentit, id etiam videat necesse est. AD. Non est necesse. Quid enim si amorem videndo sentiat, num & amorem videt? AV. Cautissimè ac sagacissimè: gaudeo quòd difficile deciperis. Sed nunc attende, quoniam constitit inter nos, non omne quod oculi sentiunt, neque omne quod videndo sentitur videri, putásne hoc saltem verum esse, omne quod videtur sentiri? AD. Hoc sanè nisi concessero, quomodo sensus poterit vocari quod videmus? AV. Quid omne quod sentimus, nónne & patimur? AD. Ita est. AV. Igitur si omne quod videmus, sentimus: & omne quod sentimus patimur, patimur omne quod videmus. AD. Nihil resisto. AV. Pateris ergo me, ac vicissim te ego, cùm inuicem nos videmus? AD. Sic existimo, & ad hoc me ratio instanter cogit. AV. Accipe cætera: nam credo absurdissimum & stultissimum videri tibi, si quis affirmet ibi te pati aliquod corpus vbi non est ipsum corpus quod pateris. AD. Videtur absurdum: & ita esse opinor, vt dicis. AV. Quid illud? nónne manifestum est alio loco esse meum corpus, alio tuum? AD. Manifestum est. AV. Sentiunt autem corpus meum oculi tui, & si sentiunt, vtique patiuntur: nec possunt ibi pati, vbi id quod patiuntur non est: nec tamen ibi sunt illi, A vbi corpus meum est: igitur ibi patiuntur vbi nõ sunt. AD. Ego quidem illa omnia concessi, quæ non concedere absurdum videbam. Sed hoc vltimum quod ex his confectum est, ita est absurdius, vt illorum potius aliquid temerè me dedisse, quàm hoc verum esse consentiam: nam oculos meos ibi sentire vbi non sunt, ne in somnis quidem dicere auderem. AVG. Vide igitur vbi obdormieris: quid enim tibi tandem elaberetur incautius, si vt paulò antè vigilares. AD. Enimuerò idipsum mecum sedulò pertracto ac reuoluo: nihil tamen elucet satis quod me dedisse pœniteat, nisi fortè illud quod oculi nostri sentiunt cùm videmus, visus namque ipse forsitan sentit. AVG. Imò ita est: is enim se foras porrigit, & per oculos emicat longiùs quaqua versum potest lustrare quod cernimus. Vnde fit vt ibi potius videat, vbi est id quod videt, non vnde erumpit vt videat. Non ergo tu vides, cùm me vides? AD. Quis hoc insanus dixerit, omnino ego vi- B deo, sed emisso visu per oculos video. AVG. At si tu vides, tu sentis: si tu sentis, tu pateris: nec potes ibi pati aliquid vbi non es. Ibi autem me vides vbi ego sum: ibi igitur pateris vbi ego sum. At si vbi ego sum tu ibi nõ es, quo pacto audeas dicere videri me abs te, prorsus ignoro. AD. Visu, inquam, porrecto in eum locum in quo es, video te vbi es, at me ibi non esse confiteor. Sed quemadmodum si virga te tangerem, ego vtique tangerem, idque sentirem: neque tamen ego ibi essem, vbi te tangerem. Ita quod dico visu me videre; quamuis ego ibi non sim, non ex eo cogor fateri non me esse qui videam. AVG. Nihil ergo temerè concessisti: nam & oculi tui hoc modo defendi possunt, quorum est quasi virga visus vt dicis. Neque illa est absurda conclusio, quòd ibi oculi tui vident vbi non sunt, an tibi aliter videtur? AD. Ita sanè est vt dicis: nam & illud nunc animàduerti, quod si ibi viderent oculi vbi sunt, etiam seipsos viderent. AVG. Rectiùs C diceres non etiam seipsos, sed tantummodò seipsos viderent. Nam vbi sunt, id est quem locum tenent, soli tenent: nec nasus est ibi vbi illi, nec quicquid illis vicinum est: alioquin etiã tu ibi esses vbi ego sum: qui iuxta inuicem sumus. Quæ cùm ita sint, si tantum ibi viderent oculi vbi sunt, nihil amplius quàm seipsos viderent. Cùm autem se non vident, non modò cogimur consentire posse illos videre vbi nõ sunt, sed etiam omnino non posse nisi vbi non sunt. AD. Nihil est quod hinc dubitare me faciat. AVG. Ergo non dubitas ibi eos pati vbi non sunt: nam vbi vident, ibi sentiunt. Ipsum enim videre, sentire est: sentire autem, pati: quare vbi sentiunt, ibi patiuntur. Alibi autem vident quàm vbi sunt: ibi igitur patiuntur, vbi non sunt. AD. Mirum est, quàm ista vera existimo.

CAPVT XXIIII. *Quid cognoscere, quid sentire.*

AVG. RECTE fortasse existimas. Sed respondeo obsecro, vtrum omne quod per visum cognoscimus, videamus. AD. Ita credo. AV. Credis etiam omne quod D videndo cognoscimus, per visum nos cognoscere? AD. Et hoc credo. AVG. Cur ergo plerumque fumum solum videndo, ignem subter latere cognoscimus quem non videmus? AD. Verum dicis. Etiam non puto nos videre quicquid per visum cognoscimus: possumus enim, vt docuisti, aliud videndo aliud cognoscere quod visus non attigerit. AVG. Quid illud quod per visum sentimus, possumúsne non videre? AD. Nullo modo. AV. Aliud est ergo sentire, aliud cognoscere. AD. Omnino aliud: nam sentimus fumum quem videmus, & ex eo ignem quem non videmus, subesse cognoscimus. AV. Bene intelligis. Sed vides certè cùm hoc accidit, corpus nostrum, id est oculos, nihil pati exigne, sed ex fumo quem solum vident. Etenim videre, sentire, & sentire pati esse, iam suprà consensimus. AD. Teneo, & assentior. AV. Cùm ergo per passionem corporis non latet aliquid animam, non con-

tinuò sensus vocatur vnus de quinque memoratis, sed cùm ipsa passio non latet: namque ille ignis non visus, nec auditus, nec olfactus, nec gustus, nec tactus à nobis, non tamen latet animam fumo viso. Et cùm hoc non latere non vocetur sensus, quia ex igne corpus nihil est passum, vocatur tamen cognitio per sensum, quia ex passione corporis quamuis alia, id est ex alterius rei visione, coniectatum est atque compertum. AD. Intelligo, & optimè video istud congruere ac fauere illi definitioni tuæ, quam vt meam mihi defendẽdam dedisti: nam ita memini esse abs te sensum definitum, cùm animam non latet quod patitur corpus. Itaque illud quod fumus videtur, sensum vocamus: passi sunt enim eum oculi videndo qui sunt corporis partes & corpora: ignem autem ex quo nihil corpus est passum, quamuis cognitus fuerit, sensum non vocamus. AVG. Memoriam quidem tuam probo & sequacem intelligentiam, verùm munitio illa definitionis labascit. AD. Cur quæso? AVG. Quia non negas, vt opinor, nonnihil pati corpus cùm crescimus vel senescimus, neque id nos vllo sensu sentire manifestum est, nec id tamen animam latet. Non igitur eam latet quiddam quod patitur corpus, nec tamen sensus iste appellari potest. Videndo enim maiora ea quæ aliquando minora videramus, & videndo senes eos quos iuuenes ac pueros fuisse cõstat, coniectamus aliquam talem mutationem nostra corpora etiam nunc dum loquimur pati. Neque in eo fallimur, vt opinor: nam procliuius est vt me falli dicam quod video, quàm quod intelligo capillos meos nunc crescere, corpúsue per momenta mutari. Quòd si mutatio ista, passio corporis est, quod nemo negat, nec nũc sentitur à nobis, nec tamen animam latet, quia nos non latet, patitur (vt dixi) corpus, quod non latet animam, nec sensus est tamẽ. Quare illa definitio quæ nihil quod sensus non esset, debebat includere, cùm hoc incluſit, certè vitiosa est. AD. Nihil mihi restare video, quàm vt te petam, vt aut definias aliter, aut hanc † recures, si potes: nam eam ista ratione quam vehemẽter probo, vitiosam esse negare non possum. AV. Facile est istam corrigere, quod volo tu audeas: facies enim, mihi crede, si bene intellexisti vbi peccet. AD. Num alibi quã vbi aliena comprehendit? AVG. Quo tandem modo? AD. Quia quod senescit corpus, quamuis in iuuene non possit negari pati aliquid, idque cùm scimus, non latet animam quiddam quod patitur corpus, neque tamen vllo sensu percipi potest. Nam nec video me modò senescere, neque id auditu, aut olfactu, aut gustu, aut tactu sentio. AVG. Vnde ergo illud nosti? AD. Ratione id colligo. AVG. Quibus argumentis ratio tua nititur? AD. Quòd alios video senes, qui vt ego nunc sum, iuuenes erant. AVG. Nónne sensus est, quo eos vides, vnus de quinque? AD. Quis negat? Sed ex eo quod illos video, me quoque cùm id non videam, coniecto senescere. AV. Quid verborum ergo illi definitioni quo perficiatur addendum putas, cùm sensus non sit, nisi non lateat animam corporis passio, nec tamen ita vt eam per aliam passionem, aut per aliud quodlibet intelligat? AD. Dic quæso istud paulò planius. AVG. GERAM tibi morem, & multo libentius retardanti quàm festinanti: sed fac totus adsis: valebit enim hoc ad plura quod dicam. Definitio nihil minus, nihil amplius continet, quàm id quod susceptum est explicandum, aliter omnino vitiosa est. Vtrum autem huiusmodi vitiis careat, conuersione exploratur, quod his exemplis tibi fiat apertius. Si enim me rogares quid esset homo, & cum hoc modo definirem, Homo est animal mortale: non continuò quia verum est, etiam definitionem probare deberes, sed superposita ei particula, id est omnis, conuertere illam & intueri, vtrum etiam conuersa vera esset: hoc est, vtrum quemadmodum verum est, omnis homo animal mortale est, ita esset verũ, omne animal mortale homo est, quo aliter inuento, improbare definitionem propter illud vitium quo aliena comprehendit: non enim solus homo est animal mortale, sed etiam quæuis bestia. Hæc igitur hominis definitio perfici solet, cùm additur mortali rationale, nam homo est animal mortale rationale: atque vt omnis homo animal rationale mortale est, ita omne animal rationale mortale homo est. Plus continendo ergo superior definitio vitiosa erat, bestiam enim cum homine continebat: ista perfecta est: nam & omnem hominem, & nihil plusquàm hominem tenet. Tenẽdo autem minus, ita vitiosa est si addes grammaticum: quanquam enim omne animal rationale mortale grammaticũ, homo sit, plures tamen homines qui grammatici non sunt, hac definitione non continentur: & ob hoc ista per primam illam propositionem falsa est, cùm autem conuertitur vera. Falsum est enim, omnis homo animal rationale mortale grammaticum est: sed verum est, omne animal rationale mortale grammaticum, homo est: quamuis minus contineat. Cùm autem neque per primam propositionem, neque per cõuersionem enunciata vera est, his singulis est profectò vitiosior: vt sunt istæ duæ, homo est animal cãdidum, aut homo est animal quadrupes. Nam & si dicas, omnis homo animal candidum est, aut animal quadrupes: falsum dicis, etiam si conuertas. Sed hoc inter se differunt, quòd illa prima in aliquos homines cadit, nam plerique sunt homines candidi: hæc altera in neminem, non enim quisquam homo quadrupes. Hæc pro tempore ad explorandas definitiones didiceris, quemadmodum propositione atque conuersione iudicentur. Sunt alia multa de hoc genere quæ docentur, & verborum plena & tenebrarum, quæ paulatim vbi opportunum videbitur, conabor vt discas. Nunc conuerte animum ad illam definitionem nostram, & eam peritior cùm discusseris corrige: inueneramus enim eam, cùm definitio sensus esset, complecti aliquid quod sensus non esset, & ideo non esse cùm conuertitur veram. Fortasse enim verum est, Omnis sensus, passio corporis est animã non latens: vt verum est, Omnis homo animal mortale est. At vt falsum est, omne animal mortale homo est, quia id est & bestia: ita falsum est, Omnis passio corporis non latens animam, sensus est: quia nunc nobis vngues crescunt, nec animam latet. Id enim scimus, neque id sentimus, sed coniectatione cognoscimus. Quemadmodum ergo illi definitioni hominis vt perficeretur, additum est rationale, quo addito bestiæ quæ simul continebantur excluſæ sunt, nihilque præter hominem, atque omnem hominem tali definitione comprehendimus, nónne censes aliquid etiam huic addendum esse, quo inde seiungatur quod tenet alienum, nec quicquam in ea nisi sensus & omnis sensus intelligatur? AD. Censeo quidem, sed quid addi possit ignoro. AVG. Sensus est certè omnis passio corporis non latens animam: sed conuerti non potest hæc enunciatio, propter passionem illam corporis, qua vel crescit vel decrescit scientibus nobis, id est, vt non lateat animam. AD. Ita est. AVG. Quid? hæc passio per seipsam non latet animam, an per aliud? AD. Per aliud planè: aliud est enim videre vngues maiores, aliud scire quòd crescant. AV. Cùm ergo crescere ipsum sit passio, quam nullo sensu attingimus, magnitudo autem illa quam sentimus, eadem passione facta sit, nõ ipsa sit passio, manifestum est talem passionem non per seipsam scire nos, sed per aliud. Si ergo non per aliud animam non lateret, nónne sentiretur potius quàm coniiceretur? AD. Intelligo. AVG. Cur ergo dubitas quid illi definitioni sit addendum? AD. Iam video sic esse definiendum, vt sensus sit

Vtitur aliàs hoc verbo pro corrigere.

CAPVT XXV. *Definitio quomodo examinanda. Definitio probatur per conuersionem.*

Sensus quid sit.

sus sit passio corporis per seipsam non latens animam: nam & omnis sensus hoc est, & omne hoc, vt opinor, sensus est. AVG. Si hoc ita est, fateor definitionem esse perfectam. Sed tentemus eam, si placet, vtrum illo secundo vitio non vacillet, quo illa hominis, cui grammaticum est additum. Nam meminisse te oportet, quòd esse hominem dictu est animal rationale, mortale, grammaticum: eoq; peccare istam definitionem, quòd conuersione vera est, cùm prima enunciatione sit falsa. Namq, falsum est, omnis homo animal rationale, mortale, grammaticũ est: quãuis verũ sit, omne animal rationale, mortale, grãmaticũ homo est. Ergo ideo vitiosa est hæc definitio, quòd nihil quidẽ præter hominẽ, sed non omnem hominem tenet: & hęc fortasse talis est, de qua velut perfecta gloriamur. Quanquam enim omnis passio corporis per seipsam non latens animam sensus sit, non tamen omnis sensus istud est. Quod sic intelligas licet, Bestiæ nempe sentiunt, ac pene omnes quinque illis sensibus vigent, quãtum cuique natura tributum est. An tu id negabis? AD. Ni- B hil minus. AVG. QVID hoc? nónne concedis scientiam non esse, nisi cùm res aliqua firma ratione percepta & cognita est? AD. Concedo. AVG. At bestia ratione non vtitur. AD. Et hoc concedo. AVG. Non igitur scientia cadit in bestiam. Cùm autem non latet aliquid, vtique scitur: non igitur sentiunt bestiæ, si omnis sensus est cùm passio corporis per seipsam non latet animam: sentiunt autem, vt paulò antè concessum est. Quid ergo dubitamus illam definitionem improbare, quæ omnem sensum circumplecti minimè potuit, siquidem bestiarum sensus excluſus est? AD. Fateor me deceptum, cùm tibi concessi scientiam tunc esse cùm aliquid firma ratione percipitur. Solos enim homines cùm hoc rogabas intuebar: nam neque possum dicere ratione vti bestias, nec eis possum scientiam

Odyssea c.

denegare. Sciebat enim, vt opinor, dominum suum canis, quem post viginti annos recognouisse perhibetur, vt taceam de cæteris innumerabilibus. AVG. Dic mihi, oro te, si duæ quædam res tibi proponantur, vna C ad quam perueniendum sit, altera per quam peruenire possis, quam istarum pluris pẽdis, & quam cui præponis? AD. Quis dubitat eam præstare ad quam sit perueniendum? AVG. Ergo cùm sint duæ res quædam scientia & ratio, per scientiam peruenimus ad rationem, an per rationem ad scientiam? AD. Vtraque res sibimet, quantum arbitror, ita nexa est, vt per alterutram ad alteram peruenire possit. Namque ad ipsam rationem non peruenirem us, nisi ad eam perueniendum esse sciremus. Præcessit ergo scientia, vt ad rationem per eam peruenirem us. AVG. Quid? ad ipsam scientiam quam dicis præcedere, sine ratione peruenitur? AD. Nunquam hoc dixerim: nam est ista summa temeritas. AVG. Per rationem igitur? AD. Non ita est. AVG. Ergo per temeritatem? AD. Quis hoc dixerit? AVG. Per quid igitur. AD. Per nihil, quia insita est nobis. AVG. Oblitus mihi videris, quid inter nos superiùs conuenerit, cùm rogassem vtrum nam putares tunc esse sciẽtiam, cùm res aliqua firma ratione percipitur. D Nam respõdisti, vt opinor, hanc tibi videri humanam scientiam: nunc verò dicis posse hominem habere aliquam scientiam, cùm rem nulla ratione perceperit. Quis autem nõ videat nihil sibi aduersius esse, quàm ista duo sunt, & non esse scientiam nisi cùm res aliqua firma ratione percipitur, & esse cuiusdam rei sciẽtiam nulla ratione perceptæ. Itaque nosse cupio, vtrum horum eligas, nam vtrumque verum esse nullo pacto potest. AD. Hoc eligo quod paulò antè dixi: nam illud superiùs temerè me dedisse confiteor. Cùm enim ratione inter nos verum quæramus, idque fiat rogando & respondendo, quomodo posset ad summam peruenirí qua concluditur ratio, nisi prius aliquid concede-

A retur? Concedi autem rectè quî possit quod nesciretur? Ita ista ratio nisi inueniret in me aliquid cognitum, quo innitens ad incognitum duceret, nihil omnino per illam discerem, nec eam prorsus rationem nominarem. Quamobrem frustra mihi non assentiris ante rationem necessariò esse in nobis aliquam scientiam, vnde ipsa ratio sumat exordium. AVG. Geram tibi morem, & te quidem vt instituí, quoties alicuius dati pœnitet, emendare permittam: sed ne quæso abutaris ista licentia, & negligenter cùm interrogo, attendas, ne assiduè malè concessa etiam de iis quæ bene conceduntur dubitare te cogant. AD. Perge potius ad cætera, quamuis enim addam vigilãtiæ meæ quicquid possum, nam & me pudet de sentẽtia cadere toties, nunquam tamen deterrebor pudori huic reniti, & lapsum meum te præsertim manum dante corrigere. Neque enim est ideo suscipienda pertinacia, quia optanda constantia. AVG. PROVENIAT CAPVT tibi planè ista constantia quàm citissimè potest, ita XXVII. *Ratio & ratiocinatio.* mihi placitam sententiam protulisti. Sed nunc esto quàm præsentissimus ad ista quæ volo. Quæro enim abs te, quid tibi interesse videatur inter rationem & ratiocinationem. AD. Non satis valeo ista discernere. AVG. Hoc ergo intuere, vtrum existimes homini iam adolescenti, an viro, † an (vt omnem ambagem aufe- *al. aut.* ram) sapienti sine intermissione inesse rationem, dum mente sanus est, sicut bonam valetudinem corpori, dum peste ac vulneribus caret: an sicut ambulare, sedere, loqui, modò inesse, modò deesse? AD. Sanæ menti semper puto inesse rationem. AVG. Quid hoc, dum per ea quæ conceduntur ac manifesta sunt, vel interrogando alium, vel connectendo alia, perducimus nos ad alicuius rei cognitionem? Videturne tibi aut nos, aut quiuis sapiens semper facere? AD. Non semper: non enim semper homo quilibet aut sapiens quãtum opinor, vel secum, vel cum alio quærit aliquid differendo: nam qui quærit, nondum inuenit: ita si semper quærit, nunquam inuenit. Sapiens autem iam inuenit, vt nihil aliud dicam, vel ipsam sapientiam, quam cùm esset stultus differendo fortasse, aut quoquo modo alio poterat, requirebat. AVG. Rectè dicis: quare in- *Ratiocinatio quid sit.* telligas volo non esse istam rationem, dum per ea quę conceduntur atque cognita sunt, ad aliquid incognitum ducimur: hoc enim non semper, vt iam consensimus, ineſt menti sanæ, ratio autem semper. AD. Intelligo, sed quorsum ista? AVG. Quia paulò antè dixisti, propterea me tibi debere assentiri scientiam nos habere ante rationem, quòd cognito aliquo nitítur, dum nos ratio ad incognitum ducit: nunc autem inuenimus non rationem vocandam esse dum hoc agitur: non enim sana mens agit hoc semper, cùm semper habeat rationem. Sed rectè ista fortasse ratiocinatio nominatur, vt ratio sit quidam mentis aspectus, *Differunt ratio & ratiocinatio.* ratiocinatio autem rationis inquisitio, id est aspectus illius per ea quæ aspicienda sunt motio. Quare ista opus est ad quærendum, illa ad videndum. Itaque cùm ille mentis aspectus, quem rationem vocamus, coniectus in rem aliquam, videt illam, scientia nominatur. Cùm autem non videt mens, quamuis intendat aspectum, inscitia vel ignorantia dicitur. Non enim & his corporalibus oculis omnis qui inspicit videt, quod in tenebris facillimè animaduertimus. Ex quo liquet, vt opinor, aliud esse aspectum, aliud visionem, quæ duo in mente rationem & scientiam nominauimus: nisi quid te aduersus hæc mouet, aut parum dilucidè ista distincta arbitraris. AD. Per mihi hæc distinctio placet, & libenter assentior. AVG. Vide ergo nunc, vtrum nos aspicere putes vt videamus, an videre vt aspiciamus. AD. Hinc verò ne cæcus quidem quisquam dubitauerit, aspectum esse propter visionem, non visionem propter aspectum. AVG. Fatendum igitur, visio-

Scientia & ratio num in bestiis?

nem pluris quàm aſpectum eſſe pendendam. AD. Fatendum omnino. AVG. Ergo & ſcientiam pluris quàm rationem. AD. Conſequens video. AVG. Placétne tibi meliores aut feliciores eſſe hominibus beſtias? AD. Auertat Deus tam immanem amentiam. AVG. Rectè ſanè exhorruiſti, ſed ad id nos cogit ſententia tua. Dixiſti enim eas habere ſcientiam, & non habere rationem. Rationem autem habet homo, per quam vix ad ſcientiam peruenitur. Sed vt concedam facilè perueniri, quid nos adiuuabit ratio, vt beſtiis nos anteponendos putemus, cùm illę habeant ſcientiam, & hanc pluris quàm rationem pendendam eſſe compertũ ſit.

CAPVT XXVIII. *Animantia bruta quomodo cognoſcant.*

AD. COGOR omnino aut ſcientiam beſtiis non concedere, aut nihil recuſare quin mihi meritò anteponantur. Sed quæſo explica illud, quod de cane Vliſſis commemoraui, quale nam ſit: nam eius admiratione commotus tam inaniter latraui. AVG. Quid autem hoc putas eſſe, niſi vim quandam ſentiendi, non ſciendi? Senſu enim nos beſtiæ multæ ſuperant, cuius rei cauſam non hic locus eſt vt quæramus: mente autem, ratione, ſcientia, nos illis Deus præpoſuit. Sed illę ſenſus ea quibus tales animæ delectantur, accedente conſuetudine, cuius magna vis eſt, poteſt diſcernere, atq; eo facilius, quòd anima beluarum magis corpori affixa eſt, cuius illi ſunt ſenſus quibus vtitur ad victum voluptatemque, quam ex eodem illo corpore capit. Humana verò anima propter rationem atque ſcientiam, de quibus agimus, quòd ſunt iſta longè præſtantiora ſenſibus, ſuſpendit ſe à corpore quantum poteſt, & ea quæ intus eſt libentius fruitur voluptate, quantoq; in ſenſus declinat, tanto magis ſimiliorem hominem pecori facit. Inde eſt quòd etiam pueri vagientes, quanto alieniores à ratione ſunt, tanto facilius diſcernunt ſenſu etiam contactum coniunctionemq; nutricum, nec odorem aliarum poſſunt ſuſtinere, cum quibus conſuetudo non fuit. Quamobrem quamuis aliud ex alio inciderit, libenter tamen in eo ſermone demoror, quo admonetur anima, ne ſe vltra quàm neceſſitas cogit refundat in ſenſus, ſed ab his potius ad ſeipſum colligat, & repueraſcat Deo: quod eſt nouum hominem fieri vetere exuto, à quo incipere propter neglectam Dei legem certa eſt neceſſitas, quo neque verius neque ſecretius quicquam Scripturis diuinis continetur. Vellem hinc plura dicere, ac meipſum conſtringere, dum quaſi tibi præcipio, vt nihil aliud agerem quàm reddere me mihi, cui me maximè debeo, atque ita Deo fieri, quod ait Horatius, Amicum mancipium Domino. Quod omnino fieri non poteſt, niſi ad eius reformemur imaginem, quam nobis vt pretioſiſſimum quiddam & chariſſimum euſtodiẽdam dedit, dum noſipſos nobis tales dedit, qualibus nihil poſſet præter ipſum anteponi. Hac autem actione nihil mihi videtur operoſius, & nihil eſt ceſſationi ſimilius, neque tamen eam ſuſcipere aut implere animus poteſt, niſi eoipſo adiuuante cui redditur. Vnde fit vt homo eius clementia reformandus ſit, cuius bonitate ac poteſtate formatus eſt. Sed ad propoſitum redire cogimur. Quare vide vtrum tibi iam probatum ſit, feras non habere ſcientiam, totamque illam velut imaginem ſcientiæ, quam miramur, vim eſſe ſentiendi. AD. Probatum ſanè, & ſiquid de hoc diligentius quærendum eſt, aliud tempus aucupabor, nunc noſſe cupio quid hinc conficias.

Ephes. 4. e. 22.

1. Retract. cap. 8.

Horatius.

CAPVT XXIX. *Scientia & ſenſus quid differant.*

AVG. QVID aliud putas, niſi definitionem illam ſenſus, vt antea, quod neſcio quid plus quàm ſenſum includebat, ita nunc contrario vitio vacillare, quòd non omnem ſenſum potuit includere. Habent enim feræ ſenſum, nec habent ſcientiam: quicquid autem non latet, ſcitur, & omne quod ſcitur, ad ſciẽtiam profectò pertinet: de quibus omnibus iam mihi tecum conuenit. Aut igitur non eſt verum, ſenſum eſſe paſſionem corporis non latentem animam, aut eo carent beſtiæ, quia ſcientia carent: ſenſum autem concedimus beſtiis: definitio ergo illa vitioſa eſt. AD. Fateor nihil me inuenire quo reſiſtam. AVG. Accipe aliud quo magis nos huius definitionis pudeat. Nam meminiſti, vt opinor, tertium definitionis vitium tibi demonſtratum, quo prorſus nihil eſt turpius, cùm ex neutra parte vera eſt, qualis eſt illa hominis, homo eſt animal quadrupes: nam ſiue omnis homo animal eſt quadrupes, ſiue omne animal quadrupes homo eſt, qui dicit atque affirmat, inſanit profectò, ſi non iocatur. AD. Verum dicis. AVG. Quid ſi in hoc vitio iſta noſtra deprehẽditur, putáſne quicquam magis eſſe quod ſit explodendum atque exterminandum de anima? AD. Quis id recuſet? Sed nollem, ſi fieri poteſt, etiam hic tamdiu detineri, atque interrogatiunculis agitari. AVG. Nihil eſt quod metuas, iam enim confectum eſt negotium: an tibi nondum perſuaſum eſt, cùm de differentia ferarum & hominum ageretur, aliud eſſe ſentire, aliud ſcire? AD. Imò maximè. AVG. Aliud ergo ſenſus, aliud ſcientia. AD. Ita eſt. AVG. Non autem ſentimus ratione, ſed aut viſu, aut auditu, aut olfactu, aut guſtu, aut tactu. AD. Aſſentior. AVG. Et omne quod ſcimus, ratione ſcimus. Nullus igitur ſenſus ſcientia eſt: quicquid autem non latet, ad ſcientiam pertinet. Ad nullum ergo ſenſum pertinet non latere, vt nullus homo quadrupes rectè dici poteſt. Quamobrem iſta noſtra definitio ſuſcepta tua, non ſolum alienos terminos inuaſiſſe, neque aliquid ſui iuris reliquiſſe, ſed nihil omnino habuiſſe proprium, totumque alienum occupaſſe conuicta eſt. AD. Quid ergo agemus? Patieriſne illam de iudicio ita diſcedere? Quanquam enim ego ei defenſionem qualem potui præbuerim, tu tamen ipſam litis formulam quæ nos decepit compoſuiſti. Et ego quidem tametſi obtinere non potui, bona tamen fide adfui, quod mihi ſatis eſt. Tu verò ſi præuaricationis arguaris, quid facias, à quo & producta eſt, vt iurgaret audenter, & oppugnata vt turpiter cederet? AVG. Nunquid nam eſt hic quiſquam iudex, à quo huic vel mihi metuendum ſit? Ego te priuatim quaſi adhibitus iuriſconſultus, inſtruendi cauſa refellere volui, vt cùm ad iudicium ventum fuerit, paratus aſſiſtas. AD. Eſt ergo aliquid quod pro iſta proferas, quam mihi inualidiſſimo temerè defendendam tuendamque commendas? AVG. Eſt certè.

CAPVT XXX. *Anima quare vbique ſentiat in corpore.*

AD. QVID nam id eſt, obſecro? AVG. Quia quanquam ſit aliud ſenſus, aliud ſcientia, illud tamen non latere vtriſque commune eſt, vt ipſi homini & beſtiæ, quamuis plurimum differant, animal tamen eſſe commune eſt: nõ latet enim quicquid animæ apparet, ſiue per temperantiam corporis, ſiue per intelligentiæ puritatem, atque illud primum ſenſus, hoc autem alterum ſcientia ſibi vindicauit. AD. Manet ergo illa definitio tuta & probata? AVG. Manet verò. AD. Vbinam ergo deceptus ſum? AVG. Vbi rogaui, vtrum omne quod non latet ſciatur. Tu enim huic rogationi temerè aſſenſus es. AD. Nam quid velles [vt] dicerem? AV. Non continuò eſſe ſcientiam ſi quid nõ latet, ſed ſi per rationem non latet. Cùm autem per corpus non latet, ſenſum vocari, ſi per ſeipſam non lateat corporis paſſio. An ignoras quibuſdam philoſophis & peracutis viſum eſſe, ne idipſum quidem quod mente comprehenditur, ad nomen aſpirare ſcientiæ, niſi tam firma comprehenſio ſit, vt ab ea mẽs nulla ratione queat dimoueri? AD. Accipio iſta gratiſſimè: ſed quæſo quoniam quid ſit ſenſus, ſubtiliſſimè quantum arbitror explicatum eſt, referamus nos ad illam quæſtionem, propter quam explicandum hoc ſuſceperamus. Attuleram enim ego argumentum, quo tantam probarem animam eſſe, quantum eius eſt corpus, eo quòd tangentem à capite vſque ad pedis extremum pollicem ſentit

al. temperationem.

sentit quaquauersum tetigeris, atque inde ad sensus definitionem morarum plenissimam, sed fortè necessariò delati sumus. Itaque ipsum fructum tanti operis iam ostende, si placet. AVG. Est omnino, atque vberrimus: nam totum quod quærebamus, effectum est. Si enim sensus est corporis passio per seipsam non latens animam, quod vt firmissimè teneremus, diutius quàm velles sermocinati sumus, meministine tandem nos comperisse ibi sentire oculos vbi non sunt, vel potius ibi pati? AD. Memini. AVG. Etiam illud dedisti, nisi fallor, nec modò dubitas dandum fuisse, animam multo quàm totum corpus est, esse meliorem ac potentiorem. AD. Hinc verò dubitare nefarium puto. AVG. Age si corpus potest ibi pati aliquid vbi non est, propter quandam cum anima contemperationem, quod oculis in cernendo accidere inuentum est, adeóne animam crassam & pigram putamus, per quam ipsi oculi tantum possunt, vt eam lateat corporis passio, si non ibi iaceat, vbi passio ipsa contigit? AD. Multum me mouet ista conclusio, & ita multum vt omnino stupeam, & non solùm quid respondeam, sed prorsus vbi sim non inueniam. Quid enim dicam? sensum non esse, cùm corporis passio per seipsam non lateat animam? Quid erit aliud, si hoc non est: Oculos nihil pati cùm videmus? Absurdissimum est eos ibi pati vbi sunt, vt seipsos non videant, nec vbi sunt quicquam est præter ipsos. Non esse oculis animam potentiorem, cùm eadem sit istorum potentia? Nihil est dementius. An hoc dicendum est, potentius esse ibi pati, vbi quidque sit, quàm vbi non sit? Sed si hoc verum esset, non esset præstantior visus cæteris sensibus. AV. Quid quòd ictum aliquem, vel incidens quippiam, vel humoris perturbationem, cùm ibi patiantur oculi vbi sunt, neque hoc animam latet, nec ista passio visus, sed tactus vocatur: & tamen talia pati oculus posset etiam in exanimi corpore, quamuis deesset anima, quam passio non lateret: illud autem quod pati non potest oculus, nisi adsit anima, id est quod videdo patitur, hoc solum ibi patitur, vbi non est? Ex quo cui non videatur, nullo loco animam contineri? Siquidem oculus, quòd est corpus, id tantùm non loco suo patitur, quod nunquam sine anima pateretur. AD. Quid igitur faciam, quæso te? Nónne istis rationibus confici potest, animas nostras non esse in corporibus? Quod si ita est, nónne vbi sim nescio? Quis enim mihi eripit, quòd ego ipse anima sum? AVG. Ne perturbere, ac magis bono animo facito sis. Ista enim cogitatio & consideratio ad nosmetipsos nos inuitat, & quantum licet auellit à corpore. Quòd autem tibi visum est, non esse animam in corpore viuentis animãtis, quanquam videatur absurdum, non tamen doctissimi homines quibus id placuerit defuerunt, neque nunc arbitror deesse: sed vt ipse intelligis, res est subtilissima, & ad quam cernendam mentis acies satis purganda est. Nunc attende potius quid aliud afferas, quo conuincas animam vel longam vel latam esse, vel quid eiusmodi: nam illud argumentum tuum de tangendi sensu, sentis non attingere veritatem, nec valere aliquid, vt eam per totum corpus tanquam sanguinem diffusam esse conuincat: aut si iam quod afferas nihil habes, videamus quæ restant. AD. NIHIL haberem fortasse, nisi recordarer quantum pueri mirari soleremus palpitantes lacertarum caudas amputatas à cætero corpore, quem motum sine anima fieri nullo modo mihi persuadere possum: neque quo pacto fiat, vt nullum sit animæ spatium, quando præcidi etiam cũ corpore potest intelligo. AV. Possem respondere, aërem & ignem, quæ duo per animæ præsentiam tenentur in corpore terreno & humido, vt omnium quatuor fiat contemperatio, dum post eiusdem animę absessum ad superna euadunt, ac sese expediunt, mouere illa corpuscula tanto concitatius, quanto plagà recentiore subitò erumpunt: deinde porrò motum languescere, postremò desinere, dum minus minusq; fit quod effugit, ac deinde totum euolat. Sed ab hoc me reuocat quod his hausi oculis pene serius quàm credi potest; sed certè non serius quàm deberem. Cùm enim nuper in agro essemus Liguriæ, nostri illi adolescentes qui tunc mecum erat studiorum suorum gratia, animaduerterunt humi iacentes in opaco loco, reptantem bestiolam multipedem, longum dico quendam vermiculum: vulgo notus est, hoc tamen quod dicam nunquam in eo expertus eram. Verso nanque stylo quem fortè habebat vnus illorum, animal medium percussit: tum ambæ partes corporis ab illo vulnere in contraria discesserunt, tanta pedum celeritate, ac nihilo imbecilliore nisu, quàm si duo huiuscemodi animantia forent. Quo miraculo exterriti, causæque curiosi, ad nos, vbi simul ego & Alipius considebamus, alacriter viuentia frusta illa detulerunt. Neque nos parum commoti, ea currere in tabula quaquauersum poterant cernebamus: atque vnum ipsorum stylo tactum, contorquebat se ad doloris locum, nihil sentiente alio, ac suos alibi motus peragente. Quid plura? Tentauimus quatenus id valeret, atque vermiculum, imò iam vermiculos in multas partes concidimus: ita omnes mouebantur, vt nisi à nobis illud factum esset, & comparerent vulnera recentia, totidem illos seperatim natos, ac sibi quemque vixisse crederemus. Sed tunc ego quod illis adolescentibus dixi, cùm intenti me intuerentur, tibi nunc dicere vereor: iam enim tantum processimus, vt nisi tibi aliter respondero quod secundùm meam causam probabiliter valet, tota nostra intẽtio per tam longum munita sermonem, ab vno vermiculo penetrata succubuisse videatur. Illis autem præceperam, vt in studiis, sicut cœperant, suum cursum tenerent: ita eos opportunius aliquando ad quærenda & discutienda ista, si res moneret, esse venturos. Sed quæ illis discedentibus cum Alipio sermocinatus sum, cùm vterque nostrum pro suo quisque modulo recordaretur & coniectaret & quæreret, si exponere velim, longè plura à nobis dicenda sunt, quàm ab ipso principio tantis ambagibus atque anfractibus dicta sunt. Non apud te tamen tacebo quod sentio, nisi mihi tunc multa iam nota essent de corpore, de specie quæ inest corpori, de loco, de tempore, de motu, quæ subtilissimè atque abstrusissimè propter hanc ipsam quæstionem disseruntur, ad dandum palmam iis qui corpus esse animã dicunt, declinarem. Quapropter te vt possim etiam atque etiam moneo, ne temerè aut in libros aut in disputationes loquacissimorum hominum, nimiumque sensibus his corporeis credẽtium te præcipites, donec corrigas firmesque vestigia, quæ vsque ad ipsum Deum animam ducunt: ne ab illo secretissimo & tranquillissimo mentis habitaculo, à quo nunc dum hæc incolit peregrina est, studiis facilius & laboribus, quàm inertia desidiaque auertaris. Nunc autem accipe contra illud quo, vt sentio, multum moueris, non quod robustius de multis, sed quod breuius, neque quod mihi probabilius quàm cætera, sed quod tibi aptius eligere potui. AD. Dic oro te quàm citissimè potes. AVG. Primùm illud dico, si maximè causa lateat, cur in concisione quorũdam corporum illa contingant, non continuò nos hoc vno ita perturbari oportere, vt tã multa quæ superiùs luce clariora tibi visa sunt, falsa esse arbitremur. Fieri enim potest vt huius rei causa nos lateat, quæ vel humanæ naturæ occultata est, vel sit alicui homini cognita, nec iste à nobis interrogari possit, aut etiam hoc ingenio simus, vt satisfacere nobis interrogatus non possit. Nunquídnam ex eo quicquid ex cõtraria parte firmissimè didicimus, ac verissimum esse

CAPVT XXXI. *Vermiculi sedi quomodo moueantur.*

esse confiteamur, labi nobis atque extorqueri decet? Atqui si illa maneant integra, quæ interrogatus certa & indubia esse respondisti, nihil est quòd istum vermiculum pueriliter metuamus, quanquam viuacitatis & numerositatis eius causam non valeamus afferre. Si enim apud te de aliquo fixum immotumque constaret, quòd esset vir bonus, eumque in latronum conuiuio quos persequereris deprehenderes, atque aliquo casu antequam abs te interrogari posset moreretur, quamlibet causam putares potius illius cũ sceleratis coniunctionis atque conuiuij, etiam si te semper lateret, quàm scelus & societatem. Cur ergo non cum tam multis argumentis superiùs editis, atque abs te firmissimè comprobatis, planum tibi factum sit, nõ loco animam contineri, atque ob hoc nullius talis esse quantitatis, qualem in corporibus cernimus, aliquã suspicaris esse causam, cur nonnullum animal concisum in omnibus partibus viuat, non eam tamen quòd cum corpore anima concidi potuerit? Quam si reperire non possumus, nónne quærenda est potius vera, quàm falsa credenda? DEINDE quæro abs te, vtrum putes in verbis nostris aliud esse ipsum sonum, aliud quod sono significatur. AD. Ego vtrumque idem puto. AVG. Dic mihi ergo, sonus ipse vnde procedat cùm loqueris? AD. Quis dubitet à me procedere. AVG. Abs te ergo sol procedit, dum nominas solem? AD. De sono me, non de re ipsa interrogasti. AVG. Aliud ergo sonus est, aliud res quam significat sonus, tu autem vtrumque idem esse dixeras. AD. Age iam concedo aliud esse significantem sonum, aliud rem quæ significatur. AVG. Dic ergo, vtrum possis gnarus Latinæ linguæ nominare in loquendo solem, si non intellectus solis præcederet sonum? AD. Nullo modo possem. AV. Quid antequam ipsum nomen de ore procedat, si volens id enunciare aliquãdiu te in silentio teneas, nónne in tua cogitatione manet, quod expressa voce alius auditurus est? AD. Manifestum est. AVG. Quid cùm ipse sol tantæ sit magnitudinis, num illa notio eius quã cogitatione ante vocem tenes, aut longa, aut lata, aut quid eiusmodi videri potest? AD. Nullo modo. AVG. Age iam dic mihi, cùm ore ipsum nomẽ erumpit tuo, atque id ego audiens solem cogito, quem tu ante vocem & cum ipsa voce cogitasti, & nunc fortasse ambo cogitamus, nónne tibi videtur nomẽ ipsum veluti accepisse abs te significationem, quam ad me per aures deportaret? AD. Videtur. AV. Cùm ergo nomen ipsum sono & significatione constet, sonus autem ad aures, significatio ad mentem pertineat, nónne arbitraris in nomine velut in aliquo animante sonum esse corpus, significationem autem quasi animam soni? AD. Nihil mihi videtur similius. AVG. Attende nunc, vtrum nominis sonus per literas diuidi possit, cùm anima eius, id est significatio, non possit? Siquidem ipsa est quam paulò antè in nostra cogitatione nec latam nec lõgam respondisti tibi videri. AD. Prorsus assentior. AV. Quid cùm per literas singulas sonus ille diuiditur, videtur tibi significationem illam retinere? AD. Quomodo possunt singulæ literæ significare quod nomen, quod ex his confit, significat? AVG. At cùm perdita significatione discerptus in literis sonus est, num aliud putas esse factum, quàm dilaniato corpore discessisse animam, & quasi mortem quandam nominis contigisse? AD. Non solùm assentior, sed ita libenter, vt nihil me magis in hoc sermone delectauerit. AVG. Si ergo satis perspexisti in hac similitudine, quomodo possit dissecto corpore anima non secari, accipe nunc quomodo frusta ipsa corporis, cùm anima secta non sit, viuere possint. Iam enim concessisti, & rectè (vt opinor) significationem quæ quasi anima soni est, dum nomen editur per seipsam nullo pacto diuidi posse, cùm ipse sonus, qui velut corpus eius est, possit. Sed in solis nomine ita soni est facta diuisio, vt nulla pars eius significationem aliquam retineret. Itaque illas literas dilacerato corpore nominis, tanquam exanima membra, id est, significatione carentia, considerabamus. Quamobrem si aliquod nomen inuenerimus, quod diuisum queat etiam singulis partibus quippiam significare, concedas oportet, non omnimodam veluti mortem tali præcisione factam esse, cùm tibi membra separatim considerata quodlibet significantia & quasi spirantia videbuntur. AD. Concedam omnino, & vt iam idipsum sones, flagito. AVG. Accipe: nam dum viciniam solis attendo, de cuius nomine superiùs egimus, lucifer mihi occurrit, qui profectò inter secundam & tertiam syllabam scissus nonnihil priore parte significat, cùm dicimus luci, & ideo in hoc plus quàm dimidio corpore nominis viuit. Extrema etiam pars habet animam: nam cùm ferre aliquid iuberis, hanc audis. Quî enim posses obtemperare, si quis tibi diceret, Fer codicem: si nihil significaret fer: quod cùm additur luci, lucifer sonat, & significat stellam: cùm autem demitur, nonnihil significat, & ob hoc quasi retinet vitam. Cùm autem locus & tempus sit, quibus omnia quæ sentiuntur, occupantur, vel potius quæ occupãt, quod oculis sentimus per locum, quod auribus per tempus diuiditur. Vt enim vermiculus ille plus loci totus quàm pars eius occupabat, ita maiorem temporis moram tenet, cùm lucifer dicitur, quàm si luci tantummodo diceretur. Quare si hoc significatione viuit in ea diminutione temporis, quæ diuiso illo sono facta est, cùm eadem significatio diuisa non sit: non enim ipsa per tempus distendebatur, sed sonus: ita existimandum est, secto vermiculi corpore, quanquam in minore loco pars eoipso quo pars erat viueret, non omnino animam sectam, nec loco minore, minorem esse factam, licet integri animantis membra omnia per maiorem locum porrecta simul possederit. Non enim locum ipsa, sed corpus quod ab eadem agebatur, tenebat: sicut illa significatio non distẽta per tempus omnes tamen nominis literas suas moras ac tempora possidentes, velut animauerat atque compleuerat. Hac similitudine interim contentus sis peto, qua te sentio delectatum. Quæ autem subtilissimè de hoc disputari possunt, ita vt non similitudinibus quæ plerunque fallunt, sed rebus ipsis satis fiat, ne in præsentia expectes: nam & concludendus est tam longus sermo, & multis aliis quæ tibi desunt, animus ad hæc intuenda & perspicienda præcolendus est, vt possis intelligere liquidissimè, vtrum quod à quibusdam doctissimis viris dicitur, ita sese habeat, animam per seipsam nullo modo, sed tamen per corpus posse partiri. Nunc accipe à me, si velis, vel potius recognosce per me, quanta sit anima non spatio loci ac temporis, sed vi ac potentia: nam ita si meministi, propositum ac distributum iam diu nobis est. De numero verò animarum, nescio quid tibi respondeam, cùm hoc ad istam quæstionem pertinere putaueris: citius enim dixerim non esse omnino quærẽdum, aut certè tibi nunc differendum, quàm vel numerum ac multitudinem non pertinere ad quãtitatem, vel tam inuolutam quæstionem modò à me tibi posse expediri. Si enim dixero vnam esse animam, conturbaberis, quòd in altero beata est, in altero misera; nec vna res simul & beata & misera potest esse. Si vnam simul & multas dicam esse, ridebis: nec mihi facilè vnde tuum risum comprimã suppetit. Sin multas tantummodo esse dixero, ipse me ridebo, minusq; me mihi displicentem quàm tibi perferã. Audi ergo quod ex me bene te audire posse polliceor. Quod verò aut ambobus, aut alteri nostrûm ita onerosum est, vt fortasse opprimat, ne subire aut imponere velis. AD. Cedo prorsus, & quod tibi congruenter mecum videtur agi posse, quantum valeat anima,

CAPVT XXXII. *Diuiso corpore, quomodo non diuidatur anima.*

Nomen ad sonum, sonus ad aures, significatio ad mentem pertinet.

De numero animarum, quæstio inuoluta.

CAPVT XXXIII. *Varia animæ in homine operatio.*

anima, expecto vt exponas. AVG. O vtinam dotissimum aliquem: neque id tantum, sed etiam eloquentissimum, & omnino sapientissimum, perfectúmque hominem de hoc ambo interrogare possemus; quónam ille modo quid anima in corpore valeret; quid in seipsa, quid apud Deum, cui mundissima proxima est, & in quo habet summum atque omne bonum suum, dicendo ac disputando explicaret. Nunc autem cùm mihi ad hanc rem desit alius, audeo tamen tibi non deesse: sed hoc mercedis est, quod dum quid valeat anima, indoctus expedio, quid ipse valeam, securus experior. In primis tamen tibi amputem latissimam quandam & infinitam expectationem, ne me de omni anima dicturum putes, sed tantum de humana, quam solam curare debemus, si nobismetipsis curæ sumus. Hæc igitur primò, quod cuiuis animaduertere facile est, corpus hoc terrenum atque mortale præsentia sua viuificat, colligit in vnum, atque in vno tenet, diffluere atque contabescere non finit, alimenta per membra æqualiter suis quibusque redditis distribui facit, congruentiam eius modumq; conseruat, non tantum in pulchritudine, sed etiam in crescendo atque gignendo. Sed hæc omnia homini etiam cum arbustis communia videri queunt. Hæc enim etiam dicimus viuere, in suo verò quidque illorum genere custodiri, ali, crescere, gignere videmus atque fatemur. Ascende itaque alterum gradum, & vide quid possit anima in sensibus, vbi euidentior manifestiorque vita intelligitur. Non enim audienda est nescio quę impietas rusticana planè, magisque ligneà quàm sint ipsæ arbores quibus patrocinium præbet, quæ dolere vitem quando vua decerpitur, & non solum sentire ista cùm cæduntur, sed etiam videre atque audire credit. De quo errore sacrilego, alius est differendi locus. Nunc quod institueram attẽde, quæ sit vis animæ in sensibus, atque in ipso motu manifestioris animantis, quorum nobis cum iis quæ radicibus fixa sunt, nulla potest esse communio. Intendit se anima in tactum, & eo calida, frigida, aspera, lenia, dura, mollia, leuia, grauia sentit atque discernit. Deinde innumerabiles differentias saporum, odorum, sonorum, formarum: gustando, olfaciendo, audiendo videndoq; diiudicat. Atque in iis omnibus ea quæ secundùm naturam sui corporis sunt, ascisit atque appetit, reiicit fugitque contraria. Remouet se ab his sensibus certo interuallo temporum, & eorum motus quasi per quasdam ferias reparans, imagines rerum quas per eos hausit, secum cateruatim & multipliciter versat, & hoc totum est somnus & somnia. Sæpe etiam gestiendo ac vagãdo facilitate motus delectatur, & sine labore ordinat membrorum concordiam, pro copulatione sexus agit quod potest, atque in duplici natura, societate, atque amore molitur vnum. Fœtibus non iam gignendis tantummodo, sed etiam fouendis, tuendis, alendis, atque conseruandis cõspirat. Rebus inter quas corpus agit, & quibus corpus sustentat, cõsuetudine sese innectit, & ab eis quasi membris ægrè separatur: quæ consuetudinis vis etiam seiunctione rerum ipsarum, atq; interuallo temporis non discissa memoria vocatur. Sed hæc rursus omnia posse animam etiam in bestiis nemo negat. Ergo attollere in tertium gradum, qui iam est homini proprius, & cogita memoriam non consuetudine inolitarum, sed animaduersione atque signis commendatarum ac retẽtarum rerum innumerabilium, tot artes opificum, agrorum cultus, extructiones vrbium, variorum ædificiorum ac moliminum multimoda miracula: inuentiones tot signorum in literis, in verbis, in gestu, in huiuscemodi sono, in picturis atque figmentis: tot gentium linguas, tot instituta, tot noua, tot instaurata: tantum librorum numerum, & huiusmodi monimentorũ ad custodiendã memoriã, tantamq; curam posteritatis: officiorũ, potestatũ, honorum dignitatumque ordines, siue in familiis, siue domi militiæque in republica, siue in profanis, siue in sacris apparatibus: vim ratiocinandi & excogitandi, fluuios eloquentiæ, carminum varietates, ludendi ac iocãdi causã milleformes simulationes, modulandi peritiam, dimetiendi subtilitatem, numerandi disciplinam, præteritorum ac futurorum ex præsentibus coniecturam. Magna hæc & omnino humana. Sed est & adhuc istã partim doctis atq; indoctis, partim bonis ac malis animis copia communis. Suspice igitur atque insili quarto gradui, ex quo bonitas incipit, atque omnis vera laudatio. Hinc enim anima se non solum suo, si quam vniuersi partem agit, sed ipsi etiam vniuerso corpori audet præponere, bonaq; eius bona sua non putare, atque potentiæ pulchritudinique suæ comparata, discernere atque contemnere. Et inde quo magis se delectat, eo magis sese abstrahere à sordibus, totamq; emaculare ac mundissimam reddere & comptissimam, roborare se aduersus omnia quæ de proposito ac sententia dimouere moliuntur, societatem humanam magnipendere, nihilque velle alteri quod sibi nolit accidere: sequi authoritatem ac præcepta sapientium, & per hæc loqui sibi Deum credere. In hoc tam præclaro actu animę inest adhuc labor, & contra huius mundi molestias atque blanditias magnus acerrimusque conflictus. In ipso enim purgationis negotio subest metus mortis sæpe non magnus, sæpe verò vehementissimus. Non magnus tum, cùm robustissimè creditur: nam videre hoc vtrum sit verum, non nisi perpurgatæ animæ licet, tanta Dei prouidentia iustitiaque gubernari omnia, vt nulli mors iniquè accidere possit, etiam si eam fortè iniquus intulerit. Vehementer autem formidatur mors in hoc iam gradu, cùm & illud eo creditur infirmius, quo solicitius quæritur, & eo ipso minus videtur, quo tranquillitas propter metum minor est, inuestigandis obscurissimis rebus perneceſſaria. Deinde quo magis magisque sentit anima, eo ipso quòd proficit, quantum interfit inter puram & contaminatam: eo magis timet, ne depositio isto corpore, minus eam possit Deus quàm seipsa ferre pollutam. Nihil autem difficilius quàm & metuere mortem, & ab illecebris huius mundi sicut pericula ipsa postulant, temperare. Tanta est tamen anima, vt etiam hoc possit adiuuante sanè iustitia summi & veri Dei, qua hęc vniuersitas sustentatur & regitur: qua etiam factum est, vt non modò sint omnia, sed etiam sic sint, vt omnino melius esse non possint. Cui se in opere tam difficili mundationis suæ adiuuandam & perficiendam piissimè tutissimèq; committit. Quod cùm effectum erit, id est, cùm fuerit ab omni tabe anima libera, maculisque diluta, cùm se denique in seipsa lætissimè tenet, nec omnino aliquid metuit sibi, aut vlla sua causa quicquam angitur. Est ergo iste quintus gradus: aliud est enim efficere, aliud tenere puritatem: & alia prorsus actio qua se inquinatam redintegrat, alia qua non patitur se rursus inquinari. In hoc gradu omnifariam concipit quanta sit: quod cùm conceperit, tunc verò ingenti quadam & incredibili fiducia pergit in Deum, id est, in ipsam contemplationem veritatis, & illud propter quod tantum laboratum est, altissimum & secretissimum præmium. Sed hæc actio, id est, appetitio intelligendi ea quæ verè summeq; sunt, summus aspectus est animæ, quo perfectiorem, meliorem rectioremque non habet. Sextus ergo erit iste gradus actionis: aliud est enim mundari oculum ipsum animę, ne frustra & temerè aspiciat & prauè videat: aliud ipsam custodire atque firmare sanitatem: aliud iam serenum atque rectum aspectum in id quod vidẽdum

Primus gradus animæ.

Secundus gradus animæ.

Peripatesis somni.

Plato in Symposio.

Tertius gradus animæ.

Quartus gradus animæ.

Quintus gradus animæ.

Sextus gradus animæ.

est dirigere. Quod qui prius volùt facere, quâ mũdati & sanati fuerint, ita illa luce reuerberãtur veritatis, vt non solum nihil boni, sed etiam mali plurimum in ea putent esse, atque ab ea nomen veritatis abiudicent; & cum quadam libidine & voluptate miserabili in suas tenebras, quas eorum morbus pati potest, medicinæ maledicentes refugiant. Vnde diuino afflatu, & prorsus ordinatissimè illud à Propheta dicitur: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Spiritus enim rectus est, credo, quo fit vt anima in veritate quærenda deuiare atque errare non possit. Qui profectò in ea non instauratur, nisi prius cor mundum fuerit, hoc est, nisi prius ipsa cogitatio ab omni cupiditate ac fece rerum mortaliũ sese cohibuerit & eliquauerit. Iam verò in ipsa visione atque contemplatione veritatis, qui septimus atq; vltimus animæ gradus est, neque iam gradus, sed quædam mansio quò illis gradibus peruenitur, quæ sunt gaudia, quæ perfruitio veri & summi boni, cuius serenitatis atque æternitatis afflatus, quid ego dicam? Dixerunt hæc quantum dicenda esse iudicauerunt, magnæ quædam & incomparabiles animæ, quas etiam vidisse ac videre ista credimus. Illud planè ego nunc audeo tibi dicere, nos si cursum quẽ nobis Deus imperat, & quem tenendum suscepimus, constantissimè tenuerimus, peruenturos per virtutem Dei atque sapientiam ad summam illam causam, vel summum authorem, vel summum principium rerũ omnium, vel si quo alio modo res tanta congruentiùs appellari potest: quo intellecto verè videbimus quàm sint omnia sub sole vanitas vanitantium. Vanitas enim est fallacia, vanitantes autem vel falsi, vel fallentes, vel vtrique intelliguntur. Licet tamen dignoscere quantum inter hæc, & ea quæ verè sunt distet, & quemadmodum tamen ista omnia Deo authore creata sint, & in illorum comparatione nulla sint, per se autem considerata mira atque pulchra. Tunc agnoscemus quàm vera nobis credenda imperata sint, quamque optimè ac saluberrimè apud matrem ecclesiam nutriti fuerimus, quæue sit vtilitas lactis illius quod apostolus Paulus paruulis se potum dedisse prædicauit: quod alimentum accipere cum quis matre nutritur, vtilissimum est: cùm iam grandis est, pudendum: respuere cùm opus est, miserandum: reprehendere aliquando aut odisse, sceleris & impietatis: tractare autem ac dispensare commodè, laudis, & charitatis plenissimum est. Videbimus etiam naturæ huius corporeæ tantas commutationes & vicissitudines, dum diuinis legibus seruit, vt etiam ipsam resurrectionem carnis, quæ partim tardius, partim omnino non creditur, ita certam teneamus, vt certius nobis non sit solem cùm occiderit oriturum. Iam verò eos qui ad exemplum salutis nostræ ac primitias à filio Dei potentissimo, æterno atque incommutabili susceptum hominem, eundemque natum esse de virgine, cæteraq; huius historiæ miracula irrident, sic contemnemus, tanquam eos pueros, qui cùm pictorem propositis tabulis quas intueatur pingentem viderint, non putent posse hominem pingi, nisi aliam picturam qui pingit, aspexerit. Tanta autem in contemplãda veritate voluptas est, quantacunque ex parte eam quisque contemplari potest, tanta puritas, tanta sinceritas, tam indubitata rerum fides, vt neque quicquam præterea scisse se aliquando aliquis putet, cùm sibi scire videbatur, & quò minus impediatur anima toti tota inhærere veritati, mors quæ antea metuebatur, id est ab hoc corpore omnimoda fuga & elapsio, pro summo munere desideretur.

CAPVT XXXIII. *Anima confertur ad res bonitas & Deus.*

AVDISTI quanta vis sit animæ ac potentia, quod vt breuiter colligam, quemadmodum fatendum est, animam humanam non esse quod Deus est: ita præsumẽdum, nihil inter omnia quæ creauit, Deo esse propinquius. Ideoque diuinè ac singulariter in Ecclesia catholica traditur, nullã creaturam colendam esse animæ (libentius enim loquor his verbis quibus mihi hæc insinuata sunt) sed ipsum tantummodo rerum quæ sunt omnium creatorem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia; id est, † incommutabilem veritatem, incommutabilem æternitatem, incommutabilem virtutem, incommutabilem charitatem, vnum verum Deum atque perfectum, qui nunquam non fuerit, nunquam non erit, nunquam aliter fuerit, nunquam aliter erit. Quo nihil sit secretius, nihil præsentius, qui difficilè inuenitur vbi sit, difficilius vbi non sit: cum quo esse non omnes possunt, & sine quo esse nemo potest: & si quid de illo incredibilius, conuenientius tamen atque aptius homines dicere valemus. Hic ergo solus Deus animæ colendus est, neque discretè, neque confusè. Quicquid enim anima colit vt Deum, necesse est vt melius esse quàm seipsam putet. Animæ autem natura, nec terra, nec maria, nec sidera, nec luna, nec sol, nec quicquam omnino quod tangi, aut his oculis videri potest, non denique ipsum quod videri à nobis non potest, cælum melius esse credendum est. Imò hæc omnia longè deteriora esse, quàm est quælibet anima, ratio certa conuincit: si modò eam veri amatores ducentem per insolita quædam, & ob hoc ardua, constantissimè atque obseruantissimè sequi audeant. Si quid verò aliud est in rerum natura præter ista quæ sensibus nota sunt, & prorsus quæ aliquod spatium loci obtinent, quibus omnibus præstantiorem animã humanam esse diximus: si quid ergo aliud est eorum quæ Deus creauit, quiddam est deterius, quiddã par: deterius, vt anima pecoris: par, vt angeli: melius autem nihil. Et si quando est aliquid horum melius, hoc peccato eius fit, non natura. Quo tamen non vsque adeò fit deterior, vt ei pecoris anima præferenda, aut conferenda sit. Deus igitur solus ei colendus est, qui solus eius est author. Homo autem quilibet alius, quanquam sapientissimus & perfectissimus, vel prorsus quælibet anima rationis compos atque beatissima, amanda tantummodo & imitanda est, eique pro merito atque ordine quod ei congruit deferendum. Nam Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Errantibus verò cognatis animis & laborantibus, quantum licet atque præceptum est, opem ferendam esse sciamus, ita vt hoc ipsum cùm bene agitur, Deum per nos agere intelligamus. Neque quicquam nobis proprium vindicemus inanis gloriæ cupiditate decepti, quo vno malo à summo in ima demergimur. Neque vitiis oppressos, sed ipsa vitia: neque peccatores, sed ipsa peccata oderimus. Omnibus enim subuentum velle debemus, etiam qui nos læserunt, aut lædere, aut lædi omnino volunt. Hæc est vera, hæc est perfecta, hæc sola religio, per quam Deo reconciliari pertinet ad animæ, de qua quærimus, magnitudinem, qua se libertate dignam facit: nam ille ab omnibus liberat, cui seruire omnibus vtilissimum est, & in cuius seruitio placere perfectè sola libertas est. Sed video me penè excessisse metas propositi mei, ac sine vlla interrogatione tamdiu tibi multa dixisse: neq; id me pœnitet. Nam cùm sint ista per tam multas Ecclesiæ Scripturas dispersa, quãquam ea non incommodè collegisse videamur, plenè tamen intelligi nequeunt, nisi quisq; in illorum septem quarto gradu fortiter agẽs, pietatẽq; custodiens, & ad ea percipiẽda sanitatem ac robur comparãs, inquirat omnia sigillatim diligẽtissimè ac sagacissimè: namq; illis omnibus gradibus inest distincta & propria pulchritudo, quos actus melius appellamus.

CAPVT XXXV. *De potentia animæ in sexto gradu.*

QVÆRIMVS quippe de animæ potentia, & fieri potest vt hæc omnia simulagat, sed id solum sibi agere videatur quod agit cum

Psalm. 50.

Septimus gradus animæ.

Eccles. 1. a. 2. 1. Retract. cap. 7. ita frequenter citat.

1. Cor. 3. a. 2.

Rom. 11. d.

al. incõmutabile principium, incommutabilẽ sapientiam,

Deut. 6. c. 13. Matth. 4. b. 7.

cum difficultate, aut certè cum timore. Agit enim hoc multo quàm cætera attentior. Ascendentibus igitur sursum versus, primus actus docendi causa dicatur animatio: secundus, sensus: tertius, ars: quartus, virtus: quintus, tranquillitas: sextus, ingressio: septimus, cõtemplatio. Possunt & hoc modo appellari: primus, de corpore: secundus, per corpus: tertius, circa corpus: quartus, ad seipsam: quintus, in seipsam: sextus, ad Deum: septimus, apud Deum. Possunt & sic: pulchrè de alio, pulchrè per aliud, pulchrè circa aliud; pulchrè ad pulchrum, pulchrè in pulchro, pulchrè ad pulchritudinem, pulchrè apud pulchritudinem. De quibus omnibus pòst requires, si quid videbitur aperiendum: nunc ideo volui tot ista signare vocabulis, ne te moueat cùm alij aliis nominibus eadem vocant, aut aliter etiam partiuntur: & ob hoc aut ista aut illa improbes. Innumerabilibus enim modis eædem res & appellari & diuidi possunt rectissimè ac subtilissimè, sed in tanta copia modorum vtitur quisque, quo se congruenter vti existimat.

CAPVT XXXVI. *Anima soluta corpore qualis.*

DEVS igitur summus & verus lege inuiolabili & incorrupta, qua omne quòd condidit regit, subiecit animæ corpus, animam sibi, & sic omnia sibi: neque in vllo actu eandem deserit, siue pœna, siue præmio. Id enim iudicauit esse pulcherrimum, vt esset quicquid est, quomodo est: & ita naturæ gradibus ordinaretur, vt considerantem vniuersitatem nulla offenderet ex vlla parte deformitas: omnisq; animæ pœna & omne præmium conferret semper aliquid proportioni iustæ pulchritudinis, dispositionique rerum omnium. Datum est enim animæ liberum arbitrium, quòd quibusdam ratiocinationibus labefactare conantur, vsqueadeò cæci sunt, vt ne ista ipsa quidem vana atque sacrilega propria voluntate se dicere intelligant: nec tamen ita liberum arbitrium animę datum est, vt quodlibet eo moliens, vllam partem diuini ordinis legisque perturbet. Datum est enim à sapientissimo atq; innocentissimo totius creaturæ Domino: sed ista vt videnda sunt, videre paucorum est, neque ad hoc quisquam nisi vera religio-

A ne fit idoneus. Est enim religio vera, qua se vni Deo anima vnde se peccato velut abruperat, reconciliatione religat. Innectit ergo animam in illo actu tertio, atque incipit ducere, purgat in quarto, reformat in quinto, introducit in sexto, pascit in septimo: atque hoc fit alias citius, alias tardius, vt quæque amore ac meritis valent: omnia tamen Deus iustissimè, moderatissimè, pulcherrimè facit, quoquo modo sese habere voluerint de quibus facit. Iam verò etiam puerorum infantium consecrationes quantum prosint, obscurissima quæstio est, nõnihil tamen prodesse credendum est. Inueniet hoc ratio, cùm quæri oportuerit: quanquam & alia multa iam diu quærenda tibi potius aliquando, quàm cognoscenda protulerim. Quod fiet vtilissimè, si duce pietate requiratur. Quæ cùm ita sint, quis est qui iustè stomachetur, quòd agendo atque ministrãdo corpori anima data sit, cùm tantus & tam diuinus rerum ordo connecti melius non possit? Aut quærendum putet, qualis in hoc mortali & fragili corpore efficiatur, cùm & in mortem propter peccatum iure contrusa sit, & virtute hic etiam possit excellere? Aut qualis post hoc corpus futura sit, cùm & pœna mortis necessariò manere debeat, manente peccato, & virtuti pietatique sit Deus ipse, id est veritas ipsa præmium? Quare si iam placet, tam longum sermonem terminemus aliquando, & implendis Dei præceptis vigilantissimè & religiosissimè operam demus: non est enim alia fuga de tantis malis. Si quid autem obscurius à me dictum est quàm velles, facito vt memoriæ mandatum alias opportunius requiras. Neque enim deerit nobis quærentibus se, qui desuper est magister omnium. AD. Ego verò & hac oratione ita sum affectus, vt eam interpellare nefas putauerim: & si tibi modus sermonis hic placet, tresque illæ quæstiones quæ remanebant, tam breuiter perstringendæ in præsentia visæ sunt, cedam iudicio tuo, ac deinceps tam magnis rebus inuestigandis, non modò tempus propter tuas occupationes, sed etiam meipsum opportuniorem seruabo.

Quæ sit religio vera.

FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
DE LIBERO ARBITRIO
LIBER I.

B. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 9.

VM adhuc Romę demoraremur, voluimus disputando quærere, vnde sit malum. Et eo modo disputauimus, vt si possemus id quod de hac re diuinæ authoritati subditi credebamus, etiam ad intelligentiam nostram quantum differendo opitulante Deo agere possemus, ratio confiderata & tractata perduceret. Et quoniam constitit inter nos, diligẽter ratione discussa, malum non exortum nisi ex libero voluntatis arbitrio: tres libri quos eadem disputatio peperit, appellati sunt De libero arbitrio. Quorum secundum & tertium in Africa, iam etiam Hippone regio presbyter ordinatus, sicut tunc potui terminaui. In his libris ita multa disserta sunt, vt incidentes nonnullæ quæstiones, quas vel enodare non poteram, vel longam sermocinationem in præsenti requirebant, ita differrentur, vt ex vtraque parte, vel ex omnibus earundem quæstionum partibus, in quibus non apparebat quid potius congrueret veritati, ad hoc tam ẽ ratiocinatio nostra concluderetur, vt quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur Deus. Propter eos quippe disputatio illa suscepta est, qui negant, ex libero volũtatis arbitrio mali originem duci, & Deũ, si ita est, creatorem omnium naturarum culpandum esse contendunt: eo modo volentes secũdum suæ impietatis errorẽ (Manichæi enim sunt) immutabilem quandam & Deo coæternã introducere mali naturã. De gratia verò Dei, qua suos electos sic prędestinauit, vt eorum qui iam in eis vtũtur libero arbitrio, ipse etiam præparet volũtates, nihil in his libris disputatum est propter hoc proposita quæstione. Vbi autẽ incidit locus vt huius gratiæ fieret commemoratio, trãseunter commemorata est: non quasi inde ageretur, operosa ratiocinatione defensã. Aliud est enim quærere, vnde sit malum: & aliud est quęrere, vnde redeatur ad pristinum, vel ad maius perueniatur bonũ. Quapropter noui hæretici Pelagiani, qui liberum sic asserunt voluntatis arbitrium, vt gratiæ Dei non relinquant locum, quandoquidem eam secundum merita nostra dari asserunt, non se extollant quasi eorũ egerim causam: quia multa in his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius disputationis causa poscebat. Dixi quippe in libro primo, Malefactã iustitiã Dei vindicari. Et addidi, Non enim iustè vindicarẽtur, nisi fierent voluntate. Item cùm ipsam bonam volũtatem tam magnũ bonum esse monstrarem, vt omnibus corporeis & externis bonis meritò anteponeretur, dixi: Vides igitur

2. sent. dist. 28. cap. 1.

Lib. 1. ca. 2.

2. sent. dist. 28. ca. Ambr.

iam,vt existimò, in voluntate nostra esse cõstitutum, vt hoc vel fruamur vel careamus tanto & tam vero bono. Quid enim tam in volũtate quàm ipsa voluntas sita est? Et alio loco: Quid ergo causę est, inquam, cur dubitandum putemus, etiam si nunquam antè sapientes fuimus, voluntate nos tamen laudabilem & beatam vitam, voluntate turpem & miseram mereri ac degere? Item alio loco: Ex quo conficitur, inquam, vt quisquis rectè honestęque vult viuere, si id se velle prę fugacibus rebus velit, assequatur tantam rem tanta facilitate, vt nihil aliud ei quàm ipsum velle sit habere quod voluit. Itemque alibi dixi, Hoc enim æterna lex illa, ad cuius considerationem redire iam tempus est, incommutabili stabilitate firmauit, vt in voluntate meritum sit, in beatitate autem & miseria, præmium atque supplicium. Et alio loco, Quid, inquam, quisque sectandum & amplectendum eligat, in voluntate esse positum constitit. Et in libro secundo: Homo enim ipse, inquam, inquantum homo est, aliquod bonũ est, quia rectè viuere cùm vult potest. Et alio loco dixi: Rectè fieri non posse, nisi eodem libero voluntatis arbitrio. Et in libro tertio: Quid opus est, inquam, quæri vnde iste motus existat, quo volũtas auertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum, cùm eum non nisi animi, & voluntariũ, & ob hoc culpabilem esse fateamur: omnisq; de hac re disciplina vtilis ad id valeat, vt eo motu improbato atque cohibito voluntatem nostram ad perfruẽdum sempiterno bono, à lapsu temporalium cõuertamus? Et alio loco, Optimè, inquam, de te veritas clamat: Nõ enim posses aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cùm volumus, facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate quàm ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo interuallo mox vt volumus præstò est. Item alio loco, Si enim tu laudaris, inquam, videndo quid facere debeas, cùm id non videas, nisi in illo qui est incommutabilis veritas, quanto magis ille qui & velle præcepit, & posse præbuit, & non impunè nolle permisit? Deinde subiunxi, dicens: Si enim hoc debet quisq; quod accepit, & sic homo factus est vt necessariò peccet, hoc debet vt peccet. Cùm ergo peccat, quod debet facit. Quod si scelus est dicere, nemi-
nem natura sua cogit vt peccet. Et iterum: Quæ tandem esse poterit, inquam, ante voluntatem causa voluntatis? Aut enim & ipsa voluntas est, & à radice ista voluntatis non receditur: aut non est volũtas, & peccatum nullum habet. Aut igitur voluntas est prima causa peccandi, aut nullum peccatum est prima causa peccãdi: nec est cui rectè imputetur peccatum, nisi peccanti. Non ergo est cui recte imputetur peccatum nisi voluntati. Et paulò pòst: Quis, inquam, peccat in eo quod nullo modo caueri potest? Peccatur autem: Caueri igitur potest. Quo testimonio meo in quodam libro suo Pelagius vsus est. Cui libro cùm respõdissem, titulum libri mei esse volui, De natura & gratia. In his atque huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani vel putare possunt, suam nos tenuisse sententiam. Sed frustra hoc putant. Voluntas quippe est, qua & peccatur, & rectè viuitur: quod his verbis egimus. Voluntas ergo ipsa nisi Dei gratia liberetur à seruitute qua facta est serua peccati, & vt vitia superet, adiuuetur: rectè pieque viui à mortalibus non potest. Et hoc diuinum beneficium quo liberatur, nisi eam præueniret, iam meritis eius daretur, & non esset gratia, quę vtique gratis datur. Quod in aliis opusculis nostris satis egimus, istos inimicos huiꝰ gratię nouos hęreticos refellentes. Quáuis & in his libris qui non contra illos omnino, quippe illi nondum erant, sed contra Manichæos conscripti sunt, de libero arbitrio, non omnimodo de ista Dei gratia reticuimus, quam nefanda impietate conantur auferre. Diximus quippe in secundo libro, Non solùm magna, sed etiam minima bona non esse posse, nisi ab illo à quo sunt omnia bona, hoc est Deo. Et paulò pòst: Virtutes, inquam, quibus rectè viuitur, magna bona sunt: Species autem quorũlibet corporũ, sine quibus rectè viui potest, minima bona sunt. Potentiæ verò animi, sine quibꝰ rectè viui nõ potest, media bona sunt. Virtutibus nemo malè vtitur. Cæteris autẽ bonis, id est, mediis & minimis, nõ solũ bene, sed etiã malè quisq; vti potest. Et ideo virtute nemo malè vtitur: quia opꝰ virtutis est bonus vsus istorum, quibus etiam non bene vti possumus. Nemo autem bene vtendo malè vtitur. Quare abundantia & magnitudo bonitatis Dei, non solùm magna, sed etiam media & minima bona esse præstitit. Magis laudanda est bonitas eius in magnis quàm in mediis, & magis in mediis quàm in minimis his bonis: sed magis in omnibus, quàm si non omnia tribuisset. Et alio loco, Tu tantum, inquam, pietatem incõcussam tene, vt nullum tibi bonum vel sentienti vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo. Itemq; alio loco dixi: Sed quoniam non sicut sponte homo cecidit, ita etiam spõte surgere potest: porrectam nobis desuper dexteram Dei, id est, Dominum nostrũ Iesum Christum firma fide teneamus. Et in libro tertio, cùm dixissem illud, quo & Pelagiũ de meis opusculis vsum fuisse commemoraui: Quis enim, inquam, peccat in eo quod nullo modo caueri potest? Peccatur autem: Caueri igitur potest: continuò secutus adiunxi, Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbãtur, & corrigenda iudicantur, sicut in diuinis authoritatibꝰ legimus. Ait enim Apostolus: Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Ait & Propheta: Delicta iuuentutis meæ & ignorantiæ meę ne memineris. Sunt etiam necessitate facta improbanda, vbi vult homo rectè facere & non potest. Nam vnde sunt illæ voces: Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malũ, hoc ago. Et illud: Velle adiacet mihi, perficere autem bonũ non. Et illud: Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim inuicem aduersantur, vt non ea quæ vultis faciatis? Sed hęc omnia hominum sunt, ex illa mortis damnatione venientium. Nam si nõ est ista pœna hominis sed natura, nulla ista peccata sunt. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus est, ita vt melius esse non possit, ea quæ debet facit, cùm hęc facit. Si autem bonus homo esset, aliter esset: nunc autẽ quia ita est, non est bonus, nec habet in potestate vt bonus sit, siue non videndo qualis esse debeat, siue videndo & non valendo esse qualẽ se debere esse videt: pœnam istam esse quis dubitet? Omnis autem pœna si iusta est, peccati pœna est, & suppliciũ nominatur. Si autem iniusta est pœna, quoniam pœnam esse nemo ambigit, iniusto aliquo dominãte homini imposita est. Porrò quia de omnipotẽtia Dei & iustitia dubitare demẽtis est, iusta hæc pœna est, & pro peccato aliquo penditur. Non enim quisquam iniustus damnator, aut surripere hominem potuit velut ignoranti Deo, aut extorquere inuito, tanquam inualidiori, vel terrendo vel confligendo, vt hominem iniusta pœna cruciaret. Relinquitur ergo vt hæc pœna iusta de dãnatione hominis veniat. Et alio loco: Approbare, inquam, falsa pro veris vt erret inuitus, & resistente atq; torquẽte dolore carnalis vinculi, nõ posse à libidinosis operibus tẽperare, nõ est natura instituti hominis, sed pœna dãnati. Cũ aũt de illa volũtate rectè faciẽdi loquimur, de illa scilicet in qua homo factꝰ est loquimur. Ecce quã longè antequã Pelagiana hæresis extitisset, sic disputauimus, velut iã cõtra illos disputaremꝰ. Cũ enim omnia bona dicerẽtur ex Deo, id est & magna

Cap. 19.

2. sent. dist. 26. cap. Si verò.

2. sent. dist. 26. ca. Quæ. nim.

Bonitas Dei in omnibus laudanda.

Lib. 2. c. 20.

Cap. 18. 2. sent. dist. 28. ca. Quod verò.

Rom. 7. c. 15. Ibid. 18. Gal. 5. c. 17.

1. Tim. 1. d. 16. Psal. 24. 6. 7.

2. sent. dist. 26 cap. Quę nam.

Lib. 9. ca. 18. 3. sent. dist. 25. a. Tradit.

2. sent. dist. 36. cap. Et ideo.

1. sent. dist. 41. cap. Si autem

Lib. 3. ca. 18 2. sent dist. 28. cap. Quod verò.

Rom 6. Voluntas est qua peccatur & rectè vsmitur.

2. sent. dist. 28. cap. Vbi. & dist. 41. cap. Si autem.

Lib. 3. ca. 16.

Lib. 1. c. 13.

Lib. 1. ca 14.

Lib. 1. ca. 16.

Cap. 1.

Lib. 2. ca. 18.

Cap. 1.

Lib. 3 cap. 3.

Lib. 3. ca. 17.

magna & media & minima: in mediis quidem bonis inuenitur liberum voluntatis arbitrium, quia & malè illo vti possumus, sed tamen tale est, vt sine illo rectè viuere nequeamus. Bonus autem vsus eius iam virtus est, quæ in magnis reperitur bonis, quibus malè vti nullus potest. Et quia omnia bona, sicut dictum est, & magna & media & minima ex Deo sunt, sequitur vt ex Deo sit etiam bonus vsus liberæ voluntatis, quæ virtus est, & in magnis numeratur bonis. Deinde dictum est: Ex qua miseria peccantibus iustissimè inflicta, liberet Dei gratia, quia sponte homo, id est libero arbitrio cadere potuit, non etiam surgere. Ad quam miseriam iustæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis suæ, nec ab isto malo, nisi Dei gratia quisquã liberatur. Quam miseriam Pelagiani nolunt ex iusta damnatione descendere, negantes originale peccatum: quamuis ignorantia & difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset, sicut in eodem tertio libro disputauimus. Quæ disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt Scripturas sanctas veteris instrumenti, in quibus originale peccatum narratur. Et quicquid inde in literis apostolicis legitur, detestabili impudentia immissum fuisse contendunt à corruptoribus scripturarum, tanquam non fuerit ab Apostolis dictum. Contra Pelagianos autem hoc defendendum est, quod vtraque Scriptura commendat, quam se accipere profitentur. Hoc opus sic incipit:

Liberum arbitrium ad rectè viuendum necessarium.

Vsus bonus liberi arbitrij ex Deo.

Lib. 2. ca. 20. & 3. cap. 18.

Lib. 3. ca. 20. & 21. 3. sent. dist. 15. cap. Sed forte.

CAP. I. *Deus quomodo malorum author.*

DIc mihi, quæso te, vtrum Deus non sit author mali? AVG. Dicam, si planum feceris, de quo malo quæras. Duobus enim modis appellare solemus malum: vno, cùm malè quemq; feciſſe dicimus: alio, cùm mali aliquid esse perpessum. EVODIVS. De vtroque scire cupio. AVG. At si Deum bonum esse nosti vel credis, neque enim aliter fas est, malè non facit: rursus si Deum iustum fatemur, nam & hoc negare sacrilegum est, vt bonis præmia, ita supplicia malis tribuit: quæ vtique supplicia patientibus mala sunt. Quamobrem si nemo iniustè pœnas luit, quod necesse est credamus, quãdoquidem diuina prouidẽtia hoc vniuersum regi credimus, illius primi generis malorum nullo modo, huius autem secundi author est Deus. EV. Est ergo alius author illius mali, cuius Deum non esse compertum est? AVG. Est certè: non enim nullo authore fieri posset. Si autem quæris quisnam iste sit, dici non potest: non enim vnus aliquis est, sed quisque malus sui malefacti author est. Vnde si dubitas, illud attende quod suprà dictum est: Malefacta iustitia Dei vindicari. Non enim iustè vindicarentur, nisi fierent voluntate. EV. Nescio vtrum quisquam peccet, qui non didicerit. Quod si verum est, quisnam sit ille à quo peccare didicerimus, inquiro. AVG. Aliquid boni existimas esse disciplinam? EV. Quis audeat dicere malam esse disciplinam? AVG. Quid si nec bonum nec malum est? EV. Mihi bonum videtur. AVG. Bene sanè: siquidem scientia per illam datur aut excitatur, nec quisquã nisi per disciplinam aliquid discit: an tu aliter putas? EV. Ego per disciplinam non nisi bona disci arbitror. AVG. Vide ergo ne non discantur mala: nam disciplina, nisi à discendo nõ dicta est. EV. Vnde ergo ab homine fiunt, si nõ discuntur? AVG. Eo fortasse quod se à disciplina, id est à discẽdo auertit atque abalienat: sed siue hoc, siue aliud aliquid sit, illud certè manifestum est, quoniam disciplina bonum est, & à discendo dicta est disciplina, mala disci omnino non posse. Si enim discuntur, disciplina continentur, atque ita disciplina non erit bonum: bonum est autem: vt ipse concedis. Non igitur discuntur mala, & frustra illum à quo malè facere discimus, quæris: aut si discuntur mala, vitanda non faciẽda discuntur: ex quo malefacere nihil est, nisi à disciplina deuiare. EV. Prorsus ego duas disciplinas esse puto, vnam per quam bene facere; aliam per quam malè facere discimus. Sed cùm quęreres vtrum disciplina bonum esset, ipsius boni amor intentionẽ meam rapuit, vt illam disciplinam intuerer, quæ benefaciendi est, ex quo bonum esse respondi: nunc autem admoneor esse aliam, quam proculdubiò malum esse confirmo, & cuius authorem requiro. AVG. Saltem intelligentiam nõ nisi bonum putas? EV. Istam plane ita bonam puto, vt nõ videã quid in homine possit esse præstãtius: nec vllo modo dixerim aliquã intelligẽtiam malã esse posse. A. Quid cùm docetur quisque, si non intelligat, poteritne tibi doctus videri? E. Omnino nõ poterit. A. Si ergo omnis intelligẽtia bona est, nec quisquam qui non intelligit, discit: omnis qui discit, bene facit. Omnis enim qui discit, intelligit: & omnis qui intelligit, bene facit: quisquis igitur quęrit authorem, per quem aliquid discimus, authorem profectò per quem benefacimus, quærit. Quapropter desine velle inuestigare nescio quẽ malum doctorẽ. Si enim malus est, doctor non est: si doctor est, malus non est. EV. AGE iam quoniam satis cogis vt fatear, nõ nos discere malè facere, dic mihi vnde malè faciamus? AVG. Eam quæstionem moues, quæ me admodum adolescentem vehementer exercuit, & fatigatum in hæreticos impulit, atque deiecit. Quo casu ita sum afflictus, & tantis obrutus aceruis inanium fabularum, vt nisi mihi amor inueniendi veri opem diuinam impetrauisset, emergere inde, atque in ipsam primam quærendi libertatem respirare non possem. Et quoniam mecum sedulò actum est, vt ista quæstione liberarer, eo tecum agam ordine quem secutus euasi. Aderit enim Deus, & nos intelligere quod credimus, faciet. Præscriptum enim per Prophetã gradum, qui ait, nisi credideritis, non intelligetis: tenere nos, bene nobis conscij sumus. Credimus autem ex vno Deo omnia esse quæ sunt, & tamen non esse peccatorum authorem Deum. Mouet autem animũ, si peccata ex iis animabus sunt quas Deus creauit, illæ autem animæ ex Deo, quomodo non paruo interuallo peccata referantur in Deum. EV. Id nunc planè abs te dictum est, quod me cogitantem satis excruciat, & quod ad istam inquisitionem coëgit & traxit. AVG. Virili animo esto, & credo quod credis: nihil enim creditur melius, etiam si causa lateat cur ita sit. Optimè nanque de Deo existimare verissimum est pietatis exordium, nec quisquam de illo optimè existimat, qui non eum omnipotentem, atque ex nulla particula commutabilem credit, bonorum etiam omnium creatorem, quibus est ipse præstantior, rectorem quoque iustissimum eorum omnium quæ creauit, nec vlla adiutum esse natura in creando, quasi qui non sibi sufficeret. Ex quo fit vt de nihilo creauerit omnia, de se autem non creauerit, sed genuerit quod sibi par esset, quem filium Dei vnicum dicimus, quem cùm planius enunciare conamur, Dei virtutem & Dei sapientiam nominamus, per quam fecit omnia, quæ de nihilo facta sunt. Quibus constitutis, ad intelligentiam eius rei quam requiris, opitulante Deo, nitamur hoc modo. QVÆRIS certè vnde malè faciamus. Prius ergo discutiẽdum est, quid sit malefacere: qua de re tibi quid videatur exprome. Quòd si non potes totum simul breuiter verbis comprehendere, saltem particulatim malefacta ipsa commemorando, sententiam tuam notam fac mihi. EV. Adulteria, homicidia & sacrilegia, vt omittam cætera, quibus enumerandis vel tempus vel memoria non suppetit, quis est cui non malefacta videantur? AV. Dic ergo

Malefacere quid.

CAPVT II. *Mala vnde.*

Esa. 7. b. 9.

1. Cor. 1. d. 25.

CAPVT III. *Malum ex se malum, etiam si nõ vetetur.*

ergo prius, cur adulterium malè fieri putes: an quia id facere lex vetat? E v. Non sanè ideò malum est, quia vetatur lege, sed ideò vetatur lege, quia malum est. AVG. Quid si quispiam nos exagitet, exaggerans delectationes adulterij, & quærens à nobis cur hoc malum & damnatione dignum iudicemus: num ad authoritatem legis confugiẽdum censes hominibus, iam non tantùm credere, sed intelligere cupientibus? Nam & ego tecum credo, & inconcussè credo, omnibusq; populis atque gentibus credendum esse clamo, malum esse adulterium: sed nunc molimur id quod in fidem recepimus, etiam intelligendo scire ac tenere firmissimum. Considera itaque quantum potes, & renuncia mihi, quánam ratione adulterium malum esse cognoueris. EV. Hoc scio malum esse, quòd hoc ipse in vxore mea pati nollem. Quisquis autem alteri facit quod sibi fieri non vult, malè vtique facit. AV. Quid si cuiuspiam libido ea sit, vt vxorem suã præbeat alteri, libenterq; ab eo corrumpi patiatur, in cuius vxoré vicissim parem cupit habere licentiam, nihil ne mali tibi facere videtur? EV. Imò plurimum. AVG. At non iste tua regula peccat. Non enim id facit quod pati nolit. Quãobrem aliud tibi quærẽdum est, vnde malum esse adulterium cõuincas. EV. Eò mihi videtur malum, quòd huius criminis homines vidi sæpe damnari. AV. Quid? Propter recta facta nónne homines plerunq; damnati sunt? Recense historiam, ne te ad alios libros mittam, eam ipsam quæ diuina authoritate præcellit: iam inuenies quàm malè de apostolis & de omnibus martyribus sentiamus, si placet nobis damnationem certum indicium esse malefacti, cùm illi omnes damnatione digni propter confessionẽ suam iudicati sunt. Quamobrem si quicquid damnatur malum est, malum erat illo tempore credere in Christum, & ipsam confiteri fidem. Si autem nõ omne malum est quod damnatur, quære aliud vnde adulterium malum esse doceas. EV. Quid tibi respondeam non inuenio. AVG. Fortassis ergo libido in adulterio malum est: sed dum tu foris in ipso facto quod iam videri potest, malum quæris, pateris angustias. Nam vt intelligas libidinem in adulterio malum esse, si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, & si potestas detur facturum esse, non minus reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur. E v. Nihil est omnino manifestius, & iam video non opus esse longa sermocinatione, vt mihi de homicidio, sacrilegio, ac prorsus de omnibus peccatis persuadeatur. Clarũ est enim iam nihil aliud quàm libidinẽ in toto malefaciendi genere dominari.

Tob. 4. c. 16. Matth. 7. b. 12.

De pœn. dist. 1. cap. Si cui etiam.

CAPVT XIII. Num peccet qui metu occiderit hominẽ.

AVG. SCIS NE etiam istam libidinem alio nomine cupiditatem vocari? EV. Scio. AVG. Quid inter hanc & metum, nihil ne interesse, an aliquid putas? E v. Imò plurimum hæc ab inuicem distare arbitror. AVG. Credo te ob hoc arbitrari, quia cupiditas appetit, metus fugit. EV. Est ita vt dicis. AVG. Quid si ergo quispiam non cupiditate adipiscendæ alicuius rei, sed metuens ne quid ei mali accidat, hominem occiderit: num homicida iste non erit? EV. Erit quidem, sed non ideo factum hoc cupiditatis dominatu caret: nã qui metuens hominem occidit, cupit vtique sine metu viuere. A v. Et paruum tibi videtur bonum sine metu viuere? E v. Magnum bonum est, sed hoc illi homicidæ per facinus suum prouenire nullo modo potest. AVG. Non quæro quid ei prouenire possit, sed quid ipse cupiat: certè enim bonum cupit, qui cupit vitam metu liberam, & idcirco ista cupiditas culpãda non est, alioquin omnes culpabimus amatores boni. Proinde cogimur fateri esse homicidium, in quo nequeat malè illius cupiditatis dominatio reperiri: falsumq; erit illud, quòd in omnibus peccatis vt mala sint, libido dominetur: aut erit aliquod homicidium quod possit nõ esse peccatum, si homicidium est hominem occidere, potest tamen accidere aliquando sine peccato: nam & miles hostem, & iudex vel minister eius nocentem, & cui fortè inuito atque imprudenti telum manu fugit, non mihi videntur peccare, cùm hominem occidunt. E v. Assentior: sed homicidæ isti appellari non solent. A v. Responde itaque, vtrum illum qui dominum occidit, à quo sibi metuebat cruciat⁹ graues, in eorum numero habendum existimes, qui sic hominem occidunt, vt ne homicidarum quidem nomine digni sint? E v. Longè ab eis istum differre video: nam illi vel ex legibus faciunt, vel non contra leges: huius autem facinus nulla lex approbat. A. Rursus me ad authoritatem reuocas. Sed meminisse te oportet id nunc à nobis esse susceptum, vt intelligamus quod credimus, legib⁹ autem credimus. Tentandum itaque est, si quo modo possumus id ipsum intelligere, vtrum lex quæ punit hoc factum, non perperam puniat. E v. Nullo modo perperam punit, quandoquidem punit eum qui volés & sciens dominum necat, quod nullus istorum facit. AVG. Et quid, recordaris te paulò antè dixisse, in omni facto malo libidinem dominari, & eo ipso malum esse? EV. Recordor sanè. AVG. Quid illud? Nónne idem tu cõcessisti, eum qui cupit sine metu viuere, non habere malam cupiditatem? E v. Et hoc recordor. A v G. Cùm ergo ista cupiditate à seruo dominus interimitur, non illa culpabili cupiditate interimitur. Quamobrem cur sit hoc facinus malum, nondum comperimus. Conuenit enim inter nos omnia malefacta non ob aliud mala esse, nisi quòd libidine, id est improbãda cupiditate, fiunt. E v. Iam mihi videtur iniuria iste damnari: quod quidem non auderem dicere, si aliud haberem quod dicerem. AVG. Itáne prius tibi persuasisti tantum scelus impunitum esse oportere, quàm considerares vtrum ille seruus propter satiandas libidines suas metu domini carere cupiuerit? Cupere nãque sine metu viuere, nõ tantùm bonorum, sed etiam malorum omnium est. Verùm hoc interest, quòd id boni appetunt auertendo amorem ab iis rebus, quæ sine amittendi periculo nequeunt haberi: mali autem vt his fruendis cum securitate incumbant, remouere impedimentum conantur, & propterea facinorosam sceleratamq; vitam, quæ mors melius vocatur, gerant. EV. Resipisco, & admodum gaudeo iam me planè cognouisse, quid sit etiam illa culpabilis cupiditas, quæ libido nominatur. Quam esse iam apparet earum rerum amorem, quas potest quisque inuitus amittere.

25. q. 5. cap. Si homicidia.

Libido quid sit.

CAP. V. An liceat vim vi repellere.

QVARE nunc age quæramus, si placet, vtrũ etiam in sacrilegiis libido dominetur, quę videmus plura superstitione cõmitti. AVG. Vide ne præproperũ sit, prius enim discutiendũ videtur, vtrum vel hostis irruẽs, vel insidiator sicarius, siue p vita, siue p libertate, siue p pudicitia, sine vlla interficiatur libidine. E. Quomodo possum arbitrari carere istos libidine, qui pro iis rebus digladiantur, quas possunt amittere inuiti: aut si non possunt, quid opus est pro his vsq; ad hominis necem progredi? Non ergo lex iusta est, quæ dat potestatem vel viatori, vt latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidat, vel cuipiam viro aut feminæ, vt violenter sibi stupratorem irruẽtem ante illatum stuprum, si possit, interimat: nam militi etiam iubetur lege, vt hostem necet: à qua cæde si temperauerit, ab imperatore pœnas luit. Num istas leges iniustas, vel potius nullas dicere audebimus? Nam mihi lex esse non videtur, quæ iusta nõ fuerit. A. Legem quidem satis video esse munitam contra huiuscemodi accusationem, quæ in eo populo quem regit, minorib⁹ malefactis ne maiora committerentur, dedit licentiam. Multo est enim mitius eum qui alienę vitę insidiatur, quàm eum qui suam tuetur, occidi. Et multo est immanius inuitum hominẽ stuprũ perpeti, quàm eũ à quo vis illa infertur, ab eo cui

inferre

inferre conatur interimi. Iam verò miles in hoſte interficiendo miniſter eſt legis, quare officium ſuum facilè nulla libidine impleuit. Porrò ipſa lex, quæ tuendi populi cauſa lata eſt, nullius libidinis argui poteſt. Siquidem ille qui tulit, ſi Dei iuſſu tulit, id eſt, quod præcepit æterna iuſtitia, expers omnino libidinis id agere potuit. Si autem ille cùm aliqua libidine hoc ſtatuit, non ex eo fit, vt ei legi cum libidine obtemperare neceſſe ſit; quia bona lex, & à non bono ferri poteſt. Non enim ſi quis, verbi cauſa, tyrannicam poteſtatem nactus, ab aliquo cui hoc conducit pretium accipiat, vt ſtatuat nulli licere, vel ad coniugium feminam rapere, propterea mala lex erit, quia ille iniuſtus atq; corruptus hãc tulit. Poteſt ergo illi legi, quę tuendorum ciuiũ cauſa vim hoſtilem eadem vi repelli iubet, ſine libidine obtemperari. Et de omnibus miniſtris, qui iure atque ordine poteſtatibus quibusque ſubiecti ſunt; id dici poteſt. Sed illi homines lege inculpata, quomodo inculpati queant eſſe, non video: non enim lex eos cogit occidere, ſed relinquit in poteſtate. Liberum eis itaque eſt neminem necare pro iis rebus quas inuiti poſſunt amittere, & ob hoc amare non debent. De vita enim fortaſſe cuipiam fit dubium, vtrum animæ nullo pacto auferatur, dum hoc corpus interimitur: ſed ſi auferri poteſt, contemnenda eſt: ſi non poteſt, nihil metuendum. De pudicitia verò quis dubitauerit, quin ea ſit in ipſo animo conſtituta, quandoquidem virtus eſt? Vnde à violento ſtupratore eripi nec ipſa poteſt. Quicquid igitur erepturus erat ille qui occiditur, id totum in poteſtate noſtra non eſt: quare quemadmodum noſtrum appellandum ſit, non intelligo. Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici: ſed quo pacto iſtos defendam qui interficiunt, non inuenio. EV. Multò minus ego inuenire poſſum, cur hominibus defenſionem quæras, quos reos nulla lex tenet. AVG. Nulla fortaſſe, ſed earum legum quæ apparent, & ab hominibus leguntur: nam neſcio vtrum non aliqua vehemẽtiore ac ſecretiſſima lege teneantur, ſi nihil rerum eſt quod non adminiſtret diuina prouidentia. Quomodo enim apud eam ſunt iſti peccato liberi, qui pro iis rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt? EV. Videtur ergo mihi & legem iſtam, quæ populo regendo ſcribitur, rectè iſta permittere, & per diuinam prouidentiam vindicari. Ea enim vindicanda ſibi hæc lex populi aſſumit, quæ ſatis ſint conciliandæ paci hominibus imperitis, & quanta poſſunt per hominem regi. Illæ verò culpæ alias pœnas aptas habent, à quibus ſola mihi videtur poſſe liberare ſapientia. AVG. Laudo & probo iſtam, quamuis inchoatam minusque perfectam, tamen fidentem & ſublimia quædam petẽtem diſtinctionem tuam. Videtur enim tibi lex iſta, quæ regẽdis ciuitatibus fertur, multa cõcedere atq; impunita relinquere, quæ per diuinam tamen prouidentiam vindicãtur, & rectè. Neq; enim quia non omnia facit, ideo quę facit improbanda ſunt. SED diſpiciamus, ſi placet, diligenter, quouſq; per legẽ iſtã quæ populos in hac vita cohibet, malefacta vlciſcenda ſint. Deinde quid reſtet, quod per diuinam prouidentiam ineuitabilius ſecretoque puniatur. EV. Cupio, ſi modò peruenirí poſſit ad tantæ rei terminos: nam hoc ego infinitum puto. AVG. Imò adeſto animo, & rationis vias pietate fretus ingredere. Nihil eſt enim tam arduum atque difficile, quod non Deo adiuuante planiſſimum atque expeditiſſimum fiat. In ipſum itaque ſuſpenſi atque ab eo auxilium deprecantes, quod inſtituimus, quæramus. Et prius reſponde mihi, vtrum iſta lex quæ literis promulgatur, hominibus hanc vitam viuentibus opituletur? EV. Manifeſtum eſt: nam ex his hominibus vtique populi ciuitatesque conſiſtunt. AVG.

32 q. 5. cap. de pudicitia.

CAP. VI. Lex æterna moderatrix humanarum.

A Quid ipſi homines & populi, eiuſne generis rerum ſunt, vt interire mutariue non poſſint, æternique omnino ſint? An verò mutabiles temporibusque ſubiecti ſunt? EV. Mutabile planè atque tempori obnoxium hoc genus eſſe quis dubitet? AVG. Ergo ſi populus ſit bene moderatus & grauis, cõmunisq; vtilitatis diligentiſſimus cuſtos, in quo vnuſquiſque minoris rem priuatam quàm publicam pendat, nónne rectè lex fertur, qua huic ipſi populo liceat creare ſibi magiſtratus, per quos ſua res, id eſt publica adminiſtretur? EV. Rectè prorſus. AVG. Porrò ſi paulatim deprauatus idem populus rem priuatam reipublicæ præferat, atque habeat venale ſuffragium, corruptusque ab eis qui honores amant, regimen in ſe flagitioſis conſceleratisq; committat, nónne item rectè, ſi quis tunc extiterit vir bonus, qui plurimum poſſit, adimat huic populo poteſtatem dandi honores, & in paucorum bonorum, vel etiam vnius redigat arbitrium? EV. Et id rectè. AVG. Cùm ergo duæ iſtæ leges ita ſibi videantur eſſe contrariæ, vt vna earum honorum dandorum populo tribuat poteſtatem, auferat altera, & cùm iſta ſecunda ita lata ſit, vt nullo modo ambæ in vna ciuitate ſimul eſſe poſſint, num dicemus aliquam earum iniuſtam eſſe, & ferri minimè debuiſſe? EV. Nullo modo. AVG. Appellemus ergo iſtam legem, ſi placet, temporalem, quæ quamuis iuſta ſit, commutari tamen per tempora iuſtè poteſt. EV. Appellemus. AVG. Quid illa lex quæ ſumma ratio nõminatur, cui ſemper obtemperandum eſt, & per quam mali miſeram, boni beatam vitam merentur, per quam denique illa, quam temporalem vocandam diximus, rectè fertur, recteque mutatur, poteſtne cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaq; videri? An poteſt aliquando iniuſtum eſſe, vt mali miſeri, boni autẽ beati ſint: aut vt modeſtus & grauis populus ipſe ſibi magiſtratus creet, diſſolutus verò & nequam iſta licentia careat? EV. Video hanc æternam eſſe atque incommutabilem legem. AVG. Simul etiam te videre arbitror in illa temporali nihil eſſe iuſtum atq; legitimum, quod non ex hac æterna ſibi homines deriuauerint: nam ſi populus ille quodam tempore iuſtè honores dedit, quodam rurſus iuſtè non dedit, hæc viciſſitudo temporalis vt iuſta eſſet, ex illa æternitate tracta eſt, qua ſemper iuſtum eſt grauem populum honores dare, leuem non dare: an tibi aliter videtur? EV. Aſſentior. AVG. Vt igitur breuiter æternæ legis notionem, quæ impreſſa nobis eſt, quantum valeo verbis explicem, ea eſt qua iuſtum eſt vt omnia ſint ordinatiſſima. Tu ſi aliter exiſtimas, prome. EV. Quid tibi vera dicenti contradicam non habeo. AVG. Cùm ergo hæc ſit vna lex, ex qua illæ omnes temporales ad homines regendos variantur, num ideo ipſa variari nullo modo poteſt? EV. Intelligo omnino non poſſe: neque enim vlla vis, vllus caſus, vlla rerum labes vnquam effecerit, vt iuſtum non ſit omnia eſſe ordinatiſſima.

Ratio, legis anima.

CAPVT VII. Scientiæ & experientiæ diſcrimen.

AVG. AGE nunc videamus, homo ipſe quomodo in ſeipſo ſit ordinatiſſimus: nam ex hominibus vna lege ſociatis, populus conſtat: quæ lex, vt dictum eſt, temporalis eſt. Et dic mihi, vtrum certiſſimum ſit tibi viuere te? EV. Hoc verò quid certius reſpõderim? AVG. Quid illud, poteſtne dignoſcere aliud eſſe viuere, aliud noſſe ſe viuere? EV. Scio quidem neminem ſe noſſe viuere, niſi viuentem: ſed vtrum omnis viuens nouerit ſe viuere, ignoro. AV. Quàm vellẽ vt credis, ita etiã ſcires pecora carere ratione, citò noſtra diſputatio ab iſta quæſtione tranſiret: ſed quoniam neſcire te dicis, longam ſermocinationem moues. Neque enim talis res eſt, qua prætermiſſa pergere in ea quæ intendimus, tanta connexione rationis, quanta opus eſſe ſentio, ſinamur. Dic itaque mihi, cùm ſæpe viderimus beſtias ab hominibus domitas, id eſt non corpus

beſtiæ

beſtię tantùm, ſed & animam ita homini ſubiugatam, vt voluntati eius ſenſu quodam & conſuetudine ſeruiat: vtrum tibi vllo modo fieri poſſe videatur, vt beſtia quælibet immanis vel feritate vel corpore, vel etiam ſenſu quolibet acerrima, pari vice ſibi hominem ſubiugare conetur, cùm corpus eius ſeu vi ſeu clàm multæ interimere valeant? EV. Nullo modo iſtud fieri poſſe conſentio. AVG. Bene ſanè: ſed item dic mihi, cùm manifeſtum ſit, viribus cæterisque officiis corporis à plurimis beſtiis hominem facilè ſuperari, quænam res ſit qua homo excellit, vt nulla ei beſtiarum, ipſe autem multis imperare poſſit? An fortè ipſa eſt, quæ ratio vel intelligentia dici ſolet? EV. Non inuenio aliud, quandoquidem in animo eſt, id quo beluis antecellimus: quæ ſi exanimes eſſent, dicerem nos eo præſtare, quòd animam habemus. Nunc verò cùm & illa ſint animalia, id quod eorum animis non ineſt vt ſubdantur nobis, ineſt autem noſtris vt eis meliores ſimus, quoniam neque nihil, neque paruum aliquid eſſe cuiuis apparet, quid aliud rectius, quàm rationem vocauerim? AVG. Vide quàm facile fiat Deo adiuuante, quod homines difficillimum putant. Nam ego, fateor tibi, quæſtionem iſtam, quæ vt intelligo terminata eſt, tamdiu nos retenturam putaueram, quàm fortaſſe omnia quæ dicta ſunt ab ipſo noſtræ diſputationis exordio. Quare accipe iam, vt deinde ratio cõnectatur: nam credo non te ignorare, id quod ſcire dicimus, nihil eſſe aliud quàm ratione habere perceptũ. EV. Ita eſt. AVG. Qui ergo ſcit ſe viuere, ratione non caret. EV. Conſequens eſt. AVG. Viuunt autem beſtiæ, & ſicut iam emicuit, rationis expertes ſunt. EV. Manifeſtum eſt. AVG. Ecce igitur iam noſti, quod te ignorare reſponderas, non omne quod viuit ſcire ſe viuere, quanquam omne quod ſe viuere ſciat, neceſſariò viuit. EV. Non mihi eſt iam dubium: perge quò intenderas: aliud enim viuere eſſe, aliud viuere ſe ſcire, ſatis didici. AVG. Quid ergo tibi horum duorum videtur eſſe præſtantius? EV. Quid putas, niſi ſcientiam vitæ? AVG. Meliórne tibi videtur vitæ ſcientia quàm ipſa vita? an fortè intelligis ſuperiorem quandam & ſynceriorem vitam eſſe ſcientiam, quam ſcire nemo poteſt, niſi qui intelligit? Intelligere autem quid eſt, niſi ipſa luce mentis illuſtrius perfectiusque viuere? Quare tu mihi, niſi fallor, non vitæ aliud aliquid, ſed cuidam vitæ meliorem vitam præpoſuiſti. EV. Optimè omnino & cognouiſti & explicaſti ſententiam meam: ſi tamen ſcientia mala eſſe nunquam poteſt. AVG. Nullo modo arbitror, niſi cùm tranſlato verbo ſcientiam pro experientia dicimus: experiri enim non ſemper bonum eſt: ſicut experiri ſupplicia. Illa verò quæ propriè ac purè ſcientia nominatur, quia ratione atque intelligentia paratur, mala eſſe quomodo poteſt? EV. Teneo & iſtam differentiam: perſequere cætera.

CAPVT VIII. *Ratione præeſſe homo.*

AVG. ILLVD eſt quod volo dicere: hoc quicquid eſt, quo pecoribus homo præponitur, ſiue mens, ſiue ſpiritus, ſiue vtrumque rectius appellatur, nam vtrunque in diuinis libris inuenimus, ſi dominetur atque imperet cæteris quibuſcunque homo, conſtat tunc eſſe hominem ordinatiſſimum. Videmus enim habere nos non ſolùm cum pecoribus, ſed etiam cum arbuſtis & ſtirpibus multa communia: namque alimentum corporis ſumere, creſcere, gignere, vigere, arboribus quoque tributum videmus, quæ infima quadam vita continentur: videre autem atque audire, & olfactu, & guſtu, & tactu corporalia ſentire poſſe beſtias, & acriùs pleraſque quàm nos, cernimus & fatemur. Adde vires & valentiam firmitatemque membrorum, & celeritates facillimosque corporis motus, quibus omnibus quaſdam earum ſuperamus, quibuſdam æquamur, à nonnullis etiam vincimur. Genus tamen ipſum rerum eſt nobis certè commune cum beluis: iam verò appetere voluptates corporis, & vitare moleſtias, ferinæ vitæ omnis actio eſt. Sunt alia quædam, quæ iam cadere in feras non videntur, nec tamen in homine ipſo ſumma ſunt, vt iocari & ridere. Quod humanum quidem, ſed infimum hominis iudicat, quiſquis de natura humana rectiſſimè iudicat. Deinde amor laudis & gloriæ, & affectatio dominandi, quæ tamen ſi beſtiarum non ſunt, non tamen earum rerum libidine beſtiis meliores nos eſſe arbitrandum eſt. Nam & iſte appetitus cùm rationi ſubditus non eſt, miſeros facit. Nemo autem cuiquam miſeria ſe præponendum putauit. Hiſce igitur motibus animæ cùm ratio dominatur, ordinatus homo dicendus eſt. Non enim ordo rectus, aut ordo appellandus eſt omnino, vbi deterioribus meliora ſubiiciuntur. An tibi non videtur? EV. Manifeſtum eſt. AVG. Ratio iſta ergo, vel mens, vel ſpiritus cùm irrationales animi motus regit, id ſcilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur ea, quam æternam eſſe comperimus. EV. Intelligo ac ſequor.

CAP. IX. *Stulti & ſapientis diſcrimen.*

AVG. CVM ergo ita homo conſtitutus atque ordinatus eſt, nónne tibi ſapiens videtur? EV. Neſcio alius quis mihi ſapiens homo videri poſſit, ſi hic non videtur. AVG. Credo etiam te illud ſcire, plerosque homines ſtultos eſſe. EV. Hoc quoque ſatis conſtat. AVG. At ſi ſtultus ſapienti eſt contrarius, quoniam ſapientem comperimus, quis etiam ſtultus ſit, profectò iam intelligis. EV. Cui non appareat hunc eſſe, in quo mẽs ſummam poteſtatem non habet? AVG. Quid igitur dicendum, cùm homo ita eſt affectus, deeſſe illi mentem: an quamuis inſit, eam carere dominatu? EV. Hoc potius quod vltimum ſubieciſti, peruellem abs te audire, quibus documentis perceptum habeas, mentem ineſſe homini, quæ ſuum non exerat principatum. AVG. Vtinam tuas iſtas partes facere velles: nam non mihi facile eſt ſuſtinere quod ingeris. Illud ſaltem facile eſt tibi recordari, quod paulò antè diximus, quẽadmodum beſtiæ manſuefactæ ab hominibus ac domitæ ſeruiant: quod ab eis viciſſim homines, vt demonſtrauit ratio, paterentur, niſi aliquo excellerent. Id autem non inueniebamus in corpore. Ita cùm in animo eſſe appareret, quid aliud appellandum eſſet quàm ratio, non comperimus: quam poſtea & mentem & ſpiritum vocari recordati ſumus. Sed ſi aliud ratio, aliud mens, conſtat certè non niſi mentem vti ratione. Ex quo illud conficitur, eum qui rationem habet, mente carere non poſſe. EV. Probè iſta reminiſcor ac teneo. AVG. Quid illud, credíſne domitores beluarum niſi ſapientes eſſe non poſſe? Eos enim ſapientes voco, quos veritas vocari iubet, id eſt, qui regno mentis omni libidinis ſubiugatione pacati ſunt. EV. Ridiculum eſt tales putare iſtos, quos vulgò manſuetarios nuncupant, vel etiam paſtores aut bubulcos, aut aurigas, quibus omnibus domitum pecus ſubiectum videmus, & quorum induſtria indomitum ſubiici. AVG. En igitur habes documentum certiſſimum, quo manifeſtum fiat ineſſe mentem homini ſine dominatu. His quippe ineſt mens: agunt enim talia, quæ agi ſine mente non poſſent: non tamen regnant: nam ſtulti ſunt. Neque regnum mentis niſi ſapientium eſſe, percognitum eſt. EV. Mirum eſt hoc iam fuiſſe à nobis in ſuperioribus confectum, & mihi quid reſponderem, non potuiſſe in mentem venire.

CAP. X. *Regnum mentis, & ratione collatio.*

SED alia contexamus. Iam enim & regnum mentis humanæ humanam eſſe ſapientiam, & eam poſſe etiam non regnare, compertum eſt. AVG. Putáſne iſta mente, cui regnum in libidines æterna lege conceſſum eſſe cognoſcimus, potentiorem eſſe libidinem? Ego enim nullo pacto puto. Neque enim eſſet ordinatiſſimum, vt impotentiora potentioribus imperarent. Quare neceſſe arbitror eſſe, vt plus poſſit mens quàm cupidi-

cupiditas, eò ipso quò cupiditati rectè iusteque dominatur. EV. Ego quoque ita sentio. AV. Quid virtutem omnémne dubitamus omni vitio sic anteponere, vt virtus quanto melior atque sublimior, tanto firmior inuictiorque sit? EV. Quis dubitauerit? AVG. Nullus igitur vitiosus animus virtute armatum animum superat. EV. Verissimum est. AV. Iam corpore omni, qualemlibet animum meliorem potentioremq; esse, non te arbitror negaturum. EV. Nemo id negat, qui (quod facile est) videt, aut substantiam viuentem non viuenti, aut eam quæ vitam dat ei quæ accipit, esse præferẽdam. AV. Multo minus igitur corpus, qualecunque id sit, animum virtute præditum vincit. EV. Euidentissimum est. AV. Quid animus iustus, mensque ius proprium imperiumque custodiens, num potest aliam mentem pari æquitate ac virtute regnantem, ex arce deiicere, atque libidini subiugare? EV. Nullo modo, non solum propter eandem in vtraque excellentiam, sed etiam quòd à iustitia prior decidet, fietque vitiosa mens, quæ aliam facere conabitur, eoque ipso erit infirmior. AV. Bene intelligis, quare illud restat, vt respondeas, si potes, vtrum tibi videatur rationali & sapienti mente quiequam esse præstantius? EV. Nihil præter Deum arbitror. AV. Et mea ista sententia est. Sed quoniam res ardua est, neque nunc opportunè quæritur, vt ad intelligentiam veniat, quanquam robustissima teneatur fide, integra nobis sit huius quæ-

CAP. XI. *Peccatum ex libero arbitrio, non ex Deo.*

stionis diligens & cauta tractatio. IN præsentia enim scire possumus quæcunque illa natura sit, quam menti virtute pollenti fas est excellere, iniustam esse nullo modo posse. Quare ne ista quidem, tametsi habeat potestatem, coget mentem seruire libidini. EV. Istud prorsus nemo est, qui non sine vlla cunctatione fateatur. AV. Ergo relinquitur, vt quoniam regnanti menti compotiq; virtutis, quicquid par aut prælatum est, non eam facit seruam libidinis propter iustitiam: quicquid autem inferius est, nõ possit hoc facere propter infirmitatem, sicut ea quæ inter nos constiterunt docent: nulla res alia mentem cupiditatis comitem faciat, quàm propria voluntas & liberum arbitrium. EV. Nihil tam necessarium restare video. AV. Sequitur iam vt tibi videatur iustè illam & pro peccato tanto pœnas pendere. EV. Negare non possum. AV. Quid igitur? Nũ ista ipsa pœna parua existimanda est, quòd ei libido dominatur, expoliatamque virtutis opulentia, per diuersa inopem atque indigentem trahit, nũc falsa pro veris approbantem, nũc etiam defensitatem, nunc improbantem, quæ antea probauisset, & nihilominus in alia falsa irruentem: nunc assensionem suspendentem suam, & plerunque perspicuas ratiocinationes formidantem, nunc desperantem de tota inuentione veritatis, & stultitiæ tenebris penitùs inhærentem, nunc conantem in lucem intelligendi, rursusque fatigatione decidentem: cùm interea cupiditatum illud regnum tyrannicè sæuiat, & variis contrariisque tempestatibus totum hominis animum vitamque perturbet: hinc timore, inde desiderio: hinc anxietate, inde inani falsaque lætitia: hinc cruciatu rei amissæ quæ diligebatur, inde ardore adipiscendæ, quæ non habebatur: hinc acceptæ iniuriæ doloribus, inde facibus vindicandæ: quaqua versum potest coarctare auaritia, dissipare luxuria, addicere ambitio, inflare superbia, torquere inuidia, desidia sepelire, peruicacia concitare, afflictare subiectio, & quæcunque alia innumerabilia regnum illius libidinis frequẽtant & exercent: possumúsne tãdem nullam istam pœnam putare, quam, vt cernis, omnes qui non inhærent sapientiæ, necesse est perpeti? EV. Magnam quidem istam pœnam esse iudico, & omnino iustam, si quis iam in sublimitate sapientiæ collocatus, inde descendere ac libidini seruire delegerit: sed vtrum esse quisquã possit incertum est, qui hæc aut voluerit facere, aut velit: quanquam enim credamus hominem tam perfectè conditum à Deo, & in beata vita constitutum, vt ad ærumnas mortalis vitæ ipse inde propria volũtate delapsus sit, tamen hoc cùm firmissima fide teneam, intelligentiâ nondum assecutus sum: cuius rei diligentem inquisitionem, si nunc differendam putas, me inuito facis. VERVM illud quod me maximè mouet, cur huiuscemodi acerbissimas pœnas patiamur hos, qui certè stulti sumus, nec sapientes vnquam fuimus, vt meritò hęc dicamur perpeti propter desertam virtutis arcem, & electam sub libidine seruitutem, quin aperias disputando si vales, nullo modo tibi differendum esse concesserim. AV. Ita istuc dicis, quasi liquidò compertum habeas nunquam nos fuisse sapientes. Attendis enim tempus ex quo in hanc vitam nati sumus. Sed cùm sapientia in animo sit, vtrum ante consortium huius corporis alia quadam vita vixerit animus, & an aliquando sapienter vixerit, magna quæstio est, magnum secretum, & suo considerãdum loco: neque ideo tamen hoc quòd nunc habemus in manibus impeditur, quo minus aperiatur vt potest. Nam quæro abs te, sit ne aliqua nobis voluntas? EV. Nescio. AVG. Visne hoc scire? EV. Et hoc nescio. AVG. Nihil ergo deinceps me interroges. EV. Quare? AVG. Quia roganti tibi respondere non debeo, nisi volenti scire quod rogas. Deinde nisi velis ad sapientiam peruenire, sermo tecum de huiuscemodi rebus non est habendus. Postremò meus amicus esse non poteris, nisi velis vt bene sit mihi. Iam verò de te tu ipse videris, vtrum tibi voluntas nulla sit beatæ vitæ tuæ. EV. Fateor, negari non potest habere nos voluntatem: perge iam, videamus quid hinc conficias. AV. Faciam: sed dic etiam prius, vtrum & bonam voluntatem te habere sentias. EV. Quid est bona voluntas? AV. Voluntas qua appetimus rectè honesteque viuere, & ad summam sapientiam peruenire: modò tu vide vtrum rectam honestamque non appetas vitam, aut esse sapiens non vehementer velis, aut certè negare audeas, cùm hoc volumus nos habere voluntatem bonam. EV. Nihil horum nego, & propterea me nõ solum voluntatem, sed etiam bonam voluntatem iam habere confiteor. AVG. Quanti pendis oro te hanc voluntatem? Nunquid nam ei vlla ex parte diuitias aut honores aut voluptates corporis, aut hæc simul omnia conferenda arbitraris? EV. Auerterit Deus istam scelleratam dementiam. AV. Parúmne ergo gaudendum est habere nos quiddam in animo, hãc ipsam dico bonam voluntatem, in cuius comparatione abiectissima sunt ea quæ commemorauimus, pro quibus adipiscẽdis multitudinem videmus hominum nullos labores, nulla pericula recusare? EV. Gaudendum verò, ac plurimum. AVG. Quid, hoc gaudio qui non fruuntur, paruo damno eos affectos putas tanti boni? EV. Imò maximo. AVG. Vides igitur iam, vt existimo, in voluntate nostra esse constitutum, vt hoc vel fruamur vel careamus tanto, & tam vero bono. Quid enim tam in voluntate, quàm ipsa voluntas sita est? Quam quisque cùm habet bonam, id certè habet quod terrenis omnibus regnis, voluptatibusque omnibus corporis longè anteponendum sit. Quisquis autem non habet, caret profectò illa re, quam præstantiorem omnibus bonis in potestate nostra non constitutis, sola illi voluntas per seipsam daret. Itaque cùm seipse miserrimum iudicet, si amiserit gloriosam famam, ingentes opes, & quælibet corporis bona, tu eum non miserrimum iudicabis, etiam si talibus abundet omnibus, cùm iis inhæret quæ amittere facillimè potest, neque dum vult habet, caret autem bona voluntate, quæ nec comparanda est istis, & cùm sit tam magnum bonum, velle solum opus est, vt habeatur.

CAPVT XII. *An iuxta Platonem animà peccarit ante hanc vitam.*

Platonicus est.

Bona voluntas quid sit.

1. Retract. cap. 9. 2. sent. dist. 28. cap. alibi. & dist. 41. cap. si autem.

tur. EV. Verissimum est. AV. Iure igitur ac meritò stulti homines, tametsi nunquam fuerunt sapientes, hoc enim dubium & occultissimum est, huiuscemodi afficiuntur miseria. EV. Assentior. AVG. Considera nunc, vtrum tibi videatur esse prudentia appetendarum & vitandarum rerum scientia. EV. Videtur. AVG. Quid fortitudo? Nónne illa est animæ affectio, qua omnia incommoda & damna rerum, non in nostra potestate constitutarum, contemnimus? EV. Ita existimo. AVG. Porrò temperantia est affectio coërcens & cohibens appetitum ab iis rebus, quæ turpiter appetuntur: an tu aliter putas? EV. Imò ita vt dicis sentio. AVG. Iam iustitiam quid dicamus esse, nisi virtutem qua sua cuique tribuuntur? EV. Nulla mihi alia iustitiæ notio est. AVG. Quisquis ergo bonam habens voluntatem, de cuius excellentia iam diu loquimur, hãc vnam dilectione amplexetur, qua interim melius nihil habet, hac sese oblectet, hac denique perfruatur & gaudeat, considerans eam & iudicans quanta sit, quamq; inuito illi eripi vel surripi nequeat, num dubitare poterimus istum aduersari rebus omnibus, quæ huic vni bono inimicæ sunt? EV. Necesse est omnino vt aduersetur. AV. Nullane hunc putamus præditum esse prudentia, qui hoc bonum appetendum, & vitanda ea quæ huic inimica sunt videt? EV. Nullo modo mihi videtur hoc posse quisquam sine prudentia. AVG. Rectè: sed cur non huic etiam fortitudinem tribuimus? Illa quippe omnia quæ in potestate nostra non sunt, amare iste ac plurimi æstimare non potest. Mala enim voluntate amantur, cui tanquam inimicæ charissimo suo bono resistat necesse est: cùm autem non amat hæc, non dolet amissa, & omnino contemnit, quod opus esse fortitudinis, dictum atque cõcessum est. EV. Tribuamus sanè: non enim intelligo quem fortem verius appellare possim, quàm eum qui rebus iis quas neque vt adipiscamur, neque vt obtineamus in nobis situm est, æquo & tranquillo animo caret, quod hunc necessariò facere compertum est. AVG. Vide iam nunc vtrum ab eo temperantiam alienare possimus, cũ ea sit virtus quæ libidines cohibet. Quid autem tam inimicum bonæ voluntati est quàm libido? Ex quo profectò intelligis istum bonæ voluntatis suæ amatorem resistere omni modo, atque aduersari libidinibus, & ideo iure temperantem vocari. EV. Perge, assentior. AVG. Iustitia restat, quæ quo modo desit huic homini, non sanè video. qui enim habet & diligit voluntatem bonam, & obsistit eis, vt dictum est, quę huic inimica sunt, malè cuiquam velle nõ potest. Sequitur ergo vt nemini faciat iniuriam: quod nullo pacto potest, nisi qui sua cuique tribuerit: hoc autem ad iustitiam pertinere cùm dicerem, approbasse te vt puto meministi. EV. Ego verò memini, & fateor in hoc homine, qui suam bonam voluntatem magni pendit & diligit, omnes quatuor virtutes, quæ abs te paulò antè me assentiente descriptæ sunt, esse compertas. AVG. Quid igitur impedit, cur huius vitam non concedamus esse laudabilem? EV. Nihil prorsus, imò hortantur vel etiam cogũt omnia. A. Quid vitam miseram, potésne vllo modo nõ iudicare fugiendam? EV. Et magnopere quidem iudico, nihilque aliud agendum existimo. AVG. At laudabilem non fugiendam profectò putas? EV. Quin etiam appetendam sedulò existimo. AVG. Non ergo misera est quæ laudabilis vita est. EV. Hoc vtique sequitur. AV. Nihil iam quantum opinor difficile tibi vt assentiaris relinquitur, eam scilicet, quæ misera non est, beatam esse vitam. EV. Manifestissimum est. AV. Placet igitur beatum esse hominem dilectorẽ bonæ voluntatis suæ, & præ illa contemnentem quodcumque aliud bonum dicitur, cuius amissio potest accidere etiam cùm voluntas tenendi manet. EV. Qui ni placeat,

CAPVT XIII. *Vita beata quæ. Prudentia. Fortitudo. Temperantia. Iustitia.*

A quò superiora quæ concessimus necessariò trahunt? AVG. Bene intelligis: sed dic quæsò, nónne bonam voluntatem suam diligere, & tam magni ęstimare quàm dictum est, etiam ipsa bona voluntas est? EV. Verum dicis. AV. At si hunc beatum rectè iudicamus, nónne rectè miserum, qui contrariæ voluntatis est? EV. Rectissimè. AV. Quid ergo causæ est, cur dubitandum putemus, etiam si nunquam antea sapientes fuimus, voluntate nos tamen laudabilem & beatam vitam, voluntate turpem ac miseram mereri ac degere? EV. Fateor huc certis & minimè negandis rebus esse peruẽtum. AV. Video etiam aliud: nam credo te memoria tenere, quã dixerimus esse bonam volũtatem: opinor enim ea dicta est; qua rectè atq; honestè viuere appetimus. EV. Ita memini. AV. Hanc igitur voluntatem, si bona itidem voluntate diligamus atque amplectamur, rebusq; omnibus, quas retinere non quia volumus possumus, anteponamus: consequenter illæ virtutes vt ratio docuit, animum nostrum incolent, quas habere idipsum est rectè honestéque viuere. Ex quo conficitur, vt quisquis rectè honestéq; vult viuere, si id se velle præ fugacibus bonis velit, assequatur tãtam rem tanta facilitate, vt nihil aliud ei, quàm ipsum velle sit habere quod voluit. E. Verè tibi dico, vix me cõtineo quin exclamẽ lætitia, repente mihi oborto tam magno, & tam in facili constituto bono. A. Atqui hoc ipsum gaudium, quod huius boni adeptione gignitur, cùm tranquillè & quietè atque constanter erigit animum, beata vita dicitur, nisi tu putes aliud esse beatè viuere, quã veris bonis certisq; gaudere. EV. Ita sentio.

1. Retract. cap. 9.

1. Retract. cap. 9.

CAPVT XIIII. *Cur pauci eundant beati.*

AVG. Rectè: sed censésne quenquam hominum non omnibus modis velle atque optare vitam beatã? EV. Quis dubitat omnem hominem velle? A. Cur igitur eam non adipiscuntur omnes? Dixeramus enim atq; conuenerat inter nos, voluntate illam mereri homines, voluntate etiam miseram, & sic mereri vt accipiant. Nunc verò exístit nescio quæ repugnantia, & nisi diligenter dispiciamus, perturbare nititur superiorem tam euigilatam firmamq; rationem. Quomodo enim volũtate quisq; miseram vitam patitur, cùm omnino nemo velit miserè viuere? Aut quomodo voluntate beatam vitam consequitur homo, cùm tam multi miseri sint, & beati omnes esse velint? an eo euenit, quòd aliud est velle bene aut malè, aliud mereri aliquid per bonam vel malam volũtatem? Nam illi qui beati sunt, quos etiam bonos esse oportet, nõ propterea sunt beati, quia beatè viuere voluerunt: ná hoc volunt etiam mali, sed quia rectè viuere volunt, quod mali nolunt. Quamobrem nihil mirum est, quòd miseri homines non adipiscuntur quod volũt, id est, beatam vitam. Illud enim cui comes est, & sine quo ea nemo dignus est, nemoq; assequitur, rectè scilicet viuere, non itidem volunt. Hæc enim æterna lex illa, ad cuius considerationem redire iam tempus est, incommutabili stabilitate firmauit, vt in volũtate meritum sit, in beatitudine autẽ & miseria præmiũ atq; supplicium. Itaq; cùm dicimus volũtate homines esse miseros, nõ ideo dicimus, quòd miseri esse velint, sed quòd in ea volũtate sunt, quam etiam eis inuitis miseria sequatur necesse est. Quare non repugnat superiori rationi, quòd volunt omnes beati esse, nec possunt: non enim volunt omnes rectè viuere, cui vni volũtati vita beata debetur: nisi quid habes aduersùs hæc dicere. E. Ego verò nihil. SED videamus iam quomodo hęc ad propositam illam quæstionẽ de duabus legibus referantur. A. Fiat. Sed dic mihi prius, vtrum qui rectè viuere diligit, eoq; ita delectatur, vt non solum ei rectum sit, sed etiã dulce atq; iucũdum, amet hanc legẽ, habeatq; charissimã, qua videt tributã esse bonæ voluntati beatam vitam, malæ miseram? E. Amat omnino ac vehemẽter: nam istam ipsam sequens ita viuit.

1. Retract. cap. 9.

CAP. XV. *Lex æterna, ex humana, quid valeant.*

A. Quid

A. Quid cùm hanc amat, mutabile aliquid amat ac temporale, an ſtabile aliquid amat ac ſempiternum? E. Æternum ſanè atque incommutabile. A. Quid illi qui in mala volũtate perſeuerantes, nihilominus beati eſſe cupiunt: poſſúntne amare iſtam legem, qua talibus hominibus miſeria meritò rependitur? E. Nullo modo arbitror. AV. Nihilne amant aliud? E. Imò plurima, ea ſcilicet in quibus adipiſcendis vel tetinendis mala voluntas illa perſiſtit. A. Opinor te dicere diuitias, honores, voluptates, & pulchritudinem corporis, cæteráque omnia quæ poſſunt & volentes non adipiſci, & amittere inuiti. E. Iſta ipſa ſunt. A. Num hæc æterna eſſe cenſes, cum temporis volubilitati videas obnoxia? E v. Quis hoc vel dementiſſimus ſenſerit? A. Cùm igitur manifeſtiſſimum ſit, alios eſſe homines amatores rerum æternarum, alios temporalium, cumque duas leges eſſe conuenerit, vnam æternam, aliam temporalem, ſi quid æquitatis ſapis, quos iſtorum iudicas æternæ legi, quos temporali ſubdendos? B E. Puto in prõptu eſſe quod quæris: nam beatos illos ob amorem ipſorum æternorum ſub æterna lege agere exiſtimo, miſeris verò temporalis imponitur. A v. Rectè iudicas, dummodo illud inconcuſſum teneas, quod apertiſſimè iam ratio demonſtrauit, eos qui temporali legi ſeruiunt, non eſſe poſſe ab æterna liberos: vnde omnia quæ iuſta ſunt, iuſteque variantur, exprimi diximus: eos verò qui legi æternæ per bonam voluntatem inhærent, temporalis legis non indigere, ſatis (vt apparet) intelligis. E. Teneo quod dicis. A. Iubet igitur æterna lex auertere amorem à temporalibus, & eum mundatum conuertere ad æterna. E. Iubet verò. A v. Quid deinde cenſes temporalem iubere, niſi vt hæc quæ ad tempus noſtra dici poſſunt, quando eis homines cupiditate inhærent, eo iure poſſideant, quo pax & ſocietas humana ſeruetur, quanta in his rebus ſeruari poteſt? Ea ſunt autem primo hoc corpus, & eius quæ vocantur bona, C vt integra valetudo, acumen ſenſuum, vires, pulchritudo, & ſi qua ſunt cætera, partim neceſſaria bonis artibus, & ideo pluris penſanda, partim viliora. Deinde libertas, quæ quidem nulla vera eſt, niſi beatorum, & legi æternæ adhærentium. Sed eam nunc libertatem commemoro, qua ſe liberos putant, qui dominos homines non habent, & quam deſiderant ij, qui à dominis hominibus manumitti volunt: deinde parentes, fratres, coniunx, liberi, propinqui, affines, familiares, & quicunque nobis aliqua neceſſitudine adiuncti ſunt. Ipſa denique ciuitas, quæ parentis loco haberi ſolet, honores etiam & laudes, & ea quæ dicitur gloria popularis. Ad extremum pecunia, quo vno nomine continentur omnia, quorum iure Domini ſumus, & quorum venderidorum atque donandorum habere poteſtatem videmur. Horum omnium quemadmodum lex illa ſua cuique diſtribuat, difficile & longum eſt explicare, & planè ad id quod propoſuimus non neceſſarium. Satis eſt enim videri non vltra porrigi huius legis poteſtatem in vindicãdo, quàm vt hęc vel aliquid horum adimat atq; auferat ei quem punit, vel metu coerceat. Ergo & ad id quod vult, torquet ac retorquet miſerorum animos, quibus regendis accommodata eſt. Dum enim hæc amittere timent, tenent in his vtendis quendam modũ aptum vinculo ciuitatis, qualis ex huiuſcemodi hominibus conſtitui poteſt: non autem vlciſcitur peccatum cùm amantur iſta, ſed cum aliis per improbitatem auferuntur. Quamobrem vide vtrum iam peruentum ſit ad id quod infinitum putabas. Inſtitueramus enim quærere, quatenus habeat ius vlciſcendi ea lex, qua populi terreni ciuitatesque gubernantur. E v. Video peruentum. A. Vides ergo etiam illud, quod pœna non eſſet, ſiue quæ per iniuriam, ſiue quæ per talem A vindictam infertur hominibus, ſi eas res, quæ inuitò auferri poſſunt, non amarent? E. Id quoque video. A. Cùm igitur eiſdem rebus alius malè, alius bene vtatur, & is quidem qui malè, amore inhæreat atque implicetur, ſcilicet ſubditus eis rebus quas ei ſubditas eſſe oportebat, & ea bona ſibi conſtituens, quibus ordinandis beneque tractandis ipſe eſſe vtique deberet bonum: ille autem qui rectè his vtitur, oſtendat quidem bona eſſe, ſed non ſibi: non enim eum bonum meliorémve faciunt, ſed ab eo potius fiunt. Et ideo non eis amore conglutinetur, neque velut membra ſui animi faciat, quod fit amando, ne cum reſecari cœperint, eum cruciatu ac tabe fœdent, ſed eis totus ſuperferatur, & habere illa atque regere cùm opus eſt paratus, & amittere ac non habere paratior. Cum ergo hæc ita ſint, num aut argentum & aurum propter auaros accuſandum putas, aut cibos propter voraces, aut vinum propter ebrioſos, aut muliebres formas propter ſcortatores & adulteros, atque hoc modo cætera, cùm præſertim videas & ignẽ bene vti medicũ, & panẽ ſceleratè veneficum? E. Veriſſimum eſt, non res ipſas, ſed homines qui eis malè vtuntur eſſe culpandos. A. Recte: ſed quantum & quid valeat æterna lex, vt opinor, videre iam cœpimus, & quantum lex temporalis in vindicando progredi poſſit, inuentum eſt: & rerum duo genera, æternarum & temporalium, duoque rurſus hominum, aliorum æternas, aliorum temporales ſequentium & diligentium, ſatis aperteque diſtincta ſunt. Quid autem quiſque ſectandum & amplectendum eligat, in voluntate eſſe poſitum conſtitit, nullaque re de arce dominandi, rectoque ordine mentem deponi niſi voluntate. Et eſt manifeſtum, non rem vllam, cum ea quiſq; malè vtitur, ſed ipſum malè vtentem eſſe arguendum. Referamus nos, ſi placet, ad quæſtionem in exordio huius ſermonis propoſitam, & videamus vtrum ſoluta ſit: nam quærere inſtitueramus, quid ſit malè facere, & propter hoc omnia quę dicta ſunt, diximus. Quocirca licet nunc animaduertere & conſiderare, vtrum ſit aliud malè facere, quàm neglectis rebus æternis, quibus per ſeipſam mens fruitur, & per ſeipſam percipit, & quas amans amittere non poteſt, temporalia, & quæ per corpus hominis partem viliſſimam ſentiuntur, & nunquam eſſe certa poſſunt, quaſi magna & miranda ſectari. Nam hoc vno genere omnia malefacta, id eſt, peccata, mihi videntur includi. Tibi autem quid videatur, expecto cognoſcere. E. Eſt ita vt dicis, & aſſentior, omnia peccata hoc vno genere contineri, cùm quiſque auertitur à diuinis vereque manentibus, & ad mutabilia atque incerta conuertitur. Quæ quanquam in ordine ſuo rectè locata ſint, & ſuam quadam pulchritudinem peragant, peruerſi tamen animi eſt & inordinati, eis ſequendis ſubijci, quibus ad nutum ſuum ducendis potius diuino ordine ac iure prælatus D eſt. Et illud ſimul mihi videre iam videor abſolutum atque compertum, quod poſt illam quæſtionem quid ſit malefacere, deinceps quærere inſtitueramus, vnde malè faciamus. Niſi enim fallor, vt ratio tractata mõſtrauit, id facimus ex libero voluntatis arbitrio. Sed quæro, vtrum ipſum liberum arbitrium, quo peccandi facultatem habere conuincimur, oportuerit nobis dari ab eo qui nos fecit? Videmur enim nõ fuiſſe peccaturi, ſi iſto careremus. Et metuendum eſt, ne hoc modo Deus etiam malefactorum noſtrorum autor exiſtimetur. A. Nullo modo iſthuc timueris: ſed vt diligentius inquiratur, aliud tempus ſumendum eſt. Nam hæc ſermocinatio modum terminumque iam deſiderat. Qua velim credas magnarum abditarumq; rerum inquirẽdarum quaſi fores eſſe pulſatas. In quarum penetralia cum Deo duce venire cœperimus, iudicabis profectò, quantum inter hanc diſputationem

CAPVT XVI. Epilogus tractatæ quæſtionis.

1. Retract. cap. 9.

Malè facere quid ſit.

& eas quæ ſequuntur interſit, quamtumque illæ præ- A
ſtent, non modò inueſtigationis ſagacitate, ſed etiam
maieſtate rerũ, & clariſſima luce veritatis, pietas tan-
tum adſit, vt nos diuina prouidentia curſum quem
inſtituimus, tenere & perficere permittat. E. Cedo
voluntati tuæ, & ei meam iudicio & voto libentiſſi-
mè adiungo.

D. AVRELII AVGVSTINI
DE LIBERO ARBITRIO, LIB. II.

CAP. I. *Liberum arbitrium ad rectè agendum datum.*

IAM, ſi fieri poteſt, explica mihi quare dederit Deus homini liberum voluntatis arbitrium: quod vtique ſi non acceſſet, peccare non poſſet. A. Iam enim certum tibi atque cognitum eſt, Deum dediſſe homini, hoc quod dari debuiſſe non putas? E. Quantum in ſuperiori libro intelligere mihi viſus ſum, & habemus liberum volũtatis arbitrium, & non B
niſi eo peccamus. A. Ego quoque memini iam nobis id factũ eſſe perſpicuum. Sed nunc interrogaui vtrum hoc quod nos habere, & quo nos peccare manifeſtũ eſt, Deum nobis dediſſe ſcias. E V. Nullum alium puto. Ab ipſo enim ſumus, & ſiue peccantes, ſiue rectè agentes, ab illo pœnam meremur aut præmiũ. A. Hoc quoq; vtrum liquidò noueris, an autoritate commotus libenter etiam incognitum credas, cupio ſcire. E. Autoritati quidem me primum de hac credidiſſe cõfirmo. Sed quid verius quàm omne bonum ex Deo eſſe, & omne iuſtum bonum eſſe, & peccantibus pœnam, rectèque facientibus præmium iuſtum eſſe? Ex quo cõficitur à Deo affici, & peccantes miſeria, & rectè facientes beatitate. A. Nihil reſiſto: ſed quæro illud alterum, quomodo noueris nos ab ipſo eſſe? Neque enim hoc nunc, ſed ab ipſo nos vel pœnam, vel præmiũ mereri explicaſti. E. Hoc quoque non aliunde video eſſe manifeſtum, niſi quòd iam conſtat Deum vindi- C
care peccata. Siquidem ab illo eſt omnis iuſtitia. Non enim vt alicuius eſt bonitatis alienis præſtare beneficia, ita iuſtitiæ vindicare in alienos. Vnde manifeſtum eſt ad eum nos pertinere, qui non ſolùm in nos benigniſſimus in præſtando, ſed etiam iuſtiſſimus in vindicando eſt. Deinde ex eo quod ego poſui, tu quoque conceſſiſti, omne bonum ex Deo eſſe, etiam ho-
1. Retract. cap. 9. minem ex Deo eſſe intelligi poteſt. Homo enim ipſe inquantum homo eſt, aliquod bonum eſt, quia rectè viuere cùm vult poteſt. A. Planè ſi hæc ita ſunt, ſoluta eſt quæſtio quam propoſuiſti. Si enim homo aliquod bonum eſt, & non poſſet niſi cùm vellet rectè facere, debuit habere liberam voluntatem, ſine qua rectè facere non poſſet. Non enim quia per illam etiam peccatur, ad hoc eam Deum dediſſe credendum eſt. Satis ergo cauſę eſt, cur dari debuerit, quoniam ſine illa homo rectè non poteſt viuere. Ad hoc autem datam vel hinc intelligi poteſt, quia ſiquis ea vſus fuerit ad pec- D
candũ, diuinitus in eum vindicatur. Quod iniuſtè fieret, ſi non ſolùm vt rectè viueretur, ſed etiam vt peccaretur, libera eſſet volũtas data. Quomodo enim iuſtè vindicaretur in eum, qui ad hanc rem vſus eſſet voluntate, ad quam rem data eſt? Nunc verò Deus cùm peccantem punit, quid videtur tibi aliud dicere, niſi cur nõ ad eam rem vſus es libera voluntate, ad quam tibi eam dedi, hoc eſt ad rectè faciendum? Deinde illud bonum quo cõmendatur ipſa iuſtitia, in damnandis peccatis rectèque factis honorandis, quomodo eſſet ſi homo careret libero voluntatis arbitrio? Non enim aut peccatum eſſet, aut rectè factũ, quod non fieret voluntate. Ac per hoc & pœna iniuſta eſſet & præmium, ſi homo voluntatem nõ haberet liberam. Debuit autem & in ſupplicio, & in præmio eſſe iuſtitia, quoniam hoc vnum eſt bonorum quæ ſunt ex Deo.

Debuit igitur Deus dare homini liberam volũtatem: A

CAP. II. *Cur datum ſit liberum arbitrium ad malum facilis.*

E. IAM concedo eam Deum dediſſe: ſed nónne tibi videtur, quæſo te, ſi ad rectè faciendũ data eſt, quod non debuerit ad peccandum poſſe conuerti, ſicut ipſa iuſtitia quę data eſt homini ad bene viuendum? Nunquid enim poteſt quiſpiam per iuſtitiam ſuam malè viuere? Sic nemo poſſet per voluntatẽ peccare, ſi voluntas data eſſet ad rectè faciẽdum. A. Donabit quidẽ Deus, vt ſpero, vt tibi valeam reſpõdere, vel potius vt ipſe tibi eadem, quæ ſumma omnium magiſtra eſt, veritate intus docente reſpondeas. Sed pauliſper mihi volo dicas, ſi id quod abs te quęſieram, certum & cognitũ tenes, Deum nobis dediſſe liberam volũtatem, vtrum oporteat dicere dari non debuiſſe, quod dediſſe confitemur Deum. Si enim incertum eſt vtrũ dederit, rectè quærimus vtrum bene ſit data, vt cùm inuenerimus bene datam eſſe, inueniatur etiam illũ dediſſe, à quo homini data ſunt omnia bona: ſi autem inueneri- B
mus non bene datam eſſe, non eum dediſſe intelligamus, quem culpare nefas eſt. Si verò certum eſt, quòd ipſe illã dederit, oportet fateamur, quoquo modo data eſt, neq; non dari, neq; aliter dari eã debuiſſe quàm data eſt. Ille enim dedit, cuius factum rectè reprehẽdi nullo pacto poteſt. E. Quanquam hæc inconcuſſa fide teneam, tamen quia cognitione nondũ teneo, ita quęſo quaſi omnia incerta ſint. Video enim ex hoc quod incertum eſt, vtrum ad rectè faciendum volũtas libera data ſit, cùm per illam etiam peccare poſſimus, fieri etiam illud incertũ, vtrũ dari debuerit. Si enim incertum eſt ad rectè faciẽdum datam eſſe, incertum eſt etiam dari debuiſſe. Ac per hoc etiam vtrũ eam Deus dederit, incertũ erit: quia ſi incertum eſt dari debuiſſe, incertum eſt ab eo datam eſſe, quem nefas eſt credere dediſſe aliquid, quod dari non debuit. A. Illud ſaltẽ tibi certum eſt, Deum eſſe. E. Etiam hoc nõ contẽplando, ſed credendo inconcuſſum teneo. A. Si quis ergo illo- C
rum inſipientium, de quibus ſcriptum eſt, Dixit inſi- *Pſal. 52. a. 1.*
piens in corde ſuo, non eſt Deus: hoc tibi diceret, nec vellet tecũ credere quod credis, ſed cognoſcere vtrũ vera credideris, relinquereſne ſine hominẽ, an aliquo modo, quod inconcuſſum tenes, perſuadendum eſſe arbitrareris, præſertim ſi ille non obluctari peruicaciter, ſed ſtudioſè id vellet agnoſcere? E. Hoc quod vltimum poſuiſti, ſatis me admonet quid ei reſpondere deberem. Certè enim quamuis eſſet abſurdiſſimus, concederet mihi, cum doloſo & peruicaci de nulla omnino & maximè de re tanta, non eſſe differendum. Quo conceſſo, prior mecum ageret, vt ſibi crederem bono animo eum iſtuc quærere, neque aliquid in ſe quod ad rem hanc attinet, doli ac peruicaciæ latere. Tum ego demonſtrarem quod cuiuis facillimum puto, quanto eſſet æquius, cùm ſibi de occultis animi ſui quæ ipſe noſſet, vellet alterum credere qui non noſſet, vt etiam ipſe tantorum virorũ libris, qui ſe cum filio Dei vixiſſe teſtatum literis reliquerunt, eſſe Deum crederet, quia & ea ſe vidiſſe ſcripſerunt, quæ nullo modo fieri poſſent, ſi non eſſet Deus: & nimium ſtultus eſſet, ſi me reprehenderet quòd illis crediderim, qui ſibi vellet vt crederem. Iam verò quod rectè reprehendere non valeret, nullo modo reperiret, cur etiam nollet imitari. A. Si igitur vtrũ ſit Deus, ſatius eſſe exiſtimas, quod non temerè tantis viris credendum eſſe iudicauimus, cur non, quæſo te, de iis quoq; rebus quas tanquã incertas, & planè incognitas quærere inſtituimus, ſimiliter putas eorundẽ virorum autoritati ſic eſſe credendum, vt de inueſtigatione earum nihil amplius laboremus? E. Sed nos id quod credimus, noſſe & intelligere cupimus. A. Rectè meminiſti, quod etiam in exordio ſuperioris diſputationis à nobis poſitum eſſe, *Supra de libero arbitrio cap. 2.*
negare nõ poſſumus. Niſi enim aliud eſſet credere, & aliud intelligere, & primo credendum eſſet, quod magnum

gnum & diuinum intelligere cuperemus, frustra pro-
Esaiæ 7. b. 9. pheta dixisset, Nisi credideritis, non intelligetis. Ipse
quoque Dominus noster & dictis & factis ad credendum primo hortatus est, quos ad salutem vocauit. Sed
postea cùm de ipso dono loqueretur, quod erat datu-
Ioan. 17. a. 3. rus credentibus, non ait, Hæc est autem vita æterna
vt credant: sed, Hæc est, inquit, vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum
Matth. 7. b. 7. Christum. Deinde iam credentibus dicit, Quærite & inuenietis: nam neque inuentum dici potest, quod incognitum creditur, neque quisquam inueniendo Deo fit idoneus, nisi antea crediderit, quod est postea cogniturus. Quapropter Domini præceptis obtemperantes quęramus instanter. Quod enim hortante ipso quęrimus, eodem ipso demonstrante inueniemus, quantum hæc in hac vita, & à nobis talibus inueniri queunt: nam & à melioribus etiam dum has terras incolunt, & certè à bonis & piis omnibus post hanc vitam euidentius atque perfectius ista cerni obtinerique credendum est, B
& nobis ita fore sperandum est, & ista contemptis terrenis & humanis, omni modo desideranda & diligen-
CAP. III. Ratio in homine præstantissimum, qua & seipsum intelligit. da sunt. QVÆRAMVS autem hoc ordine, si placet: primum quomodo manifestum est Deum esse: deinde vtrum ab illo sint, quæcunq; in quantumcunque sunt bona: postremo vtrum in bonis numeranda sit voluntas libera. Quibus compertis satis apparebit, vt opinor, vtrum recte homini data sit. Quare prius abs te quæro, vt de manifestissimis capiamus exordium, vtrum tu ipse sis: an tu fortasse metuis, ne in hac interrogatione fallaris, cùm vtiq; si nō esses, falli omnino non posses? E. Perge potius ad cætera. A. Ergo quoniam manifestū est esse te, nec tibi aliter manifestum esset, nisi viueres, id quoque manifestum est & te viuere. Intelligisne ista duo esse verissima? E. Prorsus intelligo. A. Ergo etiam hoc tertium manifestū est, hoc est intelligere te. E. Manifestum. A. Quid in his tribus tibi videtur excellere? E. Intelligentia. A. Cur tibi hoc C
videtur? E. Quia cùm tria sint hæc, esse, viuere, intelligere: & lapis est, & pecus viuit, nec tamen lapidem puto viuere, aut pecus intelligere: qui autem intelligit, eum & esse & viuere certissimum est: quare non dubito id excellentius iudicare, cui omnia tria insunt, quàm id cui duo vel vnum desit: nam quod viuit, vtiq; & est, sed non sequitur vt etiam intelligat: qualem vitam esse pecoris arbitror. Quod autem est, non vtique consequens est, vt viuat & intelligat: nam esse cadauera possum fateri, viuere autem nullus dixerit. Iam verò quod non viuit, multò minus intelligit. A. Tenemus igitur horum trium duo deesse cadaueri, vnum pecori, nihil homini. E. Verum est. A. Tenemus etiam id esse in his tribus præstantius, quod homo cum duobus cæteris habet, id est intelligere, quod habentem sequitur & esse & viuere. E. Tenemus sanè. A. Dic mihi iam, vtrum illos vulgatissimos corporis sensus habere te noueris, videndi & audiendi & olfaciendi & D
gustandi & tangendi? E. Noui. A. Quid putas pertinere ad videndi sensum, id est, quid putas nos videndo sentire? E. Quæcunque corporalia. A. Num etiam dura & mollia videndo sentimus? E. Non. A. Quid ergo propriè ad oculos pertinet, quod per eos sentimus? E. Color. A. Quid ad aures? E. Sonus. A. Quid ad olfactū? E. Odor. A. Quid ad gustum? E. Sapor. A. Quid ad tactum? E. Molle vel durum, leue vel asperum, & multa alia. A. Quid corporum formas, magnas, breues, quadras, rotundas, & si quid huiusmodi est, nónne & tangendo & videndo sentimus? Et ideo nec visui propriè, nec tactui tribui possunt, sed vtrique? E. Intelligo. A. Intelligis ergo & quædam singulos sensus habere propria, de quibus renuncient, & quædam quosdam habere communia? E. Et hoc intelligo. A. Quid igitur ad quemque sensum pertineat, & quid inter se vel omnes

vel quidam eorum communiter habeant, num possumus vllo eorum sensu diiudicare? E. Nullo modo, sed quodam interiore ista diiudicantur. A. Num fortasse ipsa est ratio qua bestiæ carent? Nam, vt opinor, ratione ista comprehendimus, & ita esse habere cognoscimus. E. Magis nos arbitror ratione cōprehendere esse interiorem quendam sensum, ad quem ab istis quinque notissimis sensibus cuncta referuntur. Namque aliud est quo videt bestia, aliud quo ea quæ videndo sentit vel vitat vel appetit. Ille enim sensus in oculis est, ille autem intus in ipsa anima. Quo non solùm ea quæ videntur, sed etiam quæ audiuntur, quæque cæteris capiuntur corporis sensibus, vel appetunt animalia delectata & assumunt, vel offensa deuitant & respuunt. Hic autem nec visus nec auditus nec olfactus nec gustus nec tactus dici potest, sed nescio quid aliud quod omnibus communiter præsidet. Quod cùm ratione comprehendamus, vt dixi, hoc ipsum tamen rationem vocare non possum, quoniam & bestiis inesse manifestum est. A. Agnosco istud quicquid est; & eum interiorem sensum appellare non dubito. Sed nisi & istum transeat, quod ad nos refertur à sensibus corporis, peruenire ad scientiam non potest. Quicquid enim scimus, id ratione comprehensum tenemus. Scimus autē, vt de cæteris taceam, nec colores auditu, nec voces visu posse sentiri. Et cùm hoc scimus, nec oculis, nec auribus scimus, neq; illo sensu interiore, quo nec bestiæ carēt. Non enim credendum est, eas nosse, nec auribus sentire lucem, nec oculis vocem, quoniam ista nō nisi rationali animaduersione & cognitione discer- al. cogitatione nimus. E. Non possum dicere hoc me habere perceptum. Quid si enim sensu illo interiore, quo eas non carere concedis, hoc quoque diiudicant, nec colores auditu nec visu voces posse sentiri? A. Num etiā putas eās posse discernere ab inuicem colorem qui sentitur, & sensum qui in oculo est, & interiorem illum sensum apud animam, & rationē qua ista singillatim definiuntur & dinumerantur? E. Nullo modo. A. Quid ista ratio posset hæc quatuor discernere abinuicem & definitionibus terminare, nisi ad eā referretur, & color per oculorum sensum, & ipse rursus per illum interiorem qui ei præsidet, & idem interior per seipsum, si tamen iam nihil aliud interpositum est? E. Non video quomodo aliter posset. A. Quid hoc? Videsne sensu oculorum, colorem sentiri, eundem autem sensum eodem sensu non sentiri? Non enim quo sensu colorem vides, hoc eodē vides etiam ipsum videre. E. Non omnino. A. Enitere etiam ista diiudicare: nam credo te non negare aliud colorem esse, & aliud colorem videre, & item aliud etiam cùm color non subest habere sensum, quo videri posset si subesset. E. Discerno & ista, & inter se differre concedo. A. Num horū trium quicquam vides oculis nisi colorem? E. Nihil aliud. A. Dic ergo, vnde videas alia duo, non enim ea non visa posses discernere. E. Nescio quid aliud esse scio, nihil amplius. A. Nescis igitur vtrum iam ipsa sit ratio, an illa vita sit, quam sensum interiorem vocamus præcellentem sensibus corporis, an aliquid aliud? E. Nescio. A. Illud tamen scis, ea definiri nisi ratione non posse, neque rationem id facere, nisi de iis quæ sibi examinanda offeruntur. E. Certum est. A. Quicquid igitur est aliud quo sentiri potest omne quod scimus, ministeriū rationis est, cui offert & renunciat quicquid attingit, vt ea quæ sentiuntur discerni suis finibus possint, & non sentiendo tantum, sed etiam sciēdo comprehendi. E. Ita est. A. Quid ipsa ratio quæ ministros suos, & ea quæ suggerūt, discernit ab inuicem, & item quid inter hæc & seipsam distet, agnoscit, seque illis præpotentiorem esse confirmat, num alia re seipsam nisi seipsa, id est ratione comprehēdit? An aliter scires te habere rationē, nisi id ratione perciperes? E. Verissi-

mum est. A. Quoniam ergo cùm colorem sentimus, non itidem sensu ipso nos sentire etiam sentimus: neque cùm audimus sonum, nostrũ etiam audimus auditum: neq; cùm olfacimus rosam, olet nobis aliquid & ipse olfactus: neque quicquam gustantibus sapit in ore ipse gustus, nec tangẽtes aliquid, ipsum etiam tangendi sensum possumus tangere: manifestũ est quinque istos sensus nullo eorũ sensu posse sentiri, quamuis eis corporalia quæque sentiantur. E. Manifestũ est.

CAPVT IIII. *Ratio & alia & se discernit.*

A. Arbitror etiá illud esse manifestũ, sensum illum interiorem, nõ ea tantum sentire, quæ acceperit à quinque sensibus corporis, sed etiam ipsos ab eo sentiri. Non enim aliter bestia moueret se, vel appetendo aliquid, vel fugiendo, nisi se sentire sentiret, non ad sciẽdum, nam hoc rationis est, sed tantum ad mouendum, quod non vtique aliquo illorum quinque sentit. Quòd si adhuc obscurum est, eluceſcet si animaduertas, quod exempli grátia sat est in vno aliquo sensu, velut in visu. Namque aperire oculum, & mouere aspiciendo ad id quod videre appetit, nullo modo posset, nisi oculo clauso, vel non ità moto se id non videre sentiret. Si autem sentit se non videre dum non videt, necesse est etiam sentiat se videre dũ videt, quia cum eo appetitu non mouet oculum videns, quõ mouet non vidẽs, & indicat se vtrunq; sentire. Sed vtrum & seipsam hæc vita sentiat, quæ se corporalia sentire sentit, non ita clarum est, nisi quòd se quisq; intus interrogans, inuenit omnem rem viuentem fugere mortem. Quæ cùm sit vitæ contraria, necesse est vt vita etiam seipsam sentiat, quę contrarium suũ fugit. Quod si adhuc non liquet, omittatur, vt non nitamur ad id quòd volumus, nisi certis manifestisque documentis. Manifesta enim sunt, sensu corporis sentiri corporalia, eundem autẽ sensum hoc eodem sensu non posse sentiri. Sensu autem interiore & corporalia sensu corporis sentiri, & ipsum corporis sensum: ratione verò & illa omnia, & eandem ipsam notam fieri, & sciẽtia contineri, an tibi non videtur? E. Videtur sanè. A. Age hunc, responde vnde sit quæstio, ad cuius solutionem peruenire cupientes, iam diu istam molimur viam.

CAP. V. *Ordo & præstantia sensuum ad obiecta.*

E. Quantvm memini, trium illarum quæstionum quas paulo antè ad contexendum ordinẽ huius disputationis posuimus, nunc prima versatur, id est, quomodo manifestum fieri possit, quamuis tenacissimè firmissimeq; credẽdum sit, Deũ esse. A. Rectè hoc tenes: sed etiam illud diligenter tenere te volo, cũ de te ipso quærerem, vtrum te esse noueris, non solùm hoc, sed etiam alia duo nobis apparuisse quod noueris. E. Id quoque teneo. A. Nunc ergo vide ad quã rem istarum trium intelligas pertinere omne quod corporis sensus attingit: id est, in quo rerum genere tibi ponendũ videatur, quicquid vel oculorum, vel alio quolibet corporis instrumento noster sensus attingit: vtrũ in eo quod tantum est, an in eo quod etiam viuit, an in eo quod etiam intelligit? E. In eo quod tantum est. A. Quid ipsum sensum in quo genere trium horũ esse censes? E. In eo quod viuit. A. Quid igitur horum duorum melius esse iudicas, sensum ipsum, an quod sensus attingit? E. Sensum scilicet. A. Quare? E. Quia melius est id quod etiam viuit, quàm id quod tantum est. A. Quid illum sensum interiorem, quem quidẽ infra rationem, & adhuc nobis cõmunem cum bestiis superius indagauimus, dubitabísne huic sensui præponere quo corpus attingimus, & quẽ iam ipsi corpori pręponendum esse dixisti? E. Nullo modo dubitauerim. A. Etiã hoc cur nõ dubites, volo abs te audire. Nõ enim poteris dicere, hunc sensum interiorem iam in eo genere triũ illorum esse ponendum, quod etiã intelligit, sed adhuc in eo quod & est & viuit, etiam si intellectu caret. Iste enim sensus ineſt & bestiis, quibus intellectus nõ ineſt. Quæ cũ ita sint; quęro cur præponas sensum interiorem huic sensui quo corporalia sentiũtur, cùm sit vterq; in eo genere quod viuit. Sensum autem istum qui corpora attingit, ideo præposuisti corporibus, quia illa sunt in eo genere quod tantũ est, iste verò in eo quod etiam viuit. In quo cũ & ille interior reperiatur, cur eum meliorem putes dic mihi? Si enim dixeris, quia ille istum sentit, non te credo inuẽturum regulã qua fidere possimus, omne sentiens melius esse quàm id quod ab eo sentitur, ne fortassis ex hoc etiam cogamur dicere omne intelligẽs melius esse quàm id quod ab eo intelligitur. Hoc enim falsum est, quia homo intelligit sapientiam, & non est melior quàm ipsa sapientia. Quamobrem vide quã causã tibi visum sit, sensum interiorem huic sensui quo sentimus corpora, esse præferendum. E. Quia moderatorem & iudicem quendam illum huius esse cognosco. Nam & si quid huic in officio suo defuerit, ille tãquam debitum à ministro flagitat, sicut paulo antè disputatũ est. Non enim se videre, aut non videre sensus oculi videt. Et quia non videt, nõ potest quid sibi desit, aut quid satis sit iudicare, sed ille interior, quo admonetur & anima bestiæ aperire oculum clausum, & quod deesse sentit implere. Nulli autem dubium est eum qui iudicat, eo de quo iudicat esse meliorem. A. Cernis ergo istum etiã corporis sensum de corporibus quodammodo iudicare? Ad illum enim pertinet voluptas & dolor, cũ vel leniter vel asperè corpore attingitur. Nam sicut ille interior quid desit vel satis sit oculorum sensui iudicat, sic ipse sensus oculorum quid desit, vel satis sit coloribus iudicat. Item sicut ille interior de auditu nostro iudicat, vtrum minus an sufficienter intentus sit, sic iudicat auditus ipse de vocibus, quid earum leniter influat, aut asperè perstrepat. Non necesse est cæteros sensus corporis persequi. Iam enim, vt opinor, animaduertis quid velim dicere: ita scilicet sensum illum interiorem de istis corporis sensibus iudicare, cũ eorum & integritatẽ probat, & debitum flagitat, quemadmodũ & ipsi corporis sensus de corporibus iudicãt, assumentes in eis lenem tactum, reijcientesq; contrarium. E. Cerno sanè, & verissima ea esse consentio.

CAP. VI. *Ratio cæteris superior, infra Deum est.*

A. Attende iam vtrum ratio etiam de hoc interiore sensu iudicet. Iam enim non quæro, vtrũ eam meliorem illo esse dubites, quia non dubito id te iudicare, quanquam ne id quidẽ iam quærẽdum putem, vtrum de isto sensu iudicet ratio. Namque in iis ipsis quæ infra eam sunt, id est in corporibus & in sensibus corporis, & isto interiore sensu, quomodo aliud sit alio melius, & quàm sit illis præstantior ipsa, quid tandem nisi ipsa renunciat? Quod profectò nullo modo posset, nisi de his ipsa iudicaret. E. Manifestum est. A. Cùm ergo eam naturam quæ tãtum est, nec viuit nec intelligit, sicuti est corpus exanime, præcedat ea natura quæ non tantum est, sed etiam viuit, nec intelligit, sicuti est anima bestiarum: & rursus hanc prȩcedat ea, quæ simul & est & viuit & intelligit, sicuti in homine mens rationalis, num arbitraris in nobis, id est, in iis in quibus natura nostra completur, vt homines simus, aliquid inueniri posse præstantius, quàm hoc quod in his tribus tertio loco posuimus? Nam & corpus nos habere manifestum est, & vitam quandam qua ipsum corpus animatur atque vegetatur, quæ duo etiam in bestiis agnoscimus, & tertium quiddam quasi animæ nostræ caput aut oculum, aut si quid congruentius de ratione atque intelligentia dici potest, quam non habet natura bestiarum. Quare vide obsecro, vtrum aliquid inuenire possis, quod sit in natura hominis ratione sublimius. E. Nihil omnino melius video. A. Quid si aliquid inuenire potuerimus, quod non solum esse non dubites, sed etiam ipsa nostra ratione præstantius, dubitabísne illud quicquid sit, Deum dicere? E. Non continuò si quid melius quàm id quod in mea natura

opti-

optimum est inuenire potuero, Deum esse dixerim. Non enim mihi placet Deum appellare, quo mea ratio est inferior, sed quo nullus est superior. A. Ita planè: nam ipse huic tuæ rationi dedit, tam de se piè vereque sentire. Sed quæso te si non inueneris esse aliquid supra nostram rationem, nisi quod æternum atq; incommutabile est, dubitabisne hunc Deum dicere? Nam & corpora mutabilia esse cognoscis, & ipsam vitam qua corpus animatur, per affectus varios mutabilitate non carere manifestum est. Et ipsa ratio cũ modo ad verum peruenire nititur, modo non nititur, & aliquando peruenit, aliquando non peruenit, mutabilis esse profectò conuincitur. Quæ si nullo adhibito corporis instrumẽto, nec per tactum, nec per gustum, nec per olfactum, nec per aures, nec per oculos, nec per vllum sensum se inferiorem, sed per seipsam cernit æternum aliquid, & incommutabile, simul & seipsam inferiorem, & illum oportet Deum suum esse fateatur. E. Hunc planè fatebor Deum, quo nihil superius esse constiterit. A. Bene habet: nam mihi satis erit ostẽdere esse aliquid huiusmodi, quod aut fateberis Deũ esse, aut si aliquid supra est, eũ ipsum Deũ esse concedes. Quare siue supra sit aliquid, siue nõ sit, manifestum erit Deum esse, cùm ego quod promisi esse supra rationem, eodem ipso adiuuante monstrauero.

CAPVT VII. *Sẽsus interior & exterior, & quomodo idem sentiatur à multis.*

E. Demonstra ergo quod polliceris. A. FACIAM: sed prius quæro, vtrum sensus corporis meus idem sit qui tuus, an verò meus non sit nisi meus, & tuus non sit nisi tuus? Quod si non ita esset, non possem per oculos meos videre aliquid, quod tu nõ videres. E. Concedo prorsus, quamuis eiusdem generis, tamen singulos nos habere sensus videndi vel audiendi, vel quoslibet alios cæterorum. Non enim solùm videre, sed etiam audire aliquos hominum potest, quod alius non audiat, & aliud aliquid quolibet alio sensu quisquam sentire, quod alius non sentiat. Vnde manifestum est & tuum non nisi tuum, & meum sensum non esse nisi meum. A. Hoc idem respondebis de illo etiam sensu interiore: an aliquid aliud? E. Nihil sanè aliud: nam & ille vtique sensum meum sentit meus, & tuum sentit tuus: nam ideo plerunque interrogor ab eo, qui aliquid videt, vtrũ hoc etiam ego videam, quia ego me videre aut non videre sentio, non ille qui interrogat. A. Quid ipsam rationem, nónne vnusquisq; nostrum habet suam? Quandoquidẽ fieri potest, vt ego aliquid intelligam, cùm tu id non intelligis: nec vtrũ intelligã tu scire possis, ego autem sciam. E. Manifestum est etiam rationales mentes singulos quosque nostrum singulas habere. A. Num etiam poteris dicere singulos soles nos habere quos videmus, aut lunas, aut luciferos, aut cætera huiusmodi, quamuis suo quisq; ac proprio sensu ista videat? E. Nullo modo isthuc dixerim. A. Possumus ergo videre vnum aliquid multi simul, cùm sint sensus nostri nobis singulis singuli: quibus omnibus illud vnũ sentimus quod simul videmus, vt quamuis alius sensus meus sit, & alius tuus, possit tamen fieri, vt id quod videmus non sit aliud meum & aliud tuum, sed illud vnum præsto sit vtrique nostrum & simul ab vtroque videatur. E. Manifestissimum est. A. Possumus etiam vnam aliquam vocem simul audire, vt quamuis alius sit auditus meus, alius tuus, nõ sit tamen alia mea, & alia tua vox quam simul audimus, vel alia pars eius auditu meo capiatur, & alia tuo, sed quicquid sonuerit, & vnũ & totum audiendum simul adsit ambobus. E. Et hoc manifestum est. A. Iam etiam de cæteris sensibus corporis licet animaduertas quod dicimus, neque omnino illos quod ad hanc rem attinet, ita se habere, vt illos duos oculorum & aurium, neque omnino non ita. Nam quia ex hoc vno aëre & ego & tu possumus implere spiramentum, & eius aëris affectionẽ odore sentire: & item quia ex vno melle, vel quolibet alio cibo seu potu ambo gustare possumus, & eius affectionem sapore sentire: quamuis ille vnus sit, nostri autem sint sensus singuli, tibi tuus, & mihi meus, vt vnum odorem vel vnum saporem cùm ambo sentiamus, nec tu tamẽ eum meo sensu sentias, nec ego tuo, nec aliquo vno qui vtriusq; nostrum possit esse communiter, sed prorsus mihi sensus meus sit, & tuus tibi, etiamsi vnus aut odor, aut sapor ab vtrisq; sentiatur: hinc ergo isti sensus inueniuntur habere aliquid tale, quale illi duo in visu & auditu: sed in eo dispares sunt quantum ad id quod nunc agimus pertinet, quod etsi vnum aërem naribus ambo trahimus, aut vnũ cibum gustando capimus, non tamẽ eam partem aëris duco quã tu, nec eandem partem cibi sumo quam tu, sed aliam ego, aliam tu: & ideo de toto aëre cum spiro, duco partẽ quanta mihi satis est, & tu item de toto aliam, quãta tibi satis est ducis. Et cibus quãuis vnus & totus ab vtroq; absumatur, non tamẽ & à me totus, & à te totus absumi potest: quomodo verbũ & ego totum audio, & tu totum simul, & speciẽ quamlibet quantam ego video, tãtam & tu simul: sed cibi vel potionis alia pars in me, alia in te transeat necesse est: an parum ista intelligis? E. Imò verò apertissima & certissima esse consentio. A. Num censes tangẽdi sensum comparandum esse oculorum & auriũ sensibus in ea re de qua nunc agitur, quia non solum corpus vnum ambo possumus sentire tangendo, sed etiam eandem partẽ tu quoq; poteris tangere quam ego tetigero, vt non solum idem corpus, sed eandem quoque corporis partem possimus ambo sentire tangendo? Non enim sicuti cibũ aliquem appositum non possumus, & ego totum & tu totũ capere, cum ambo illo vescimur, sic etiam in tangẽdo accidit: sed & vnum & totum quod ego tetigero, etiam tu potes, vt id ambo tangamus, nõ singulis partibus, sed totum singuli. E. Fateor hoc modo duobus illis superioribus sensibus, hunc tangendi sensum esse similimum: sed in hoc video esse dissimilem, quòd simul, id est vno tempore, & videre aliquid vnum totum ambo possumus & audire: tangere autẽ possumus quidẽ totum aliquid ambo vno tẽpore, sed partibus singulis, eandem autem partem nõ nisi temporibus singulis: nam nulli parti quã tactu capis, possum meum tactũ admouere, nisi tu amoueris tuum. A. Vigilantissimè respondisti: sed oportet te etiam illud videre, cùm horum omniũ quæ sentimus, alia sint quæ ambo, alia quæ singuli sentiamus, ipsos verò sensus nostros, suos quisq; singuli sentiamus, vt neque ego sentiam sensum tuum, neq; tu meum: quid de his rebus quæ sentiuntur à nobis per corporis sensus, id est, quid de corporalibus rebus non possumus sentire ambo, sed singuli, nisi quod ita fit nostrum vt hoc in nos vertere, & commutare possimus: sicuti est cibus & potus, cuius nullam partem quam ego percepero, & tu percipere poteris: quia etsi nutrices alimenta mansa infantibus reddunt, illud tamen quod inde gustus rapuerit atq; in mandentis viscera commutauerit, nullo modo reuocari poterit vt in escã refundatur infantis. Gula enim cũ aliquid iucũdè sapit, etiamsi exiguam, tamen irreuocabilẽ partem sibi vendicat, & hoc cogit fieri quod naturæ corporis cõuenit: quod nisi ita esset, nullus remaneret sapor in ore posteaquã fuerint mansa illa reddita atque deputa. Quod etiã de aëris partibus rectè dici potest, quas naribus ducimus: nam etiãsi aliquid aëris quod ego reddidero, possis etiam tu ducere, non tamen poteris etiam illud, quod inde in alimentum meũ cesserit: quia nec reddi potest. Nam etiam naribus alimentum nos capere medici docent: quod alimentum & spirando solus sentire possum, & reflando restituere non possum, vt abs te etiã ductum naribus sentiatur. Nam cætera sensibilia quæ quãuis sentiamus, non tamen ea sentiẽdo in nostrum corpus corru-

corrupta mutamus, possumus ea, siue vno tempore, siue singulis vicissim temporibus ambo sentire, sicut vel totum vel pars ipsa quam sentio, abs te etiam sentiatur: qualia sunt, siue lux, siue sonus, siue corpora quæ attingimus, non tamen lædimus. E. Intelligo. A. Manifestum est ergo ea quę non commutamus, & tamen sentimus corporis sensibus, & non pertinere ad naturam sensuum nostrorum, & propterea magis nobis esse communia, quia in nostrum propriũ, & quasi priuatum non vertuntur atque mutantur. E. Prorsus assentior. A. Proprium ergo & quasi priuatum intelligendum est, quod vnicuique nostrûm soli est, & quod in se solus sentit, quod ad suam naturam propriè pertinet. Commune autem & quasi publicum, quod ab omnibus sentiẽtibus nulla sui corruptione atq; commutatione sentitur. E. Ita est. A. Age nunc attende, & dic mihi vtrum inueniatur aliquid, quod omnes ratiocinantes sua quisque ratione atque mente cõmuniter videant, cùm illud quod videtur præsto sit omnibus, nec in vsum eorum quibus præsto est commutetur, quasi cibus aut potio, sed incorruptum integrumq; permaneat, siue illi videant, siue non videant: an fortè nihil huiusmodi esse arbitraris? E. Imò multa esse video: è quibus vnum cõmemorari satis est: quòd ratio & veritas numeri omnibus ratiocinantibus præsto est, vt omnis eam computator sua quisq; ratione, & intelligentia conetur apprehendere. Et alius id facilius, alius difficilius possit, alius omnino non possit, cùm tamen ipsa æqualiter omnibus se præbeat valentibus eam capere, nec cùm eam quisque percepit, in sui perceptoris quasi alimentum vertatur atque mutetur: nec cùm in ea quisque fallitur, ipsa deficiat, sed ea vera & integra permanente, ille in errore sit tanto amplius, quãto minus eam videt. A. Rectè sanè: sed video te tanquam non rudem harum rerum citò inuenisse quod diceres: tamẽ si tibi aliquis diceret, numeros istos non ex aliqua sua natura, sed ex iis rebus quas sensu corporis attingimus, impressos esse animo nostro quasi quasdam imagines quorumq; visibiliũ, quid responderes? An tu quoque id putas? E. Nullo modo id putauerim: non enim si sensu corporis percepi numeros, idcirco etiam rationem partitionis numerorũ, vel copulationis sensu corporis percipere potui. Hac enim luce mentis refello eum, quisquis vel in addendo vel in retrahendo dum computat falsam summam renunciauerit. Et quicquid sensu corporis tango, veluti est hoc cælum, & hæc terra, & quæcunque in eis alia corpora sentio, quãdiu futura sint nescio. Septem autem & tria decẽ sunt, & non solùm nunc, sed etiam semper. Neq; vllo modo aliquãdo septem & tria non fuerunt decem, aut aliquando septem & tria nõ erunt decem. Hanc ergo incorruptibilem numeri veritatẽ, dixi mihi & cuilibet ratiocinanti esse communem. A. Non resisto tibi verissimã & certissimã respondenti. Sed ipsos quoque numeros non per corporis sensus attractos esse facilè videbis, si cogitaueris quemlibet numerum tot vocari quoties vnum habuerit: verbi gratia, si bis habuerit vnum, duo vocantur: si ter, tria: & si decies habet vnum, tunc vocantur decem: & quilibet omnino numerus quoties habet vnum, hinc illi nomen est, & tot appellatur. Vnum verò quisquis verissimè cogitat, profectò inuenit corporis sensib. nõ posse sentiri. Quicquid enim tali sensu attingitur, iam non vnum, sed multa esse conuincitur: corpus enim est, & ideo habet innumerabiles partes. Sed vt minutas quasque minusque articulatas non persequar, quantulumcunq; illud corpusculum sit, habet certe aliam partem dexteram, aliam sinistram, aliam superiorem, aliam inferiorem, aut aliam vlteriorem, aliam citeriorem, aut alias finales, aliam mediam. Hæc enim necesse est quamlibet exiguo corporis modulo inesse fateamur. Et propterea nullũ corpus verè pureq; vnum esse concedimus, in quo tamen non possent tam multa numerari, nisi illius vnius cognitione discreta. Cũ enim quæro vnum in corpore, & me nõ inuenire non dubito, noui vtique quid ibi quæram, & quid ibi non inueniam, & non posse inueniri, vel potius omnino ibi non esse. Vbi ergo noui quòd nõ est corpus vnum, quid sit vnum noui: vnum enim si non nossem, multa in corpore numerare non possem. Vbicunque autem vnum nouerim, non vtique per corporis sensum noui, quia per corporis sensum non noui nisi corpus quod verè pureque vnum non esse conuincimus. Porrò si vnum non percepimus corporis sensu, nullum numerum eo sensu percepimus, eorum duntaxat numerorum quos intelligentia cernimus. Nullus enim est ex iis qui nõ tot vocetur, quoties habet vnum, cuius perceptio corporis sensu non fit. Cuiuslibet enim corpusculi pars dimidia, quantis duabus totum constat, habet & ipsa dimidiam suam. Sic ergo sunt illæ duæ partes in corpore, vt nec ipsæ simpliciter duę sint. Numerus autem ille qui vocatur duo, quoniam bis habet illud quod simpliciter vnum est pars eius dimidia, id est, illud ipsum quod simpliciter vnum est, non potest rursus habere dimidiam partem vel tertiam, vel quotamlibet, quoniam simplex & verè vnum est. Deinde quoniam tenentes ordinem numerorum, post vnum duo videmus, qui numerus ad vnum collatus, duplus inuenitur: duplus duorum non consequenter adiungitur, sed interposito ternario quaternarius sequitur, qui duplus est duorum. Et hęc ratio per omnes cæteros numeros certissima & incommutabili lege pertenditur, vt post vnum, id est, post primũ omnium numerorum, ipso excepto primus sit, qui duplum eius habet, duo enim sequuntur. Post secundum autem, id est, post duo, ipso excepto secundus sit, qui duplum eius habet. Post duo enim primus est ternarius, secũdus quaternarius, duplus secundi: post tertium, id est, ternarium, ipso excepto tertius fit, qui duplus est eius: post tertium enim, id est, post ternarium, primus est quaternarius, secundus quinarius, tertius senarius, qui duplus est tertij. Atque ita post quartum, ipso excepto quartus habet duplum eius. Post quartum enim, id est, quaternarium, primus est quinarius, secundus senarius, tertius septenarius, quartus octonarius, qui duplex est quarti: atque ita per omnes cæteros reperies hoc quod in prima copula numerorum, id est vno, & duobus inuentum est, vt quotus quisque numerus est ab ipso principio, totus post illum sit duplus eius. Hoc ergo quod per omnes numeros esse immobile, firmum incorruptumque conspicimus, vnde conspicimus? Non enim vllus vllo sensu corporis omnes numeros attingit: innumerabiles enim sunt: vnde ergo nouimus per omnes hoc esse, aut qua phantasia vel phantasmate tanquam certa veritas numeri per innumerabilia tam fidenter, nisi in luce interiore conspicitur, quã corporalis sensus ignorat? His & talibus multis documentis coguntur fateri, quibus disputantibus Deus donauit ingenium, & pertinacia caliginem non obducit, rationem veritatemque numerorum, & ad sensus corporis non pertinere, & †inuertibilem syneramque consistere, & omnibus rationantibus ad videndum esse communem. Quapropter cum multa alia possint occurrere, quæ cõmuniter & tanquam publicè præsto sunt ratiocinantibus, & ab eis videantur mente atq; ratione singulorum quorumque cernentium, eaque inuiolata & incommutabilia maneant, non tamen inuitus acceperim quòd ista ratio & veritas numeri tibi potissimũ occurrerit, cùm ad id quod interrogaueram, respondere voluisses: non enim frustra in sanctis libris [a]Sapientiæ coniũctus est numerus, vbi dictum est: Circuiui ego & [inclinaui] cor meum, vt sci-

CAP. VIII. Numerorum cognitio vtilis.

† al. inconuertibilem

[a] Psal. 146. d. 4. Eccl. 7. d. 26. Psal. 176.

CAP. IX. *Quid sapientia, sine qua nemo beatus.*

vt scirem & considerarem & quærerem sapiẽtiam & numerum. VERVNTAMEN quæso te quid de ipsa sapientia putas existimandum? Singulas quasque suas arbitraris singulos quosque homines habere sapientias? An verò vnam præsto esse communiter omnibus, cuius quanto magis quisq; fit particeps, tanto est sapientior? E. Quam dicas sapientiam nondũ scio: video quippe varie videri hominibus, quid fiat dicaturve sapienter: nam & qui militant, sapienter sibi facere videntur. Et qui contempta militia colendo agro curam atque operam impendũt, hoc potius laudant, tribuuntque sapientiæ: & qui astuti sunt ad excogitandos modos conquirendæ pecuniæ, sibi videntur sapientes: & qui hæc omnia negligunt vel abijciunt, & quæque sunt huiusmodi temporalia, & totũ studium suum ad inuestigationem conferunt veritatis, vt semetipsos Deumq; cognoscant, magnum hoc esse sapientiæ munus iudicant: & qui huic ocio quærendi & contemplandi veri nolunt se dare, sed potius laboriosissimis curis & officiis agunt, vt hominibus consulant, & in rerum humanarum iustè moderãdarum & gubernandarum actione versentur, sapiẽtes se esse arbitrantur: & qui vtrumq; horum agunt, & partim viuunt in contemplatione veritatis, partim in laboribus officiosis, quos humanæ societati deberi putant, sibi palmam sapientiæ tenere videntur. Omitto innumerabiles sectas, quarũ nulla est, quæ non sectatores suos præponens cæteris, eos solos velit esse sapientes. Quãobrem cùm id nunc agatur inter nos, vt non quid credamus respondẽdum sit, sed quid dilucida intelligentia teneamus, nullo modo ad id tibi quod interrogasti respondere potero, nisi quod credendo teneo, cõtemplando etiã & ratione cernendo nouerim, quæ sit ipsa sapientia. A. Num aliam putas esse sapientiam nisi veritatem, in qua cernitur & tenetur summum bonum? Nam illi omnes quos commemorasti diuersa sectantes, bonum appetunt, & malum fugiunt: sed propterea diuersa sectantur, quòd aliud alij videtur bonum. Quisquis ergo appetit quod appetendum non erat, tametsi id non appeteret nisi ei videretur bonum, errat tamen. Errare autem neq; ille potest, qui nihil appetit, neque ille qui hoc appetit quod debet appetere: inquantum igitur omnes homines appetunt vitam beatam, non errant. Inquantum autem quisq; nõ eam tenet vitę viam quę ducit ad beatitudinem, cùm se fateatur & profiteatur nolle nisi ad beatitudinem peruenire, intantum errat. Error est enim cùm sequimur aliquid, quod nõ ad id ducit quo volumus peruenire: Et quanto magis in via vitæ quis errat, tanto minus sapit. Tanto enim magis longè est à veritate, in qua cernitur, & tenetur summum bonum. Summo autẽ bono assequuto & adepto, beatus quisque fit, quod omnes sine controuersia volumus. Vt ergo constat nos beatos esse velle, ita nos constat velle esse sapientes, quia nemo sine sapientia beatus est. Nemo enim beatus est, nisi summo bono, quod in ea veritate, quam sapientiam vocamus, cernitur & tenetur. Sicut ergo antequam beati simus, mentibus tamen nostris impressa est notio beatitatis: per hanc enim scimus, fidenterq;, & sine vlla dubitatione dicimus beatos nos esse velle, ita etiam prius quàm sapientes simus, sapientiæ notionem in mente habemus impressam, per quam vnusquisque nostrum si interrogetur, velit ne esse sapiens, sine vlla caligine dubitationis, se velle respõdet. Quare si iam constat inter nos quæ sit sapientia, quam fortasse verbis explicare non poteras: nam si eam nullo modo animo cerneres, nullo modo scires, & velle te esse sapientem, & velle debere, quod te negaturũ esse nõ arbitror: volo iam dicas mihi, vtrum etiam sapientiam, sicut numeri rationem atq; veritatem omnibus ratiocinantibus, communem se prębere arbitreris? An quoniam tot sunt mentes hominum quot homines sunt, vnde nec ego de tua mente aliquid cerno, nec tu de mea, tot etiam putas esse sapientias quot potuerunt esse sapientes? E. Si summum bonum omnibus vnum est, oportet etiam veritatem in qua cernitur & tenetur, id est sapiẽtiam omnibus vnam esse communem. A. An dubitas summum bonum, quicquid illud est, omnibus hominibus vnum esse? E. Dubito sanè, quia diuersos diuersis rebus gaudere video tanquam summis bonis suis. A. Vellem quidem, vt de summo bono ita nemo dubitaret, vt nemo dubitat quicquid illud est, non nisi eo adepto posse fieri hominem beatum. Sed quoniam magna quæstio est, & longum sermonem fortè desiderat, putemus omnino tot summa bona esse, quot sunt ipsæ res diuersæ, quæ à diuersis tãquam summa bona appetuntur: num ideo sequitur, vt ipsa sapientia etiam non sit vna communis omnibus, quia ea bona quæ in illa cernunt, & eligunt homines, multa & diuersa sunt? Si enim hoc putas, potes & de luce solis dubitare quòd vna sit, quia multa & diuersa sunt, quæ in ea cernimus. De quibus multis eligit quisque pro voluntate, quo fruatur per oculorum sensum. Et alius altitudinem montis alicuius intuetur libenter, & eo gaudet aspectu. Alius campi planiciem, alius conuexa vallium, alius nemorum viriditatem, alius mobilem æqualitatem maris, alius hęc omnia, vel quædam horum simul plura confert ad lætitiam videndi. Sicut ergo ista multa & diuersa sunt: quæ in luce solis homines vident & eligunt ad fruendum, lux tamen ipsa vna est, in qua videt & tenet quo fruatur vniuscuiusque intuentis aspectus: ita etiam si multa sunt bona eaque diuersa, è quibus eligat quisq; quod volet, idque videndo & tenendo ad fruendum summum sibi bonum rectè vereque cõstituat, fieri tamen potest, vt lux ipsa sapientiæ, in qua hæc videri & teneri possunt, omnibus sapientibus sit vna communis. E. Fateor fieri posse, nec impedire aliquid, vt non sit omnibus communis vna sapientia, etiam si multa & diuersa sint summa bona. Sed vellem scire an ita sit. Quod enim concedimus fieri posse vt ita sit, non continuò ita esse concedimus. A. Tenemus interim esse sapientiam. Sed vtrum sit communis vna omnibus, an singuli sapientes suas habeant, sicuti animas vel mentes suas, hoc nondum tenemus. E. Ita est. A. QVID hoc quod tenemus vel esse sapientiam, vel sapientes, & beatos esse omnes homines velle, vbi videmus? Nam hoc te videre & verum esse nullo modo vtique dubitauerim. Hoc ergo verum sic vides, vt cogitationem tuam, quam si mihi non enuncies, ego prorsus ignoro. An ita vt intelligas, & à me videri posse hoc verum, tametsi mihi abs te non dicatur? E. Imò ita vt abs te quoque etiam me inuito videri posse non dubitem. A. Quod ergo vnum verum videmus ambo singulis mentibus, nónne vtrique nostrum commune est? E. Manifestissimè. A. Item credo te non negare studendum esse sapientiæ, atque hoc verum esse concedere. E. Prorsus non dubito. A. Hoc item verum & vnum esse, & omnibus qui hoc sciunt ad videndum esse commune; quamuis vnusquisque id nec mea, nec tua, nec cuiusquam alterius, sed sua mente conspiciat, cùm id quod conspicitur, omnibus conspicientibus communiter præsto sit, nunquid negare poterimus? E. Nullo modo. A. Item iustè esse viuendum, & deteriora melioribus esse subdenda, & paria paribus comparanda, & propria suis quibusque tribuenda, nónne fateberis esse verissimum, & tam mihi quàm tibi, atque omnibus id videntibus præsto esse communiter? E. Assentior. A. Quid incorruptum melius, esse corrupto, æternum temporali, inuiolabile violabili, poteris negare? E. Quis potest. A. Hoc ergo verum potest quisque suum proprium dicere, cùm incommutabiliter

CAP. X. *Vna sapientia omnium sapientum communis.*

Beatitudo in sapiã.

contemplandum adsit omnibus qui hoc contemplari valent? E. Nullus hoc verè dixerit suum esse proprium cùm tam sit vnum atque omnibus commune quàm verum est. A. Item à corruptione auertendũ animum, atque ad incorruptionem conuertendum esse, id est, non corruptionem, sed incorruptionem diligendam esse quis negat? Aut quis cùm verum esse fateatur, non etiam incommutabile intelligat, atque omnibus mentibus id valentibus intueri, communiter præsto esse videat? E. Verissimum est. A. Quid eam vitam quæ nullis aduersitatibus de certa & honesta sententia dimouetur, dubitat aliquis esse meliorem, quàm eam quæ facilè incommodis temporalibus frangitur atq; subuertitur? E. Quis dubitauerit? A. Iam huiusmodi plura non quæram. Satis enim est quòd istas tanquam regulas, & quædam lumina virtutum, & vera & incommutabilia, & siue singula, siue omnia communiter adesse, ad contemplandum eis qui hæc valent sua quisque ratione ac mente conspicere, pariter mecum vides, certissimumque esse concedis. Sed sanè quæro, vtrum hæc tibi videantur ad sapientiam pertinere? Nam credo videri tibi eum qui sapientiam assequutus est, esse sapientem. E. Videtur omnino. A. Quid ille qui iustè viuit, possetne ita viuere nisi videret, quæ inferiora quibus potioribus subdat, & quæ paria sibimet copulet, & quæ propria suis quibusque distribuat? E. Non posset. A. Qui ergo hæc videt, num eum negabis sapienter videre? E. Non nego. A. Quid, ille qui prudẽter viuit, nónne eligit incorruptionem, & eam corruptioni præponendam esse decernit? E. Manifestissimè. A. Cùm ergo id eligit quò conuertat animum, quod eligendum esse nemo ambigit, num negari potest sapienter eligere? E. Nullo modo negauerim. A. Cùm ergo ad id quod sapienter eligit conuertit animum, sapienter vtique conuertit. E. Certissimum est. A. Et qui ab eo quod sapienter eligit, & quò se sapienter conuertit, nullis terroribus pœnisque depellitur, sapienter sine dubio facit. E. Prorsus sine dubio. A. Manifestissimum est igitur omnes has, quas regulas diximus & lumina virtutũ, ad sapientiam pertinere: quandoquidem quanto magis quisque ad agendam vitam eis vtitur, & secundum hæc agit vitam, tanto magis viuit facitque sapienter: Omne autem quod sapienter fit, non potest rectè dici à sapientia esse separatum. E. Omnino ita est. A. Quàm ergo veræ atque incommutabiles sunt regulæ numerorum, quorum rationem atque veritatem incommutabiliter atque communiter omnibus eam cernentibus, præsto esse dixisti, tàm sunt veræ atque incommutabiles regulæ sapientiæ, de quibus paucis nunc singillatim interrogatus respondisti esse veras atque manifestas, easque omnibus qui hæc intueri valent, communes ad contemplandum adesse concedis.

CAP. XI. *Sapientia & numerus, & huius laus.*

E. DVBITARE non possum. Sed peruellem scire, vtrum vno aliquo genere contineantur hæc duo, sapientia scilicet & numerus, quia coniuncta etiam in Scripturis sanctis hæc posita esse commemorasti: an alterum existat ab altero, aut alterum in altero cõsistat, veluti numerus à sapientia, vel in sapientia. Nam sapientiam existere à numero, aut consistere in numero, non ausim dicere: nescio enim quomodo quia multos noui numerarios aut numeratores, vel si quo alio nomine vocandi sunt, qui summè atque mirabiliter computant, sapientes autem perpaucos, aut forsitan neminem, longè venerabilior mihi occurrit sapientia, quàm numerus. A. Rem dicis quàm ego quoque mirari soleo. Nam cùm incommutabilem veritatem numerorum mecũ ipse considero, & eius quasi cubile ac penetrale vel regionem quandam, vel si quod aliud nomen aptum inueniri potest, quo nominemus quasi habitaculũ quoddam sedemque numerorum, longè remoueor à corpore: & inueniens fortasse aliquid quod cogitare possim, non tamen aliquid inueniens quod verbis proferre sufficiam, redeo tanquam lassatus in hæc nostra, vt loqui possim, & ea quæ ante oculos sita sunt dico, sicut dici solent. Hoc mihi accidit etiam cùm de sapientia quantum valeo, vigilantissimè atque intentissimè cogito. Et propterea multum miror, cùm hæc duo sint in secretissima certissimaque veritate, accedente etiam testimonio scripturarum, quo commemorauì coniunctè ita posita, plurimum miror, vt dixi, quare numerus vilis sit multitudini hominum, & chara sapientia: sed nimirum illud est, quòd vna quædam eademque res est. Veruntamen quoniam nihilominus in diuinis libris de sapientia dicitur, quòd attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, ea potentia qua fortiter à fine vsque ad finem attingit, numerus fortasse dicitur: eà verò qua disponit omnia suauiter, sapientia propriè iam vocatur: cùm sit vtrumque vnius eiusdemque sapientiæ. Sed quia dedit numeros omnibus rebus etiam infimis, & in fine rerum locatis: & corpora enim omnia quamuis in rebus extrema sint, habent numeros suos, sapere autem non dedit corporibus, neque animis omnibus, sed tantum rationalibus, tanquam in eis sibi sedem locauerit, de qua disponat omnia, illa etiam infima quibus numeros dedit: itaque quoniam de corporalibus facilè iudicamus, tanquam de rebus quæ infra nos ordinatæ sunt, quibus impressos numeros infra nos esse cernimus, & eos propterea vilius habemus. Sed cùm cœperimus tanquam sursum versus recurrere, inuenimus eos etiam nostras mentes transcendere, atque incommutabiles in ipsa manere veritate. Et quia sapere pauci possunt, numerare autem etiam stultis concessum est, mirantur homines sapientiam, numerosque contemnunt. Docti autem & studiosi, quanto remotiores sunt à labe terrena, tanto magis & numerum, & sapientiam in ipsa veritate contuentur, & vtrunque charum habent: & in eius veritatis comparatione non solum eis aurum & argentum, & cætera de quibus homines dimicant, sed ipsi etiam vilescunt sibi. Nec miteris numeros ideo vilescere hominibus, & charam esse sapientiam, quia facilius possunt numerare quàm sapere, cùm videas charius illos habere aurum quàm lumen lucernæ, cui comparatum aurum ridetur. Sed honoratur amplius res longè inferior, quia lucernam sibi & mendicus accendit, aurum verò pauci habent: quanquam sapientia absit vt in comparatione numeri inueniatur inferior, cum eadem sit, si oculus quo cerni possit, inquirat. Sed quemadmodum in vno igne consubstantialis, vt ita dicam, sentitur fulgor & calor, nec separari ab inuicem possunt, tamen ad ea calor peruenit, quæ propè admouentur, fulgor verò etiam longius latiusque diffunditur: sic intelligentiæ potentia, quæ inest sapientiæ, propinquiora feruescunt, sicuti sunt ánimæ rationales: ea verò quæ remotiora sunt, sicuti corpora, non attingit calore sapiendi, sed perfundit lumine numerorum, quod tibi fortassis obscurum est: non enim vlla visibilis similitudo inuisibili rei potest ad omnem conuenientiam coaptari. Tantum illud attende, quod & quæstioni quam suscepimus satis est, & humilioribus etiam mentibus, quales nos sumus, sese manifestat, quia & si clarum nobis esse non potest, vtrum in sapientia, vel ex sapientia numerus, an ipsa sapientia ex numero, an in numero sit, an vtrunque nomen vnius rei possit ostendi, illud certè manifestum est vtrunque verum esse, & incommutabiliter verum.

Sap. 8. a. 1.

CAPVT XII. *Vnã omnium cõmunis summa veritas.*

QVAPROPTER nullo modo negaueris esse incommutabilem veritatem, hæc omnia, quæ incommutabiliter vera sunt continentem, quam non possis dicere tuam vel meam, vel cuiusquam homi-

nis,

nis, ſed omnibus incommutabilia vera cernentibus, tanquam miris modis ſecretum, & publicum lumen præſto eſſe ac ſe præbere communiter: omne autem quod communiter omnibus ratiocinantibus atq; intelligentibus præſto eſt, ad vllius eorum propriè naturam pertinere quis dixerit? Meminiſti enim, vt opinor, quid de ſenſibus corporis paulo antè tractatum ſit: ea ſcilicet quæ oculorum vel aurium ſenſu communiter tangimus; ſicuti ſunt colores & ſoni, quos ego & tu ſimul videmus, vel ſimul audimus, non pertinere ad oculorum noſtrorum auriúmve naturam, ſed ad ſentiendum nobis eſſe communia. Sic ergo etiam illa quæ ego & tu communiter propria quiſque mente conſpicimus, nequaquam dixeris ad mentis alicuius noſtrum pertinere naturam. Duorum enim oculi quod ſimul vident, nec huius nec illius oculos eſſe poteris dicere, ſed aliquid tertium in quod vtriuſque feratur aſpectus. E. Apertiſſimum atque veriſſimum eſt. A. Hanc ergo veritatem, de qua iam diu loquimur, & in qua vna tam multa cõſpicimus, excellentiorem putas eſſe quàm mens noſtra eſt, an æqualem mentibus noſtris, an etiam inferiorem? Sed ſi eſſet inferior, non ſecundum illam, ſed de illa iudicaremus, ſicut iudicamus de corporibus, quia infra ſunt, & dicimus ea plerunque, nõ tantum ita eſſe vel non ita, ſed ita vel non ita eſſe debere: ſic & de animis noſtris non ſolum ita eſſe animum nouimus, ſed plerunque etiam ita eſſe debere. Et de corporibus quidem ſic iudicamus, cùm dicimus minus candidum eſſe quàm debuit, aut minus quadrum, & multa ſimiliter. De animis verò, minus aptus eſt quàm debeat, aut minus lętus, aut minus lenis, aut minus vehemens, ſicut noſtrorum morum ſe ratio tulerit. Et iudicamus hæc ſecundum illas interiores regulas veritatis, quas communiter cernimus: de ipſis verò nullo modo quis iudicat: cùm enim quis dixerit æterna temporalibus eſſe potiora, aut ſeptem & tria decem eſſe; nemo dicit ita eſſe debuiſſe, ſed tantum ita eſſe cognoſcens; non examinator corrigit, ſed tantum lætatur inuentor. Si autem eſſet æqualis mentibus noſtris hæc veritas, mutabilis etiam ipſa eſſet. Mentes enim noſtræ aliquãdo eam minus, aliquando plus vident, & ex hoc fatentur ſe eſſe mutabiles: cum illa in ſe manens nec proficiat cùm plus à nobis videtur, nec deficiat cùm minus, ſed integra & incorrupta, & conuerſos lætificet lumine, & auerſos puniat cæcitate. Quid quòd etiam de ipſis mentibus noſtris ſecundum illam iudicamus, cùm de illa nullo modo iudicare poſſumus? Dicimus enim, minus intelligit quàm debet, aut tantum quãtum debet intelligit. Tantum autem mẽs debet intelligere, quantum propius admoueri atque inhærere potuerit incõmutabili veritati. Quare ſi nec inferior, nec æqualis eſt, reſtat vt ſit ſuperior atque excellentior.

CAP. XIII. Per ſimilia excitamur ad ſummum bonum.

PROMISERAM autem, ſi meminiſti, me tibi demonſtraturum eſſe aliquid, quod ſit mente noſtra atque ratione ſublimius. Ecce tibi eſt ipſa veritas: amplectere illam ſi potes, & fruere illa, & delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Quid enim petis amplius quàm vt beatus ſis? Et quid beatius eo qui fruitur inconcuſſa & incommutabili & excellentiſſima veritate? An verò clamant homines beatos ſe eſſe, cùm pulchra corpora magno deſiderio concupita, ſiue coniugum, ſiue etiam meretricum amplexantur, & nos in amplexu veritatis beatos eſſe dubitamus? Clamant homines ſe beatos eſſe, cũ æſtu aridis faucibus ad fontem abundantem ſalubremq; peruenerũt, aut eſurientes prandiũ cœnámve ornatam copioſamq; reperiũt: & nos negabimus beatos eſſe, cùm irrigamur paſcimurq; veritate? Solemus audire voces clamantium ſe beatos, ſi iaceant in roſis aliisq; floribus, vel etiam vnguentis odoratiſſimis perfruantur. Quid fragrantius, quid iucundius inſpiratione veritatis? Et dubitamus nos cũ ab illa inſpiramur, dicere beatos? Multi beatã vitã in cantu vocum & neruorũ & tibiarũ ſibi conſtituunt, & cũ ea ſibi deſunt, ſe miſeros iudicant, cũ autẽ adſunt, efferũtur lætitia: & nos cũ mentibus noſtris ſine vllo ſtrepitu, vt ita dicã, canorũ & facundũ quoddã ſilentiũ veritatis illabitur, aliam beatã vitam quærimus, & tam certa & præſente nõ fruimur: luce auri & argẽti, luce gemmarũ & aliorum colorũ, ſiue ipſius lucis quæ ad hos oculos pertinet, ſiue in ignibus terrenis, ſiue in ſtellis & luna, vel ſole claritate & iucunditate delectati homines, cùm ab iſta lætitia nullis moleſtiis, nulla indigẽtia reuocantur, beati ſibi videntur, & propter hæc ſemper volũt viuere: & nos in luce veritatis beatam vitam collocare metuimus? Imò verò quoniã in veritate cognoſcitur & tenetur ſummum bonũ, eaq; veritas ſapientia eſt, cernamus in ea, teneamusq; ſummum bonum, eoq; perfruamur. Beatus eſt quippe qui fruitur ſummo bono: hæc enim veritas oſtendit omnia bona, quæ vera ſunt, quæ ſibi pro ſuo captu intelligentes homines, vel ſingula, vel plura eligunt, quibus fruantur. Sed quemadmodũ illi qui in luce ſolis eligunt quod libenter aſpiciant, & eo aſpectu lętificantur, in quibus ſi qui forte fuerint vegetioribus ſanisque & fortiſſimis oculis præditi, nihil libentius quàm ipſum ſolẽ contuẽtur, qui etiam cætera quibus infirmiores oculi delectantur, illuſtrat: ſic fortis acies mentis & vegeta cũ multa vera, & incõmutabilia certa ratione conſpexerit, dirigit ſe in ipſam veritatẽ, qua cuncta monſtrantur, eiq; inhęrens tanquam obliuiſcitur cætera, & in illa ſimul omnibus fruitur. Quicquid enim iucundum eſt in cæteris veris, ipſa vtique veritate iucundum eſt. Hæc eſt libertas noſtra, cùm iſti ſubdimur veritati: & ipſe eſt Deus noſter, qui nos liberat à morte, id eſt à conditione peccati. Ipſa enim Veritas etiã homo cum hominibus loquens, ait credentibus ſibi: Si manſeritis in verbo meo, verè diſcipuli mei eſtis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Nulla enim re fruitur anima cum libertate, niſi qua fruitur cũ ſecuritate. NEMO autem ſecurus eſt in iis bonis quæ poteſt inuitus amittere: veritatem autem atq; ſapientiam nemo amittit inuitus: non enim locis ſeparari ab ea quiſquam poteſt, ſed ea quæ dicitur à veritate atq; ſapientia ſeparatio, peruerſa voluntas eſt, qua inferiora diliguntur. Nemo autem vult aliquid nolens. Habemus igitur qua fruamur omnes æqualiter atque communiter: nullæ ſunt anguſtiæ, nullus in ea defectus. Omnes amatores ſuos nullo modo ſibi inuidos recipit, & omnibus communis eſt, & ſingulis caſta eſt. Nemo alicui dicit: Recede, vt etiam ego accedam: remoue manus, vt etiam ego amplectar. Omnes inhærent, ipſam omnes tangunt. Cibus eius nulla ex parte diſcerpitur: nihil de ipſa bibis quod ego non poſſim. Non enim ab eius communione in priuatum tuum mutas aliquid: ſed quod tu de illa capis, & mihi manet integrum. Quod te inſpirat, non expecto vt reddatur abs te, & ſic ego inſpirer ex eo: non enim aliquid eius aliquando fit cuiuſquam vnius, aut quorundam proprium, ſed ſimul omnibus tota eſt communis. Minus ergo ea quæ tangimus, vel quæ guſtamus, vel quę olfacimus huic ſunt veritati ſimilia, ſed magis ea, quæ audimus & cernimus: quia & omne verbum à quibus auditur, totum auditur ab omnibus, & ſimul à ſingulis totum. Et ſpecies omnis quæ oculis adiacet, quanta videtur ab vno, tãta & ab alio ſimul. Sed multum longo interuallo ſunt iſta ſimilia: nec tota enim ſimul ſonat quælibet vox, quia per tempora tenditur & producitur, & aliud eius prius ſonat, aliud poſterius: & ſpecies omnis viſibilis tanquam intumeſcit per locos, nec vbique tota eſt. Et certè omnia hæc auferuntur inuito, & quo minus

Ioan. 8. d. 31.

CAPVT XIIII. Summum bonum nemo amittit inuitus.

eis frui possimus, quibusdam impedimur angustiis. Nam & si posset esse cuiusquam suauis cantus sempiternus, & studiosi eius certatim ad eum audiendũ venirent, coarctarent, sese atq; pugnarent de locis, quanto plures essent, vt cantanti esset quisq; propinquior, & in audiendo nihil tenerent manere secum, sed omnibus vocibus fugientibus tangerentur. Solem autem istum si vellem intueri, atque id pertinaciter possem, & in occasu me desereret, & subuelaretur nubilo, & multis aliis obstaculis voluptatem videndi eum inuitus amitterem. Postremò etiam si adesset semper suauitas, & lucis videnti, & vocis audienti, quid magnũ ad me perueniret, cùm mihi esset cõmune cum beluis? At illa veritatis & sapientiæ pulchritudo, tantum adsit perseuerans voluntas fruendi, nec multitudine audientium constipata secludit venientes, nec peragitur tempore, nec migrat locis, nec nocte intercipitur, nec vmbra intercluditur, nec sensibus corporis subiacet. De toto mundo ad se conuersis qui diligũt eam, omnibus proxima est, omnibus sempiterna: nullo loco est, nusquam deest: foris admonet, intus docet; cernentes se cõmutat omnes in melius, à nullo in deterius commutatur: nullus de illa iudicat, nullus sine illa iudicat bene. Ac per hoc eam manifestum est mentibus nostris, quæ ab ipsa vna fiunt singulæ sapiẽtes, & non de ipsa, sed per ipsam de cæteris iudicant, sine dubitatione esse potiorem.

Commendatio sapientiæ.

CAP. XV. De summa, quæ Deus est, & humana sapientia.

TV autem concesseras, si quid supra mentes nostras esse mõstrarem, Deum tẽ esse confessurum, si adhuc nihil esset superius. Quam tuam concessionem accipiẽs dixeram satis esse, vt hoc demonstrarem. Si enim aliquid est excellentius, ille potius Deus est: si autẽ non est, iam ipsa veritas Deus est. Siue ergo illud sit, siue non sit, Deum tamen esse, negare non poteris: quæ nobis erat ad differendum & tractandum quæstio constituta. Nam si te hoc mouet quod apud sacrosanctam disciplinam Christi in fidem recepimus, esse patrem sapiẽtiæ: memento nos etiam hoc in fidẽ accepisse, quòd æterno patri sit æqualis quæ ab ipso genita est sapientia. Vnde nunc nihil quærendum est, sed incontusa fide retinẽdum. Est enim Deus: & verè summeq; est. Quod iam non solum indubitatum quantum arbitror fide retinemus, sed etiã certa, quamuis adhuc tenuissima forma cognitionis attingimus, quod quæstioni susceptæ sufficit, vt cætera quæ ad rem pertinent, explicare possimus: nisi quid habes aduersus ista quod opponas. E. Ego verò incredibili omnino, & quam tibi verbis explicare non possum lętitia perfusus accipio ista, & clamo esse certissima. Clamo autem voce interiore, qua exaudiri cupio ab ipsa veritate, & illi inhærere: quod non solum bonũ, sed etiam summum bonum, & beatificum esse concedo. A. Rectè sanè, etiam ego plurimum gaudeo. Sed quæso te, nunquid iam sapientes & beati sumus, an adhuc tendimus eò, vt id nobis esse proueniat? E. Eò nos potius tendere existimo. A. Vnde ergo ista comprehendis, quibus veris certisq; gaudere te clamas, & hoc ad sapientiam pertinere concedis? An quisquam insipiens potest nosse sapientiam? E. Quandiu insipiens est, non potest. A. Tu ergo iam sapiens es, aut nondũ nosti sapientiam. E. Non sum quidem adhuc sapiens, sed nec insipientem me dixerim, inquantum noui sapientiam: quoniam & certa sunt ista quæ noui, & ad sapientiam pertinere, negare non possum. A. Dic quæso te, nónne fateberis eum, qui non est iustus, iniustum esse: & qui non est prudens, imprudentem esse: & qui non est temperans, intemperãtem esse? An dubitari de his aliquid potest? E. Fateor hominem quando iustus non est, iniustũ esse: hoc etiam de prudente & temperante respondẽrim. A. Cur ergo & quando sapiens non est, non sit insipiẽs. E. Hoc quoque fateor, quando quisque sapiens non est, eum esse insipientem. A. Nunc ergo tu quid horũ es? E. Quodlibet horum me appelles nondum audeo me dicere sapientem: & ex iis quæ cõcessi, video esse consequẽs, vt me insipientem non dubitem dicere. A. Nouit ergo insipiens sapientiam. Non enim sicut iam dictum est, certus esses velle te esse sapientem, idque oportere nisi notio sapientiæ menti tibi inhæreret, sicut earum rerum de quibus singillatim interrogatus respondisti, quæ ad ipsam sapientiam pertinent, quarum cognitione lætatus es. E. Ita est vt dicis.

Quisque, sæpe abutitur pro quis.

A. QVID igitur aliud agimus cùm studemus esse sapientes, nisi vt quanta possumus alacritate, ad id quod mente contingimus, totam animam nostram quodammodo colligamus, & ponamus ibi atque stabiliter infigamus, vt non iam priuato suo gaudeat quod implicauit rebus transeuntibus, sed exuta omnibus temporum & locorum affectionibus apprehendat id quod vnum atq; idem semper est. Sicut enim tota vita corporis est anima, sic beata vita animæ Deus est. Quod dum agimus, donec peragamus in via sumus. Et quod istis veris & certis bonis, quamuis adhuc in hoc tenebroso itinere coruscantibns, gaudere concessum est, vide vtrum hoc sit quod scriptum est de sapientia, quid agat cum amatoribus suis cùm ad eam veniunt, & eam quærunt. Dictum est enim: In viis ostendet se illis hilariter, & omni prudentia occurret illis. Quoquò enim te verteris, vestigiis quibusdam quę operibus suis impressit loquitur tibi, & te in exteriora relabentem, ipsis exteriorum formis intrò reuocat: vt quicquid te delectat in corpore, & per corporeos illicit sensus, videas esse numerosum, & quęras vnde sit, & in teipsum redeas, atq; intelligas te id quod attingis sensibus corporis, probare aut improbare non posse, nisi apud te habeas quasdam pulchritudinis leges, ad quas referas quæque pulchra sentis exterius. Intuere cęlum & terram & mare, & quæcunque in eis, vel desuper fulgent vel deorsum repunt vel volant vel natant, formas habent, quia numeros habent: adime illis hæc, nihil erũt. A quo ergo sunt, nisi à quo numerus? quandoquidem intantum illis est esse, inquantum numerosa esse. Et omnium quidem formarũ corporearum artifices homines in arte habent numeros, quibus coaptent opera sua: & tamdiu manus atque instrumenta in fabricando mouent, donec illud quod formatur foris, ad eam quæ intus est lucem numerorum relatum, quantum potest impetret absolutionem, placeatq; per interpretem sensum interno iudici supernos numeros intuenti. Quære deinde artificis ipsius membra quis moueat, numerus erit: nam mouentur etiam illa numerosè. Et si detrahas de manibus opus, & de animo intentionem fabricandi, motusque ille membrorum ad delectationem referatur, saltatio vocabitur. Quære ergo quid in saltatione delectet, respondebit tibi numerus: Ecce sum. Inspice iam pulchritudinem formati corporis, numeri tenentur in loco. Inspice iam pulchritudinem mobilitatis in corpore, & numeri versantur in tempore. Intra ad artem vnde isti procedunt, quære in ea tempus & locum, nunquam erit, nusquam erit, viuit in ea tamen numerus: nec eius regio spatiorum est, nec ætas dierum, & discendę arti tamen cùm se accõmodant, qui se artifices fieri volunt corpus suũ per loca & tempora mouent, animum verò per tempora. Accessu quippe temporis peritiores fiunt. Transcende ergo & animum artificis, vt numerum sempiternum videas: iam tibi sapientia de ipsa interiore sede fulgebit, & de ipso secretario veritatis: quæ si adhuc languidiorem aspectum tuum reuerberat, refer oculum mentis in illam viam, vbi se ostendebat hilariter. Memento sanè distuliſſe te visionem quam fortior saniorque repetas. Væ qui derelinquunt te ducem, & oberrant in vestigis tuis, qui

CAP VT XVI. Numerus erigit animum.

Sap. 6. v. 17.

nutus

nutus tuos pro te amant, & obliuiſcũtur quid innuas. O ſuauiſſima lux purgatæ mentis ſapientia: non enim ceſſas innuere nobis, quæ & quanta ſis. Et nutus tui ſunt omne creaturarum decus. Et artifex enim quodammodo innuit ſpectatori operis ſui de ipſa operis pulchritudine, ne ibi totus hæreat, ſed ſpeciem corporis fabricati ſic percurrat oculis, vt in eũm qui fabricauerit recurrat affectu. Similes autem ſunt hominibus, qui ea quę facis pro te amant, qui cùm audiunt aliquẽ facundum ſapiẽtem, dum nimis ſuauitatẽ vocis eius, & ſtructuras ſyllabarum aptè locatarum auidè audiũt, amittunt ſententiarum principatum, cuius illa verba tanquam ſigna ſonuerunt: Væ qui ſe auertunt à lumine tuo, & obſcuritati ſuæ dulciter inhærẽt. Tanquam enim dorſum ad te ponentes, in carnali opere velut in vmbra ſua defiguntur, & tamẽ etiam ibi quòd eos delectat, adhuc † habent de circumfulgentia lucis tuæ. Sed vmbra dum amatur, languidiorem facit oculum animi, & inualidiorem ad perferendum conſpectum tuum. Propterea magis magisque homo tenebratur, dum ſectatur libentius, quidquid infirmiorem tolerabilius excipit. Ex quo incipit non poſſe videre quòd ſumme eſt, & malum putare quicquid fallit improuidum, aut illicit indigum aut captum excruciat, cũ ea pro merito patiatur auerſionis ſuę, & quicquid iuſtum eſt, malum eſſe non poſſit. Si ergo quicquid mutabile aſpexeris, vel ſenſu corporis, vel animi conſideratione capere non potes, niſi aliqua numerorum forma teneatur, qua detracta in nihil recidat: noli dubitare, vt iſta mutabilia non intercipiantur, ſed dimenſis motibus, & diſtincta varietate formarum, quaſi quoſdam verſus temporum peragant, eſſe aliquam formam æternam & incommutabilem: quæ neq; contineatur, & quaſi diffundatur locis, neque protendatur atq; varietur temporibus, per quam cuncta iſta formari valeant, & pro ſuo genere implere atque agere locorum ac temporum numeros.

CAPVT XVII. *Deus forma incommutabilis, ad quem referendi ſunt omnia.*

OMNIS enim res mutabilis, etiam formabilis ſit neceſſe eſt. Sicut autem mutabile dicimus quod mutari poteſt, ita formabile quòd formari poteſt appellauerim. Nulla autem res formare ſeipſam poteſt: quia nulla res poteſt dare ſibi quod non habet: & vtique vt habeat formã, formatur aliquid. Quapropter quęlibet res ſi quã habet formã, non ei opus eſt accipere quod habet: ſi qua verò non habet formam, non poteſt à ſe accipere quod nõ habet. Nulla ergo res, vt diximus, formare ſe poteſt. Quid autem amplius de mutabilitate corporis & animi dicamus? Superius enim ſatis dictum eſt. Conficitur itaque, vt & corpus & animus forma quadam incommutabili & ſemper manente formentur. Cui formæ dictum eſt: Mutabis ea & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Annos ſine defectu, pro æternitate poſuit prophetica loquutio. De hac item forma dictum eſt, quòd in ſeipſa manens innouet omnia. Hinc etiam comprehẽditur omnia prouidẽtia gubernari. Si enim omnia quæ ſunt, forma penitùs ſubtracta nulla erunt, forma ipſa incommutabilis, per quam mutabilia cũcta ſubſiſtunt, vt formarum ſuarum numeris impleantur & agãtur, ipſa eſt eorum prouidentia: non enim iſta eſſent, ſi illa non eſſet. Intuens ergo & conſiderans vniuerſam creaturam, quicunque iter agit ad ſapientiam, ſentit ſapientiã in via ſe ſibi oſtendere hilariter, & in omni prouidentia occurrere ſibi: & tanto alacrius ardeſcit viam iſtam perãgere, quãto & ipſa via per illã pulchra eſt, ad quã exæſtuat peruenire. Tu autẽ ſi præter id quod eſt, & non viuit, & id quod eſt & viuit, neq; intelligit, & id quod eſt, & viuit & intelligit, inueneris aliquod aliud creaturarum genus, tunc aude dicere aliquod bonum eſſe, quod non ſit ex Deo. Tria enim hæc duobus etiã nominibus enunciari poſſunt, ſi appellẽtur corpus & vita: quia & illa quæ tantùm viuit, neque intelligit, qualis eſt pecorum, & hæc quæ intelligit, ſicuti eſt hominum, rectiſſimè vita dicitur. Hæc autẽ duo, id eſt, corpus & vita, quæ quidem creaturæ deputantur: nam & creatoris ipſius vita dicitur, & ea ſummà vita eſt. Iſtæ igitur duæ creaturæ corpus & vitã quoniam formabilia ſunt, ſicuti ſuperius dicta docuerunt, amiſſaque omnino formà in nihilum recidunt, ſatis oſtendunt ſe ex iſta forma ſubſiſtere, quæ ſemper eiuſmodi eſt. Quamobrem quantacunque bona, quamuis magna, quamuis minima, niſi ex Deo eſſe non poſſunt. Quid enim maius in creaturis, quàm vitã intelligens, aut quid minus poteſt eſſe quàm corpus? Quæ quantumlibet deficiant, & eò tendant vt nõ ſint, tamen aliquid formæ illis remanet, vt quoquo modo ſint. Quicquid autem formæ cuipiam rei deficienti remanet, ex illa forma eſt quæ neſcit deficere, motuſque ipſos rerum deficientium vel proficiẽtium excedere numerorum ſuorum legem non ſinit. Quicquid igitur laudabile aduertitur in rerũ natura, ſiue exigua, ſiue ampla laude dignùm iudicetur ad excellentiſſimam & ineffabilem laudem referendum eſt conditoris: niſi quid habes ad hæc.

CAPVT XVIII. *Et bonis malè vti poſſumus.*

E. SATIS mihi perſuaſum eſſe fateor, & quemadmodum manifeſtum fiat, quantum in hac vita atque inter tales quales nos ſumus poteſt, Deum eſſe, & ex Deo eſſe omnia bona: quandoquidem omnia quæ ſunt, ſiue quæ intelligunt & viuunt & ſunt, ſiue quæ tantum viuunt & ſunt, ſiue quæ tantum ſunt, ex Deo ſunt. Nũc iam tertiam quæſtionem videamus, vtrum expediri poſſit, inter bona eſſe numerandam liberam voluntatem. Quo demonſtrato ſine dubitatione cõcedam, Deum dediſſe nobis eam, darique oportuiſſe. A V. Bene meminiſti propoſita, & ſecũdam quæſtionem iam explicatam vigilanter animaduertiſti: ſed videre debuiſti etiam iſtam tertiam, iam ſolutam. Propterea quippe tibi videri dixeras, dari nõ debuiſſe liberum voluntatis arbitrium, quòd eo quiſque peccat. Cui ſententiæ tuæ cùm ego intuliſſem, rectè fieri non poſſe, niſi eodem libero voluntatis arbitrio, atque ad id potiùs hoc Deum dediſſe aſſeuerarem: reſpondiſti liberam voluntatem ita nobis dari debuiſſe, vt iuſtitia data eſt, qua nemo niſi rectè poteſt vti. Quæ reſpõſio tua in tantos circuitus diſputationis nos ire compulit, quibus tibi probaremus, & maiora & minora bona non eſſe niſi ex Deo. Quod non tam dilucidè oſtendi poſſet, niſi prius aduerſus opiniones impiæ ſtultitiæ, qua dicit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus, qualiſcunque de re tanta pro modulo noſtro inita ratio, eodem ipſo Deo in tam periculoſo itinere nobis opitulãte, in aliquid manifeſtum intenderetur. Quæ duo tamen, id eſt, Deum eſſe & omnia bona ex ipſo eſſe, quanquam inconcuſſa fide etiam antea tenerentur, ſic tamen tractata ſunt, vt hoc quoque tertium, ſcilicet inter bona eſſe numerãdam liberam voluntatem, manifeſtiſſimè appareat. Iam enim ſuperiore diſputatione patefactum eſt, conſtititque inter nos, naturam corporis inferiore gradu eſſe quàm animi naturam, ac per hoc animum maius bonum eſſe quàm corpus. Si ergo in corporis bonis inuenimus aliqua quibus non rectè vti homo poſſit, nec tamen propterea dicimus, non ea dari debuiſſe, quoniam eſſe confitemur bona, quid mirum ſi & in animo ſunt quædam bona, quibus etiam non rectè vti poſſumus: ſed quia bona ſunt, non potuerunt dari niſi ab illo, à quo ſunt omnia bona? Vides enim quantum boni deſit corpori cui deſunt manus, & tamen manibus malè vtitur, qui eis operatur vel ſęua vel turpia. Sine pedibus aliquẽ ſi aſpiceres, fatereris deeſſe integritati corporis plurimum bonum: & tamen eum qui ad nocendum cuipiam, vel ſeipſum dehoneſtandum pedibus vteretur, malè vti pedibus non negares. Oculis hanc

al. habet

Pſal. 101. d. 27.

Sap. 7. d. 27.

Sap. 6. c. 17.

Pſal. 52. a. 1.

hanc lucem videmus,formasque internoſcimus corporum : idque & ſpecioſiſſimum eſt in noſtro corpore , vnde in faſtigio quodam dignitatis hæc membra locata ſunt,& ad ſalutem tuendam,multaque alia vitæ commoda refertur vſus oculorũ,oculis tamen plerique pleraque agunt turpiter, & eos militare cogunt libidini. Et vides quantum bonum deſit in facie , ſi oculi deſint:cùm autem adſunt, quis hos dedit,niſi bonorum omnium largitor Deus? Quemadmodum ergo iſta probas in corpore, & non intuens eos qui malè his vtuntur,laudas illum qui hæc dedit bona: ſic liberam voluntatem ſine qua nemo poteſt rectè viuere,oportet & bonum eſſe , & diuinitus datũ, & potius eos damnandos, qui hoc bono malè vtuntur, quàm eum qui dederit, dare non debuiſſe fatearis. E. Prius ergo vellem,vt mihi probares aliquod bonum eſſe liberam voluntatem, & ego concederem Deum illam dediſſe nobis, quia fateor ex Deo omnia bona eſſe. A. Itáne tandem non probaui tibi tanto molimine ſuperioris diſputationis,cùm omnem ſpeciem formamque corporis à ſumma omnium rerum forma, id eſt, à veritate ſubſiſtere fatereris,& bonum eſſe cõcederes? Nam & capillos noſtros numeratos eſſe , ipſa in Euangelio loquitur Veritas. De numeri autem ſummitate , & à fine vſque ad finem pertendente potentia,quæ locuti fuerimus,excidit tibi? Quæ igitur iſta tanta peruerſitas, capillos noſtros, quamuis inter exigua & omnino abiectiſſima,tamen inter bona numerare,nec inuenire cui autori tribuantur, niſi bonorum omnium conditori Deo , quia & maxima & minima bona ab illo ſunt,à quo eſt omne bonum:& dubitare de libera voluntate,ſine qua rectè viui non poſſe concedũt,etiam qui peſſimè viuunt.Et certè nunc reſpõde quęſo,quid tibi melius eſſe videatur in nobis ,ſine quo rectè viui poteſt , an ſine quo rectè viui non poteſt? E v. Iamiam parce quæſo, pudet cæcitatis. Quis enim ambigat id longè eſſe præſtantius, ſine quo recta vita nulla eſt? A. Iam ergo tu negabis luſcum hominem rectè poſſe viuere? E. Abſit tam immanis amentia. A v. Cùm ergo in corpore oculum concedas eſſe aliquod bonũ , quo amiſſo tamen ad rectè viuendum non impeditur : voluntas libera tibi videtur nullum bonum, ſine qua rectè nemo viuit? Intueris enim iuſtitiã, qua nemo malè vtitur.Hæc inter ſumma bona quæ in ipſo ſunt homine numeratur, omnesq; virtutes animi quibus ipſa recta vita & honeſta conſtat. Nam neque prudentia, neque fortitudine, neque temperantia malè quis vtitur: in his enim omnibus, ſicut in ipſa etiam quam tu commemoraſti iuſtitia, rectè ratio viget, ſine qua virtutes eſſe non poſſunt. Recta autem ratione malè vti nemo poteſt. ISTA ergo magna bona ſunt : ſed meminiſſe te oportet,nõ ſolùm magna, ſed etiam minima bona nõ eſſe poſſe, niſi ab illo à quo ſunt omnia bona, hoc eſt, Deo. Id enim ſuperior diſputatio perſuaſit,cui toties tamque lætus aſſenſus es.Virtutes igitur quibus rectè viuitur,magna bona ſunt : ſpecies autem quorumlibet corporũ , ſine quibus rectè viui poteſt, minima bona ſunt: potẽtiæ verò animæ ſine quibus rectè viui non poteſt,media bona ſunt.Virtutibus nemo malè vtitur: cæteris autem bonis, id eſt, mediis & minimis,non ſolùm bene,ſed etiam malè quiſq; vti poteſt. Et ideo virtute nemo malè vtitur , quia opus virtutis eſt bonus vſus iſtorum, quibus etiam non bene vti poſſumus. Nemo autem bene vtendo malè vtitur. Quare abundantia , & magnitudo bonitatis Dei non ſolùm magna , ſed etiam media & minima bona eſſe præſtitit. Magis laudanda eſt bonitas eius in magnis,quàm in mediis, & magis in mediis quàm in minimis bonis , ſed magis in omnibus , quàm ſi non omnia tribuiſſet. E v. Aſſentior. Sed illud me mouet, quoniam de libera voluntate quæſtio eſt, & videmus ipſam bene vti cæteris vel non bene,quomodo & ipſa inter illa quibus vtimur numeranda ſit. A. Quomodo omnia quæ ad ſciẽtiam cognoſcimus, ratione cognoſcimus,& tamen etiam ipſa ratio inter illa numeratur quæ ratione cognoſcimus. An oblitus es cùm quæreremus quæ ratione cognoſcantur, confeſſum te fuiſſe etiam rationem ratione cognoſci? Noli ergo mirari,ſi cæteris per liberam voluntatem vtimur,etiam ipſa libera voluntate per eam ipſam vti nos poſſe:vt quodãmodo ſe ipſa vtatur voluntas quæ vtitur cæteris, ſicut ſeipſam cognoſcit ratio,quę cognoſcit & cętera. Nam & memoria non ſolùm cætera omnia , quæ meminimus comprehendit,ſed etiam quod non obliuiſcimur nos habere memoriam,ipſa ſe memoria quodammodo tenet in nobis, quæ non ſolùm aliorum, ſed etiam ſui meminit, vel potius nos & cætera & ipſam per ipſam meminimus. Voluntas ergo quæ medium bonum eſt, cùm inhæret incõmutabili bono , eiq; communi non proprio,ſicuti eſt illa de qua multum locuti ſumus , & nihil dignè diximus, veritas, tenet homo beatam vitam: eaque ipſa vita beata,id eſt,animi affectio inhærentis incommutabili bono,proprium & primum eſt hominis bonum. In eo ſunt etiam virtutes omnes,quibus malè vti nemo poteſt. Nam hæc quãuis magna in homine & prima ſint, propria tamen eſſe vniuſcuiuſquè hominis,non communia,ſatis intẽligitur. Veritate enim atque ſapientia,quę communis eſt omnibus, omnes ſapientes & beati fiunt inhærendo illi. Beatitudine autem alterius hominis non fit alter beatus,quia & cùm eum imitatur vt ſit,inde appetit beatus fieri , vnde illum factum videt , illa ſcilicet incommutabili communique veritate. Neque prudentia cuiuſquam fit prudens alius, aut fortis fortitudine , aut temperans temperantia , aut iuſtus iuſtitia hominis alterius quiſquam efficitur:ſed coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum,quæ incorruptibiliter viuunt in ipſa veritate ſapientiaque communi , quibus & ille coaptauit & fixit animum, quem iſtis virtutibus præditum ſibi ad imitandum propoſuit. Voluntas ergo adhærens communi atque incommutabili bono , impetrat prima & magna hominis bona , cùm ipſa ſit medium quoddam bonum. Voluntas autem auerſa ab incommutabili & communi bono , & conuerſa ad proprium bonum , aut ad exterius , aut ad inferius , peccat. Ad proprium conuertitur , cum ſuæ poteſtatis vult eſſe. Ad exterius, cum aliorum propria,vel quæcunque ad ſe non pertinent,cognoſcere ſtudet. Ad inferius,cùm voluptatem corporis diligit:atque ita homo ſuperbus & curioſus & laſciuus effectus , excipitur ab alia vita, quæ in comparatione ſuperioris vitæ mors eſt:quæ tamen regitur adminiſtratione diuinæ prouidentiæ, quæ congruis ſedibus ordinat omnia , & pro meritis ſua cuique diſtribuit. Ita fit, vt neque illa bona quæ à peccantibus appetuntur, vllo modo mala ſint, neque ipſa voluntas libera , quam in bonis quibuſdam mediis numerandam eſſe comperimus ; ſed malum ſit auerſio eius ab incommutabili bono, & conuerſio ad mutabilia bona : quæ tamen auerſio atque conuerſio, quoniam non cogitur , ſed eſt voluntaria , digna & iuſta eam miſeriæ pœna ſubſequitur.

SED tu fortaſſe quæſiturus es, quoniam mouetur voluntas cùm ſe auertit ab incommutabili bono ad mutabile bonum , vnde ei iſte motus exiſtat : qui profectò malus eſt , tametſi voluntas libera , quia ſine illa nec rectè viui poteſt , in bonis numeranda ſit. Si enim motus iſte , id eſt, auerſio voluntatis à Domino Deo, ſine dubitatione peccatum eſt, num poſſumus autorem peccati Deum dicere ? Non erit ergo iſte motus ex Deo. Vnde igitur erit? Ita quærenti tibi , ſi reſpondeam neſcire me , fortaſſe eris triſtior:

Mauth. 10.d. 30.

CAP. XIX. *Magnis bonis nemo malè vtitur.*

Virtutis opus quid. 2. Sent. diſt. 26. cap. antẽ de, & cap. quæritur.

2. Sen. diſt. 26. cap. ſi vero.

CAP. XX. *Homo lapſus, ex ſe nõ poteſt reſurgere.*

1. Retract. cap. 9.

stior: sed tamen vera respondeam. Sciri enim non potest quod nihil est. Tu tantum pietatem inconcussam tene, vt nullum tibi bonum vel sentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo. Ita enim nulla natura occurrit, quæ non sit ex Deo. Omnem quippe rem vbi mensuram & numerum & ordinem videris, Deo artifici tribuere ne cũcteris. Vnde autem ista penitus detraxeris, nihil omnino remanebit: quia etsi remanserit aliqua formæ alicuius inchoatio, vbi neq; mensurá neq; numerum neque ordinem inueniás, quia vbicunque ista sunt, forma perfecta est, oportet auferas etiam ipsam inchoationem formæ, quæ tanquam materies ad perficiendũ subiacere videtur artifici. Si enim formę perfectio bonum est, nonnullũ iam bonum est & formæ inchoatio. Ita detracto penitus omni bono, non quidẽ non nihil, sed omnino nihil remanebit. Omne autem bonum ex Deo: nulla ergo natura est, quæ non sit ex Deo. Motus ergo ille auersionis, quod fatemur esse peccatũ, quoniam defectiuus motus est: omnis autem defectus ex nihilo est: vide quò pertineat, & ad Deum non pertinere ne dubites. Qui tamen defectus quoniam est voluntarius, in nostra est positus potestate. Si enim times illum, oportet vt nolis. Si autem nolis, nõ erit. Quid ergo securius quàm esse in ea vita, vbi non possit tibi euenire quod non vis. Sed quoniam nõ sicut homo spõtè cecidit, ita etiam spõtè surgere potest, porrectã nobis desuper dexteram Dei qui est, Dominum nostrum Iesum Christum fide firma teneamus, & expectemus certa spe, & charitate ardenti desideremus. Si quid autẽ de origine peccati diligẽtius quærendum adhuc putas, nam omnino ego iam opus esse non arbitror; si quid tamen putas, in aliam disputationem differendum est. E. Sequor sanè voluntatẽ tuam, vt in tempus aliud quod hinc moueri possit, differamus. Nam illud tibi non concesserim, vt satis iam inde quæsitum putes.

1. Retract. cap. 9. 1. Sen. dist. 27. cap. si igitur.

A

B

C

D. AVRELII AVGVSTINI
DE LIBERO ARBITRIO, LIB. III.

CAP. I. Vnde sit quod bono deficitur à summo bono.

QVONIAM satis mihi manifestum est, inter bona, & ea quidem non minima, numerandam esse liberam voluntatem, ex quo etiam fateri cogimur eam diuinitus datam esse, dariq; oportuisse: iam si opportunũ existimas, cupio per te cognoscere, vnde ille motus existat, quo ipsa voluntas auertitur à cõmuni atque incommutabili bono, & ad propria vel aliena vel infima, atque omnia commutabilia cõuertitur bona. A v. Quid enim opus est hoc scire? E v. Quia si ita data est, vt naturalem habeat istum motum, iam necessitate ad hæc conuertitur, neque vlla culpa deprehendi potest, vbi natura necessitasq; dominatur. A v. Placétne tibi iste motus, an displicet? E. Displicet. A v. Reprehendis ergo eum? E v. Vtique reprehendo. A v. Reprehendis igitur animi motum inculpabilem? E v. Inculpabilem animi motum non reprehendo, sed nescio an vlla culpa sit, relicto incommutabili bono ad commutabilia conuerti. A v. Reprehendis ergo quod nescis. E. Noli verbo premere: ita enim dixi, Nescio an nulla culpa sit, vt intelligi voluerim sine dubio culpam esse. Nam hoc verbo quod dixi, Nescio, satis profectò irrisi dubitationem de re manifesta. A v. Vide quid sit certissima veritas, quæ te coegit tam citò obliuisci, quod paulo antè dixisti. Si enim natura vel necessitate iste motus existit, culpabilis esse nullo pacto potest: tu verò esse culpabilem ita firmissimè tenes, vt dubitationem de hac re tam certa etiam irridendã putaueris. Cur ergo tibi vel affirmandum, vel certè cùm aliqua dubitatione dicendum visum est, quod perspicuè falsum esse ipse cõuincis? Dixisti enim, Si ita datà est voluntas libera, vt naturalem habeat istum motum, iam necessitate ad hæc conuertitur, neque vlla culpa deprehendi potest, vbi natura necessitasque dominatur. Nullo modo autem dubitare debuisti non esse ita datam, quãdo istum motum culpabilẽ esse non dubitas. E v. Ego ipsum motũ culpabilẽ dixi, & ideò mihi displicere, & reprehendendũ esse dubitare nõ possum: animam verò quæ isto motu ab incõmutabili bono ad cõmutabilia detrahitur, nego esse culpandam, si eius natura talis est, vt eo necessario moueatur. A v. Cuius est iste motus, quẽ profectò culpandum esse concedis? E. In animo eũ video, sed cuius sit nescio. A v. Nunquid negas eo motu animũ moueri? E v. Non nego. A v. Negas ergo motum quo mouetur lapis, motũ esse lapidis? Neq; enim illũ dico motũ quo cum nos mouemur, vel aliqua vi aliena mouetur, veluti cũ in cælũ iacitur, sed eum quo ad terram nutu suo vergit & cadit. E v. Non equidẽ nego motum quo ita vt dicis inclinatur, & ima petit, motum esse lapidis, sed naturalẽ. Si autem hoc modo etiá illum motum habet anima, profectò etiam ipse naturalis est, nec ex eo quod naturaliter mouetur, rectè vituperari potest: quia etiamsi ad perniciem mouetur, naturæ tamen suę necessitate compellitur. Porrò quiá istum motum non dubitamus esse culpabilem, omnimodo negandum est esse naturalẽ: & ideò non est similis illi motui, quo naturaliter mouetur lapis. A v. Egimúsne aliquid superioribus duab⁹ disputationibus? E. Egimus sanè. A v. Credo ergo meminisse te, in prima disputatione satis esse compertum, nulla re fieri mentem seruam libidinis, nisi propria voluntate: nam neq; à superiore, neq; ab æquali eam posse ad hoc dedecus cogi, quia iniustum est, neque ab inferiore, quia nõ potest. Restat igitur vt eius sit proprius iste motus, quo fruendi voluntatem ad creaturam à creatore conuertit: qui motus si culpæ deputatur, vide qui dubitat, irrisione dignus tibi visus est, non est vtiq; naturalis, sed voluntarius: in eoque similis est illi motui quo deorsum versus lapis fertur, quòd sicut iste proprius est lapidis, sic ille animi: veruntamen in eo dissimilis, quòd in potestate nõ habet lapis cohibere motũ quo fertur infetius, animus verò dum nõ vult, non ita mouetur, vt superioribus desertis inferiora deligat: & ideo lapidi naturalis est ille motus, animo verò iste voluntarius. Hinc est quod lapidem si quis dicat peccare, quòd pondere suo tendit in infima, non dicam ipso lapide stolidior, sed profectò demens iudicatur: animũ verò peccati arguimus, cũ eum conuincimus superioribus desertis ad fruendum infetiora præponere. Propterea quid opus est quærere vnde iste motus existat, quo voluntas auertitur ab incõmutabili bono ad commutabile bonum, cũ eum non nisi animi & voluntariũ, & ob hoc culpabilẽ esse fateamur, omnisq; de hac re disciplina vtilis ad id valeat, vt eo motu improbato atq; cohibito, voluntatẽ nostram ad fruẽdum sempiterno bono, à lapsu temporalium conuertamus. E. Video, & quodammodo tango & teneo vera esse quę dicis: non enim quicquam tam firmè atque intimè sentio, quàm me habere voluntatẽ, eaq; me moueri ad aliquid fruendum: quid autẽ meũ dicã, prorsus non inueniò, si voluntas qua volo & nolo non est mea: quapropter cui tribuendum est si quid per illam malè facio, nisi mihi? Cùm enim bonus Deus me fecerit, nec bene aliquid faciam nisi per voluntatẽ, ad hoc potius datam esse à bono Deo, satis apparet: motus autem quo huc atq; illuc voluntas conuertitur, nisi esset voluntarius, atq; in nostra positus potestate, neq; laudandus cũ ad superiora, neq; culpandus homo esset cùm ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis:

Supra lib. 1. cap. 11.

1. Retract. cap. 9.

luntatis: neque omnino monendus esset, vt istis neglectis æterna vellet adipisci, atq; vt malè nollet viuere, vellet autem bene. Hoc autem monendum nō esse hominem, quisquis existimat, de hominum numero exterminandus est. CAP. II. De prouidētia Dei, & humanæ libertate. QVÆ cùm ita sunt, ineffabiliter me mouet, quomodo fieri possit, vt & Deus præscius sit omnium futurorum, & nos nulla necessitate peccemus. Quisquis enim dixerit aliter euenire posse aliquid quàm Deus antè præsciuit, præscientiā Dei destruere insanissima impietate molitur. Quapropter si præsciuit Deus peccaturum esse primū hominem, quod necesse est concedat mihi quisquis mecum omnium futurorum præsciū fatetur Deum: si ergo ita est, non dico non eum faceret, bonum enim fecit, nec obesse quicquam Deo posset peccatum eius quē bonum ipse fecit: imò in quo faciendo bonitatem suam ostenderat, ostendit etiam in puniendo iustitiam, & in liberando misericordiam. Non itaq; dico, non eū faceret: sed hoc dico, quoniam peccaturū esse præsciuerat, necesse erat id fieri, quod futurum esse præsciebat Deus. Quomodo est igitur voluntas libera, vbi tā ineuitabilis apparet necessitas? A. Pulsasti vehementer, † misericordia Dei adsit, aperiatque pulsantibus. Veruntamen maximam partem hominum ista quæstione torqueri non ob aliud crediderim, nisi quia non piè quærunt, velocioresque sunt ad excusationem quàm ad confessionem peccatorum suorum. Aut enim nullam diuinam prouidentiam præesse rebus humanis libenter opinantur, dumq; fortuitis committūt casibus & animos & corpora sua, tradunt se feriendos & dilaniandos libidinibus, diuina iudicia negantes, humana fallentes, eos à quibus accusantur fortunæ patrocinio propulsare se putant: quam tamen cæcam effingere ac pingere consueuerunt, vt aut meliores ea sint à qua se regi arbitrantur, aut se quoque cum eadem cæcitate & sentire ista fateātur & dicere. Nec enim talibus absurdè etiam cōceditur casibus eos agere omnia, quando agendo cadunt. Sed aduersus hanc opinionem plenam stultissimi ac dementissimi erroris, satis (vt arbitror) secunda nostra sermocinatione dissertum est. Alij verò quanquam negare non audeant præsidere humanæ vitæ prouidentiam Dei, malunt tamē eam vel infirmam, vel iniustam, vel malam nefario errore credere, quàm sua peccata pietate supplici confiteri. Qui omnes si persuaderi sibi paterentur, vt cùm de optimo & iustissimo & potentissimo cogitant, bonitatem & iustitiam & potentiam Dei longè maiorem superioremq; esse crederet, quàm quicquid cogitatione concipiunt considerantesque semetipsos, gratias Deo se debere intelligerent, etiamsi aliquid inferius eos voluisset esse quàm sunt, omnibusque ossibus & medullis conscientiæ suæ clamarent: Ego dixi, Domine miserere mei, cura animam meam, quia peccaui tibi: ita certis itineribus diuinæ misericordiæ in sapientia ducerentur, vt neque inuentis rebus inflati, neque nō inuentis turbulenti, & cognoscendo instructiores fierēt ad viuendum, & ad quærendum ignorando mitiores. Tibi verò cui iam hoc persuasum esse non dubito, vide quàm facilè tam de magna quæstione respōdeam, cùm mihi prior interroganti pauca responderis.

† al. misericordiā Dei. Adsit

CAPVT III. Voluntas maximè libera. CERTE enim hoc te mouet, & hoc miraris, quōmodo non sint contraria & repugnantia, vt & Deus præscius sit omnium futurorum, & nos non necessitate, sed voluntate peccemus. Si enim prescius est Deus, inquis, peccaturum esse hominem, necesse est vt peccet: si autem necesse est, non ergo est in peccando voluntatis arbitrium, sed potius ineuitabilis & fixa necessitas. Qua ratiocinatione hoc videlicet ne conficiatur times, vt aut Deus futurorum omniū præscius impiè negetur, aut si hoc negare non possumus, fateamur non voluntate, sed necessitate peccari. An aliquid aliud te mouet? E. Nihil interim aliud. A. Res ergo vniuersas quarum Deus est præscius, nō voluntate sed necessitate fieri putas? E. Omnino ita fieri puto. A. Expergiscere tandem, teque ipsum paululum intuere, & dic mihi, si potes, qualem sis habiturus cras voluntatem, vtrum peccandi, an rectè faciēdi? E. Nescio. AVG. Quid, Deū itidem nescire hoc putas? E V. Nullo modo id putauerim. A V. Si ergo voluntatem tuam crastinam nouit, & omnium hominum, siue qui sunt, siue qui futuri sunt, futuras præuidet voluntates, multò magis præuidet quid de iustis impiisque facturus sit. E V. Prorsus si meorum operum præscium Deum dico, multò fidentius eum dixerim prescire opera sua, & quid sit facturus certissimè præuidere. AVG. Nónne igitur caues, ne tibi dicatur, etiam ipsum quęcunq; facturus est, non voluntate sed necessitate facturum, si omnia quorum Deus præscius est, necessitate fiunt, non voluntate? E V. Ego cùm dicerem necessitate vniuersa fieri, quæ Deus futura præsciuit, ea sola intuebar, quæ in creatura eius fiunt, non autē quæ in ipso: non enim ea fiunt, sed sunt sempiterna. AVG. Nihil ergo in sua creatura operatur Deus? E V. Iam semel statuit quemadmodum feratur ordo eius vniuersitatis quam condidit: neque enim aliquid noua voluntate administrat. A V. Nunquid neminem beatum facit? E. Facit verò. A. Tunc vtique facit, quando ille fit. E. Ita est. A V. Si igitur, verbi gratia, post annum beatus futurus es, post annum te beatum facturus est. E V. Etiam. A V. Iam ergo præscit hodie, quid post annum facturus est. E. Semper hoc præsciuit: nunc quoq; hoc eum præscire consentio, si est ita futurum. A V. Dic quæso, num tu creatura eius non es, aut tua beatitudo non in te fiet? E V. Imò & creatura eius sum, & in me fiet quod beatus ero. A V. Non ergo voluntate sed necessitate in te fiet beatitudo tua Deo faciente. E V. tu ergo inuitus beatus es? Volūtas illius mihi est necessitas, si enim mihi esset potestas vt essem beatus, iam profectò essem: volo enim etiam nunc & non sum, quia non ego, sed ille me beatum facit. AVG. Optimè de te veritas clamat: Non enim posses aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cùm volumus facimus: quapropter nihil tam in nostra potestate, quàm ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo interuallo mox, vt volumus præsto est. Et ideo rectè possumus dicere, non voluntate viuimus, sed necessitate, aut non voluntate morimur, sed necessitate, & si quid aliud huiusmodi. Non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere? Quamobrem quamuis præsciat Deus nostras voluntates futuras: non ex eo tamen conficitur, vt non voluntate aliquid velimus. Nam & de beatitudine quod dixisti, non abs teipso beatum fieri, ita dixisti, quasi hoc ego negauerim: sed dico, cùm futurus es beatus, non te inuitum, sed volentem futurum. Cùm igitur præscius Deus sit futurę beatitudinis tuæ, nec aliter aliquid fieri possit quàm ille præsciuit, alioquin nulla præscientia est, non tamen ex eo cogimur sentire, quod absurdissimum est, & longè à veritate secluſum, non te volentem beatum futurum. Sicut autem voluntatem beatitudinis cùm esse cœperis beatus, non tibi aufert præscientia Dei, quæ hodie de tua futura beatitudine certa est: sic etiam voluntas culpabilis, si qua in te futura est, non propterea voluntas non erit: quoniam Deus eam futuram esse præsciuit. Attende enim quæso quanta cæcitate dicatur, si præsciuit Deus futuram voluntatem meam, quoniam nihil aliter potest fieri quàm præsciuit, necesse est vt velim quod ille præsciuit: si autem necesse est, non iam voluntate, sed necessitate id me velle fatendum est. O stultitiam singularem. Quomodo ergo non potest aliud fieri quàm præsciuit Deus, si volūtas non erit, quam voluntatem futu-

1. Retract. cap. 9. 2. Sent. dist. 28. cap. alibi. 2. Sent. dist. 4. 41. cap. si autem.

futuram ille præsciuerit? Omitto illud æquè monstruosum, quod paulo antè dixi eũdem hominem dicere, necesse est vt ita velim, qui necessitate superposita auferre nititur voluntatem. Si enim necesse est vt velit, vnde volet cùm voluntas non erit? Quòd si non hoc modo dixerit, sed dixerit se, quia necesse est vt velit, ipsam voluntatem in potestate non habere, occurretur ex eo quod ipse dixisti, cum quærerem vtrum inuitus beatus sis futurus: respõdisti enim quod iam esses beatus, si potestas esset in te: velle enim te, sed nondum posse dixisti. Vbi ego subieci de te clamasse veritatem: non enim negare possumus habere nos potestatem, nisi cum nobis quod volumus deest: dum autem volumus, si ipsa voluntas deest nobis, non vtiq; volumus. Quod si fieri non potest, vt dum volumus non velimus, adest vtique voluntas volentibus: nec aliud quicquam est in potestate, nisi quod volentibus adest. Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porrò quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus. Ita fit vt & Deum nõ negemus esse præscium omnium futurorum, & nos tamen velimus quod volumus. Cùm enim sit præscius voluntatis nostræ, cuius est præscius, ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit. Ergo & potestatis est præscius. Non igitur per eius præscientiam mihi potestas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cuius præscientia non fallitur, ad futuram mihi esse præsciuit. E. Ecce iam non nego ita necesse esse fieri quæcunque præsciuit Deus, & ita cum peccata nostra præscire, vt maneat tamen nobis voluntas libera, atque in nostra posita potestate.

CAP. IIII. *Præscientia Dei non obstat libero arbitrio.*

A. QVID ergo te mouet? an fortè oblitus, quid prima nostra disputatio petegerit, negabis nullo cogente, aut superiore, aut inferiore, aut æquali, sed ea nos voluntate peccare? E. Nihil horum prorsus audeo negare: sed tamen fateor, nondum video quomodo sibi non aduersentur hæc duo, præscientia Dei de peccatis nostris, & nostrum in peccando liberum arbitrium. Nam & iustum Deum necesse est fateamur, & præscium. Sed scire vellem, qua iustitia puniat peccata, quæ necesse est fieri: aut quomodo non sit necesse fieri, quæ futura esse præsciuit: aut quomodo non creatori deputandum est, quicquid in eius creatura fieri necesse est. A. Vnde tibi videtur aduersum esse liberum arbitrium nostrum præscientiæ Dei. Quia præscientia est, an quia Dei præscientia est? E. Quia Dei potius. A. Quid ergo si tu præscieris peccaturum esse aliquem, non esset necesse vt peccaret? E. Imò necesse esset vt peccaret. Non enim aliter esset præscientia mea, nisi certa præscirem. A. Non igitur quia Dei præscientia est, necesse est fieri quæ præscierit, sed tantummodo quia præscientia est. Quæ si non certa prænoscit, vtique nulla est. E. Consentio. Sed quorsum ista? A. Quia nisi fallor, non continuò tu peccare cogeres, quem peccaturum esse præscires. Neque ipsa præscientia tua peccare eum cogeret, quamuis sine dubio peccaturus esset. Non enim aliter id futurum esse præscires. Sicut itaque non sibi aduersantur hæc duo, vt tu prescientia tua noueris, quod alius sua voluntate facturus est, ita Deus neminem ad peccatum cogens, præuidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet iustus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. Et sicut tu quædam quæ fecisti meministi, nec tamen quæ meministi omnia fecisti: ita Deus omnia quorum ipse autor est præscit, nec tamen omnium quæ præscit ipse autor est. Quorum autem non est autor, iustus est vltor. Hinc ergo iam intellige, quâ iustitia Deus peccata puniat, quia quæ nouit futura non facit: nam si propterea nõ debet retribuere supplicium peccantibus, quia præuidet peccaturos, nec rectè facientibus debet præmia retribuere, quia & rectè facturos nihilominus præuidet. Imò verò fateamur, & ad præscientiam eius pertinere, ne quid eum lateat futurorum, & ad iustitiam, vt peccatum, quia voluntate committitur, ita iudicio eius impunè non fiat, sicut præscientia non cogitur fieri.

CAP. V. *Cur etiam damnandas animas curat Deus.*

IAM illud quod tertio loco posuisti, quomodo non creatori deputandum sit, quicquid in eius creatura fieri necesse est, regula illa pietatis facilè commonebit, quam meminisse nos conuenit, gratiarum actiones nos debere creatori nostro. Cuius profectò largissima bonitas iustissimè laudaretur, etiamsi aliquo inferiore creaturæ gradu nos condidisset. Quamuis enim anima nostra peccatis tabefacta sit, sublimior est tamen & melior, quam si in hanc lucem visibilem verteretur. Et vides profectò de huius lucis eminentia, quantum laudent animæ Deum etiam corporis sensibus deditæ. Quapropter non te iam moueat, quòd vituperantur animæ peccatrices, vt dicas in corde tuo, melius fuisse, si non essent. In sui enim comparatione vituperantur, dum cogitatur quales essent, si peccare noluissent. Institutor tamen earum Deus præclarissimè pro humana facultate laudandus est, non solum quoniam peccantes eas iustè ordinat, sed etiam quia tales instituit, vt etiam peccatis sordidatæ, nullo modo lucis corporalis dignitate superentur, de qua tamen iure laudatur. Illud quoque moneo caueas, ne fortè non dicas quidem melius fuisse vt non essent, sed dicas aliter fieri eas debuisse. Quicquid enim tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tãquam bonorum omnium conditorem. Non est autem vera ratio, sed inuidiæ infirmitas, cùm aliquid melius faciendum fuisse cogitaueris, iam nihil aliud inferius velle fieri, tanquam si perspecto cælo, nolles terram factam esse, iniquè omnino. Rectè enim reprehenderes, si prætermisso cælo terram factam videres, quoniã diceres ita eam fieri debuisse, sicuti posses cogitare cælum. Cùm ergo etiam illud ad cuius speciem volebas terram perducere, factum esse perspiceres, non autem hoc terram, sed cælum vocari: credo quòd re meliore non fraudatus, vt inferior quoque aliqua fieret & terra esset, nequaquam inuidere deberes. In qua terra rursus secundum partes eius tanta est varietas, vt nihil quod ad terræ pertinet speciem cogitanti occurrat, quod non in tota eius mole Deus omnium conditor fecerit. Namque à terra feracissima & amœnissima vsque ad salsissimam & infœcundissimam, ita gradatim per medias peruenitur, vt nullam reprehendere audeas, nisi in comparatione melioris. Atque ita per omnes gradus laudis ascendas, vt quod summum genus terræ inueneris, solum tamen esse nolis. Iam verò inter totam terram & cælum quanta distantia est? Interponuntur enim humida flabilisque natura. Atque ex his quatuor elementis aliæ innumerabiles nobis, numeratæ autem Deo rerum species formæque variantur. Potest ergo esse aliquid in rerum natura, quod tuæ ratione non cogitas. Non esse autem, quod vera ratione cogitas, non potest. Neque enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare, quod creaturæ artificem fugerit. Humana quippe animæ naturaliter diuinis ex quibus pendet connexa rationibus, cùm dicit, melius hoc fieret quàm illud: si verum dicit, & videt quod dicit, in illis quibus connexa est rationibus videt. Credat ergo Deum fecisse, quod vera ratione ab eo faciẽdum fuisse cognouit, etiam si hoc in rebus factis non videt. Quia etiam si cælum oculis videre non posset, & tamen ratione vera tale aliquid faciendum fuisse

colligo-

colligeret, credere debuit factum esse, quàuis id oculis non videret. Non enim cogitatione videret fuisse faciendum, nisi in iis rationibus quibus facta sunt omnia. Quod autem ibi non est, tam nemo potest veraci cogitatione videre, quàm non est verum. In eo plerique homines errant, quia meliora cum mente conspexerint, non in sedibus congruis ea oculis quærunt. Velut si quisquam perfectam rotunditatem ratione comprehendens, stomachetur quòd talem in nuce non inuenit, si nullum vnquam corpus rotundum præter huiuscemodi poma conspexit. Nam ita quidam cum ratione verissima videant meliorem esse creaturam, quæ quamuis habeat liberam voluntatem, Deo tamen semper infixa, nunquam peccauerit, intuentes peccata hominum, non vt peccare desinant, sed quia facti sunt dolent, dicentes: Tales nos faceret, vt semper incommutabili eius veritate perfrui, nunquam autem peccare vellemus. Non clament, non succenseant: quia neque ipsos ideo coegit peccare, quia fecit, quibus potestatem vtrum vellent dedit: & sunt tales quidam angeli, qui neque peccauerunt vnquam, neque peccaturi sunt. Quamobrem si te delectat creatura, quæ perseueranti issima voluntate non peccat, non est dubitandum quod eam peccanti recta ratione præponas: sed sicut eam tu cogitatione præponis, sic eam creator Deus ordinatione præposuit. Crede esse talem in superioribus sedibus, & in sublimitate cælorum: quia si bonitatem conditor præbuit ad eam condendam, cuius præuidit futura peccata, nullo modo non præberet eam bonitatem, vt creaturam conderet, quam peccaturam non esse præsciuit. Habet enim illa sublimis perpetuam beatitudinem suam, in perpetuum fruens creatore suo, quem perpetua tenendæ iustitiæ voluntate promeretur. Habet deinde ordinem suum etiam ista peccatrix, amissa in peccatis beatitudine, sed non dimissa recuperandæ beatitudinis facultate, quæ profectò superat eam, quàm peccandi perpetua voluptas tenet. Inter quam & illam priorem permanentem in voluntate iustitiæ, hæc medietatem quandam demonstrat, quæ pœnitendi humilitate altitudinem suam recipit. Nam neque ab illa creatura, quam præsciuit Deus non solùm peccaturam, sed etiam in peccandi voluntate mansuram, abstinuit largitatem bonitatis suæ, vt eam non conderet. Sicut enim melior est, vel aberrans equus quàm lapis, propterea non aberrás, quia proprio motu & sensu caret: ita est excellentior creatura, quæ libera voluntate peccat, quàm quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem. Et sicut laudarem vinum in suo genere bonum, in quo vino inebriatũ hominem vituperarem, & tamen eundẽ hominem iam vituperatum, & adhuc ebrium, laudato illi vino, de quo ebrius factus est, anteponerem: ita corporalis creatura in suo gradu iure laudanda est, cùm illi vituperandi sint, qui eius immoderato vsu à veritatis perceptione auertuntur: quamuis ijdem rursus iam peruersi, & quodam modo temulenti, eidem creaturæ in ordine suo laudabili, cuius auiditate euanuerunt, non iam meritò vitiorum, sed adhuc naturæ dignitate præferuntur. Quia igitur omnis anima omni corpore est melior, omnisque peccatrix anima quocunque ceciderit, nulla commutatione corpus efficitur, nec omnino illi aufertur quod anima est, & ideo nullo pacto amittit, quod corpore est melior, in corporibus autem lux tenet primum locum, consequens est, vt primo corpori anima extrema præponatur, fierique possit, vt corpori alicuius animæ aliquod aliud corpus anteferatur, vt autem ipsi animæ nullo modo. Cur ergo non laudetur Deus, & ineffabili prædicatione laudetur, qui cùm fecerit eas quæ in legibus essent iustitiæ permansuræ, fecit etiam alias animas, quas vel peccaturas, vel in peccatis etiam perseueraturas esse præuidebat: cùm & tales adhuc meliores sint eis, quæ quòniam nullum habent rationale ac liberum voluntatis arbitrium, peccare non possunt? Quæ tamen adhuc etiam ipsæ meliores sunt quàm corporum quorumlibet quamlibet splendidissimus fulgor, quem pro ipsius summi Dei substãtia quidam, quamuis cum magno errore, venerantur. Quod si in ordine corporearum creaturarum ab ipsis siderũ choris vsque ad numerum capillorum nostrorum, ita gradatim bonarum rerum pulchritudo contexitur, vt imperitissimè dicatur, quid est hoc? vt quid hoc? omnia enim ordine suo creata sunt: quanto imperitius de quacunque anima dicitur, quæ ad quantamlibet sui decoris diminutionem defectumque peruenerit, omnium corporum dignitatem sine vllà dubitatione superauit? Aliter enim æstimat ratio, aliter vsus. Ratio æstimat luce veritatis, vt recto iudicio subdat minora maioribus. Vsus autem consuetudine commoditatis plerunque inclinatur, vt ea pluris æstimet quæ veritas minora esse conuincit. Cùm enim corpora cælestia corporibus terrestribus magna differentia ratio præponat, quis tamen carnalium hominum non mallet, vel plura deesse in cælo sydera, quàm vnã arbusculam in agro suo, aut vaccam in armento? Sed sicut ætate maiores homines vel omnino contemnunt, vel certè patienter corrigenda expectant iudicia paruulorum, qui exceptis quibusdam, quorum amore lætantur, quemlibet hominum cæterorum mori malint, quàm passerem suum, & multo magis si homo sit ille terribilis, passer autem canorus & pulcher: ita ij qui prouectu animi ad sapientiam profecerunt, imperitos rerum æstimatores cùm inuenerint Deum laudantes in creaturis minoribus, qui eas carnalibus suis sensibus accommodatius adhibent, in superioribus verò atque melioribus, partim eum non laudantes, minúsve laudantes, partim etiã vituperare aut emendare conantes, partim non credentes, quòd earum ille sit conditor, talium iudicia vel omnino contemnere, si corrigere nequeunt, vel donec corrigant, æquo animo tolerare ac sustinere consuescant.

CAP. VI. *Peccata Dei præscienti non imputanda.*

QVÆ cùm ita se habeant, tantum abest à vero, quòd creatori deputanda existimantur peccata creaturæ, quamuis necesse est fiant, quæ ipse futura præsciuit, vt cùm tu dixeris non te inuenire quomodo non ei deputetur quicquid in eius creatura fieri necesse est, ego contrà non inueniam modum, neque inueniri posse atque omnino non esse confirmem, quo ei deputetur quicquid in eius creatura ita fieri necesse est, vt voluntate peccantium fiat. Si enim quis dixerit, non esse quàm miserum me esse mallem. Respondebo, mẽtiris. Nam & nunc miser es, nec ob aliud mori non vis, nisi vt sis. Ita cùm miser nolis esse, esse vis tamen. Age igitur gratias ex eo quod es volens, vtquod inuitus es auferatur. Volens enim es, & miser inuitus es. Quod si ingratus es, in eo quod esse vis, iure cogeris esse quod nõ vis. Ex illo igitur quod etiam ingratus habes quod vis, creatoris laudo bonitatem. Ex illo autem quòd pateris ingratus quod non vis, ordinatoris laudo iustitiam. Si dixeris: Non ideo mori nolo, quod malim miser esse quàm omnino non esse, sed ne post mortem miserior sim: Respondebo, Si hoc iniustum est, non sic eris: si autem hoc iustum est, laudemus eum cuius legibus sic eris. Si dixeris: vnde præsumam quod si hoc iniustum est, non sic ero? Respondebo: quia si eris in tua potestate, aut miser non eris, aut tu ipse te iniustè regendo, iustè eris miser: aut volendo & non valendo te iustè regere, non eris in tua potestate, & aut in nullius eris, aut in alterius. Si in nullius, aut inuitus, aut volens. Sed inuitus esse nihil potes, nisi te vis aliqua superauerit. Porrò nulla vi superari potest, qui est in

est in nullius potestate, si autem volens in nullius eris potestate, ad hoc ratio recurrit, vt sis in tua. Et aut te iniustè regendo iustè miser sis: aut quoniam quodlibet volens eris, habes adhuc vnde gratias agas bonitati conditoris tui. Quod si in tua potestate non eris, aut potentior profectò, aut infirmior te habebit in potestate. Quod si infirmior, tua culpa & iusta miseria. Poteris enim infirmiorem superare si voles. Si autem potentior te infirmiorem habebit in potestate, nullo modo tam rectam ordinationem rectè iniustam putabis. Verissimè igitur dictum est: Si hoc iniustum est, non sic eris: si autem iustum, laudemus eum cuius legibus sic eris.

CAP. VII. *Esse & felices & miseri cupimus.*

SI dixeris: Ideo magis volo vel miser esse, quàm omnino non esse, quia iam sum: si autem prius quàm essem possem consuli, eligerē non esse potius, quàm vt essem miser. Nunc enim quod timeo non esse cùm miser sim, ad ipsam miseriam pertinet, qua non id volo, quod velle deberem, magis enim non esse, quàm miser esse velle deberem. Nunc verò fateor me quidem malle vel miserum esse, quàm nihil, sed tanto stultius id volo, quanto miserius. Tanto miserius autem, quanto verius video non hoc me velle debuisse. Respondebo, Caue potius ne hic erres, vbi te videre verum putas: nam si beatus esses, vtique esse quàm non esse malles. Et nunc miser cùm sis, mauis tamen esse vel miser, quàm omnino non esse, cùm esse nolis miser. Considera igitur quantū potes, quàm magnum bonum sit ipsum esse, quod & beati & miseri volunt. Nam si hoc bene consideraueris, videbis te intantum esse miserum, inquantum non propinquas ei quod summe est: intantum autem putare melius esse, vt quisque non sit, quàm vt miser sit, inquantum non vides quod summe est: & ideo tamen te esse velle, quoniam ab illo es qui summe est. Si vis itaque miseriam fugere, ama in te hoc ipsum, quia esse vis. Si enim magis magisq; esse volueris, ei quod summe est, propinquabis. Et gratias age nunc quia es. Quamuis enim beatis sis inferior, superior tamen es quàm ea quæ non habent, vel beatitudinis voluntatē, quorum tamen multa etiam à miseris laudantur. Omnia tamē eo ipso quo sunt, iure laudanda sunt: quia eo ipso quo sunt, bona sunt. Quanto enim amplius esse amaueris, tanto amplius vitam æternam desiderabis, teque ita formari exoptabis, vt affectiones tuæ non sint temporales, de temporalium rerum amoribus inustæ & impressæ: quæ temporalia & antequam sint non sunt, & cùm sunt fugiunt, & cùm fugerint non erunt. Itaque cùm futura sunt, nondum sunt, cùm autem præterita sunt, iam non sunt. Quomodo igitur tenebuntur vt maneant, quibus hoc est incipere vt sint, quod est pergere vt non sint. Qui autem amat esse, probat ista inquantum sunt, & amat quod semper est. Et si variabatur in amore istorum, munietur in illius. Et si diffluebat in amore transeuntium, in permanentis amore solidabitur & stabit, & obtinebit ipsum esse quod volebat, cùm timebat nō esse, & stare non poterat irretitus amore fugientium. Non igitur tibi displiceat, imò maximè placeat, quod mauis esse vel miser, quā propterea miser non esse, quia nihil eris. Huic enim exordio quo esse vis, si adijcias magis magisque esse consurgis atque extrueris in id quod summe est: atq; ita te ab omni labe cohibebis, qua tranſit vt non sit quod infime est, & secum amantis vires subruit. Hinc fiet vt qui mauult non esse ne miser sit, quia non esse non potest, restet vt miser sit. Qui autē plus amat esse quàm odit miser esse adijciendo ad id quod amat, quod odit excludat. Cùm enim in suo genere perfectè esse cœperit, miser non erit.

CAPVT VIII. *De iis qui sibi mecem conscifcunt.*

NAM illud vide quàm absurdè & inconuenienter dicatur: Mallē non esse, quàm miser esse. Qui enim dicit, Mallem hoc quàm illud: eligit aliquid. Non esse autem nō est aliquid, sed nihil: & ideo nullo pacto potes rectè eligere quando quod eligas nō est. Dicis velle te quidem esse cùm sis miser, sed non hoc velle debuisse. Quid igitur velle debuisti? Non esse, inquis, potius. Si hoc velle debuisti, hoc est melius. Quod autem nō est, melius esse non potest. Non ergo id velle debuisti: veraciorq; sensus est, quo id non vis, quàm opinatio per quam te id velle debuisse arbitraris. Deinde quod quisque rectè eligit appetendum, cùm ad id peruenerit, necesse est melior fiat. Melior autem esse non poterit, qui non erit. Nemo igitur rectè potest eligere vt non sit. Neque enim moueri nos oportet eorum iudicio, qui vrgente miseria sese interemerunt. Aut enim eō confugerunt, vbi melius fore sibi putarunt, & non est contrariū rationi nostræ, quoquo modo putauerint. Aut si nullos se futuros omnimodò crediderunt, multo minus falsa electio nihil eligentium cōmouebit. Quomodo enim sequar eligentem, à quo si quęram quid eligat, respondebit nihil? Nam qui eligit non esse, profectò se nihil eligere, etiam si hoc nolit, respondere cōuincitur. Veruntamen vt de hac tota re, si potero, dicam quod sentio. Nemo mihi videtur cùm seipsum necat, aut quolibet modo emori cupit, habere in sensu, quod post mortem nō sit futurus: tametsi aliquantū hoc in opinione habeat. Nam opinio aut in errore, aut in veritate ratiocinantis est, vel credentis: sensus autem aut consuetudine aut natura valet. Posse autem fieri vt aliud sit in opinione, aliud in sensu, vel ex hoc cognoscere facile est, quòd plerunque aliud faciendum esse credimus, & aliud facere delectat. Et aliquando veracior est sensus quàm opinio, si illa de errore, ille de natura est: velut cùm æger plerunque frigida conducibiliter delectatur, quam tamen credit, si biberit, esse nocituram. Aliquando veracior opinio quàm sensus, si credit arti medicinæ, obesse frigidam, cū reuera obest, & tamen bibere delectet. Aliquando vtrumque in veritate est, cùm id quod prodest, non solum ita creditur, sed etiam libet. Aliquando vtrunque in errore est, cùm id quod nocet, & prodesse creditur, & libere non desinit. Solet autem & recta opinio prauam corrigere consuetudinem, & praua opinio rectam deprauare naturam. Tanta vis est in dominatu & principatu rationis. Cùm ergo quisque credens, quod post mortē non erit, intolerabilibus tamen molestiis ad totam cupiditatem mortis impellitur, & decernit atq; arripit mortem, in opinione habet errorem omnimodę defectionis, in sensu autem naturale desideriū quietis. Quod autem quietum est, non est nihil, imò etiam magis est quàm id quod inquietum est. Inquietudo enim variat affectiones, vt altera alteram perimat: quies autem habet cōstantiam, in qua maximè intelligitur esse quod dictum est. Omnis itaque ille appetitus in voluntate mortis, non vt qui moritur nō sit, sed vt requiescat intenditur. Ita cum errore credat non se futurum, natura tamen quietus esse, hoc est magis esse desiderat. Quapropter sicut nullo pacto fieri potest, vt non esse aliquem libeat: ita nullo pacto fieri oportet, vt ex eo quod est quisque, bonitati creatoris ingratus sit.

CAP. IX. *Etiam mala faciunt ad decorum vniuersi.*

SI dixerit, non erat tamē difficile aut laboriosum omnipotenti Deo, vt omnia quæcunque fecit sic haberent ordinem suum, vt nulla creatura vsque ad miseriam perueniret. Non enim hoc aut omnipotens non potuit, aut bonus inuidit. Respondebo, ordinem creaturarum à summa vsq; ad infimam gradibus iustis ita decurrere, vt ille inuideat qui dixerit, ista non esset: inuideat etiā ille qui dixerit, ista talis esset. Si enim talem vult esse qualis est superior, iam illa est, & tanta est, vt adijci ei non oporteat, quia perfecta est. Qui ergo dicit, etiam ista talis esset, aut perfectę superiori vult addere, & erit immoderatus & iniustus: aut istā vult interimere, & erit malus atq; inuidus. Qui autē dixerit,

ista non esset, nihilominus erit malus atque inuidus, A cùm eam nō vult esse, qua inferiorem laudare adhuc cogitur. Velut si dicat, nō esset luna, cùm etiam lucernæ claritatem longè inferiorem, in suo tamen genere pulchram, & terrenis tenebris decoram, atque aptam nocturnis vsibus, atq; in his omnibus pro suo modulo vtiq; laudabilem aut fateatur, aut stultissimè vel contentiosè neget. Quomodo ergo rectè dicere audebit, luna non esset in rebus: qui si diceret, lucerna non esset: deridendum se esse sentiret? Quod si non dicit, luna non esset, sed qualem solem videt, talem dicit lunam esse debuisse: non intelligit nihil aliud se dicere, quàm non esset luna, sed essent soles duo. In quo dupliciter errat, quòd rerū perfectioni & addere aliquid cupit, cùm desiderat alterum solem: & minuere, cùm lunam vult detrahi. Hic fortasse dicat, ideo nihil se de luna conqueri, quia splendor eius ita minor est, vt miser non sit, de animarum autem non obscuritate, sed miseria se dolere: sedulò cogitet, ita lunæ splendorem B non esse miserum, vt nec splendor solis sit beatus. Quamuis enim corpora cælestia sint, corpora sunt tamen quantum ad lucem istam pertinet, quæ per corporeos oculos sentiri potest. Nulla autem corpora quātum ad sese attinet, vel beata possunt esse, vel misera: quanquam beatorum aut miserorū corpora possint esse. Sed de illis luminibus similitudo adhibita id docet, vt quemadmodum corporum differētias contemplando, videns alia clariora, iniustè petis auferri quæ obscuriora conspexeris, aut clarioribus adæquari: sed ad perfectionem vniuersitatis referens omnia, quanto magis minúsve inter se clara sunt, tanto magis cernis esse omnia: nec tibi occurrit perfecta vniuersitas, nisi vbi maiora sic præsto sunt, vt minora non desint: sic etiam differentias animarum cogites, in quibus hoc quoque inuenies, vt miseriam quam doles, ad id quoq; valere cognoscas, vt vniuersitatis perfectioni, nec illæ desint animæ, quæ miseræ fieri de- C buerunt, quia peccatrices animæ esse voluerunt. Tantumque abest vt Deus tales facere non debuerit, vt etiam cæteras creaturas laudabiliter fecerit longè inferiores animis miseris. Sed adhuc videtur minus intelligens quod dictum est, habere quod contradicat. Dicit enim: Si vniuersitatis perfectionem complet etiam nostra miseria, defuisset aliquid huic perfectioni, si beati semper essemus. Quapropter si ad miseriam nisi peccando non peruenit anima, etiam peccata nostra necessaria sunt perfectioni vniuersitatis quā condidit Deus. Quomodo ergo iustè peccata punit, quæ si defuissent, creatura eius plena & perfecta non esset? Hic respōdetur, non ipsa peccata vel ipsam miseriam perfectioni vniuersitatis esse necessaria, sed animas in quantum animæ sunt: quæ si velint, peccant: si peccauerint, miseræ fiunt. Si enim peccatis earum detractis miseria perseuerat, aut etiam peccata præcedit, rectè deformari dicitur ordo atque administratio vniuersi- D tatis. Rursus si peccata fiāt, & desit miseria, nihilominus dehonestat ordinem iniquitas. Cùm autem non peccantibus adest beatitudo, perfecta est vniuersitas. Cùm verò peccātibus adest miseria, nihilominus perfecta est vniuersitas. Quòd autē ipsæ non desunt animæ, quas vel peccantes sequitur miseria, vel rectè facientes beatitudo, semper naturis omnibus vniuersitas plena atque perfecta est. Non enim peccatum & supplicium peccati naturæ sunt quædam, sed affectiones naturarum, illa voluntaria, ista pœnalis. Sed voluntaria quæ in peccato fit, turpis affectio est. Cui propterea pœnalis adhibetur, vt ordinet eam, vbi talē esse non turpe sit, & decori vniuersitatis congruere cogat, vt peccati dedecus emendet pœna peccati. Hinc fit vt peccās creatura superior à creaturis inferioribus puniatur, quia illæ tam sunt infimæ, vt ornari etiam à turpibus animis possint, atque ita decori vniuersitatis cōgruere. Quid enim tam magnū in domo est, quàm homo, & quid tam abiectum & infimū, quàm cloaca domus? Seruus tamē in tali peccato detectus, vt mundandæ cloacæ dignus habeatur, ornat eam etiam turpitudine sua, & vtrunq; horū, id est turpitudo serui, & mundatio cloacæ, iam cōiunctum & redactū in quandam sui generis vnitatem, ita dispositę domui coaptatur atq; subtexitur, vt eius vniuersitati ordinatissimo decore conueniat. Qui tamē seruus si peccare noluisset, non defuisset domesticæ disciplinæ alia prouisio, qua necessaria mundarētur. Quid itaq; tam infimum in rebus, quàm corpus omne terrenum? Hanc tamen corruptibilem carnē etiam peccatrix anima sic ornat, vt ei speciem decentissimam præbeat, motumq; vitalē. Habitationi ergo cælesti talis anima non congruit per peccatum, terrestri autē congruit per supplicium: vt quodlibet elegerit, semper sit pulchra vniuersitas decentissimis partibus ordinata, cuius est conditor & B administrator Deus. Namq; optimę animę cùm in infimis creaturis habitant, non eas ornant miseria sua, quam non habent, sed vsu earum bono. Si autē peccatrices animæ permittantur habitare in sublimibus locis, inhonestum est: quia non conueniunt illis, quibus nec bene vti possunt, nec ornamenti aliquid conferunt. Ideo quanquam orbis iste terrenus rebus corruptibilibus deputatus sit, tamen seruus quantum potest imaginem superiorum, exempla nobis & indicia quædam demonstrare non cessat. Si enim bonum & magnum aliquem virum hortante honestatis officio videamus ignibus quantum ad corpus attinet cōcremari, non hoc vocamus pœnam peccati, sed fortitudinis & patientiæ documentum, eumq; magis diligimus, cū fœdissima corruptio corporea membra eius absumat, quàm si nihil huiusmodi pateretur. Miramur quippe animi naturam mutabilitate corporis nō C mutari. At verò crudelissimi latronis mēbra cum tali supplicio confici aspicimus, approbamus ordinem legum. Ornant ergo ambo illa tormenta, sed ille merito virtutis, iste peccati. At si post illos ignes, vel etiam ante illos, optimum virum illum commutatum ad congruentiam cælestis habitationis ad sidera videremus attolli, vtique lætaremur. Si autem sceleratum latronem, siue ante supplicium, siue post supplicium, cum eadem malitia voluntatis ad sedē honoris sempiternam leuari videremus in cælum, quis non offenderetur? Ita fit vt inferiores creaturas ambo ornare potuerint, superiores autem vnus illorum. Ex quo admonemur aduertere, mortalitatem carnis huius & primum hominē ornasse, vt peccato pœna congrueret, & Dominum nostrum vtà peccato misericordia liberaret. Non autem sicut iustus potuit in ipsa iustitia permanens corpus habere mortale: ita iniquus potest dum iniquus est, ad immortalitatem peruenire sanctorum, scilicet sublimē & angelicam: nō eorum angelorum, de quibus Apostolus ait: Nescitis quia angelos iudicaturi sumus? sed eorum de quibus Dominus ait: Et erūt æquales angelis Dei. Qui enim æqualitatem angelorum desiderant propter inanem gloriam suam, non ideo volunt æquales esse angelis, sed angelos sibi. Itaq; in tali voluntate perseuerantes, æquabuntur supplicio præuaricatoribus angelis, potestatē suam potius quàm Dei omnipotentis diligentibus. Talibus enim ad sinistram constitutis, quia non quæsierunt Deum per humilitatis ianuam, quā in serpsō Dominus Iesus Christus ostendit, & immisericorditer superbeq; vixerunt, dicetur, Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. CVM enim duæ sint origines peccatorum, vna spōtanea cogitatione, altera persuasione alterius, quò pertinere arbitror quod Propheta dicit: Ab occultis meis munda me Domine, & ab alie-

1. Cor. 6. a 3. Luc. 20. f. 36. ἰσάγγελοι.

Matth. 25. d. CAP. X. Quo iure diabolus posse. let hominem, & quo iure Deus hunc liberarit. Psal. 18. c. 14

ab alienis parce ſeruo tuo. Vtrumque volũtarium eſt quidem. Nam ſicut propria cogitatione non peccat inuitus, ita dum conſentit malè ſuadẽti, non vtiq; niſi voluntate conſentit. Sed tamẽ grauius eſt, non ſolùm nullo ſuadente propria cogitatione peccare, ſed etiam peccatum alteri per inuidentiam dolumque ſuadere, quàm ad peccandum alterius ſuaſione traduci. Seruata eſt ergo in vtroque peccato iuſtitia Dei punientis. Nam & illud appenſum eſt æquitatis examine, vt nec ipſius diaboli poteſtati negaretur homo, quẽ ſibi malè ſuadẽdo ſubiecerat. Iniquum enim erat, vt ei quem ceperat, nõ dominaretur. Nec fieri vllo modo poteſt, vt Dei ſummi & veri perfecta iuſtitia, quæ vſquequaque pertenditur, deſerat etiam ordinandas ruinas peccantiũ. Et tamen quia minus peccauerat homo quàm diabolus, idipſum ei valuit ad reparandam ſalutem, quòd ſcilicet principi huius mundi, partis rerum ſcilicet huius mortalis atque infimæ, hoc eſt, †principio omnium peccatorum & præpoſito mortis vſq; ad mortalitatem carnis addictus eſt. Ita enim cõſcientia mortalitatis timidus, & iam à viliſſimis & abiectiſſimis beſtiis vel etiam minutiſſimis, moleſtias atque interitum reformidans, incertusque futurorum, & illicitas cohibere delicias, & maximè ſuperbiam, cuius perſuaſione deiectus eſt, & quo vno vitio miſericordiæ medicina reſpuitur, frangere & edomare cõſueuit. Quid enim tam opus habens miſericordia quàm miſer? Et quid tam indignum miſericordia quàm ſuperbus miſer? Ex quo factum eſt, vt illud Dei verbum per quod facta ſunt omnia, & quo fruitur omnis angelica beatitudo, vſque ad miſeriam noſtram clementiam ſuam porrigeret, & verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Sic enim poſſet panem angelorum homo mãducare, nondum angelis adæquatus, ſi panis ipſe angelorum hominibus dignaretur adæquari. Nec ſic deſcendit ad nos, vt illos deſereret, ſed ſimul integer illis, integer nobis, illos intrinſecus paſcẽs per id quod Deus eſt, nos forinſecus admonens per id quod nos ſumus, idoneos facit per fidem, quos per ſpeciem paſcat æqualiter. Quia enim rationalis creatura verbo illo tanquam optimo cibo ſuo paſcitur: humana autem anima rationalis eſt, quæ mortalibus vinculis peccati pœna tenebatur, ad hoc diminutionis redacta, vt per coniecturas rerum viſibilium ad intelligẽda inuiſibilia niteretur: cibus rationalis creaturæ factus eſt viſibilis, non commutatione naturæ ſuę, ſed habitu noſtræ, vt viſibilia ſectantes, ad ſe inuiſibilem reuocaret. Sic eum anima, quem ſuperbiens intus reliquerat, foris humilem inuenit, imitatura eius humilitatem viſibilem, & ad inuiſibilem altitudinem reditura. Atq; verbum Dei vnicus Dei filius, diabolum quem ſemper ſub legibus ſuis habuit & habebit, homine indutus, etiam homini ſubiugauit: nihil ei extorquens violento dominatu, ſed ſuperans eum lege iuſtitiæ: vt quoniam femina decepta, & deiecto per feminam viro omnem prolem primi hominis tanquam peccatricem legibus mortis, malicioſa quidem nocendi cupiditate, ſed tamen iure æquiſſimo vindicabat, tam diu poteſtas eius valeret, donec interficeret iuſtũ, in quo nihil dignum morte poſſet oſtendere, non ſolum quia ſine crimine occiſus eſt, ſed etiam quia ſine libidine natus: cui ſubiugauerat ille quos ceperat, vt quicquid inde naſceretur, tanquam ſuæ arboris fructus, praua quidem habendi cupiditate, ſed tamen non iniquo poſſidendi iure retineret. Iuſtiſſimè itaque dimittere cogitur credentes in eum, quem iniuſtiſſimè occidit, vt & quod temporaliter moriuntur, debitum exoluant, & quod ſemper viuunt, in illo viuant, qui pro eis quod non debebat exoluit: quibus autem infidelitatis perſeuerantiam perſuaſiſſet, iuſtè ſecum haberet in perpetua damnatione conſortes. Ita factum eſt, vt neque diabolo per vim eriperetur homo, quem nec ipſe vi, ſed perſuaſione ceperat: & qui iuſto plus humiliatus eſt, vt ſeruiret cui ad malum conſenſerat, iuſtè per eum cui ad bonum conſenſit liberaretur: quia minus iſte in conſentiendo, quàm ille in malè ſuadendo peccauerat.

al. principi

Ioan. 1. 3. 14.

Pſal. 77. v. 25

Pſal. 88. a. 5.

CAP. X I. Ordo & collatio creaturarum.

NATVRAS igitur omnes Deus fecit, non ſolum in virtute atque iuſtitia permanſuras, ſed etiam peccaturas: non vt peccarent, ſed vt eſſent ornaturæ vniuerſum, ſiue peccare, ſiue non peccare voluiſſent. Si enim rebus deeſſent animæ quæ ipſum faſtigium ordinis in vniuerſa creatura ſic obtinerent, vt ſi peccare voluiſſent, infirmaretur & labefactaretur vniuerſitas, magnum quiddam deeſſet creaturæ: illud enim deeſſet, quo remoto ſtabilitas rerum atque connexio turbaretur. Tales ſunt optimæ & ſanctæ, & ſublimes creaturæ cæleſtium vel ſupercæleſtium poteſtatum, quibus ſolus Deus imperat: vniuerſus autem mundus ſubiectus eſt. Sine iſtarum officiis iuſtis atque perfectis eſſe vniuerſitas non poteſt. Item ſi deeſſent, quæ ſiue peccarent, ſiue non peccarent, nihil vniuerſitatis ordini minueretur, etiam ſic plurimum deeſſet. Animæ ſunt enim rationales, & illis ſuperioribus officio quidem impares, ſed natura pares: quibus adhuc inferiores ſunt multi, & tamen laudabiles à ſummo Deo conſtitutarum rerum gradus. Illa ergo natura ſublimioris officij eſt, quæ non ſolum, ſi non eſſet, ſed etiam ſi peccaret, minueret ordinem vniuerſitatis. Inferioris officij eſt iſta, quæ tantummodo ſi non eſſet, non autem ſi peccaret, aliquid minus haberet vniuerſitas. Illi data eſt potentia omnia continendi officio proprio, quòd rerum ordini deeſſe non poſſit. Nec ideo in bona voluntate permanet, quia hoc accepit officium, ſed ideo accepit, quoniam ab illo qui dedit permanſura præuiſa eſt. Nec tamen ſua maieſtate continet omnia, ſed inhærendo illius maieſtati, & eius imperiis deuotiſſimè obtemperando, à quo & per quem & in quo facta ſunt omnia. Huic autem datum eſt quidem non peccanti potẽtiſſimum officium continendi omnia: non tamen proprium, ſed cum illa, tanquam ei quæ peccatura præcognita eſt. Habent ſanè ſpiritalia quæque inter ſe & coniunctionem ſine cumulo, & ſeiunctionem ſine diminutione: vt neque adiuuaretur illa in actionis ſuæ facilitate, cùm hæc ſibi coniungeretur, neque difficilior illi actio fieret, ſi hæc officium ſuum peccando deſereret. Non enim locis & mole corporum, ſed paritate affectuum iungi, & diſparitate ſeiungi poſſunt ſpiritales creaturæ, quamuis corpora ſua quæque poſſideant. In corporibus autem inferioribus atque mortalibus poſt peccatum ordinata, regit corpus ſuum, non omnimodo pro arbitrio, ſed ſicut leges vniuerſitatis ſinunt. Nec ideo tamen talis anima inferior eſt corpore cæleſti, cui corpori etiam corpora terrena ſubiecta ſunt. Pannoſa quippe veſtis damnati ſerui multo eſt inferior veſte bene meriti, & in honore magno apud dominũ conſtituti, ſed ipſe ſeruus melior eſt qualibet veſte precioſa, quia homo eſt. Illa ergo inhæret Deo, & in cæleſti corpore angelica poteſtate, etiam terreſtre corpus ornat & regit, ſicut iubet ille cuius nutum intuetur ineffabiliter. Iſta verò mortalibus membris onerata, vix hoc ipſum quo premitur adminiſtrat intrinſecus, & tamen ornat quantum poteſt. Cætera verò extrinſecus adiacentia, longè infirmiore operatione extrinſecus afficit ſicut poteſt.

Rom. 11. d. 33

CAPVT XII. Ordo creatoris non turbatur vitio creaturarum.

VNDE colligitur non defuturum fuiſſe ornatum cõgruentiſſimum infimæ corporeæ creaturæ, etiam ſi iſta peccare noluiſſet: quoniam quæ totum poteſt regere, etiam partem regit. Quæ autem minus poteſt, non continuò poteſt ampliora. Perfectus enim medicus etiam ſcabiem ſanat efficaciter: at non continuò qui ſcabioſo vtiliter conſulit, vniuerſæ humanæ valetudini mederi poteſt.

Et ratio quidem si certa conspicitur, qua manifestum fiat esse oportuisse creaturam quæ nunquam peccauerit, nunquam peccatura sit, etiam illud eadem ratio renunciat à peccato illam libera voluntate abstinere, neque coactam non peccare, sed sponte. Veruntamen etiamsi peccaret, quanquam non peccauit, sicut eam non peccaturam præsciuit Deus, tamen si etiam ipsa peccaret, sufficeret Dei potestas ineffabilis potentiæ, ad regendam istam vniuersitatem, vt omnibus cõgrua & condigna retribuens, nihil in toto imperio suo turpe atque indecorum esse permitteret. Quia siue per nullas ad hoc ipsum conditas potestates, si omnis angelica natura ab eius præceptis peccando defeciſſet, maiestate sua decentissimè atque optimè regeret omnia, nec sic inuidens creaturæ spiritali vt esset: qui etiam corporalem peccantibus quoque spiritalibus longè inferiorem, tanta largitate bonitatis instituit, vt nullus sit cælum terramque rationabiliter intuens, omnesque naturas visibiles in suis generibus moderatas, formatas, ordinatas, qui vel alium credat artificem omnium esse quàm Deum, vel non eum ineffabiliter laudandum esse fateatur: siue † vlla est melior rerum ordinatio, nisi potestas angelica naturæ excellentia & bonitate voluntatis in dispositione vniuersitatis superemineat, etiam si omnes peccassent angeli, nullam inopiam facerent ad regendum imperium suum creatori angelorum. Non enim vel bonitas eius quasi aliquo tædio, vel omnipotentia difficultate deficeret ad creandos alios, quos in eis sedibus collocaret, quas peccãdo alij deseruissent: aut creatura spiritalis quantilibet numeri, si pro suis meritis damnaretur, angustare posset ordinem, qui conuenienter & decenter excipit quoscunque damnandos multos. Quacunque se igitur consideratio nostra conuerterit, ineffabiliter laudandum inuenit Deum naturarum omnium conditorem optimum, & administratorem iustissimum. Postremò vt relinquamus cõtemplationem pulchritudinis rerum, iis qui eam diuino munere videre possunt, nec eos ad ineffabilia contuenda verbis conemur adducere, & tamen propter loquaces aut infirmos aut insidiosos homines tantam quæstionem breuissima complexione peragamus.

† al. nulla

CAPVT XIII. *Deus in omnibus laudandus.*

OMNIS natura quæ minus bona fieri potest, bona est: & omnis natura dum corrumpitur, minus bona fit. Aut enim non ei nocet corruptio, & non corrumpitur: aut si corrumpitur, nocet ei corruptio: & si nocet, minuit aliquid de bonis eius, & eam minus bonam facit. Nam si penitùs eam priuat omni bono, quicquid eius remanebit, iam corrumpi non poterit: quia nullum erit bonum cuius ademptione possit nocere corruptio. Cui autem non potest nocere corruptio, non corrumpitur. Porrò natura quæ non corrumpitur, incorruptibilis est. Erit ergo natura, quod absurdissimũ est dicere, corruptione factâ incorruptibilis. Quapropter quod verissimè dicitur, omnis natura inquantum natura est, bona est: quia si incorruptibilis est, melior est quàm corruptibilis: si autem corruptibilis est, quoniam dum corrumpitur minus bona fit, sine dubitatione bona est. Omnis autem natura aut corruptibilis est, aut incorruptibilis: omnis ergo natura bona est. Naturam voco quæ & substãtia dici solet. Omnis igitur substantia aut Deus, aut ex Deo: quia omne bonum aut Deus, aut ex Deo. Quibus constitutis atque firmatis tanquam in capite ratiocinationis nostræ, attende quid dicam. Omnis ergo natura rationalis, quæ cum libero voluntatis arbitrio condita est, si manet in fruendo summo atque incommutabili bono, procul dubio laudanda est: & omnis quæ tendit vt maneat, etiam ipsa laudanda est. Omnis autem quæ non in eo manet, & non vult agere vt maneat, inquantũ ibi non est, & inquantum non id agit, vt ibi sit, vituperanda est. Si ergo laudatur rationalis natura quæ est facta, nemo dubitat laudandum esse qui fecit. Et si vituperatur, nemo dubitat eius conditorem in ipsa eius vituperatione laudari. Cùm enim propterea vituperamus hanc, quoniam summo & incommutabili bono, id est creatore suo frui non vult, illum sine vlla dubitatione laudamus. Quantum ergo bonum, & quàm vel ineffabiliter linguis omnibus, vel ineffabiliter cogitationibus omnibus prædicandus & honorãdus est creator omnium Deus, sine cuius laude nec laudari possumus, nec vituperari? Non enim vituperari possumus, quia in eo non manemus, nisi quia magnum & summum & primum nostrum bonum est, manere in illo. Vnde autem hoc, nisi quia ille ineffabile bonum est? Quid ergo inueniri potest in nostris peccatis vnde ille vituperetur, quando vituperatio peccatorum nostrorum nulla est, nisi ille laudetur? Quid quòd etiam in ipsis rebus, quæ vituperantur, nullius vituperatur nisi vitium? Nullius autem vituperatur vitium, nisi cuius natura laudatur. Aut enim secundum naturam est quod vituperas, & non est vitium, tuque magis emendãdus es, vt rectè vituperare noueris, quàm illud quod non rectè vituperas, aut si vitium est, vt rectè vituperari possit, etiam cõtra naturam sit necesse est. Omne quippe vitium, eo ipso quo vitium est, contra naturam est. Si enim naturæ non nocet, nec vitium est: si autem quia nocet ideo vitium est, ideo vitium est, quia contra naturam est. Quod si non suo, sed alieno vitio aliqua natura corrumpitur, iniustè vituperatur, & quærendum est vtrum illa natura non corrumpatur vitio suo, cuius vitio potuit alia natura corrumpi. Sed quid est aliud vitiari, nisi vitio corrumpi? Porrò natura quæ non vitiatur, cãret vitio, cuius autem vitio alia natura corrumpitur, habet vtique vitium. Prior ergo vitiosa est, & prior corrumpitur vitio suo, cuius vitio alia quoque corrumpi potest. Ex quo colligitur, contra naturam esse omne vitium, etiam eius rei cuius est vitium. Quapropter quoniam in quacunque re non vituperatur nisi vitium, ideo autem vitium est, quia contra naturam eius rei est cuius est vitium, nullius rei rectè vituperatur vitium, nisi cuius natura laudatur. Non enim tibi rectè in vitio displicet, nisi quia vitiat quod in natura placet.

CAPVT XIIII. *An omnis corruptio à vitio.*

VIDENDVM est etiam illud, vtrum verè dicatur aliquam naturam naturæ alterius vitio corrumpi, nullo adiuncto vitio suo. Si enim natura quæ accedit cum vitio suo ad aliam corrumpendam, non in ea corruptibile aliquid inuenit, non eam corrumpit. Si autem inuenit, adiuncto eius vitio corruptionem eius operatur. Potentior enim ab infirmiore si corrumpi nolit, non corrumpitur: si autem velit, prius incipit suo vitio corrũpi quàm alieno. Æqualis autem ab æquali nihilominus si corrumpi nolit, non potest. Nam quęcunque natura cum vitio ad eam quæ sine vitio est, vt corrumpat accedit, eo ipso non accedit æqualis, sed infirmior vitio suo. Si verò potentior inualidiorem corrumpit, aut vtriusq; vitio fit, si vtriusque praua cupiditate fit: aut vitio potentioris, si naturæ tanta præstantia est, vt inferiorem quam corrumpit, etiam vitiosa præcedat. Quis enim rectè vituperauerit fructus terræ, quòd homines eis non vtantur bene, corruptique vitio suo, corrumpant eos abutendo ad luxuriam: cùm tamen dubitare dementis sit præstantiorem potentioremque esse hominis naturam etiam vitiosam, quàm non vitiosas quasque fruges? Potest etiam fieri vt aliquam inferiorem potentior natura corrumpat, & hoc nullius earum vitio fiat. Siquidem vitium dicimus, quod vituperatione dignum est. Quis autem vel frugalem hominem nihil aliud de frugibus, quàm supplementa naturæ quæritantem, vituperare audeat, aut easdem fruges quod vsu ciborum eius corrumpatur? Talis enim nec

vsitatè

vſitatè corruptio dicitur, quia maximè vitij nomen solet esse corruptio. Nam & illud in rebus facilè animaduerti potest, quod plerunq; in nonnullos vſus explendæ indigentiæ ſuæ natura potentior inferiorem corrumpit: vel iuſtitiæ ordine dum vindicat culpam, ex qua regula, illud dictum est ab Apoſtolo: Si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus. Vel ordine mutabilium rerum ſibi cedentium ſecundum leges congruentiſſimas pro valentia cuiuſque partis vniuerſitati datas. Neque enim ſi cuiuſquam oculos pro naturæ ſuæ modulo ferendæ lucis inualidos, ſol fulgore corrumpat, aut ad explendam indigentiam ſui luminis eos commutare putandus est, aut id facere vllo vitio ſuo: aut ſaltem ipſi oculi vituperandi ſunt, quia & Domino ſuo ceſſerunt, vt contra lucem aperirentur, & ipſi luci vt corrumperentur. Omnium igitur corruptionum ſola quæ vitioſa est corruptio rectè vituperatur: cæteræ autem, aut nec corruptiones quidem dicendæ ſunt, aut certè quia vitioſæ non ſunt, dignæ vituperatione eſſe non poſſunt. Nam & ipſa vituperatio, quod ſoli vitio parata, id est, apta & debita ſit, inde traxiſſe vocabulum creditur, vt vituperatio diceretur. Vitium autem, vt dicere cœperam, non aliunde malum est, niſi quia naturæ aduerſatur eius ipſius rei cuius est vitium. Vnde manifeſtum est hanc eandem rem cuius vitium vituperatur, naturam eſſe laudabilem, ita vt omnino hanc ipſam vituperationem vitiorum, naturarum laudem eſſe fateamur, earum ſcilicet quarum vitia vituperantur. Quia enim vitium naturæ aduerſatur, tatum additur malitiæ vitiorũ, quantum naturarum integritati minuitur. Cùm ergo vituperas vitium, id profectò laudas cuius integritatẽ deſideras. Cuius autem niſi naturæ integritatem? Natura enim perfecta, non ſolum nulla vituperatione, ſed etiam laude in ſuo genere digna est. Quod ergo perfectioni naturæ deeſſe perſpexeris, id vocas vitium, ſatis tibi eam placere conteſtans, quam vituperatione imperfectionis eius velles eſſe perfectam.

1. Cor. 3. d. 17.

CAPVT XV. *Et in vitioſis laudandus Deus.*

SI igitur vituperatio vitiorum ipſarum etiam quarum ſunt vitia naturarum decus dignitatemq́ue commendat, quanto magis Deus conditor omnium naturarum etiam in earum vitiis laudandus est, cùm & hoc ab illo habeant quod naturæ ſunt, & intantum vitioſæ ſint, inquantum ab eius à quo factæ ſunt arte diſcedunt, & intantum rectè vituperentur, inquantum earum vituperator artem qua factæ ſunt videt, vt hoc in eis vituperet, quod ibi non videt. Etſi ars ipſa per quam facta ſunt omnia, hoc est ſumma & incommutabilis ſapiẽtia Dei, verè ſummeq́ue est ſicuti est, reſpice quò tendat quicquid ab ipſa diſcedit. Qui tamẽ defectus non eſſet vituperatione dignus niſi eſſet voluntarius. Attende enim quæſo, vtrum rectè vituperes, quod ita est ſicuti eſſe debuit. Non opinor, ſed vtique quod non ita est vt debuit. Nemo autem debet quod non accepit. Et quiſquis debet, cui debet, niſi à quo accepit vt debeat? Nam & quæ redduntur tranſlegando, ei redduntur qui tranſlegauerat. Et quod creditorum iuſtis ſucceſſoribus redditur, ipſis vtique redditur quibus iſti iure ſuccedunt. Aliter non redditio, ſed ceſſio vel admiſſio, vel ſiquid aliud huiuſcemodi nominanda est. Quapropter omnia temporalia quæ in hoc rerum ordine ita locata ſunt, vt niſi deficiant, non poſſint præteritis futura ſuccedere, vt tota temporũ in ſuo genere pulchritudo peragatur, abſurdiſſimè dicimus non debere deficere. Quantum enim acceperunt, tantum agunt, & tantum reddunt ei cui debent, quod ſunt inquantumcunque ſunt. Qui enim dolet ea deficere, ſermonem ſuum oportet attendat, eo certè ipſo quòd iſta conqueritur, ſi iuſtum & à prudentia profectũ eſſe arbitratur: cuius ſermonis quod ad ſonũ eius attinet, ſi quis vnam particulam diligat, nec eam velit cæteris deficiendo locum dare, quibus decedentibus, & ſuccedentibus totus ille ſermo contexitur, mirabilis dementiæ iudicabitur. In iis igitur rebus quæ ideo deficiunt, quia non vltra eſſe acceperunt, vt ſuis temporibus omnia peragantur, nemo defectum rectè vituperat, quia nemo poteſt dicere, debuit permanere, cùm acceptas metas tranſire nõ poſſet. In creaturis autem rationabilibus, quibus ſiue peccantibus ſiue non peccantibus, vniuerſalis pulchritudo modis congruentiſſimis terminatur, aut nulla peccata ſunt, quod abſurdiſſimum est dicere: peccat enim ſaltem, qui vel damnat quaſi peccata quæ nulla ſunt: aut non ſunt vituperanda peccata, quod nihilominus abſurdum est. Incipient quippe nec rectè facta laudari, & tota turbabitur humanæ mentis intentio, vitamq́ue ſubuertet: aut vituperabitur factum, quod ita factum est vt debuit, & execrabilis inſania, vel, vt mitius loquar, error miſerrimus orietur: aut ſi cogit veriſſima ratio, ſicuti cogit, vt & vituperentur peccata, & quicquid rectè vituperatur ideo vituperetur, quia non est ita vt eſſe debuit, quære quid debeat natura peccatrix, & inuenies rectè factum, quære cui debeat, & inuenies Deum. A quo enim accepit poſſe rectè facere cùm velit, ab eo accepit vt ſit etiam miſera, ſi non fecerit, & beata, ſi fecerit. Quia enim nemo ſuperat leges omnipotentis creatoris, non ſinitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit bene vtendo quod accepit, aut reddit amittendo quo bene vti noluit. Itaque ſi non reddit faciendo iuſtitiam, reddet patiendo miſeriam: quia in vtroq; verbum illud debiti ſonat. Hoc enim etiam modo dici potuit quod dictum est, ſi nõ reddit faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet. Nullo autem temporis interuallo iſta diuiduntur, vt quaſi alio tempore non faciat quod debet, & alio patiatur quod debet, ne vel puncto temporis vniuerſalis pulchritudo turpetur, vt ſit in ea peccati dedecus ſine decore vindictæ. Sed in futurum iudicium ſeruatur ad manifeſtationem atque acerrimum ſenſum miſeriæ, quicquid nunc occultiſſimè vindicatur. Sicut enim qui non vigilat, dormit: ſi quiſquis non facit quod debet, ſine interuallo patitur quod debet, quoniam tanta est beatitudo iuſtitiæ, vt nemo ab ea niſi ad miſeriam poſſit abſcedere. In omnibus ergo defectibus, aut non acceperunt vltra eſſe quæ deficiunt, & nulla culpa est: ſicut & cùm ſunt, quia non acceperunt amplius eſſe quàm ſunt, nihilominus nulla culpa est: aut nolunt eſſe, quod ſi vellent, eſſe acciperẽt: & quia bonum est, reatus est ſi nolint.

A

B

C

CAPVT XVI. *Ex eo quod non accepit nemo reus eſt.*

DEVS autem nulli debet aliquid, quia omnia gratuito præſtat. Etſi quiſquam dicet ab illo aliquid deberi meritis ſuis, certè vt eſſet non ei debebatur. Non enim erat cui deberetur. Et tamen, quod meritum est, conuertere ad eum ex quo es, vt ex ipſo etiam melior ſis, ex quo habes vt ſis. Quid ergo ei prærogas, vt tanquam debitum poſcas: quando ſi nolles ad eum conuerti, nihil ei deeſſet: tibi autem ipſe ſine quo nihil eſſes, & ex quo ita es aliquid, vt niſi conuertendo te ad illũ, reddideris ei quod ab ipſo es, non quidem nihil, ſed miſer tamen eris? Omnia ergo illi debent, primo quicquid ſunt, inquantum naturæ ſunt. Deinde quicquid melius poſſunt eſſe ſi velint, quæcunque acceperũt vt velint, aut quicquid oportet eas eſſe. Ex eo igitur quod non accepit, nullus reus est: ex eo verò quod non facit quod debet, iuſtè reus est. Debet autem ſi accepit & voluntatẽ liberam, & ſufficientiſſimam facultatẽ. Vſqueadeo autem dum non facit quiſque quod debet, nulla culpa est conditoris, vt & laus ſit, quoniam quod debet patitur, & in eo ipſo quod vituperatur non faciendo quod debet, non niſi laudetur ille cui debet. Si enim tu laudaris videndo quid facere debeas, cùm id non videas, niſi in illo qui est incõmutabilis veritas: quanto magis

D

1. Retract. cap. 9.

ille qui & velle præcepit, & posse præbuit, & non impunè nolle permisit? Si enim hoc debet quisque quod accepit, & sic homo factus est, vt necessariò peccet: hoc debet vt peccet. Cùm ergo peccat, quod debet facit. Quod si scelus est dicere, neminem natura sua cogit vt peccet, sed nec aliena. Non enim quisquis dũ id quod non vult patitur, peccat. Nam si iustè patitur, non in eo peccat quod patitur inuitus, sed in eo peccauit quòd ita fecit volens, vt quòd nollet iure pateretur. Si autem iniustè patitur, quomodo peccat? Non enim iniustè aliquid pati, sed iniustè aliquid facere, peccatum est. Quod si neque sua neque aliena natura quis peccare cogitur, restat vt propria voluntate peccetur. Quod si tribuere volueris conditori, peccãtem purgabis, qui nihil præter sui cõditoris instituta commisit. Qui si rectè defenditur, non peccauit. Non est ergo quod tribuas conditori. Laudemus ergo conditorem, si potest defendi peccator, laudemus si non potest. Si enim iustè defenditur, non est peccator, lauda ergo creatorẽ. Si autem defendi non potest, intantum peccator est, inquantum se à creatore auertit, lauda ergo creatorem. Omnino igitur non inuenio, nec inueniri posse, & prorsus non esse confirmo, quomodo tribuantur peccata nostra creatori nostro Deo: quando & in ipsis eum laudabilem inuenio, non solũ quòd ea punit, sed etiam quòd tunc fiunt, cùm ab eius veritate receditur. E. Accipio ista libentissimè ac probo, & omnino verum esse consentio, nullo modo fieri posse, vt creatori nostro rectè peccata nostra tribuantur.

CAPVT XVII. *Vnde mala voluntas.*

SED tamen scire vellem si fieri posset, quare illa natura non peccet, quam non peccaturam præsciuit Deus, & quare ista peccet, quæ ab ipso peccatura præuisa est. Non enim iam puto, ipsa Dei præscientia vel istam peccare, vel illam non peccare cogi. Sed tamen si nulla causa esset, nõ ita dispertiretur creatura rationalis, vt alia nunquam peccet, alia in peccando perseueret, alia quasi media inter vtramq; aliquando peccet, aliquando ad rectè faciendum conuertatur. Quæ causa in has tres partes eam distribuit? Sed nolo mihi respondeatur, volũtas. Ego enim causam quæro ipsius voluntatis. Non enim sine causa nunquam vult illa peccare, nunquam ista non vult, quædam verò aliquãdo vult, aliquando non vult, cùm eiusdem generis omnes sint. Hoc solùm enim mihi videre videor nõ sine causa esse istam tripartitam voluntatem rationalis creaturæ, sed quę causa sit nescio. A. Quoniam voluntas est causa peccati, tu autem causam ipsius voluntatis inquiris, si hanc inuenire potuero, nónne causam etiam eius causæ quæ inuenta fuerit quæsiturus es? Et quis erit quærendi modus, quis finis percunctandi ac differendi, cùm te vltra radicem quærere nihil oporteat? Caue enim putes quicquam potuisse dici verius quàm id quod dictum est, radicẽ omnium malorũ esse auaritiam, hoc est plus velle quàm sat est. Tantum autem sat est, quantum sibi exigit naturæ in suo genere conseruandæ modus. Auaritia enim, quæ Græcè φιλαργυρία dicitur, non in solo argento vel in nummis, vnde magis nomen duxisse resonat: argento enim nũmi vel mixto argento frequentius apud veteres fiebant: sed in omnibus rebus quæ immoderatè cupiuntur intelligenda est, vbicunque omnino plus vult quisque quàm sat est. Hæc autẽ auaritia cupiditas est, cupiditas porrò improba voluntas est. Ergo improba voluntas, malorum omnium causa est. Quę si secundũ naturam esset, conseruaret vtiq; naturam, nec ei perniciosa esset, & ideo nõ esset improba. Vnde colligitur, radicem omnium malorum non esse secũdum naturam, quod sufficit aduersus omnes, qui volunt accusare naturas. Tu autem si huius radicis causam requiris, quomodo erit ista radix omnium malorum? Illa enim erit quæ causa huius est, quam cùm inueneris, vt dixi, etiam ipsius causam quæsiturus es, & quærendi nullum habebis modum. Sed quæ tandem esse poterit ante voluntatem causa voluntatis? Aut enim & ipsa voluntas est, & à radice ista voluntatis non receditur: aut nõ est voluntas, & peccatum nullum habet. Aut igitur ipsa voluntas est prima causa peccandi, aut nullum peccatum est prima causa peccandi. Nec est cui rectè imputetur peccatum nisi peccanti. Non est ergo cui rectè imputetur nisi voléti. Sed nescio cur aliud te quærere libeat. Deinde quæcunq; illa causa est voluntatis, aut iusta profectò est, aut iniusta. Si iusta, quisquis ei obtemperauerit non peccabit. Si iniusta, non ei obtemperet, & non peccabit. AN fortè violenta est & cogit inuitũ? Num eadem toties replicaturi sumus? Reminiscere superiorum quæ à nobis tam multa de peccato, & voluntate libera dicta sunt. Sed si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc breuissimum tene. Quæcunq; ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & nõ peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia est, vt caueri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caueri potest? Peccatur autem. Caueri igitur potest. Et tamen etiam per ignorantiam facta quędam improbantur, & corrigenda iudicantur, sicut in diuinis autoritatibus legimus. Ait enim Apostolus: Misericordiam consecutus sum, quia ignorãs feci. Ait & Propheta; Delicta iuuẽtutis & ignorãtiæ meæ ne memineris. Sunt etiam necessitate facta improbanda, vbi vult homo rectè facere, & non potest: nam vnde sunt illæ voces, Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Et illud, Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Et illud, Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim inuicem aduersantur, vt nõ ea quæ vultis faciatis. Sed hęc omnia hominum sunt, ex illa mortis damnatione venientium: nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus est, ita vt melius esse non possit, ea quæ debet facit, cùm hęc facit. Si autem bonus homo esset, aliter esset: nũc autem quia ita est, non est bonus, nec habet in potestate vt bonus sit: siue non videndo qualis esse debeat, siue videndo & non valendo esse, qualem debere esse se videt: pœnã istam esse quis dubitet? Omnis autem pœna si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur: si autem iniusta est pœna, quoniam pœnam esse nemo ambigit, iniusto aliquo dominante homini imposita est. Porrò quia de omnipotentia Dei & iustitia dubitare dementis est, iusta hæc pœna est, & pro peccato aliquo penditur. Non enim quisquã iniustus dominator aut surripere hominem potuit, velut ignorante Deo: aut extorquere inuito, tanquam inualidiori, vel terrẽdo vel confligendo, vt hominem iniusta pœna cruciaret. Relinquitur ergo, vt hæc iusta pœna de damnatione hominis veniat. Nec mirandum est quòd vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid rectè faciat: vel resistente carnali consuetudine, quæ violentia mortalis successionis quodam modo naturaliter inoleuit, videat quid rectè faciendũ sit, & velit nec possit implere. Illa est enim peccati pœna iustissima, vt amittat vnusquisq; quo bene vti noluit, cũ sine vlla posset difficultate, si vellet. Id est autem, vt qui sciés rectè non facit, amittat scire quid rectũ sit: & qui rectè facere cùm posset, noluit, amittat posse cùm velit. Nam sunt reuerà omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorãtia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, vt erret inuitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidi-

1. Retract. cap. 9. 2. Sen. dist. 41. cap. si autem.

CAPVT XVIII. *Etiam per ignorantiam, aut necessitatem admissa imputantur interdum.*

1. Retract. cap. 9. 2. Sent. dist. 28. cap. quod verò. De natura & gratia, ca. 67. 2. Sent. dist. 36. cap. quod autem, & ca. illud autem. 1. Tim. 1. c. 13. Psal. 24. b. 7.

Rom. 7. d. 19.

Gal. 5. c. 17.

1. Retract. 9. 3. Sent. dist. 15. cap. ita-dit.

libidinosis operibus temperare, non est natura institu-
ti hominis, sed pœna damnati. Cùm autem de libera
voluntate rectè faciendi loquimur, de illa scilicet, in
CAP. XIX. *Quomodo Adam & Eua peccata fiant nostra.* qua homo factus est, loquimur. HIC occurrit illa
quæstio, quam inter se murmurantes homines rodere
consueuerunt, qui quodlibet aliud in peccando quàm
se accusare parati sunt. Dicunt enim, si Adam & Eua
peccauerunt, quid nos miseri fecimus, vt cum igno-
rátiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus nascere-
mur, & primo erraremus, nescientes quid nobis esset faciendum: deinde vbi nobis inciperent aperiri præcepta iustitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate non valeremus? Quibus breuiter respondetur vt quiescant, & aduersus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret: cùm verò vbique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino seruientem auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, dili-
B gentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quòd inuitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras: neq; illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare cõtemnis. Ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatũ est scire vtiliter quærere, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam esse imbecillitatem, vt quærenti & confitenti ille subueniat, qui nec errat dum subuenit, nec laborat. Nam illud quod ignorans quisq; non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideo dicũtur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia: nam sicut linguâ dicimus non solum mẽbrum, quod mouemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod huius membri motum cõsequitur, id est, formã tenoremq; verborũ, secundum quẽ modũ dicitur alia lin-
C gua Græca, alia Latina: sic non solùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, libera enim voluntate & ab sciente cõmittitur: sed etiã illud quod iam de huius supplicio consequatur necesse est. Sic etiam ipsam naturã aliter dicimus, cùm propriè loquimur, naturam hominis, in qua primũ in suo genere inculpabilis factus est: aliter istã, in qua ex illius damnati pœna, & mortales & ignari, & carni subditi nascimur. Iuxta quem modum dicit Apostolus: Fuimus enim &
Ephes. 2. v. 3. nos naturaliter filij iræ, sicut & cæteri. VT autem
CAP. XX. *Quomodo peccatum originis demanarit ad posteros.* de illo primo coniugio, & cum ignorantia, & cũ difficultate, & cũ mortalitate nascamur, quoniã illi cùm peccauissent, & in errorẽ, & in ærumnã, & in mortem præcipitati sunt, rerũ moderatori summo Deo iustissimè placuit: vt & in ortu hominis originaliter appareret iustitia puniẽtis, & in prouectu misericordia liberãtis. Non enim damnato primo homini sic adempta est beatitudo, vt etiam fœcunditas adimeretur. Poterat
D enim & de prole eius, quamuis carnali & mortali, aliquod in suo genere fieri decus ornamentumq; terrarũ. Iam verò vt meliores gigneret quàm ipse esset, non erat æquitatis: sed ex conuersione ad Deum, vt vinceret quisque supplicium, quod origo eius ex auersione meruerat, non solùm volentem non prohiberi, sed etiam adiuuari oportebat: sic enim rerũ creator ostendit, quanta facilitate potuisset homo, si voluisset, retinere quod factus est, cùm proles eius potuit etiam superare quod nata est. Deinde si vna anima facta est, ex quâ omnium hominum animę trahuntur nascẽtium, quis potest dicere nõ se peccasse, cùm primus ille peccauit? Si autem singillatim fiunt in vnoquoq; nascentium, non est peruersum, imò conuenientissimum & ordinatissimum apparet, vt malum meritum prioris, natura sequentis sit: & bonum meritum sequentis, natura prioris sit. Quid enim indignum, si etiam sic
A voluit creator ostendere, vsqueadeò excellere creaturis corporeis animæ dignitatem, vt ab eo gradu possit esse ortus alterius, ad quem alterius perductus est occasus? Nam cùm ad ignorantiam difficultatemq; peruenerit illa peccatrix, ideo pœna rectè dicitur, quia melior ante hanc pœnam fuit. Si ergo altera talis esse cœpit, non solùm ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non paruum bonum habet, vnde conditori suo gratias agat: quia ipse ortus eius, & inchoatio quouis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt, non solùm quòd anima est, qua natura iam omne corpus præcedit, sed etiam quòd facultatem habet, vt adiuuante creatore seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere, & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur. Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorãtia & difficultas supplicium peccati, sed
B proficiẽdi admonitio, & perfectionis exordium. Non enim ante omne meritum boni operis parum est accepisse naturale iudicium, quo sapientiam præponat errori, & quietem difficultati, vt ad hæc non nascendo, sed studendo perueniat. Quòd si agere noluerit, peccati rea iure tenebitur, tanquam quæ non bene vsa sit ea facultate, quam accepit. Quanquam enim in ignorantia, & difficultate nata sit, non tamen ad permanẽdum in eo quod nata est, aliqua necessitate comprimitur: neque omnino potuit nisi Deus omnipotens esset etiam talium creator animarum, quas & non dilectus ipse faciat, [& diligens eas reficiat,] & dilectus ipse perficiat: qui & non existentibus præstat vt sint, & amantibus eum à quo sunt, præstat vt beatæ sint. Si verò in Dei aliquo secreto iam existentes animæ mittuntur ad inspiranda, & regenda corpora singulorum quorumque nascentium, ad hoc vtiq; mittuntur officiũ, vt corpus quod de pœna peccati, hoc est, de mortalitate primi hominis nascitur, bene administrando,
C id est, castigando per virtutes, & ordinatissimè atque legitimè seruituti subijciendo, & ipsi comparent ordine atque tempore opportuno cælestis incorruptionis locum. Quæ cùm introeunt in hanc vitam, subeuntq; gestanda membra mortalia, subeant etiam necesse est & obliuionem vitæ prioris, & præsentis laborem: vnde illa ignorantia & difficultas cõsequitur: quod in primo homine supplicium mortalitatis fuit, ad animi expendendam miseriam: in istis autẽ ianua †ministerij ad reparandam corporis incorruptionem: *al.* mysterij
nam hoc quoq; modo non dicuntur ista peccata, nisi quia caro de propagine veniens peccatoris, venientibus ad se animis hanc ignorantiam & difficultatem facit, quæ neque his neque creatori tanquam culpanda tribuatur. Dedit enim ille & facultatem bene operandi in laboriosis officiis, & viam fidei in obliuionis cæcitate. Indicium illud vel maximè, quòd anima o-
D mnis & quærendum esse concedit quod inutiliter nescit, & perseueranter in officiosis laboribus enitẽdum ad euincendam rectè faciendi difficultatem, & opem à creatore implorandam: vt conantem adiuuet, qui vel extrinsecus lege, vel in intimis cordis allocutione conandum esse præcepit, & præparat ciuitatis beatissimæ gloriam, triumphantibus de illo, qui primũ hominem ad istam miseriam perduxit, victum pessima suasione: quam miseriam isti suscipiunt ad eum vincendum optima fide: non enim paruæ gloriæ militia est diabolum vincere eodem suscepto supplicio, quo se ille hominem victũ perduxisse gloriatur. Quisquis autem hoc istius vitæ captus amore neglexerit, nullo pacto iustè flagitium desertionis suę regis imperio deputabit, sed erit potius sub omnium domino in eius partibus ordinatus; cuius turpe stipendium vt castra sua desereret, adamauit. Si autem alibi animæ consti-

Latonice dubitat

tutæ non mittuntur à Domino Deo, ſed ſua ſpõte ad inhabitanda corpora veniunt, facile eſt iam hoc videre, quicquid ignorantiæ difficultatisque ſecutum fuerit earum propriam voluntatem, nullo modo creatorem hinc eſſe culpandũ: quandoquidẽ etiam ſi eas ipſe miſiſſet, quibus etiam in ipſa ignorantia & difficultate liberam voluntatem petendi & quærendi & conandi non abſtulit, daturus petentibus, demonſtraturus quærẽtibus, pulſantibus aperturus, omnino extra culpam eſſet. Hanc enim ignorãtiam & difficultatem ſtudioſis & beneuolis euincendam, ad coronam gloriæ valere præſtaret, negligentibus autẽ & peccata ſua de infirmitate defendere volẽtibus, non ipſam ignorantiam difficultatemq́; pro crimine obijceret: ſed quia in eis potius permanere, quàm ſtudio quærendi atque diſcendi, & humilitate confitendi atq; orandi, ad veritatẽ ac facilitatem peruenire voluerunt, iuſto ſupplicio vindicaret.

CAPVT XXI. *Variæ de animarum origine ſententiæ.*

HARVM autẽ quatuor de anima ſententiarum, vtrum de propagine veniant, an in ſingulis quibuſq; naſcentibus nouæ fiant, an in corpora naſcentium iam alicubi exiſtentes, vel mittantur diuinitus, vel inde ſua ſponte labantur, nullã temerè affirmare oportebit. Aut enim nõdum iſta quæſtio à diuinorum librorum catholicis tractatoribus pro merito ſuæ obſcuritatis, & perplexitatis euoluta atq; illuſtrata eſt: aut ſi iam factũ eſt, nondũ in manus noſtras huiuſcemodi literæ peruenerunt. Tantum adſit fides nihil de ſubſtantia creatoris falſum indignumq́; ſentiendi. Ad illũ enim tendimus itinere pietatis. Si ergo aliud de illo ſenſerimus quàm eſt, intẽtio noſtra nõ in beatitatem, ſed in vanitatẽ nos ire cõpellet. De creatura verò ſi quid aliter quàm ſeſe habet ſenſerimus, dummodo non id pro cognito perceptoq́; teneamus, nullum periculũ eſt. Non enim ad creaturã iubemur tendere vt efficiamur beati, ſed ad ipſum creatorẽ: de quo ſi aliud quàm oportet, ac ſeſe res habet, nobis perſuadetur, pernicioſiſſimo errore decipimur. Ad hoc enim pergendo, quod aut non eſt, aut ſi eſt, nõ facit beatos, ad beatam vitam nullus peruenire poteſt. Sed ad contẽplandam veritatis ęternitatem, vt ea perfrui eiq́; inhærere valeamus, infirmitati noſtræ via de temporalibus procurata eſt, vt quantũ itineri ſufficit ad æterna tendentium, præterita & futura credamus. Quæ fidei diſciplina, vt autoritate præpolleat, diuina miſericordia gubernatur. Præſentia verò, quantum ad creaturã pertinet, in corporis & animi mobilitate & mutabilitate, quaſi tranſeuntia ſentiuntur. In quibus quicquid nõ experimur, cognitione qualicunq; tenere nõ poſſumus. Quæcunq; ergo nobis de quibuſcũq; creaturis vel præterita vel futura diuina autoritate credenda narrantur, quamuis partim priuſquam ea ſentire potuerimus prętęrierint, partim nondũ in noſtros ſenſus peruenerint, tamen quia plurimum valent ad roborandam ſpem noſtram, & exhortandam dilectionem, dum nobis cõmendant per ordinatiſſimã ſeriem tẽporum, quàm nõ negligat liberationẽ noſtrã Deus, ſine vlla dubitatione credenda ſunt. Sed quiſquis error perſonam ſibi diuinæ autoritatis aſſumit, ea maximè ratione refellitur, ſi aut aliquam vel mutabilẽ ſpeciem præter creaturam Dei, aut aliquam mutabilem ſpeciẽ in ſubſtãtia Dei credere aut affirmare conuincitur: eamq́; ſubſtantiã Dei vel plus vel minus quàm trinitatẽ eſſe contẽdit: cui trinitati piè ſobrieq́; intelligendæ omnis excubat vigilantia Chriſtiana, & omnis eius prouectus intenditur. De cuius trinitatis vnitate & æqualitate, & ſingularum in ea perſonarũ quadam proprietate, non hic locus eſt differendi. Nam cõmemorare quædam de Domino Deo autore & formatore & ordinatore rerum omniũ, quæ ad ſaluberrimam fidem pertineant, & quibus lactens atque à terrenis in cæleſtia ſeſe attollere incipiẽs, vtiliter adminiculetur intentio, & factu facillimum, & à pleriſq; iam factitatum eſt. Pertractare autem iſtam totam, atq; ita verſare quæſtionẽ, vt perſpicuæ rationi quantum in hac vita datur, omnis humana intelligentia ſubiugetur: non modò eloquio, ſed ne cogitatione quidẽ vel cuiquam hominum, vel certè nobis ſatis expeditũ & facilè aggrediendum videri poteſt. Nunc ergo, vt quod inſtituimus, quantum adiuuamur, & quantũ ſinimur peragamus, Quæcunq; nobis, quantum ad creaturã pertinet, vel narrantur præterita, vel prænunciantur futura, quæ ad commendandam valeant integram religionem, excitando nos ad ſynceriſſimam dilectionem Dei & proximi, ſine dubitatione credenda ſunt. Aduerſus incredulos autem hactenus defendenda, vt vel mole autoritatis infidelitas eorum obteratur, vel eis oſtendatur quantum poteſt primo quàm non ſit ſtultum talia credere, deinde quàm ſit ſtultum talia non credere. Veruntamen falſam doctrinam non tam de præteritis & futuris, quam de præſentibus & maximè de incommutabilibus oportet refellere: & quantũ datur perſpicua ratione conuincere. Sanè in ſerie temporalium, inquiſitioni prętęritorum futurorum expectatio præferenda eſt. Quandoquidẽ etiam in diuinis libris ea quæ præterita narrantur, vel præfigurationem futurorum, vel pollicitationẽ vel teſtificationem præ ſe gerunt. Et reuera in iis etiam quæ ad hanc vitã pertinent proſperis aduerſisque rebus quid quiſq; fuerit non ſatis curat: in id verò quod futurum ſperatur, ſeſe omnis curarum æſtus agglomerat. Neſcio quo quippe intimo naturaliq́; ſenſu, ea quę nobis acciderunt, quoniam tranſacta ſunt, ſic habentur ad momentum felicitatis & miſeriæ, quaſi nunquam accidiſſent. Quid igitur mihi obeſt, ſi eſſe quando cœperim neſcio, cùm eſſe me nouerim, nec futurum eſſe deſperem? Non enim in præterita me attendo, vt táquam errorem pernicioſiſſimum verear, ſi aliter de iis ſenſero quàm fuerint: ſed in id quod futurus ſum, curſum dirigo duce miſericordia conditoris mei. De hoc igitur quod futurus ſum, & de illo apud quem futurus ſum, ſi aliter quàm veritas ſeſe habet credidero aut ſenſero, vehementer cauẽdus eſt error: ne mihi aut neceſſaria non præparem, aut ad eum ipſum finẽ propoſiti mei, dum aliud pro alio mihi videtur, peruenire non poſſim. Quamobrem ſicut ad comparandam veſtẽ nihil mihi obeſſet, ſi præteritæ hyemis oblitus eſſem, obeſſet autem ſi futurum frigus imminere non crederem: ita nihil oberit animæ meæ ſi oblita eſt quid fortè pertulerit, ſi modò diligenter aduertat & teneat quò ſe deinceps parare moneatur. Et ſicut, verbi gratia, Romam nauiganti nihil noceret ſi excidiſſet animo, à quo littore nauem ſoluerit, dum tamen ab eo loco vbi eſſet non ignoraret quò proram dirigeret: nihil autem prodeſſet meminiſſe littoris, vnde iter exorſus eſt, ſi de Romano portu falſum aliquid exiſtimans, in ſaxa incidiſſet: ita neq; ſi non tenuero initium temporis vitæ meæ, quicquã mihi oberit ſciẽti quo fine requieſcam: nec prodeſſet aliquid illa ſiue memoria ſiue coniectura inchoatæ vitæ, ſi de ipſo Deo, qui vnus laborum animæ finis eſt, aliter quàm dignũ eſt opinatus, in ſcopulos errorum irruerem. Nec iſte ſermo ad id valuerit, vt quiſquam nos prohibere arbitretur, ne quærant qui potuerint ſecundum Scripturas diuinitùs inſpiratas, vtrum anima de anima propagetur, an ſuo cuique animanti ſingulæ in ipſo fiant, an ad regendum animandumq́; corpus diuino nutu alicunde mittantur, vel propria voluntate ſe inſinuẽt: ſi vel alicuius expediendæ neceſſariæ quæſtionis ratio flagitat iſta cõſiderare atq; diſcutere, vel à rebus magis neceſſariis ociũ ad hæc quærenda & differenda conceditur. Verùm ad id potius iſta dixerim, ne quis in re tali vel temerè ſuccenſeat ei, qui ſuæ opinioni humaniore fortaſſe dubitatio-

bitatione non cedit: aut etiam si quid hinc certi quis- A quam & liquidi comprehenderit, ideo putet alium spem perdidisse futurorum, quia præterita exorsa non recolit. CAPVT XXII. Quando excusset ignorantia.

Qvoqvo modo autem se istud habeat, siue omnino omittendum, siue nunc differendum, & aliàs considerandum sit, præsens tamen quæstio non impeditur, quo minus appareat integerrima & iustissima, & inconcussa atque incommutabili maiestate & substantia creatoris, supplicia peccatorum suorum animas luere: quæ peccata, vt iam diu disseruimus, non nisi propriæ voluntati earum tribuenda sunt, nec vlla interior peccatorum causa quærenda. Ignorantia verò & difficultas si naturalis est, inde incipit anima proficere, & ad cognitionem & requiē donec in ea perficiatur vita beata promoueri. Quē profectum in studiis optimis atq; pietate, quorum facultas ei non negata est, si propria voluntate neglexerit, iustè in grauiorem, quæ iam pœnalis est, ignorantiam difficultatemque præcipitatur, decentissimo & cōue- B nientissio rerum moderamine in inferioribus ordinante. Non enim quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatum: sed quod scire nō studuit, & quod dignam facultati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit. Loqui enim non nosse atque non posse, infanti naturale est: quæ ignorantia difficultasque sermonis non modò inculpabilis sub grammaticorum legibus, sed etiam humanis affectibus blanda & grata est. Nō enim vllo vitio illam facultatem comparare neglexit, aut vllo vitio quam comparauerat amisit. Itaque si nobis in eloquentia esset beatitudo constituta, atq; ita crimini duceretur cùm peccatur in linguæ sonis, quemadmodum cùm peccatur in actibus vitæ, nullius vtique argueretur infantia, quòd ab ea esset exorsus ad consequendam eloquentiam: sed planè meritò damnaretur, si suę voluntatis peruersitate vel ad eam recidisset, vel in ea remansisset. Sic etiam & nūc, si ignorantia veri, & difficultas recti naturalis est homini, vnde incipiat in sapientiæ quietisque beatitudinem surgere, nullus hanc ex initio naturali rectè arguit. Sed si proficere noluerit, aut à profectu retrorsum relabi voluerit, iure meritoque pœnas luet. Creator verò eius vbique laudatur, vel quòd eam ab ipsis exordiis ad summi boni capacitatē inchoauerit, vel quòd eius profectum adiuuet, vel quòd impleat proficientem atque perficiat: vel quòd peccantem, id est, aut ab initiis suis sese ad perfectionem attollere recusantem, aut iam ex profectu aliquo relabentem, iustissima damnatione pro meritis ordinat. Non enim propterea malam creauit, quia nondum tanta est, quanta vt proficiendo esse posset accepit: cum eius exordio perfectiones omnes corporum longè inferiores sint, quas tamen in suo genere laudabiles esse iudicat, quisquis de rebus sanissimè iudicat. Quòd ergo ignorat quid sibi agendum sit, ex eo est quod nondum accepit: sed D hoc quoque accipiet, si hoc quod accepit, bene vsa fuerit. Accepit autem vt piè & diligenter quærat, si volet. Et quòd agnoscens quid sibi agendum sit, non continuò valet implere, hoc quoque nondum accepit: præcessit enim quædā pars eius sublimior ad sentiendum quod rectè faciat bonum: sed quædam tardior atque carnalis non consequenter in sententiam ducitur: vt ex ipsa difficultate admoneatur eundē implorare adiutorem perfectionis suæ, quem inchoationis sentit autorem: vt ex hoc ei fiat charior, dum non suis viribus, sed cuius bonitate habet vt sit, eius misericordia subleuatur vt beata sit. Quanto autem charior illi est à quo est, tanto in eo firmius acquiescit, & tanto vberius æternitate eius perfruitur. Si enim arboris nouellum & rude virgultum nullo modo rectè sterile dicimus, quamuis aliquot æstates sine fructibus traijciat, donec opportuno tempore exprimat feracitatem suam: cur non autor animæ debita pietate laudetur, si ei tale tribuit exordium, vt studendo ac proficiendo ad frugem sapientiæ iustitiæque perueniat, tantumq; illi præstitit dignitatis, vt in eius etiam potestate poneret, si vellet ad beatitudinem tendere?

Hvic autem disputationi obijci ab imperitis solet quædam calumnia de mortibus paruulorum, & de quibusdam cruciatibus corporis, quibus eos sæpe videmus affligi. Dicunt enim, Quid opus erat vt nasceretur, qui antequam iniret vllum vitæ meritum, excessit è vita? Aut qualis in futuro iudicio deputabitur, cui neque inter iustos locus est, quoniam nihil rectè fecit, neque inter malos, quoniam nihil peccauit? Quibus respondetur: Ad vniuersitatis complexum, & totius creaturæ vel per locos vel per tempera ordinatissimam connexionem, non posse superfluo creari qualemcunque hominem, vbi folium arboris nullum superfluò creatur. Sed sanè superfluò quæri de meritis eius qui nihil meruerit. Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quædam inter rectè factum atque peccatum: & sententia iudicis media esse non possit inter præmium atque supplicium. Quo loco etiam illud perscrutari homines solent. Sacramentum baptismi Christi quid paruulis prosit, cum eo accepto plerunque moriuntur, prius quàm ex eo quicquam cognoscere potuerunt. Qua in re satis piè rectèq; creditur, prodesse paruulo eorum fidē à quibus consecrandus offertur. Et hoc ecclesiæ commēdat saluberrima autoritas, vt ex eo quisque sentiat quid sibi prosit fides sua, quādo in aliorum quoq; beneficium, qui propriam nondum habent, potest aliena commodari. Quid enim filio viduæ profuit fides sua, quā vtiq; mortuus non habebat, cui tamen profuit matris vt resurgeret? Quanto ergo potius fides aliena potest consulere paruulo, cui sua perfidia non potest imputari? De cruciatibus autem corporis, quibus affligūtur paruuli, quorum per ætatem nulla peccata sunt, si animæ quibus animantur, non prius quàm ipsi homines esse cœperunt, maior querela & quasi misericors deponi solet, cùm dicitur, Quid mali fecerunt vt ista paterentur? Quasi possit esse innocentiæ meritum, antequam quisque aliquid nocere possit. Cùm autem boni aliquid operatur Deus in emendatione maiorum, cum paruulorum suorum qui eis chari sunt, doloribus ac mortibus flagellantur: cur ista non fiant, quando cùm transierint pro non factis erunt in quibus facta sunt? propter quos autem facta sunt, aut meliores erunt, si temporalibus incommodis emēdati, rectius elegerint viuere: aut excusationē in futuri iudicij supplicio non habebunt, si vitæ huius ærumnis ad æternam vitam desideriū conuertere noluerint? Quis autē nouit quid paruulis, de quorum cruciatibus duritia maiorū contunditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur? Quis ergo nouit quid ipsis paruulis in secreto iudiciorum suorū bonæ compēsationis reseruet Deus? Qui quanquam nihil rectè fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt. Non enim frustra etiā infantes illos, qui cū Dominus Iesus Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in honorem martyrum receptos commendat ecclesia, quanquam isti calumniosi, & talium quæstionum non studiosissimi examinatores, sed loquacissimi ventilatores, etiā de pecorum doloribus & laboribus solent minus eruditorum solicitare fidem, cùm dicunt: Quid etiam pecora vel meruerunt mali, vt tanta patiantur incommoda, vel sperant boni, quia tantis exercentur incommodis? Sed hæc dicunt vel sentiunt, quia iniquissimè de rebus existimant, qui cū summum bonū quod & quantum sit aspicere nequeant, talia volunt esse omnia, quale putant esse summum bonū: præter enim

CAPVT XXIII. Cur infantes & innocentes sint afflīgātur.

De cōsec. dist. 4. cap. illud.

De origine ānimæ ad Hieronymum, epistol. cap. 17.

Matth. 2. & 16.

De origine ānimæ ad Hieronymum, epistol. cap. 14.

ſumma corpora quę cæleſtia ſunt, minusq; corruptioni ſubiacent, ſummum bonum cogitare non poſſunt: ideoque inordinatiſſimè flagitant, vt nec mortem nec vllam corruptionem patiantur corpora beſtiarũ, quaſi non ſint mortalia, cùm ſint infima: aut ideo mala ſint, quia ſunt cæleſtia meliora. Dolor autem quem beſtiæ ſentiunt, animarum etiam beſtialium vim quandam in ſuo genere mirabilem laudabilemq; commendat. Hoc ipſo enim ſatis apparet in regendis animandisq; ſuis corporibus, quàm ſint appetentes vnitatis. Quid
Dolor quid ſit. eſt enim aliud dolor, niſi quidam ſenſus diuiſionis vel corruptionis impatiens? Vnde luce clarius apparet quàm ſit illa anima in ſui corporis vniuerſitate auida vnitatis & tenax, quæ nec libenter, nec indifferenter, ſed potius renitenter & reluctanter intenditur in eam paſſionem corporis ſui, per quam eius vnitatem atque integritatem labefactari moleſtè accipit. Nõ ergo appareret quantus inferioribus creaturis animalibus eſſet appetitus vnitatis, niſi dolore beſtiarum. Quod ſi non appareret, minus quàm opus eſſet admoneremur ab illa ſumma & ſublimi & ineffabili vnitate creatoris eſſe omnia iſta cõſtituta. Et reuera ſi piè ac diligenter attendas, omnis creaturæ ſpecies & motus, qui in animi humani conſiderationem cadit, eruditionem noſtram loquitur, diuerſis motibus & affectionibus, quaſi quadam varietate linguarum, vndique clamans atque increpans cognoſcendum eſſe creatorem. Nulla enim res eſt earum, quæ nec dolorem, nec voluptatem ſentiunt, quæ non aliqua vnitate decus proprij generis aſſequatur, vel omnino naturæ ſuæ qualemcunque ſtabilitatem. Nulla item res eſt earũ quæ vel doloris moleſtias, vel blanditias ſentiunt voluptatis, quæ non eo ipſo quo dolorem fugit, voluptatemque appetit, diremptionem ſe fugere, vnitatemque appetere, fateatur. Inque ipſis rationalibus animis omnis appetitus cognitionis, qua illa natura lætatur, & ad vnitatem refert omne quod percipit, & in errore nihil fugit aliud quàm incomprehenſibili ambiguitate cõfundi. Omne autem ambiguum vnde moleſtum eſt, niſi quia certam non habet vnitatem? Ex quo apparet omnia, ſiue cùm offendunt vel offenduntur, ſiue cùm delectant vel delectantur, vnitatem inſinuare atque prædicare creatoris. Si autem ignorantia & difficultas, à quibus iſtam vitam neceſſe eſt incipere, non ſunt animis naturales, reſtat vt aut officio ſuſceptæ ſint, aut irrogatæ ſupplicio. De quibus iam ſatis eſſe arbitror
CAPVT XXIIII. *Mediũ quiddam inter ſapientiã & ſtultitiam.* diſputatum. QVAPROPTER ipſe primus homo qualis factus ſit, magis quærendum eſt, quàm quomodo eius poſteritas propagata ſit. Multum enim ſibi videntur acutè proponere quæſtionem qui dicunt: Si ſapiẽs factus eſt primus homo, cur ſeductus eſt? Si autem ſtultus factus eſt, quomodo non eſt Deus autor vitiorum, cùm ſit ſtultitia maximum vitium? Quaſi verò natura humana præter ſtultitiam & ſapientiam nullam mediam recipiat affectionem, quæ nec ſtultitia, nec ſapientia dici poſſit. Tunc enim homo incipit aut ſtultus eſſe aut ſapiens, vt alterum horum neceſſariò appelletur, cùm iam poſſet, niſi negligeret, habere ſapientiam, vt vitioſæ ſtultitiæ ſit voluntas rea. Non enim quiſquam ita deſipit, vt ſtultum appellet infantem, quamuis ſit abſurdior ſi velit appellare ſapientem. Vt ergo infans nec ſtultus nec ſapiens dici poteſt, quamuis iam homo ſit: ex quo apparet naturam hominis recipere aliquid medium, quod neque ſtultitiam, neq; ſapientiam rectè vocaueris: ita etiam ſi quiſquam tali affectione animatus eſſet, qualem habent illi qui per negligentiam ſapientia carent, nemo eum ſtultum rectè diceret quem non vitio, ſed natura
Stultitia quid. talem videret. Eſt enim ſtultitia rerum appetẽdarum & vitandarum non quælibet, ſed vitioſa ignorantia. Vnde neque animal irrationale ſtultum dicimus, quia non accepit vt ſapiens eſſe poſſet. Appellamus tamen plerunque ex ſimilitudine aliquid non propriè. Nam & cæcitas cùm maximum vitium ſit oculorum, non tamen in catulis naſcentibus vitium eſt, nec propriè cæcitas dici poteſt. Si ergo ita factus eſt homo, vt quãuis ſapiens nondum eſſet, præceptum tamẽ poſſet accipere, cui vtique obtemperare deberet: nec illud iam mirum eſt, quòd ſeduci potuit: nec illud iniuſtum, quod præcepto non obtemperãs pœnas luit: nec creator eius autor vitiorum eſt, quia non habere ſapientiam, nondum erat vitium hominis, ſi nondum vt haberet poſſet, acceperat. Sed tamẽ habebat aliquid, quo ſi bene vti vellet, ad id quod non habebat aſcenderet. Aliud eſt enim eſſe rationalem, aliud eſſe ſapientem. Ratione fit quiſque præcepti capax, cui fidem debet, vt quod præcipitur, faciat. Sicut autem natura rationis præceptum capit, ſic præcepti obſeruatio ſapientiam. Quod eſt autem natura ad capiendum præceptum, hoc eſt, voluntas ad obſeruandum. Et ſicut rationalis natura tanquã meritum eſt præcepti accipiẽdi, ſic præcepti obſeruatio meritum eſt accipiendæ ſapientiæ. Ex quo autem incipit homo præcepti eſſe capax, ex illo incipit poſſe peccare. Duobus autem modis peccat antequam fiat ſapiens. Si aut ſe nõ accommodet ad accipiendum præceptum, aut cùm acceperit non obſeruet. Sapiens autem peccat, ſi ſe auerterit à ſapientia. Sicut enim præceptum non eſt ab illo cui præcipitur, ſed ab illo qui præcipit: ſic ſapiẽtia non eſt ab illo qui illuminatur, ſed ab illo qui illuminat. Quid ergo eſt vnde non laudandus ſit hominis creator? Bonum eſt enim aliquod homo & melius quàm pecus, ex eo quod eſt præcepti capax. Et hoc melius, cùm præceptum iam cepit. Rurſus hoc melius, cum præcepto paruit. Et his omnibus melius, cum æterno lumine ſapientiæ beatus eſt. Peccatum autem malum eſt in negligentia, vel ad capiendum præceptum, vel ad obſeruandum, vel ad cuſtodiendam contemplationem ſapientiæ. Ex quo intelligitur, etiam ſi ſapiens primus homo factus eſſet, potuiſſe tamẽ ſeduci. Quod peccatum cùm eſſet in libero arbitrio, iuſta, diuina lege, pœna conſecuta eſt. Ita dicit etiam apoſtolus Pau- *Rom. 1. v. 22.*
lus, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Superbia enim auertit à ſapientia. Auerſionem autem ſtultitia conſequitur. Stultitia quippe cæcitas quædam eſt, ſicut idem dicit: Et obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Vnde autem hæc obſcuratio, niſi ex auerſione à lumine ſapientiæ? Vnde autem hæc auerſio, niſi dum ille cui bonum eſt Deus, ſibi ipſe vult eſſe bonum ſuum, ſicuti ſibi eſt Deus? Itaque ad meipſum, inquit, conturbata eſt anima mea. Et, Guſtate, & eritis ſicut dij. Turbat autem conſiderantes, quod ita quærunt. Stul- *Gen. 3. v. 5.*
titiáne primus homo receſſit à Deo, an recedẽdo ſtultus factus eſt. Quia ſi reſponderis eum ſtultitia receſſiſſe a ſapientia, videbitur ſtultus fuiſſe antequam recederet à ſapientia, vt ſtultitia illi cauſa eſſet recedẽdi. Item ſi reſponderis eum recedendo ſtultum eſſe factum, quærunt vtrum ſtultè, an ſapienter fecerit quòd receſſerit. Si enim ſapienter fecit, rectè fecit, nihilque peccauit: ſi ſtultè, iam erat, inquiunt, in eo ſtultitia, qua factum eſt vt recederet. Non enim ſtultè aliquid ſine ſtultitia facere poterat. Ex quo apparet eſſe quiddam medium, quo ad ſtultitiam à ſapientia tranſitur, quod neq; ſtulte, neque ſapienter factum dici poteſt, quod ab hominibus in hac vita conſtitutis non niſi ex contrario datur intelligi. Sicut enim nullus mortalium fit ſapiens, niſi à ſtultitia ad ſapientiam tranſeat: ipſe autem tranſitus ſi ſtultè fit, non vtique bene fit, quod dementiſſimum eſt dicere: ſi autem ſapienter fit, iam erat ſapientia in homine antequam tranſiret ad ſapientiam, quod nihilominus abſurdum eſt. Ex quo intelligitur eſſe medium, quod neutrũ dici poſſit. Ita

sit. Ita & ex arce sapientiæ, vt ad stultitiam primus homo transiret, nec stultus, nec sapiens transitus ille fuit. Velut in somno & vigiliis, neque id est dormire quod obdormiscere, neq; id est vigilare quod expergisci, sed transitus quidam ex altero in alterum. Verum hoc interest, quòd sine voluntate plerunque ista fiunt: illa autem nunquam nisi per voluntatem, vnde iustissimæ retributiones consequuntur. CAPVT XXV. *Non sentire, non est in nobis, sed nõ assentiri.* SED quia voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquod visum: quid autem quisq; vel sumat vel respuat, est in potestate, sed quo viso tangatur, nulla potestas est: fatendum est & ex superioribus & ex inferioribus visis animum tangi, vt rationalis substantia ex vtroque sumat quod voluerit, & ex merito sumendi vel miseria vel beatitas subsequatur. Velut in paradiso visum ex superioribus, præceptum Dei: visum ex inferioribus, suggestio serpentis. Nam neque quid sibi præciperetur à Domino, neque quid à serpẽte suggereretur, fuit in hominis potestate. Quàm sit autem liberum, & ab omnibus difficultatis vinculis expeditum, in ipsa sapientiæ sanitate constituto, non cedere visis inferioris illecebræ, vel hinc intelligi potest, quod etiam stulti ea superant ad sapientiam transituri, etiam cum molestia carendi pernicioſarum consuetudinum pestilentiosa dulcedine. Quæri autem hoc loco potest, si homini præsto fuerint ex vtraque parte visa, vnum ex præcepto Dei, alterum ex suggestione serpentis, vnde ipsi diabolo suggestum sit appetendæ impietatis consilium, quo de sublimibus sedibus laberetur. Si enim nullo viso tangeretur, non eligeret facere quod fecit: nam si non ei aliquid venisset in mentem, nullo modo intentionem conuertisset in nefas. Vnde igitur illi venit in mentem, quicquid illud est quod venit in mentem, vt ea moliretur quibus ex bono angelo diabolus fieret? Qui enim vult, profectò aliquid vult: quod nisi aut extrinsecus per sensum corporis admoneatur, aut occultis modis in mentem veniat, velle nõ potest. *Genera visorum.* Discernenda igitur sunt genera visorum, quorum vnum est quod proficiscitur à voluntate suadentis, quale illud est diaboli, cui homo consentiendo peccauit: alterum à subiacentibus rebus vel intentioni animi, vel sensibus corporis. Intentioni animi subiacet, excepta incommutabilitate trinitatis, quæ quidẽ non subiacet, sed eminet potius. Subiacet ergo intentioni animi prius ipse animus, vnde nos etiam viuere sentimus: deinde corpus quod administrat, vnde ad quodlibet operandũ membrum quod opus est, cùm opus est mouet. Subiacent autẽ sensui corporis quæcunq; corporea. Vt autem in contemplatione summæ sapiẽtiæ, quæ vtique animus non est, nam incommutabilis est, etiam seipsum qui est cõmutabilis animus intueatur, & sibi ipse quodammodo veniat in mentem, non fit nisi differentia, qua non est quod Deus, & tamen aliquid est quod possit placere post Deum. Melior est autem cùm obliuiscitur sui præ charitate incommutabilis Dei, vel seipsum penitùs in illius comparatione contemnit. Si autem tanquam obuius placet sibi ad peruersè imitandum Deum, vt potestate sua frui velit, tanto fit minor, quanto se cupit esse maiorem. Et hoc est initium omnis peccati superbia, & initium superbiæ hominis apostatare à Deo. *Eccl. 10.c. 14* Superbiæ autem diaboli accessit maleuolentissima inuidia, vt hanc superbiam homini persuaderet, per quam sentiebat sẽ esse damnatum. Vnde factum est, vt pœna hominem susciperet emendatoria potius quàm interfectoria, vt cui se diabolus ad imitationem superbiæ præbuerat, ei se Dominus ad imitationem humilitatis præberet, per quem nobis æterna vita promittitur: vt prærogato nobis Christi sanguine, post labores miseriasq; ineffabiles tanta charitate liberatori nostro inhæreamus, & tanta eius in eum claritate rapiamur, vt nulla nos visa ex inferioribus à conspectu superiore detorqueant: quanquam & si aliquid huic intentioni nostræ suggereretur ab appetitu inferiorum, sempiterna nos diaboli damnatio cruciatusque reuocarent. Tanta est autem pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis atq; sapientiæ, vt etiam si non liceret amplius in ea manere quàm vnius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ pleni deliciis & circũfluentia temporalium bonorum rectè meritoque contemnerentur. Non enim falso aut paruo affectu dictum est: Quoniam melior est dies vnus in atriis tuis super milia: quanquam & alio sensu possit intelligi, vt milia dierum in temporis mutabilitate intelligantur: vnius autem diei nomine incommutabilitas æternitatis vocetur. Nescio me aliquid prætermisisse, quod ex nostra responsione quantum Dominus præbere dignatus est, tuis interrogationibus desit: quanquam & si tibi aliquid occurrit, modus libri nos iam finem facere, & ab hac disputatione requiescere aliquando compellit. *Psal. 83. d. 11*

FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
DE VERA RELIGIONE LIBER.

S. Augustinus 1. retract. 13.

TVNC etiã de vera religione librũ scripsi, in quo multipliciter & copiosissimè disputatur vnũ verum Deũ; id est, trinitatẽ, patrem & filiũ & spiritũ sanctum, religione vera colendũ: & quanta misericordia eius, per tẽporalem dispensationẽ cõcessa sit hominibus Christiana religio, quæ vera religio est, & ad eundẽ cultum Dei quẽadmodum sit homo quadã ratione vita sua coaptãdus. Maximè tamen contra duas naturas Manichæorũ liber hic loquitur. In hoc libro quodã loco: Sit, inquã, tibi manifestũ atq; perceptum, nullũ errorem in religione esse potuisse, si anima pro Deo suo non coleret animã aut corpus aut phantasmata sua. Hic animã pro vniuersa creatura incorporali posui non loquens more scripturarũ, quæ animã quando nõ trãslato verbo vtũtur, nescio vtrũ velint intelligi nisi eam qua viuunt animalia mortalia, in quibus & homines sunt, quamdiu mortales sunt. Paulo pòst autẽ eundem sensum melius sum breuiusq; cõplexus, vbi dixi, Nõ ergo creaturæ potius quàm creatori seruiamus, nec euanescamus in cogitationibus nostris, & perfecta religio est. Creaturã quippe vno nomine vtramque, id est, spiritalem corporalemq; significaui. Restat quod ibi dixi, aut phãtasmata sua: propter quod hic dixi, nec euanescamus in cogitationibus nostris. Item quod dixi, Ea est nostris temporibus Christiana religio, quam cognoscere ac sequi securissima & certissima salus est, secũdum hoc nomen dictum est, non secundum ipsam rem, cuius hoc nomen est. Nam res ipsa quæ nunc Christiana religio nuncupatur, erat & apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret *Rom. 1. c. 21.*

Religionem Christianam apud antiquos fuisse.

veniret in carne, vnde vera religio quæ iam erat, cœ-
Act.11.d.26 pit appellari Christiana. Cùm enim eum post re-
surrectionem ascensionemque in cælum cœpissent
Discipuli Christiani vbi primum appellati. Apostoli prædicare, & plurimi crederent, primum a-
pud Antiochiam, sicut scriptum est, appellati sunt di-
scipuli Christiani. Propterea dixi, Hęc est nostris tem-
poribus Christiana religio: non quia prioribus tẽpori-
bus non fuit, sed quia posterioribus hoc nomen acce-
pit. Alio loco: Intende igitur, inquam, in hæc quæ se-
quuntur diligenter & piè quantum potes: tales enim
adiuuat Deus. Quod non ita intelligendum est, quasi
tantummodo tales adiuuet, cùm adiuuet etiam non
tales, vt sint tales, id est, vt diligenter & piè quærant.
Cap.12. Tales autem adiuuat vt inueniant. Itemque alibi: De-
inde, inquam, iam erit consequens, vt post mortẽ cor-
poralem quam debemus primo peccato, donec tem-
pore suo atque ordine suo hoc corpus restituatur pri-
stinæ stabilitati. Quod sic accipiẽdum est, quia etiam
pristina stabilitas corporis quam peccando amisimus,
habebat tantam felicitatem, vt in defectum non ver-
geret senectutis. Huic ergo pristinę stabilitati restitue-
tur hoc corpus in resurrectione mortuorum. Sed ha-
bebit amplius, vt nec alimentis corporalibus sustẽ-
tetur: sed ad sufficientiam viuificetur solo spiritu, cùm
resurrexerit in spiritum viuificãtem, qua causa etiam
spirituale erit. Illud autem quod primum fuit, quamuis
non moriturum nisi homo peccasset, tamen animale
Cap. 14. factum est, hoc est, in animam viuentem. Et alibi: Vsq;
adeo, inquam, peccatum voluntarium malum est, vt
nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Po-
test videri falsa hæc definitio, sed si diligẽter discutia-
tur, inuenietur esse verissima. Peccatum quippe illud
cogitandum est, quod tãtummodo peccatum est, non
quod est etiam pœna peccati, sicut superius ostendi,
cũ quædam commemorarẽ ex libro tertio de libero
arbitrio. Quamuis & illa quæ nõ immeritò nõ volun-
taria peccata dicuntur, quia vel à nescientibus vel à co-
actis perpetrantur, non omnino possunt sine voluntate committi: quoniam & ille qui peccat ignorans, voluntate vtique facit, quod cùm faciendum non sit, pu-
Gal.5.c.17. tat esse faciendum. Et ille qui concupiscente aduersus
al. volens, spiritum carne, non ea quæ vult facit, concupiscit quidem † nolens, & in eo non facit quod vult. Sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens, & in eo nõ facit nisi quod vult, liber scilicet iustitiæ, seruusq; peccati. Et illud quod in paruulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non vtantur arbitrio voluntatis, non absurdè vocatur etiam voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quo-
al. voluntarium. dammodo † hęreditarium. Non itaq; falsum est quod dixi: Vsqueadeo peccatum volũtarium malum est, vt nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium. Ideo gratia Dei non solum reatus omnium præteritorum soluitur in omnibus qui baptizantur in Christo, quod fit spiritu regenerationis, verumetiam in grandibus voluntas ipsa sanatur, & præparatur à Domino, quod fit spiritu fidei & charitatis. Alio loco in eo quod dixi
Cap. 16. de Domino Iesu Christo: Nihil egit vi, sed omnia suadendo & monendo: non mihi occurrerat quod
Matth.21.b.12. vendentes & ementes flagellando eiecit de templo.
Matth.8.b.16. Sed quid hoc, aut quantum est? Quamuis & dęmones nolentes ab hominibus, non sermone suasionis, sed vi
Cap. 25. potestatis eiecerit. Item alio loco: Prius, inquam, isti sequendi sunt, qui vnum Deum summum, solum verum Deum & solum colendũ esse dicunt, si apud hos veritas non eluxerit, tunc demum migrandum est. Quod ita potest videri dictum, quasi de huius religionis veritate dubitauerim. Dixi autem sicut ei cõgruebat ad quem scribebam. Sic enim dixi: Si apud hos veritas non eluxerit, nihil dubitans quod apud eos e-
1.Cor.15.b.24. luceſceret, quemadmodum ait Apostolus: Si Christus non resurrexit: non vtique dubitãs quòd resurrexerit. Item quod dixi, Nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit: verũ est quidem: non enim nunc vsque, cùm manus imponitur baptizatis, sic accipiunt spiritum sanctum, vt loquantur linguis omnium gentium: aut nunc vsque ad vmbram transeuntium prędicatorum Christi sanantur infirmi, & si qua talia tunc facta sunt, quæ postea cessasse manifestum est. Sed non sic accipiendum est quod dixi, vt nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse quando istum ipsum librũ scripsi ad Mediolanensium corpora martyrum, in eadem ciuitate cæcum illuminatum fuisse iam noueram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiũt, vt nec omnia cognoscere, nec ea quæ cognoscimus enumerare possimus. Et alio loco illud quod Cap.41.
B dixi: Sicut ait Apostolus, Omnis ordo à Deo est: non Rom.13.a.1. eisdem verbis hoc dixit Apostolus, quamuis eadem videatur esse sententia. Ait quippe ille: Quæ autem Cap.30. & sunt, à Deo ordinata sunt. Et alibi: Prorsus, inquam, 41. nemo nos fallat: quicquid rectè vituperatur, in melioris comparatione respuitur. Hoc de substantiis atque naturis dictum est: inde enim disputabatur, non de bonis actionibus atque peccatis. Itemq; alibi: Sed nec sic Cap.46. quidem, inquam, ab homine homo diligendus est, vt diliguntur carnales fratres, vel filij, vel coniuges, vel quicunque cognati, aut affines, aut ciues. Nam & ista dilectio temporalis est. Non enim vllas tales necessitudines haberemus, quæ nascendo & moriendo contingunt, si natura nostra in præceptis & imagine Dei manens, in istam corruptionem non relegaretur. Hũc sensum prorsus improbo, quem iam & superius improbaui in primo libro de Genesi contra Manichæos. Cap.19. Ad hoc enim ducit, vt credantur illi coniuges primi
C non generaturi posteros homines, nisi peccassent: tanquam necesse fuerit vt morituri gignerentur, si de cõcubitu maris & fœminæ gignerentur. Nondum enim videram fieri potuisse, vt non morituri de non morituris nascerentur, si peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura: ac per hoc si & in parentibus & in filiis fœcunditas felicitasque manssisset, vsque ad certum sanctorum numerum, quem prædestinauit Deus, nascerentur homines non parentibus successuri morientibus, sed cum viuentibus regnaturi. Essent ergo etiam istæ cognationes atque affinitates, si nullus delinqueret, nullusque moreretur. Item alio loco, Ad vnum Deum tendentes, inquam, & ei v- Cap.55.
D ni religantes animas nostras, vnde religio dicta creditur, omni superstitione careamus. In his verbis meis ratio quæ reddita est, vnde sit dicta religio, plus mihi placuit. Nam non me fugit aliam nominis huius originem expossuisse Latini sermonis autores, quod inde sit appellata religio, quod religitur: quod verbũ compositum est à legendo, id est, eligendo, vt ita Latinum videatur religo, sicut eligo. Hic liber sic incipit:

CAP. I. Philosophi de religione quid senserint.



VM omnis vitæ bonæ ac beatę via in vera religione sit constituta, qua vnus Deus colitur, & purgatissima pietate cognoscitur, principiũ naturarum omnium à quo vniuersitas & inchoatur & perficitur & cõtinetur: hinc euidentius error deprehenditur eorum populorum, qui multos deos colere, quàm vnum verum Deum, & Dominũ omnium maluerunt, quod eorum sapientes, quos Philosophos vocant, scholas habebant dissentientes & templa communia. Non enim vel populos vel sacerdotes latebat, de ipsorum deorum natura quàm diuersa sentirent,

tirent, cùm ſuam quiſque opinionem publicè profiteri non formidaret, atque omnibus ſi poſſet perſuadere moliretur, omnes tamen cum ſectatoribus ſuis diuerſa & aduerſa ſentientibus, ad ſacra communia nullo prohibente veniebant. Non nunc agitur quis eorum verius ſenſerit, ſed certè illud ſatis, quantum mihi videtur, apparet, aliud eos in religione ſuſcepiſſe cum populo, & aliud eodem ipſo populo audiente defendiſſe priuatim.

CAP. II. De diis quid Socrates ſenſerit.

SOCRATES† tamen audacior cæteris fuiſſe perhibetur, iurando per canem quemlibet, & lapidem quemlibet, & quicquid iuraturo eſſet in promptu; & quaſi ad manum occurriſſet. Credo intelligebat qualiacunque opera naturæ, quæ adminiſtrante diuina prouidentia gignerentur, multo quàm hominum & quorumlibet opificum eſſe meliora, & ideo diuinis honoribus digniora, quàm ea quæ in templis colebantur. Non quod verè lapis & canis eſſent colenda ſapientibus, ſed vt hoc modo intelligerent qui poſſent, tanta ſuperſtitione demerſos eſſe homines, vt emergentibus hic eſſet tam turpis demonſtrandus gradus: ad quem venire ſi puderet, viderent quanto magis pudendum eſſet in turpiore conſiſtere. Simul & illos qui mundum iſtum viſibilem, ſummum Deum eſſe opinabantur, admonebat turpitudinis ſuæ, docens eſſe conſequens, vt quilibet lapis tanquam ſummi Dei particula iure coleretur. Quod ſi execrarentur, mutarent ſententiam, & vnum Deum † colerent, quem ſolum ſupra mentes noſtras eſſe, & à quo omnem animam & totum iſtum mundum fabricatum eſſe conſtaret. Poſtea ſuauius ad legendum, quàm potentius ad perſuadendum ſcripſit Plato. Non enim ſic iſti nati erant, vt populorum † ſuorum opinionem ad verum cultum veri Dei à ſimulachrorum ſuperſtitione, atque ab huius mundi vanitate conuerterent. Itaque & ipſe Socrates cum populo ſimulachra venerabatur, & poſt eius damnationem mortemque nemo auſus eſt iurare per canem nec appellare quemcunque lapidem Iouem, ſed hæc tantummodo memoriæ litesque mandare. Quod vtrum timore ſeueritatis, an aliqua cognitione temporum fecerint, iudicare non eſt meum.

tanquam

Mundus hic pro Deo habitus.

al. quærerent,

al. ipſorum

CAPVT III. Pagani mire conuerſi ad Chriſtum.

ILLVD tamen fidentiſſimè dixerim, pace horum omnium, qui eorum libros peruicaciter diligunt, Chriſtianis temporibus quænam religio potiſſimum tenenda ſit, & quæ ad veritatem ac beatitatem via eſt, non eſſe dubitandum. Si enim Plato ipſe viueret, & me interrogantem non aſpernaretur, vel potius, ſi quis eius diſcipulus eo ipſo tempore quo viuebat, eum interrogaret: cùm ſibi ab illo perſuaderetur, non corporeis oculis, ſed pura mente veritatem videri, cui quæcunque anima inhæſiſſet, eam beatam fieri atque perfectam: ad quam percipiendam nihil magis impedire, quàm vitam libidinibus deditam & falſas imagines rerum ſenſibilium, quę nobis ab hoc ſenſibili mundo per corpus impreſſæ, varias opiniones erroresque generarent: quamobrem ſanandum eſſe animum ad intuendam incommutabilem rerum formam, & eodem modo ſemper ſe habentem, atque vndique ſui ſimilem pulchritudinem, nec diſtentam locis, nec tempore variatam, ſed vnum atque idem omni ex parte ſeruantem, quam non crederent eſſe homines, cùm ipſa verè ſummeque ſit: cætera naſci, occidere, fluere, labi, & tamen inquantum ſunt, ab illo æterno Deo per eius veritatem fabricata conſiſtere: in quibus animæ tantùm rationali & intellectuali datum eſt, vt eius æternitatis contemplatione perfruatur atque afficiatur, orneturque ex ea, æternamque vitam poſſit mereri. Sed dum naſcentium atque tranſeuntium rerum amore ac dolore † ſauciatur, & dedita conſuetudini huius vitæ atq; ſenſibus corporis, inanibus euaneſcit imaginibus,

Ex Platone.

al. ſatiatur,

irridet eos, qui dicunt eſſe aliquid, quod nec iſtis videatur oculis, nec vllo phantaſmate cogitetur, ſed mente ſola & intelligentia cerni queat. Cùm hæc ergo à magiſtro ſibi perſuaderentur, ſi ex eo quæreret ille diſcipulus, vtrũ ſi quiſquam exiſteret vir magnus atque diuinus, qui talia populis perſuaderet credenda ſaltem, ſi percipere non valerent, aut ſi qui poſſent percipere, non prauis opinionibus multitudinis implicati, vulgaribus obruerentur erroribus, eum diuinis honoribus dignum iudicaret: reſponderet credò ille, non poſſe hoc ab homine fieri, niſi quem fortè ipſa Dei virtus atque ſapientia ab ipſa rerum natura exceptum, nec hominum magiſterio, ſed intima illuminatione ab incunabulis illuſtratum, tanta honeſtaret gratia, tanta firmitate roboraret, tanta denique maieſtate ſubueheret, vt omnia contemnendo quæ praui homines cupiunt, & omnia perpetiendo, quæ horreſcunt, & omnia faciendo quæ mirantur, genus humanum ad tam ſalubrem fidem ſummo amore atque autoritate conuerteret. De honoribus verò eius fruſtra ſe conſuli, cùm facilè poſſit exiſtimari quantum honoris debeatur ſapientiæ Dei, qua geſtante & gubernante ille pro vera ſalute generis humani, magnum aliquid proprium, & quod ſupra homines eſſet mereretur. Quæ ſi facta ſunt, ſi literis monumentisque celebrantur, ſi ab vna regione terrarum, in qua ſola vnus colebatur Deus, & vbi talem naſci oportebat, per totum orbem terrarum miſſi electi viri, virtutibus atque ſermonibus diuini amoris incendia concitarunt: ſi confirmata ſaluberrima diſciplina, illuminatas terras poſteris reliquerunt: & ne de præteritis loquar, quæ poteſt quiſque non credere, ſi hodie per gentes populosque prædicatur: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Si ad hoc percipiendum, diligendum, perfruendum, vt anima ſanetur, & tantæ luci hauriendæ mentis acies conualeſcat, dicitur auaris: Nolite vobis condere theſauros in terra, vbi tinea & ærugo exterminant, & vbi fures effodiunt & furantur, ſed theſaurizate vobis theſauros in cælo, vbi neque tinea neque rubigo exterminat, neque fures effodiunt, neque furantur: vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Dicitur luxurioſis: Qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem: qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Dicitur ſuperbis: [a] Qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Dicitur iracundis; [b] Accepiſti alapam, para alteram maxillam. Dicitur diſcordioſis: [c] Diligite inimicos veſtros. Dicitur ſuperſtitioſis: [d] Regnum Dei intra vos eſt. Dicitur curioſis: [e] Nolite quærere quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt. Poſtremò dicitur omnibus: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: quoniam omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſæculi. Si hæc per totum orbem iam populis leguntur, & cum veneratione libentiſſimè audiuntur: ſi poſt tantum ſanguinem, tantos ignes, tot cruces martyrum, tanto fertilius & vberius vſque ad barbaras nationes Eccleſiæ pullularunt: ſi tot iuuenum & virginum milia contemnentium nuptias, caſteque viuentium, iam nemo miratur: quod cùm feciſſet Plato, vſqueadeò peruerſam temporum ſuorum timuit opinionem, vt perhibeatur ſacrificaſſe naturæ, vt tanquam peccatum illud aboleretur: ſi hæc ſic accipiuntur, vt quomodo antea talia diſputare, ſic nunc contra diſputare monſtruoſum ſit: ſi tali pollicitatione atque ſpõſioni per omnes terrarum partes quas homines incolunt,

Ioan. 1. a. 1.

Galat. 6. b. 8.

a Luc. 14. c. 11.

b Matth. 5. f. 38.

c Luc. 6. e. 35.

Matth. 5. g. 44.

d Luc. 17. c. 21.

e 2. Cor. 4. d. 18

1. Ioan. 2. c. 15.

Matth. 6. c. 19

facta

sacra Christiana traduntur: si hæc quotidie leguntur in ecclesiis,& à sacerdotibus exponuntur: si tundunt pectora qui conantur hæc implere, si tam innumerabiles aggrediuntur hanc viam, vt desertis diuitiis & honoribus huius mundi ex omni hominum genere vni Deo summo totam vitam dicare volentium,desertæ quondam insulæ, ac multarum terrarum solitudo compleatur: si denique per vrbes atque oppida,castella,vicos & agros etiam villasque priuatas intantum apertè persuadetur & appetitur à terrenis auersio, & in vnum Deum verumque conuersio, vt quotidie per vniuersum orbem humanum genus vna penè voce respondeat, sursum corda se habere ad Dominum, quid adhuc oscitamus crapulam hesternã, & in mortuis pecudibus diuina eloquia perscrutamur? Si quando autem ad disputationem venitur,Platonico nomine ora crepãtia,quàm pectus vero plenum, magis habere gestimus.

CAPVT IIII. *De amore cæstium.*

Qvi ergo sensibilem istum mundum contemnere & animam virtute purgandam, summo Deo subijcere atq; subiugare,vanum aut malum putant,alia ratione refellendi sunt: si tamen cum his dignum est disputare. Qui autem bonum & appetendum fatentur, cognoscant Deum & cedant Deo, per quem populis iam omnibus hæc credenda persuasa sunt. Quod vtique ab ipsis fieret,si tantum valerẽt: aut si non fieret, crimen inuidentiæ vitare non possent. Ergo cedant ei à quo factum est, nec curiositate aut inani iactantia impediantur quo minus agnoscãt, quid interfit inter paucorum tumidas coniecturas, & manifestam salutem correptionemque populorum. Illi enim si reuiuiscerent,quorum isti nominibus gloriantur, & inuenirent refertas ecclesias, templaq; deserta,& à cupiditate bonorum temporalium & fluentium ad spem vitæ æternę,& bona spiritalia & intelligibilia vocari & currere humanum genus, dicerent fortasse (si tales essent quales fuisse memorantur) hæc sunt quæ nos persuadere populis non ausi sumus, & eorum potius consuetudini cessimus,quàm illos in nostram fidem voluntatemque traduximus. Itaque si hác vitam illi viri nobiscum rursum agere potuissent, viderent profectò cuius autoritate facilius consuleretur hominibus, & paucis mutatis verbis atq; sententiis Christiani fierent, sicut plerique recentiorum nostrorumque temporum Platonici fecerunt. Aut si hoc non faterentur neque facerent, in superbia & inuidia remanẽtes, nescio vtrum possent ad ea ipsa quæ appetenda & desideranda esse dixerant, cum istis fortibus viscoque reuolare. Nam tertio vitio curiositatis in percontandis dæmonibus, quo isti maximè cũ quibus nunc agitur pagani à Christiana salute reuocãtur: quia nimis puerile est,nescio vtrum tales illi præpediantur viri.

Platonici minimũ absunt à Christianis.

In Phædro, itẽ 6. de Legibus, & Timæo.

CAP. V. *In quibus sectis vera religio.* *al.* habebat

Sed quoquo modo se habeat philosophorum iactantia, illud cuiuis intelligere facile est, religionem ab eis non esse quærẽdam, qui eadem sacra susciebant cum populis,& de suorum deorum natura ac summo bono, diuersas contrariasque sententias in scholis suis eadem teste multitudine personabant. Quod si hoc vnum tantum vitium Christiana disciplina sanatum videremus,ineffabili laude prędicandam esse, neminem negare oporteret. Hæreses namque tam innumerabiles à regula Christianitatis auersæ, testes sunt non admitti ad communicanda sacramenta eos, qui de patre Deo, & sapientia eius, & munere diuino aliter sentiunt, & hominibus persuadere conantur,quàm veritas postulat. Sic enim creditur, & docetur quod est humanæ salutis caput, non aliam esse philosophiam, id est, sapientiæ studium, & aliam religionem,cùm ij quorum doctrinam non approbamus, nec sacramenta nobiscum communicant. Quod in illis minus mirandum est, qui eorum quoq; sacramentorum ritu dispares esse voluerunt, sicut nescio qui serpentini, qui appellantur † Manichæi, sicut alij nonnulli. Sed in illis magis animaduertendum hoc magisque prędicandum,qui paria sacramenta celebrantes: tamen quia sententia dispares sunt,& errores suos animosius defendere quàm cautius corrigere maluerunt,excluſi à catholica communione,& à participatione,quamuis parium sacramentorum,propria vocabula propriosque conuentus, non in sermone tantum, sed etiam in superstitione meruerũt: vt Photiniani, Arriani, multique præterea. Nam de iis qui schismata fecerunt, alia quæstio est. Posset enim eos area Dominica vsque ad tempus vltimæ ventilationis velut paleas sustinere, nisi vento superbiæ nimia leuitate cessissent, & sese à nobis vltrò separassent. Iudæi verò quamuis vni omnipotenti Deo supplicent, sola tamen temporalia & visibilia bona de illo expectantes,rudimenta noui populi ab humilitate surgentia,in ipsis suis scripturis nimia securitate noluerunt aduertere, atque ita in veteri homine remanserunt. Quæ cùm ita sint, neque in confusione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neq; in languore schismaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda est religio, sed apud eos solos, qui Christiani, catholici, vel orthodoxi nominantur, id est, integritatis custodes,& recta sectantes.

al. sicut Manichæi,

Photiniani & Arriani.

CAPVT VII. *Et bonis & malis vtitur ecclesia.*

Hæc enim ecclesia catholica per totum orbem validè lateq; diffusa, omnibus errantibus vtitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem cùm euigilare voluerint. Vtitur enim gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suę,schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ. Alios ergo inuitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit, omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem: siue illi informandi sint adhuc,siue reformandi,siue recolligendi, siue admittendi. Carnales autem suos, id est, viuentes aut sentientes carnaliter,tanquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora sunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area pro voluntate quisque, vel palea vel frumentum est, tamdiu sustinetur peccatum aut error cuiuslibet,donec aut accusatorẽ inueniat, aut prauam opinionem pertinaci animositate defendat. Excluſi autem aut pœnitendo redeũt, aut in nequitiam malè liberi defluunt ad admonitionem nostræ diligentiæ: aut schisma faciunt ad exercitationem nostræ patientiæ: aut hæresim aliquam gignunt ad examen siue occasionem nostræ intelligentiæ. Hi sunt exitus Christianorum carnalium,qui non potuerunt corrigi aut sustineri. Sæpe etiam finit diuina prouidentia per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione Christiana,etiam bonos viros. Quam cõtumeliam vel iniuriam suam cum patientissimè pro ecclesiæ pace tulerint,neque vllas nouitates vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quàm vero affectu, & quanta synceritate charitatis Deo seruiẽdum sit. Talium ergo virorum propositum est, aut sedatis remeare turbinibus: aut si id non sinantur, vel eadem tempestate perseuerãte, vel ne suo reditu talis aut sæuior oriatur, tenent voluntatem consulendi, etiam eis ipsis quorum motibus perturbationibusque cesserunt, sine vlla conuenticulorũ segregatione vsq; ad mortem defendentes, & testimonio iuuantes eã fidem,quam in ecclesia catholica prædicari sciunt. Hos coronat in occulto pater, in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt: imò plura sunt quàm credi potest. Ita omnibus generibus hominum & exemplorum ad animarum curationem, & ad institutionem spiritalis populi, vtitur diuina prouidentia.

Constantia sanctorum pro ecclesia.

CAP. VII. *Catholica ecclesia laus.*

Qvam obrem cùm ante paucos annos promiserim tibi scribere, chariſſi-

Munus diuinum, Spiritus sanctus.

chariſſime mihi Romaniane, quid de vera religione ſentirem, tempus nunc eſſe arbitratus ſum, poſtquam tuas acerrimas interrogationes, ſine vllo certo fine fluctuare, ea charitate qua tibi obſtrictus ſum, diutius ſuſtinere non poſſum. Repudiatis igitur omnibus, qui neque in ſacris philoſophantur, nec in philoſophia conſecrantur: & iis qui vel praua opinione, vel aliqua ſimultate ſuperbientes, à regula & communione eccleſiæ catholicæ deuiarunt: & iis qui ſanctarum ſcripturarum lumen, & ſpiritalis populi gratiã, quod nouum Teſtamentum vocatur, habere noluerunt, quos quanta potui breuitate perſtrinxi. Tenenda eſt nobis Chriſtiana religio, & eius eccleſiæ communicatio quæ catholica eſt, & catholica nominatur, non ſolũ à ſuis, verumetiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintve ipſi quoque hæretici, & ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quàm catholicam vocant. Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc eam nomine diſcernant, quo ab vniuerſo orbe nuncupatur. Huius religionis ſectandæ caput eſt hiſtoria & prophetia diſpenſationis temporalis diuinæ prouidentiæ, pro ſalute generis humani in æternum vitam reformandi atq; reparandi. Quæ cùm credita fuerit, mentem purgabit vitæ modus de diuinis præceptis conciliatus, & idoneam faciet ſpiritalibus percipiendis, quæ nec præterita ſunt, nec futura, ſed eodem modo ſemper manentia, nulli mutabilitati obnoxia, id eſt, vnum ipſum Deum patrem & filium & ſpiritum ſanctum: qua trinitate quantum in hac vita datum eſt cognita, omnis intellectualis & animalis & corporalis creatura, ab eadem trinitate creatrice eſſe inquãtum eſt, & ſpeciem ſuam habere, & ordinatiſſimè adminiſtrari, ſine vlla dubitatione perſpicitur: non vt aliam partem totius creaturæ feciſſe intelligatur pater, & aliam filius, & aliam ſpiritus ſanctus, ſed & ſimul omnia & vnãquamque naturam patrem feciſſe per filium in dono ſpiritus ſancti. Omnis enim res vel ſubſtantia vel eſſentia vel natura, vel ſi quo alio verbo melius enunciatur, ſimul hæc tria habet, vt & vnum aliquid ſit, & ſpecie propria diſcernatur à cæteris, & rerum ordinem non excedat.

CAPVT VIII. *Varietas ſectarum profuit eccleſiæ.*

Quo cognito, ſatis apparebit quantum homo aſſequi poteſt, quàm neceſſariis & inuictis, & iuſtis legibus, Deo & Domino ſuo cũcta ſubiecta ſint: ex quo illa omnia quæ primo credidimus, nihil niſi autoritatem ſecuti, partim ſic intelliguntur, vt videamus eſſe certiſſima: partim ſic vt videamus fieri poſſe, atque ita fieri oportuiſſe, doleamusque illos hæc non credentes, qui nos antea credentes irridere, quàm nobiſcum credere maluerunt. Non enim iam illa hominis ſacroſancta ſuſceptio, & virginis partus, & mors filij Dei pro nobis, & reſurrectio à mortuis, & in cælum aſſenſio, & conſeſſus ad dexteram patris, & peccatorum abolitio, & iudicij dies, & corporum reſuſcitatio, cognita æternitate trinitatis & mutabilitate creaturæ creduntur tantum, & non etiam iudicãtur ad ſummi Dei miſericordiam, quam generi humano exhibet, pertinere. Sed quoniam veriſſimè dictum eſt: Oportet multas hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant inter vos, vtamur etiam iſto diuinæ prouidentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiam ſi eſſent in eccleſia, nihilominus errarent. Cùm autem foris ſunt, plurimum proſunt, non verum docendo, quod neſciunt: ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpiritales catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in eccleſia ſancta Deo probati viri, ſed manifeſti non fiunt inter nos quamdiu imperitiæ noſtræ tenebris delectati dormire malumus, quàm lucem veritatis intueri. Quapropter multi vt diem Dei videant & gaudeant, per hæreticos de ſomno excitantur. Vtamur igitur etiam hæreticis, non vt eorum approbemus errores, ſed vt catholicam diſciplinam aduerſus eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores & cautiores ſimus, etiãſi eos ad ſalutẽ reuocare non poſſumus.

1. Cor. 11. d. 19.

CAP. IX. *Manichæorũ error de duabus animabus.*

Credo autem affuturum Deum, vt iſta ſcriptura præcedente pietate legentibus bonis, non aduerſus vnam aliquam, ſed aduerſus omnes prauas & falſas opiniones poſſit valere. Contra eos tamen potiſſimum eſt inſtituta, qui duas naturas vel ſubſtantias ſingulis principiis aduerſus inuicem rebelles eſſe arbitrantur. Offenſi enim quibuſdam rebus, & rurſus quibuſdam delectati, non earum quibus offenduntur, ſed earum quibus delectantur, volunt eſſe autorem Deum. Et cùm conſuetudinem ſuam vincere nequeunt, iam carnalibus laqueis irretiti, duas animas eſſe in vno corpore exiſtimant: vnam de Deo, quæ naturaliter hoc ſit quod ipſe: alteram de gente tenebrarum, quam Deus nec genuerit, nec fecerit, nec protulerit, nec abiecerit, ſed quæ ſuam vitam, ſuam terram, ſuos fœtus & animalia, ſuum poſtremum habuerit regnum, ingenitumque principium: ſed quodam tempore aduerſus Deum rebellaſſe, Deum autem cùm aliud quod faceret non haberet, & quomodo aliter poſſet hoſti reſiſtere non inueniret, neceſſitate oppreſſum miſiſſe huc animam bonam, & quandam particulam ſuæ ſubſtantiæ, cuius commixtione atque † miſcela hoſtem temperatum eſſe ſomniant, & mundum fabricatum. Neque nunc opiniones eorum refellimus, quod partim iam fecimus, partim quantum Deus fiuerit faciemus: ſed in hoc opere quomodo aduerſus eos fides catholica tuta ſit, & quomodo non perturbent animum ea, quibus commoti homines in eorum cedunt ſententiam, rationibus quas Dominus dare dignatur, quantum poſſumus demonſtramus. Illud ſanè in primis tenere te volo, qui bene noſti animum meum, non hoc me fugiendæ arrogantiæ gratia quaſi ſolenniter dicere, quicquid in his literis erroris inueniri poterit, hoc ſolum mihi eſſe tribuendum: quicquid autem verum & conuenienter expoſitum, vni omnium bonorum munerum largitori Deo.

† al. miſeria

1. Retract. cap. 13.

CAP. X. *Error vnde, & quomodo defenditur vera religio.*

Quamobrem ſit tibi manifeſtum atque perceptum, nullum errorem in religione eſſe potuiſſe, ſi anima pro Deo ſuo non coleret animam, aut corpus, aut phantaſmata ſua, aut horum aliqua duo coniuncta, aut certè ſimul omnia: ſed in hac vita ſocietati generis humani ſine dolo temporaliter congruens, æterna meditaretur, vnum Deum coleret: qui niſi permaneret incommutabilis, nulla mutabilis natura remaneret. Mutari autem animam poſſe, non quidem localiter, ſed tamen temporaliter, ſuis affectionibus quiſque cognoſcit. Corpus verò & temporibus & locis eſſe mutabile, cuiuis aduertere facile eſt. Phantaſmata porrò nihil ſunt aliud quàm de ſpecie corporis corporeo ſenſu attracta figmenta: quæ memoriæ mandare vt accepta ſunt, vel partiri, vel multiplicare, vel contrahere, vel diſtendere, vel ordinare, vel perturbare, vel quolibet modo figurare cogitando facillimum eſt, ſed cùm verum quæritur, cauere & vitare difficile. Non ergo creaturæ potius, quàm creatori ſeruiamus, nec euaneſcamus in cogitationibus noſtris, & hæc perfecta religio eſt. Æterno enim creatori adhærentes, & nos æternitate afficiamur neceſſe eſt. Sed quia hoc anima peccatis ſuis obruta & implicata per ſeipſam videre ac tenere non poſſet, nullo in rebus humanis ad diuina capeſſenda interpoſito gradu per quem ad Dei ſimilitudinem à terrena vita homo niteretur, ineffabili miſericordia Dei temporali diſpenſatione per creaturam mutabilem, ſed tamen æternis legibus ſeruientem ad commemorationem primæ ſuæ perfectæque naturæ, partim ſingulis hominibus, partim verò ipſi hominum generi ſubuenitur.

1. Retract. cap. 13.

Ex eſt

Ibidem. Ea est nostris temporibus Christiana religio, quã cognoscere ac sequi, securissima & certissima salus est. Defendi autem aduersus loquaces, & aperiri quærentibus, multis modis potest. Omnipotẽte ipso Deo per seipsum demonstrante, quę vera sunt, & ad hæc intuẽda & percipienda, bonas voluntates per bonos angelos & quoslibet homines adiuuante. Eo modo autem quisque vtitur, quem videt congruere iis cum quibus agit. Ego itaque diu multumque considerans, quales oblatrantes, & quales quærẽtes expertus sim, vel qualis ipse, siue cùm latrarem, siue quum quærerem fuerim, hoc modo mihi vtendum putaui: quæ vera esse perspexeris, tene, & ecclesiæ catholicæ tribue, quæ falsa, respue, & mihi qui homo sum ignosce: quæ dubia, crede, donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel præcipiat autoritas. Intende igitur in hæc quæ sequuntur diligenter, & piè quantum potes: tales enim adiuuat

CAP. XI. Quæ vera vita aut mors.

Deus. NVLLA vita est, quæ non sit ex Deo, quia Deus vtique summa vita est, & ipse fons vitæ, nec aliqua vita inquantum vita est, malum est, sed inquantum vergit ad mortem: mors autem vitæ nõ est, nisi nequitia, quæ ab eo quod nequicquam sit, dicta est: & ideo nequissimi homines, nihili homines appellantur. Vita ergo voluntario defectu deficiens ab eo, qui eam fecit, & cuius essentia fruebatur, & volens contra Dei legem frui corporibus quibus eam Deus præfecit, vergit ad nihilum: & hæc est nequitia, non quia corpus iam nihilum est, nam & ipsum habet aliquam concordiam partium suarum, sine qua omnino esse non posset. Ergo ab eo factum est & corpus, qui omnis concordię caput est. Habet corpus quandam pacem suæ formæ, sine qua prorsus nihil esset. Ergo ille est & corporis conditor, à quo pax omnis est, & qui forma est infabricata, atque omnium formosissima. Habet aliquam speciem sine qua corpus non est corpus. Si ergo quæritur quis instituerit corpus, ille quæratur, qui est omniũ speciosissimus. Omnis enim species ab illo est. Quis est autem hic, nisi vnus Deus, vna veritas, vna salus omnium, & prima atque summa essentia, ex qua est omne quicquid est, inquantum est, quia inquantum est, quicquid est, bonum est. Et ideo

De agone Christiano, cap. 5.

cap. 1. d. 13. ex Deo non est mors. Non enim Deus mortem fecit, nec lætatur in perditione viuorum: quoniam summa essentia esse facit omne quod est, vnde & essentia dicitur. Mors autem non esse cogit quicquid moritur, inquantum moritur. Nam si ea quæ moriuntur, penitus morerentur, ad nihilum sine dubio peruenirent: sed tantum moriuntur, quantum minus essentiæ participant. Quod breuius ita dici potest: tãto magis moriuntur, quanto minus sunt. Corpus autem minus est quàm vita quælibet, quoniam quantulumcunque manet in specie, per vitam manet, siue qua vnumquodq; animal, siue qua vniuersa mundi natura administratur. Corpus ergo magis subiacet morti, & ideo vicinius est nihilo: quapropter vita, quæ fructu corporis delectata negligit Deum, inclinatur ad nihilum, &

CAP. XII. Lapsus & reparatio totius hominis.

ista est nequitia. HOC autem pacto vita carnalis, & terrena efficitur, & ob hoc etiam caro, & terra nominatur, & quàm diu ita est, regnũ Dei non possidebit, & eripietur ei quod amat. Id enim amat, quod & minꝰ est quàm vita, quia corpꝰ est: & propter ipsum peccatum quod amatur, fit corruptibile, vt fluendo deserat amatorem suum, quia & ille hoc amando deseruit Deum. Præcepta enim eius neglexit dicentis: Hoc manduca, & hoc noli. Trahitur ergo ad pœnas, quia diligendo inferiora, in egestate voluptatum suarum, & in doloribus apud inferos ordinatur. Quid est enim dolor, qui dicitur corporis, nisi corruptio repentina salutis eius rei, quam malè vtendo anima corruptioni fecit obnoxiam? Quid est autem dolor qui dicitur animi, nisi carere mutabilib. rebus, quibus fruebatur, aut frui se posse sperauerat? Et hoc est totum quod dicitur malum, id est, peccatum, & pœna peccati. Si autem dum in hoc stadio vitæ humanæ anima degit, vincat eas quas aduersum se nutriuit cupiditates fruendo mortalibus, & ad eas vincendas gratia Dei se adiuuari credat, mente illi seruiens, & bona voluntate, sine vlla dubitatione reparabitur, & à multis mutabilibus ad vnum incommutabile reuertetur, reformata per sapientiam non formatam, sed per quam formantur vniuersa, frueturque Deo per Spiritum sanctum, quod est donum Dei: ita fit homo spiritalis omnia iudicans, vt ipse à nemine iudicetur, diligens Dominum Deum suum in toto corde suo, in tota anima sua, in tota mente sua, & diligens proximũ suum non carnaliter, sed tanquam seipsum. Se autem spiritaliter diligit, qui ex toto quod in eo viuit, Deum diligit. In his enim duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ. Inde iam erit consequens, vt post mortem corporalem, quam debemus primo peccato, tempore suo atque ordine suo hoc corpus restituatur pristinæ stabilitati, quam non per se habebit, sed per animam stabilitam in Deo. Quæ rursus non per se stabilitur, sed per Deum quo fruitur, ideoque amplius quàm corpus vigebit: corpus enim per ipsam vigebit, & ipsa per incommutabilem veritatem, qui filius Dei vnicus est, atque ita & corpus per ipsum filium Dei vigebit, quia omnia per ipsum. Dono etiam eius quod animæ datur, id est sancto spiritu, nõ solùm anima cui datur, salua & pacata & sancta fit, sed ipsum etiam corpus viuificabitur, eritque in natura sua mundissimum. Ipse enim dixit: Mundate quæ intus sunt, & quæ foris sunt munda erunt. Dicit & Apostolus: Viuificabit & mortalia corpora vestra propter spiritum manentem in vobis. Ablato ergo peccato, auferetur & pœna peccati: &, Vbi est malum? vbi est mors contentio tua? vbi est mors aculeus tuus? Vincit enim essentia nihilum, & sic absorbetur mors in victoriam. NEC aliquid sanctificatis malus angelus oberit, qui diabolus dicitur: quia & ipse, inquantum angelus est, non est malus, sed inquantum peruersus propria voluntate. Fatendum est enim, & angelos natura esse mutabiles, si solus Deus est incommutabilis: sed ea voluntate qua magis Deum quàm se diligunt, firmi & stabiles manent in illo, & fruuntur maiestate ipsius, ei uni libentissimè subditi. Ille autem angelus magis seipsum quàm Deum diligendo, subditus ei esse noluit, & intumuit per superbiam, & à summa essentia defecit, & lapsus est: & ob hoc minus est quàm fuit, quia eo quod minus erat frui voluit, quum magis voluit sua potentia frui, quàm Dei. Quanquam enim non summè, tamen amplius erat, quando eo quod summè est, fruebatur, quoniam Deus solus summè est. Quicquid autem minus est quàm erat, non inquantum est, sed inquantum minus est, malum est. Eo enim quo minus est quàm erat, tendit ad mortem. Quid autem mirum si fit ex defectu inopia, & ex inopia inuidentia, qua diabolus vtique diabolus est? DEFECTVS autem iste qui peccatum vocatur, si tanquam febris inuitum occuparet, rectè iniusta pœna videretur, quæ peccantẽ consequitur, & quæ damnatio nuncupatur. Nũc verò vsqueadeo peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc quidem manifestũ est, vt nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare autem negãdum est peccatũ committi, aut fatendum est voluntate cõmitti. Non autẽ rectè negat peccasse animã, qui & pœnitẽdo eam corrigi fatetur, & veniam pœnitenti dari, & perseuerantem in peccatis iusta lege Dei damnari. Postremò, si non voluntate malè facimus, nemo obiurgandus est omnino, aut

Rom. 12. d. 15.

1. Cor. 2. d. 15.

Matth. 22. d. 36.

1. Retract. cap. 13.

Ioan. 1. d. 3.

Matth. 23. c. 26.

Rom. 8. c. 11.

1. Cor. 15. d. 55.

vide CAPVT XIII. Angelorum differentia.

CAPVT XIII. A libero arbitrio peccatum.

1. Retract. cap. 13. 15. q. 1. ca. 1. 2. sent. dist. 41. cap. post hæc. & cap. illius.

monen-

monendus:quibus ſublatis Chriſtiana lex & diſciplina A omnis religionis auferatur neceſſe eſt. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari nō dubium eſt,nec hoc quidem dubitandum video,habere animas liberū voluntatis arbitrium. Tales enim ſeruos ſuos meliores eſſe Deus iudicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet,ſi nō voluntate,ſed neceſſitate ſeruirent. Liberaliter igitur Deo angeli ſeruiunt, neque hoc Deo,ſed ipſis prodeſt. Deus enim bono alterius non indiget,quoniam à ſeipſo eſt. Quod autem ab eo genitum eſt,idipſum eſt,quia nō eſt factum, ſed genitum. Illa verò quæ facta ſunt,eius bono indigent, ſummo ſcilicet bono, id eſt ſumma eſſentia. Minus autem ſunt quàm erant, cum per animæ peccatū minus ad illum mouentur,nec tamen penitus ſeparātur, nam omnino nulla eſſent. Quod enim affectibus contingit animæ,hoc locis corpori:nam illa mouetur voluntate,corpus autem ſpacio. Quod autem homini à peruerſo angelo perſuaſum dicitur, etiam ad hoc vti- B que voluntate cōſenſit. Nam ſi neceſſitate id feciſſet, nullo peccati crimine teneretur.

CAPVT XV. *A peccatis quomodo reſipiſcimus.*

QVOD verò corpus hominis cum ante peccatum eſſet in ſuo genere optimum, poſt peccatum factum eſt imbecillum,& morti deſtinatum,quanquam iuſta vindicta peccati ſit, plus tamen clementiæ Dei quàm ſeueritatis oſtendit. Ita enim nobis ſuadetur à corporis voluptatibus,ad æternam eſſentiam veritatis amorem noſtrum oportere cōuerti. Et eſt iuſtitiæ pulchritudo cum benignitatis gratia concordans, vt quoniā bonorum inferiorum dulcedine decepti ſumus,amaritudine pœnarum erudiamur. Nam ita etiam noſtra ſupplicia diuina prouidētia moderata eſt, vt & in hoc corpore tam corruptibili ad iuſtitiam tendere liceret, & depoſita omni ſuperbia, vni Deo vero collum ſubdere, nihil de ſeipſo fidere, illi vni ſe regendum tuendúmque committere. Ita ipſo duce homo bonæ voluntatis moleſtias huius vitę in vſum fortitudinis ver- C tit. In copia verò voluptatem proſperiſq; ſucceſſibus temporalium,temperantiam ſuam probat & roborat: acuit in tentationibus prudentiam,vt nō ſolùm in eas non inducatur,ſed fiat etiam vigilātior,& in amorem veritatis,quæ ſola non fallit,ardentior.

CAPVT XVI. *Chriſtus cur aduenerit.*

SED cum omnibus modis medeatur animis Deus pro temporum opportunitatibus, quæ mira ſapientia eius ordinantur, de quibus aut nō eſt tractandum,aut inter pios perfectóſque tractandū eſt, nullo modo beneficentius conſuluit generi humano, quàm cū ipſa ſapientia Dei,id eſt vnicus filius conſubſtantialis patri & coæternus,totum hominem ſuſcipere dignatus eſt, Ioan.1.b.14 & verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ita enim demonſtrauit carnalibus, & non valentibus intueri mente veritatem,corporeiſque ſenſibus deditis, quàm excelſum locum inter creaturas habeat humana natura,quòd non ſolùm viſibiliter,nam id poterat, & in aliquo æthereo corpore ad noſtrorū aſpectuum D tolerantiam temperato,ſed etiam hominibus in vero homine apparuit: ipſa enim natura ſuſcipienda erat quæ liberanda. Et ne quis fortè ſexus à ſuo creatore ſe contemptum putaret,virum ſucepit, natus eſt ex fœ- 1.vetr.c.13. mina. Nihil egit vi,ſed omnia ſuadendo & monendo: veteri quippe ſeruitute tranſacta, tempus libertatis illuxerat, & opportunè iam homini ſuadebatur,atque ſalubriter,quàm libero eſſet creatus arbitrio. Miraculis conciliauit fidem Deo qui erat, paſſione homini quem gerebat. Ita loquens ad turbas vt Deus,nuncia- Matth. 12. d.48. tam ſibi matrem negauit. Et tamen, vt Euangelium Luca 2.g.51 loquitur, puer parētibus ſubditus erat. Doctrina enim Deus apparebat,ætatibus homo. Item aquam in vinū Ioan.2.a.4. cōuerſurus vt Deus:Recede à me mulier,inquit,quid Ioā.19.e.27 mihi & tibi eſt? Nōdum venit hora mea. Cum autem veniſſet hora, qua vt homo moreretur, de cruce cognitam matrem commendauit diſcipulo, quem præ cæteris diligebat. Satellites voluptatum diuitias pernicioſe populi appetebant:pauper eſſe voluit. Honoribus & imperiis inhiabant: rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant:tale coniugium prolémque contempſit. Contumelias ſuperbiſſimè horrebant: omne genus contumeliarum ſuſtinuit. Iniurias intolerabiles eſſe arbitrabantur: quæ maior iniuria quàm iuſtum innocentémque damnari? Dolores corporis execrabantur:flagellatus atque cruciatus eſt. Mori metuebant:morte mulctatus eſt. Ignominioſiſſimum mortis genus crucem putabant:crucifixus eſt. Omnia quæ habere cupientes non rectè viuebamus, carendo vilia fecit. Omnia quæ vitare cupientes à ſtudio deuiabamus veritatis,perpetiendo deiecit. Nō enim vllum peccatum committi poteſt,niſi dum appetuntur ea quæ ille contempſit, aut fugiuntur quæ ille ſuſtinuit. Tota itaque vita eius in terris per hominem quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morum fuit. Reſurrectio verò eius à mortuis, nihil hominis perire naturæ,cum omnia ſalua ſunt Deo,ſatis indicauit, & quemadmodum cuncta ſeruiant creatori ſuo, ſiue ad vindictam peccatorum, ſiue ad hominis liberationē, quámque facilè corpus animæ ſeruiat,cùm ipſa ſubiicitur Deo. Quibus perfectis non ſolùm nulla ſubſtantia malum eſt, quod fieri nunquam poteſt, ſed etiam nullo malo afficitur, quod fieri per peccatum & vindictam potuit. Et hæc eſt diſciplina naturalis Chriſtianis minus intelligentibus plena fide digna, intelligentibus autem omni errore purgata.

CAPVT XVII. *Vetus & nouum Teſtamentū quomodo differant. al.apertiſſimus.*

IAM verò ipſe totius doctrinæ modus,partim apertiſſimis rationibus,partim ſimilitudinibus,in dictis,in factis, in ſacramentis, ad omnem animæ inſtructionem, exercitationémque accommodatus,quid aliud quàm rationalis diſciplinæ regulam impleuit? Nam & myſteriorum expoſitio ad ea dirigitur, quæ apertiſſimè dicta ſunt. Etſi ea tantum eſſent quæ facillimè intelligūtur, nec ſtudiosè quæreretur, nec ſuauiter inueniretur veritas. Neque ſi eſſent in ſcripturis ſacramenta,& in ſacramentis nō eſſent ſignacula veritatis, ſatis cum cognitione actio cōueniret. Nunc verò quoniam pietas timore inchoatur,charitate perficitur,populus timore conſtrictus tempore ſeruitutis in veteri lege multis ſacramentis onerabatur. Hoc enim talibus vtile erat ad deſiderandam gratiam Dei,quæ per Prophetas vētura canebatur. Quæ vbi venit, ab ipſa Dei ſapientia homine aſſumpto,à quo in libertatem vocati ſumus, pauca ſacramenta ſaluberrima conſtituta ſunt, quæ ſocietatem Chriſtiani populi,hoc eſt ſub vno Deo liberæ multitudinis cōtinerent. Multa verò quæ populo Hebræo, hoc eſt ſub eodem vno Deo compeditæ multitudini erant impoſita,ab actione remota ſunt,in fide atque interpretatione remanſerunt. Ita nunc nec ſeruiliter alligant, & exercent liberaliter animum. Quiſquis autem ideo negat vtrumque teſtamentum ab vno Deo eſſe poſſe, quia non eiſdem ſacramentis tenetur populus noſter, quibus Iudæi tenebantur vel adhuc tenentur: poteſt dicere non poſſe fieri, vt vnus paterfamiliâs iuſtiſſimus aliud imperet eis quibus ſeruitutem duriorem vtilem iudicat, aliud eis quos in filiorum gradum adoptare dignatur. Si autem præcepta vitæ mouent,quod in veteri lege minora ſunt, in Euangelio maiora, & ideo putatur non ad vnum Deum vtraque pertinere: poteſt qui hoc putat perturbari, ſi vnus medicus alia per miniſtros ſuos imbecillioribus, alia per ſemetipſum valentioribus præcipiat ad reparandam,vel obtinendam ſalutem. Vt enim ars medicinę cum eadem maneat,neque vllo pacto ipſa mutetur,mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis eſt noſtra valetudo: ita diuina prouidētia cum ſit ipſa omnino incōmutabilis, mutabili tamen creaturæ

variè ſubuenit, & pro diuerſitate morborum aliis alia iubet aut vetat, vt à vitio vnde mors incipit, & ab ipſa morte ad naturam ſuam & eſſentiam, ea quę deficiũt, id eſt ad nihilum tendunt, reducat & firmet.

CAPVT XVIII. *Creaturæ quare mutabiles.*

SED dicis mihi, Quare deficiunt? Quia mutabilia ſunt. Quare mutabilia ſunt? Quia non ſummè ſunt. Quare nõ ſummè ſunt? Quia inferiora ſunt eo à quo facta ſunt. Quis ea fecit? Qui ſummè eſt. Quis hic eſt? Deus incommutabilis trinitas, quoniã & per ſummam ſapientiam ea fecit, & ſumma benignitate conſeruat. Cur ea fecit? Vt eſſent: ipſum enim quãtulumcunque eſſe, bonum eſt: quia ſummum bonũ eſt ſummè eſſe. Vnde fecit? Ex nihilo. Quoniã quicquid eſt, quantulacunque ſpecie ſit, neceſſe eſt: ita & ſi minimum bonum, tamen bonum erit, & ex Deo erit. Nam quoniam ſumma ſpecies ſummum bonum eſt, minima ſpecies minimum bonum eſt. Omne autem bonum, aut Deus, aut ex Deo eſt. Ergo ex Deo eſt etiam minima ſpecies. Sanè quod de ſpecie, hoc etiã de forma dici poteſt. Neq; enim fruſtra tam ſpecioſiſſimũ, quàm etiam formoſiſſimum in laude ponitur. Id ergo eſt vnde fecit Deus omnia, quod nullam ſpeciẽ habet, nullámque formam, quod nihil eſt aliud quàm nihil. Nam illud quod in comparatione perfectorum informe dicitur, ſi habet aliquid formæ, quamuis exiguũ, quamuis inchoatum, nondum eſt nihil, ac per hoc id quoque inquantum eſt, non eſt niſi ex Deo. Quapropter etiam ſi de aliqua informi materia factus eſt mundus, hęc ipſa facta eſt omnino de nihilo. Nam & quod nondum formatum eſt, tamẽ aliquo modo vt formari poſſit, inchoatum eſt, Dei beneficio formabile eſt: bonum eſt enim eſſe formatum. Nonnullum ergo bonum eſt & capacitas formæ: & ideo bonorũ omnium author, qui prętitit formam, ipſe fecit etiam poſſe formari. Ita omne quod eſt, inquãtum eſt: & omne quod nondum eſt, inquantum eſſe poteſt ex Deo habet. Quod alio modo ſic dicitur: Omne formatũ, inquantum formatum eſt: & omne quod nõdum formatum eſt, inquantum formari poteſt, ex Deo habet. Nulla autem res obtinet integritatem naturæ ſuæ, niſi in ſuo genere ſalua ſit. Ab eo autem eſt omnis ſalus, à quo eſt omne bonum: & omne bonum ex Deo, ſalus igitur omnis ex Deo.

Plato in Timæo.

CAPVT XIX. *Omnia bona ex Deo.*

HINC iam cui oculi mentis patent, nec pernicioſo ſtudio vanæ victoriæ caligant atque turbantur, facilè intelligit, omnia quæ vitiãtur, & moriuntur, bona eſſe, quanquam ipſum vitium, & ipſa mors malum ſit. Niſi enim ſalute aliqua priuarẽtur, non eis noceret vitium vel mors: ſed ſi non noceret vitium, nullo modo eſſet vitium. Si ergo ſaluti aduerſatur vitium, & nullo dubitante ſalus bonum eſt: bona omnia ſunt quibus aduerſatur vitium. Quibus autem aduerſatur vitium, ipſa vitiantur. Bona ſunt ergo quæ vitiantur, ſed ideo vitiantur, quia non ſumma bona ſunt. Quia igitur bona ſunt, ex Deo ſunt: quia nõ ſumma bona ſunt, non ſunt Deus. Bonum ergo quod vitiari non poteſt, Deus eſt. Cætera autem omnia bona ex ipſo ſunt, quæ per ſeipſa poſſunt vitiari, quia per ſeipſa nihil ſunt: per ipſum autem partim non vitiantur, partim vitiata ſanantur.

CAP. XX. *Vnde anima vitium.*

EST autem vitium primum animæ rationalis, voluntas ea faciendi quæ vetat ſumma, & intima veritas: ita homo de paradiſo in hoc ſeculum expulſus eſt, id eſt ab æternis ad tẽporalia, à copioſis ad egena, à firmitate ad infirma: nõ ergo à bono ſubſtantiali ad malum ſubſtãtiale, quia nulla ſubſtantia malum eſt: ſed à bono æterno ad bonum temporale, à bono ſpiritali ad bonum carnale, à bono intelligibili ad bonum ſenſibile, à bono ſummo ad bonum infimum. Eſt igitur quoddam bonum, quod ſi diligit anima rationalis, peccat, quia infra illam ordinatum eſt: quare ipſum peccatum malum eſt, nõ ea ſubſtantia quæ peccando diligitur. Non ergo arbor illa mala eſt, quæ in medio paradiſi plantata eſſe ſcribitur, ſed diuini præcepti tranſgreſſio. Quæ quũ conſequentem habet iuſtam damnationem, cõtigit ex illa arbore, quæ contra vetitum tacta eſt, dignoſcentia boni & mali: quia cùm ſuo peccato anima fuerit implicata, luendo pœnas, diſcit quid interſit inter præceptum, quod cuſtodire noluit, & peccatum quod fecit: atque hoc modo malum, quod cauendo non didicit, diſcit ſentiendo: & bonum quod non obtemperãdo minus diligebat, ardentius diligit comparando. Vitium ergo animæ eſt quod fecit, & difficultas ex vitio pœna eſt quam patitur, & hoc eſt totum malum. Facere autem & pati, non eſt ſubſtantia, quapropter ſubſtantia non eſt malum. Sic enim nec aqua malum eſt, nec animal quod viuit in aëre: nam iſtæ ſubſtantiæ ſunt. Sed malũ eſt voluntaria prȩcipitatio in aquam, & ſuffocatio quã merſus patitur. Stilus ferreus alia parte qua ſcribamus, alia qua deleamus à fabro factus eſt, & in ſuo genere pulcher, & ad vſum noſtrum accõmodatus. At ſi quiſpiam ea parte ſcribere qua deletur, & ea velit delere qua ſcribitur, nullo modo ſtilum malum fecerit, cùm ipſum factum iure vituperetur: quòd ſi corrigat, vbi erit malum? Si quis repentè meridianum ſolem intueatur, repercuſſi oculi turbabũtur: num ideo aut ſol malum erit aut oculi? Nullo modo: ſunt enim ſubſtantię: ſed malum eſt inordinatus aſpectus, & ipſa quæ cõſequitur perturbatio. Quòd malum non erit, cùm oculi fuerint recreati, & lucem ſuam congruenter aſpexerint. Neque cùm eadem lux quæ ad oculos pertinet, pro luce ſapientiæ quæ ad mentẽ pertinet colitur, ipſa fit malum: ſed ſuperſtitio malum eſt, qua creaturę potius quàm creatori ſeruitur. Quòd malũ omnino nullum erit, cũ anima recognito creatore, ipſi vni ſe ſubiecerit, & cętera per eum ſubiecta ſibi eſſe perſenſerit. Ita omnis corporea creatura, ſi tãtummodo poſſideatur ab anima quæ diligit Deum, bonum eſt infimum, & in genere ſuo pulchrum: quoniam forma & ſpecie continetur. Si autem diligatur ab anima quæ negligit Deum, ne ſic quidem malum fit ipſa: ſed quoniã peccatum malũ eſt, quo ita diligitur, fit pœnalis dilectori ſuo, & eum implicat ærumnis, & paſcit fallacib. voluptatibus: quia neq; permanent, neque ſatiant, ſed torquent doloribus. Quia cùm ordinem ſuũ peragit pulchra mutabilitas temporum, deſerit amantem ſpecies concupita, & per cruciatum ſentientis diſcedit à ſenſibus, & erroribus agitat: vt hanc eſſe primã ſpeciem putet, quæ omnium infima eſt, natura ſcilicet corporea quam per lubricos ſenſus caro malè dilecta nunciauerat, vt cùm aliquid cogitat, intelligere ſe credat vmbris illuſus phantaſmatum. Si quando autem non tenens integram diuinæ prouidentiæ diſciplinam, ſed tenere ſe arbitrans carni reſiſtere conatur, vſq; ad viſibilium rerum imagines peruenit, & lucis huius quã certis terminis circumſcriptam videt, immenſa ſpacia cogitatione format inaniter, & hanc ſpem ſibi futuræ habitationis pollicetur: neſciens oculorum concupiſcentiam ſe trahere, & cum hoc mundo ire velle extra mundum, quem propterea ipſum eſſe non putat, quia eius clariorem partem per infinitum falſa cogitatione diſtendit. Quod non ſolùm de hac luce, ſed etiam de aqua, poſtremò de vino, de melle, de auro, de argento, de ipſis denique pulpis, vel ſanguine, vel oſſibus quorumlibet animalium, & cęteris huiuſmodi rebus facillimè fieri poteſt. Nihil enim eſt corporis, quod non vel vno viſo poſſit innumerabiliter cogitari, vel in paruo ſpacio viſum poſſit eadem imaginandi facultate per infinita diffundi: ſed facillimum eſt execrari carnem, difficillimum autem non carnaliter ſapere.

CAPVT XXI. *Animæ quibus tebus ſeducatur.*

HAC ergo peruerſitate animæ, quæ contingit peccato atque ſupplicio, fit omnis natura corporea, illud quod per Salomonem dicitur, Vanitas vanitantium *Eccl. 1. 2.*

tantium & omnia vanitas: quæ abundantia homini in omni labore eius, quo ipse laborat sub sole? Neque enim frustra est additum vanitantium, quia si vanitantes detrahas, qui tanquam prima sectantur extrema, nō erit corpus vanitas, sed in suo genere, quamuis extremam pulchritudinem sine vllo errore monstrabit. Temporalium enim specierum multiformitas ab vnitate Dei hominē lapsum per carnales sensus diuerberauit, & mutabili varietate multiplicauit eius affectum: ita facta est abundātia laboriosa, &, si dici potest, copiosa egestas, dum aliud & aliud sequitur, & nihil cum eo permanet. Sic à tempore frumenti, vini & olei sui multiplicatus est, vt nō inueniat idipsum, id est naturam incommutabilem & singularem, quam secutus non erret, & assecutus non doleat. Habebit enim etiam consequentem redēptionem corporis sui, quòd iam non corrumpetur. Nunc verò corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, quia rapitur in ordinem successionis extrema corporum pulchritudo. Nam ideo extrema est, quia simul non potest habere omnia, sed cum alia cedunt atq; succedunt, temporalium formarū † numeros in pulchritudinē complent.

Psal. 4. b. 8.

Sap. 9. c. 15.

al. numerū in vnam pulchritudinem.

CAP. XXII. *Auctor rerū rebus antepo-nendus.*

ET hoc totum non propterea malum quia transit. Sic enim & versus in suo genere pulcher est, quamuis duæ syllabæ simul dici nullo modo possint. Nec enim secunda enunciatur, nisi prima transierit, atque ita per ordinem peruenitur ad finem, vt cum sola vltima sonat, non secum sonantibus superioribus, formam tamen & decus metricum præteritis contexta perficiat. Nec ideo tamen ars ipsa qua versus fabricatur, sic tempori obnoxia est, vt pulchritudo eius per mēsuras morarum digeratur: sed simul habet omnia quibus efficit versum, non simul habentem omnia, sed posterioribus priora tollentem, propterea tamen pulchrum, quia extrema vestigia illius pulchritudinis ostendat, quam constanter atq; incommutabiliter ars ipsa custodit. Itaq; vt nonnulli peruersi magis amant versum quàm artem ipsam qua conficitur versus, quia plus se auribus quàm intelligentiæ dediderunt: ita multi temporalia diligunt, conditricem verò ac moderatricem temporum diuinam prouidentiam non requirunt, atque in ipsa dilectione temporalium nolunt transire quod amant: & tam sunt absurdi, quàm si quisquam in recitatione præclari carminis vnam aliquam syllabam solam perpetuò vellet audire: sed tales auditores carminum non inueniuntur, talibus autem rerū æstimatoribus plena sunt omnia: propterea quia nemo est qui non facilè nō modò totum versum, sed etiam totum carmen possit audire: totum autem ordinem sæculorum sentire nullus hominum potest. Huc accedit quòd carminis non sumus partes, sęculorum verò partes damnatione facti sumus. Illud ergo canitur sub iudicio nostro, ista peraguntur de labore nostro. Nulli autem victo ludi agonistici placent, sed tamen cum eius dedecore decori sunt. Et hæc enim quędam imitatio veritatis est. Nec ob aliud à talibus prohibemur spectaculis, nisi ne vmbris rerum decepti, ab ipsis rebus quarum illæ vmbræ sunt aberremus. Ita vniuersitatis huius conditio atq; administratio, solis impiis animis damnatisque non placet, [† sed etiá animalibus sanctis] cum miseria earum, multisque vel in terra victricibus, vel in cælo sine periculo spectātibus placet: nihil enim iustum displicet iusto.

non est in 4. mss.

CAPVT XXIII. *Omnis substantia bona*

QVOCIRCA cū omnis anima rationalis aut peccatis suis misera sit, aut rectè factis beata, omnis autem irrationalis aut cedat potentiori, aut pareat meliori, aut comparetur æquali, aut certamen exerceat, aut damnato noceat, & omne corpus suæ animæ seruiat, quātum pro eius meritis, & pro rerum ordine finitur, nullum malum est naturæ vniuersæ, sed sua cuiq; culpa fit malum. Porrò quum anima per Dei gratiam regenerata, & in integrum restituta, & illi subdita vni à quo est creata, instaurato etiam corpore in pristinam firmitatem, non cum mundo possideri, sed mundum possidere cœperit, nullum ei malumerit: quia ista infima pulchritudo temporalium vicissitudinum, quæ cum ipsa peragebatur, sub ipsa peragetur, & erit, vt scriptum est, [a] Cælum nouum & terra noua, non in parte laborantibus animis, sed in vniuersitate regnantibus. [b] Omnia enim vestra, inquit Apostolus, vos autem Christi, Christus autem Dei. Et, Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus. Quoniam igitur vitium animæ nō natura eius, sed cōtra naturam eius est, nihilq; aliud est quàm peccatum & pœna peccati, inde intelligitur nullam naturam, vel si melius ita dicitur, nullam substantiam siue essentiam malum esse. Neq; de peccatis pœniscq, eius animæ efficitur, vt vniuersitas vlla deformitate turpetur. Quia rationalis substantia, quæ ab omni peccato mūda est Deo subiecta, subiectis sibi cæteris dominatur. Ea verò quæ peccauit, ibi ordinata est, vbi esse tales decet, vt Deo conditore atq; rectore vniuersitatis decora sint omnia. Et est pulchritudo vniuersæ creaturæ per hæc tria inculpabilis, damnatione peccatorum, exercitatione iustorum, perfectione beatorum.

Esa. 67. d. 17. [a] *Esa. 65. f.*

Apo. 21. a 1. [b] *1. Cor. 3. d 21.*

1 Cor. 11. a. 3

CAPVT XXIIII. *Animarum medicina.*

QVAMOBREM ipsa quoq; animæ medicina, quę diuina prouidentia, & ineffabili beneficentia geritur, gradatim distinctéq; pulcherrima est. Distribuitur enim in auctoritatem atq; rationem. Auctoritas fidem flagitat, & rationi præparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionémq; perducit. Quāquam neq; auctoritatem ratio penitus deserit, cum consideratur cui sit credendum, & certè summa est ipsius iam cognitæ atq; perspicuæ veritatis auctoritas. Sed quia in temporalia deuenimus, & eorum amore ab æternis impedimur, quædam temporalis medicina, quæ non sciētes, sed credentes ad salutem vocat, non naturæ & excellentiæ, sed ipsius tēporis ordine prior est. Nā in quemcunque locum quisq; ceciderit, ibi debet incumbere vt resurgat. Ergo ipsis carnalibus formis quibus detinemur, nitendum est ad eas cognoscendas quas carō non nūciat. Eas autem carnales voco quæ per carnem sentiri queunt, id est per oculos, per aures, cæteróque corporis sensus. His ergo carnalibus vel corporalibus formis inhærere amore pueros, necesse est, adolescentes verò propè necesse est, hinc iam procedente ætate non est necesse.

CAPVT XXV. *Miracula cur cessauerint.*

QVONIAM igitur diuina prouidentia, non solùm singulis hominibus quasi priuatim, sed vniuerso generi humano tanquam publicè consulit, quid cum singulis agitur, Deus scit qui agit, atq; ipsi cum quibus agitur sciūt. Quid autem agatur cum genere humano, per historiam commendari voluit, & per prophetiam. Temporalium autem rerum fides, siue præteritarum, siue futurarum, magis credendo quàm intelligendo valet. Sed nostrum est considerare, quibus vel hominibus, vel libris credendū sit, ad colendum rectè Deum, quæ vna salus est. Huius rei verò prima disceptatio est, vtrum iis potius credamus, qui ad multos deos, an iis qui ad vnum Deū colendum nos vocant. Quis dubitet eos potissimum sequendos qui ad vnum vocant, præsertim cum illi multorū cultores, de hoc vno Domino cunctorum, & rectore consentiant? Et certè ab vno incipit numerus. Prius ergo isti sequendi sunt, qui vnum Deum summum solū verum Deum, & solum colendum esse dicunt. Si apud hos veritas non eluxerit, tum demum migrādum est. Sicut enim in ipsa rerum natura maior est auctoritas vnius ad vnū omnia redigentis, nec in genere humano multitudinis vlla potentia est nisi consentientis, id est vnum sentientis: ita in religione qui ad vnū vocant eorum maior, & fide dignior esse debet auctoritas. Al-

1. retr. c. 4. 1 §

tera cõsideratio est dissensionis eius, quæ de vnius Dei cultu inter homines orta est. Sed accepimus maiores nostros eo gradu fidei, quo à temporalibus ad æterna conscenditur, visibilia miracula, nõ enim aliter poterant, secutos esse: per quos id actum est, vt necessaria
1. nitr. ca. 13 non essent posteris. Cum enim ecclesia catholica per totum orbem diffusa atq; fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorũ nouitate flagrauit: nec iam nobis dubium esse debet iis esse credendum, qui cum ea prædicarent, quæ pauci assequuntur, se tamen sequendos populis persuadere potuerunt. Nunc enim agitur quibus credẽdum sit, antequam quisque sit idoneus ineundæ rationi de diuinis, & de inuisibilibus rebus: nam ipsi rationi purgatoris animæ, quæ ad perspicuam veritatem peruenit, nullo modo auctoritas humana præponitur, sed ad hãc† nulla superbia humana perducit. Quæ si non esset, non essent hæretici, neque schismatici, nec carne circumcisi, nec creaturę simulacrorúmq; cultores. Hi autem si non essent ante perfectionem populi, quæ promittitur, multò pigrius veritas quæreretur. DISPENSATIO ergo temporalis, & medicina diuinæ prouidentiæ, erga illos qui peccato mortalitatem meruerũt, sic traditur: primo vnius cuiuslibet hominis nascẽtis natura, & eruditio cogitatur. Prima huius ætas infantia in nutrimentis corporalibus agitur, penitus obliuiscenda crescenti. Eam pueritia sequitur, vnde incipimus aliquid meminisse. Huic succedit adolescẽtia, cui iam propagationem prolis natura permittit, & patrẽ facit. Porrò adolescentiam iuuentus excipit, iam exercenda muneribus publicis, & domanda sub legibus: in qua vehementior prohibitio peccatorum, & pœna peccantium seruiliter coërcens, carnalibus animis atrociores impetus libidinis gignit, & omnia commissa cõgeminat. Non enim simplex peccatum est, non solùm malum, sed etiam vetitum admittere. Post labores autem iuuentutis seniori pax nonnulla conceditur. Inde vsque ad mortem deterior ætas ac decolor, & morbis subiectior debilisque perducit. Hæc est vita hominis viuentis, ex corpore & cupiditatibus rerum temporalium colligati. Hic dicitur vetus homo & exterior & terrenus, etiamsi obtineat eã quam vulgus vocat felicitatem, in bene constituta terrena ciuitate, siue sub regibus, siue sub principibus, siue sub legibus, siue sub his omnibus. Aliter enim bene constitui populus non potest, etiã qui terrena sectatur. Habet quippe & ipse modum quendam pulchritudinis suæ. Hunc autem hominem quem veterem, & exteriorem & terrenum describimus, siue in suo genere moderatũ, siue etiam seruilis iustitiæ modum excedentem, nonnulli agunt totum ab istius vitæ ortu vsque ad occasum. Nõnulli autem istam vitam necessariò ab illo incipiunt, sed renascuntur interius, & cæteras eius partes suo robore spiritali, & incrementis sapientiæ corrumpunt & necant, & in cęlestes leges donec post visibilem mortem totum instauretur astringũt. Iste dicitur nouus homo, & interior & cælestis, habens & ipse proportione non annis, sed profectibus distinctas quasdam spirituales ætates suas. Primam in vberibus vtilis historiæ, quæ nutrit exemplis. Secundam iam obliuiscẽtem humana, & ad diuina tendentem, in qua non auctoritatis humanæ finu continetur, sed ad summam & incommutabilem legem passibus rationis innititur. Tertiam iam fidentiorem, & carnalem appetitum rationis robore maritantem, gaudentémque intrinsecus in quadam dulcedine coniugali: cum anima menti copulatur, & velamento pudoris obnubitur, vt iam rectè viuere nõ cogatur, sed etiamsi omnes concedant, peccare non libeat. Quartam iam idipsum multò firmius ordinatiúsque facientem & emicãtem in virum perfectum, atq; aptam & idoneam omnibus & persecutionibus, & mundi huius tempestatibus ac fluctibus sustinendis atque frangendis. Quintam pacatam atque ex omni parte tranquillam, viuentem in opibus, & abundantia incommutabilis regni, summę atque ineffabilis sapiẽtiæ. Sextam omnimodæ mutationis in æternam vitã, & vsque ad totam obliuionem vitæ temporalis transeuntem in perfectam formam, quæ facta est ad imaginem & similitudinem Dei. Septima enim iam quies æterna est, & nullis ætatibus distinguenda beatitudo perpetua. Vt enim finis veteris hominis mors est, sic finis noui hominis vita æterna. Ille nãque homo peccati est, iste iustitiæ. SICVT autem isti ambo nullo dubitante ita sunt, vt vnum eorum, id est veterem atque terrenum possit in hac tota vita vnus homo agere, nouum verò & cælestem nemo in hac vita possit nisi cum vetere: nam & ab ipso incipiat necesse est, & vsque ad visibilem mortem cum illo, quamuis eo deficiente, se proficiente perduret. Sic proportione vniuersum genus humanum, cuius tãquam vnius hominis vita est ab Adam vsq; ad finem huius sæculi, ita sub diuinæ prouidentiæ legibus administratur, vt in duo genera distributum appareat. Quorum in vno est turba impiorum terreni hominis imaginem ab initio sæculi vsque ad finem gerentium. In altero series populi vni Deo dediti, sed ab Adam vsque ad Ioannem Baptistam terreni hominis vitam gerentis seruili quadam iustitia: cuius historia vetus testamentũ vocatur, quasi terrenum pollicẽs regnum, quæ tota nihil aliud est quàm imago noui populi & noui Testamenti pollicentis regnum cælorum. Cuius populi vita interim temporalis incipit à Domini aduentu in humilitate vsque ad diem iudicij, quando in claritate vẽturus est. Post quod iudicium vetere homine extincto, erit illa mutatio quæ angelicam vitã pollicetur. Omnes enim
1. Cor. 15. 51. resurgemus, sed non omnes immutabimur. Resurget ergo pius populus, vt veteris hominis sui reliquias trãsformet in nouum. Resurget autẽ impius populus, qui ab initio vsque ad finem veterem hominem gesserit, vt in secũdam mortem præcipitetur. Ætatum autem articulos qui diligenter legunt, inueniunt: nec zizania nec paleas perhorrescũt. Impius namque pio viuit, & peccator iusto, vt eorum comparatione alacrius, donec perficiantur assurgant. QVISQVIS autem populi terreni temporibus vsque ad illuminationem interioris hominis meruit peruenire, genus humanum pro tempore adiuuit, exhibens ei quod ætas illa poscebat, & per prophetiam intimans id quod exhibere opportunũ non erat: quales patriarchæ ac prophetæ inueniuntur ab iis, qui non pueriliter insiliunt, sed piè diligentérque pertractãt diuinarum & humanarum rerum tam bonum, & tam grande secretum. Quod etiam temporibus noui populi à magnis, & spiritalibus viris ecclesiæ catholicæ alumnis video cautissimè prouideri: ne quid populariter agant, quod nõdum esse temporis vt cum populo agatur intelligunt: alimenta lactea largè auidis infirmioribus pluribus atque instanter infundũt, validioribus autem cibis cum sapientibus paucis vescuntur. Sapientiã enim loquuntur inter perfectos, carnalib. verò & animalibus, quãuis nouis hominibus, adhuc tamen paruulis, nonnulla obtegunt, sed nulla mentiuntur. Nõ enim honoribus suis vanis consulunt & inanibus laudibus, sed vtilitati eorum cum quibus societatem vitæ huius inire meruerunt. Hæc enim lex est diuinæ prouidentiæ, vt nemo à superioribus adiuuetur ad cognoscendã, & percipiendam gratiam Dei, qui non ad eadem puro affectu inferiores adiuuerit. Ita de peccato nostro quod in homine peccatore ipsa natura nostra commisit, & genus humanum factum est magnum decus ornamentúmque

CAPVT XXVII. Vniusque hominis decursus.

CAPVT XXVIII. Quæ, quibus, quomodo tradenda.

1. Cor. 2. 6.

C. Cap. XXVI Vetus & nouus homo.

D. al. nulla superbia perducit.

Li. 1. de Gen. contra Manichæos, ca. 23.

túmque terrarum, & tam decenter diuinæ prouidentiæ procuratione administratur, vt ars ineffabilis medicinæ ipsam vitiorum fœditatem in nescio quam sui generis pulchritudinem vertat. ET quoniá de auctoritatis beneficentia, quantũ in præsentia satis visum est, locuti sumus: videamus quatenus ratio possit progredi à visibilibus ad inuisibilia, & à temporalibus ad æterna conscendens. Non enim frustra & inaniter intueri oportet pulchritudinem cæli, ordinẽ siderum, candorẽ lucis, dierum & noctium vicissitudines, lunæ menstrua curricula, anni quadrifariam temperationẽ, quadripartitis elementis congruentem, tantã vim seminum, species numeróſq; gignentium, & omnia in suo genere modum proprium naturámq seruãtia. In quorum consideratione nõ vana & peritura curiositas exercẽda est, sed gradus ad immortalia & semper permanentia faciendus. Proximum enim est, attendere quæ ista sit natura vitalis, quæ cuncta ista sentit: quæ profectò quoniam vitam dat corpori, præstãtior eo sit necesse est. Non enim qualiscunq; moles, quanquam ista visibili luce præfulgeat, si vita careat, magni æstimanda est. Quælibet nanq; viua substantia cuilibet non viuæ substantiæ naturę lege præponitur. Sed quia irrationabilia quoq; animantia viuere atq; sentire nemo ambigit, illud in animo humano pręstantissimum est, non quo sentit sensibilia, sed quo iudicat de sensibilibus. Nam & vident acutius & cęteris corporis sensibus acrius corpora attingunt pleræq; bestiæ quã homines: sed iudicare de corporibus non sentientis tantum vitæ, sed etiá ratiocinantis est, qua illæ carent, nos excellimus. Iam verò illud videre facillimum est, præstantiorem esse iudicantẽ, quàm illa res est, de qua iudicatur. Non solum autem rationalis vita de sensibilibus, sed de ipsis quoq; sensibus iudicat: cur in aqua remum infractum oporteat apparere cum rectus sit, & cur ita per oculos sentire necesse sit: nam ipse aspectus oculorum renunciare id potest, iudicare autem nullo modo. Quare manifestum est, vt sensualem vitam corpori, ita rationalem vtrique præstare. ITAQVE si rationalis vita secundum seipsam iudicat, nulla iam est natura præstantior. Sed quia clarũ est eam esse mutabilem, quando nunc perita, núc imperita inuenitur, tanto autem melius iudicat quanto est peritior, & tanto est peritior, quanto alicuius artis vel disciplinæ vel sapientiæ particeps est, ipsius artis natura quærẽda est. Neq; nunc artem intelligi volo quæ notatur experiendo, sed quæ ratiocinando indagatur. Quid enim præclarum nouit, qui nouit ea impensa quę calce & arena confit, tenacius lapides cohærere, quàm luto? Aut qui tam eleganter ædificat, vt quæ plura sunt, paria paribus respondeant, quę autem singula sunt: medium locum teneant? Quíquam iste sensus iam sit rationi veritatíque vicinior. Sed certè quærendum est, cur nos offendat, si duabus fenestris nõ super inuicem, sed iuxta inuicem locatis, vna earum maior minórve fit, cũ æquales esse potuerint: si verò super inuicem fuerint, ambæq; de medio quamuis impares non ita offendat illa inæqualitas: & cur non multum curemus, quanto sit vna earum aut maior aut minor, quia duæ sunt. In tribus autem sensus ipse videtur expetere vt aut impares non sint, aut inter maximam & minimam ita sit media, vt tanto præcedat minorem, quanto à maiore præceditur. Ita enim primo quasi natura ipsa consulitur quid probet. Vbi potissimum notãdum est, quemadmodum quod solum inspectum minus displicuerit, in melioris comparatione respuatur: ita reperitur nihil esse aliud artem vulgarem, nisi rerum expertarum placitarúmq; memoriam, vsu quodam corporis atque operationis adiuncto: quo si careas, iudicare de operibus possis, quod multo est excellentius, quamuis operari artificiosa non possis. Sed cum in omnibus artibus conuenientia placeat, qua vna sãlua & pulchra sunt omnia, ipsa verò conuenientia æqualitatẽ vnitatémq; appetat, vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium, quis est qui summam æqualitatẽ vel similitudinem in corporibus inueniat, audeátq; dicere, cùm diligenter cõsiderauerit quodlibet corpus verè ac simpliciter vnum esse: cum omnia vel de specie in speciem, vel de loco in locum transeundo mutẽtur, & partibus constent sua loca obtinentibus, per quæ in spacia diuersa diuiduntur? Porrò ipsa vera æqualitas ac similitudo, atq; ipsa vera & prima vnitas, nõ oculis carneis, neq; vllo tali sensu, sed mente intellecta conspicitur. Vnde enim qualiscunq; in corporibus appeteretur æqualitas, aut vnde conuinceretur, longè plurimũ differre à perfecta, nisi ea quę perfecta est, mente videretur: si tamen quæ facta non est, perfecta dicenda est? Et cum omnia quæ sensibiliter pulchra sunt, siue natura edita, siue artibus elaborata, locis & temporibus sint pulchra, vt corpus & corporis motus: illa æqualitas & vnitas menti tantummodo cognita, secundum quam de corporea pulchritudine sensu internũcio iudicatur, nec loco tumida est, nec mutabilis tempore. Non enim rectè dici potest secũdum eam iudicari rotundum canthum, & nõ secundum eam rotundum vasculum: aut secundum eam rotundum vasculum, & non secundum eam rotundum denarium. Similiter in temporibus atq; in motibus corporũ, ridiculè dicitur, secundum eam iudicari æquales annos, & non secundum eam æquales menses: aut secundum eam æquales menses, & non secundum eam æquales dies. Sed siue per hæc spatia, siue per horas, siue per breuiora momenta conuenienter moueatur aliquid, eadem vna & incommutabili æqualitate iudicatur. Quòd si minora & maiora spatia figurarum atq; motionum secũdum eam legem parilitatis vel similitudinis, vel congruentiæ iudicantur, ipsa lex maior est his omnibus, sed potentia. Cæterùm spatio aut loci aut temporis, nec maior nec minor: quia si maior esset, non secundum eam iudicaremus minora: si autem minor esset, non secundum eam iudicaremus maiora. Nunc verò cum secundum totam quadraturæ legem iudicetur & forũ quadratum, & lapis quadratus, & tabella, & gemma quadrata: rursus secundum totam æqualitatis legem iudicentur conuenire sibi motus pedum currentis formicæ, & secundum eam gradientis elephantis: quis eam dubitet locorum interuallis ac temporum, nec maiorem esse, nec minorem, cum potentia superet omnia? Hæc autem lex omnium artium cum sit omnino incommutabilis, mens verò humana cui talem legẽ videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet supra mentem nostram esse legẽ, quæ veritas dicitur. NEC iam illud ambigendũ est, incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, Deum esse: & ibi esse primam vitã & primam essentiam, vbi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis. Itaque cum se anima sentiat, nec corporum speciem motúmq; iudicare secũdum seipsam, simul oportet agnoscat præstare suam naturam ei naturæ, de qua iudicat: præstare autem sibi eam naturam, secundum quam iudicat, & de qua iudicare nullo modo potest. Possum enim dicere, quare similia sibi ex vtraq; parte respondere mẽbra cuiusq; corporis debeant, quia summa æqualitate delector, quam non oculis corporis, sed mentis cõtueor. Quapropter tanto meliora esse iudico, quę oculis cerno, quanto pro sua natura viciniora sunt iis, quæ animo intelligo. Quare autẽ illa ita sint, nullus potest dicere: nec ita debere esse quisquã sobriè dixerit, quasi possint esse non ita. Quare autem nobis placeant, & cur ea quanto melius sapimus, vehementissimè diligamus,

CAP. XXIX. *Humana natura præeminentia. Ex Phædone.*

Ex primæ Euclidis suppositione.

CAPVT XXX. *Lex supra mentem hominis veritatem docens.*

1. vers. 12 13

CAPVT XXXI. *Legem summam cognoscere fas iudicare nequam.*

Cãthus summa curuatura rotæ, siue ferrum quod illic affigitur.

gamus,ne id quidem quiſquam,ſi ea ritè intelligit, dicere audebit. Vt enim nos & omnes animę rationales, ſecundum veritatem de inferioribus rectè iudicamus ſic de nobis,quando eidem cohæremus,ſola ipſa veritas iudicat. De ipſa verò nec pater, nõ enim minor eſt quã ipſe,& ideo quæ pater iudicat, per ipſam iudicat. Omnia enim quæ appetunt vnitatem,hanc habẽt regulam vel formã,vel exemplum,vel ſi quo alio verbo dici ſe ſinit, quoniã ſola eius ſimilitudinem à quo eſſe accepit impleuit:ſi tamen accepit, non incõgruè dicitur pro ea ſignificatione,qua filius appellatur: quia nõ de ſeipſo eſt, ſed de primo ſummóq; principio,qui pater dicitur:ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur.Pater ergo non iudicat quenquam , ſed omne iudicium dedit filio:& ſpiritalis homo iudicat omnia,ipſe autem à nemine iudicatur,id eſt à nullo homine, ſed à ſola ipſa lege ſecundum quam iudicat omnia:quoniam & illud veriſſimè dictum eſt ; Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Chriſti. Omnia ergo iudicat,quia ſuper omnia eſt quando cum Deo eſt. Cum illo autẽ eſt,quando puriſſimè intelligit, & tota charitate quod intelligit,diligit. Ita etiam quantũ poteſt,lex ipſa etiam ipſe fit, ſecundum quam iudicat omnia,& de qua iudicare nullus poteſt. Sicut in iſtis tẽporalibus legibus, quanquam de his homines iudicẽt cum eas inſtituunt, tamẽ cum fuerint inſtitutæ atque firmatæ,non licebit iudici de ipſis iudicare, ſed ſecundum ipſas. Conditor tamẽ legum temporalium , ſi vir bonus eſt & ſapiens,illam ipſam conſulit æternam,de qua nulli animæ iudicare datum eſt:vt ſecundum eius incommutabiles regulas,quid ſit pro tempore iubendum vetandúmque diſcernat. Æternam igitur legem mundis animis fas eſt cognoſcere,iudicare non fas eſt. Hoc autem intereſt,quod ad cognoſcendum ſatis eſt, vt videamus ita eſſe aliquid vel non ita: ad iudicãdum verò addimus aliquid quo ſignificemus poſſe eſſe & aliter : velut cũ dicimus, ita eſſe debet, aut ita eſſe debuit , aut ita eſſe debebit , vt in ſuis operibus artifices faciunt.

Eph.c.15. Ioan.5.d.22

1.Cor.2.d. 15.

Rom.14.b. 10. 2.Corinth. 5 b.10.

Cicero de legibus.

CAPVT XXXII. *Rerum ſimplicitas veſtigium eſt Dei.*

SED multis finis eſt humana delectatio,nec volunt tendere ad ſuperiora,vt iudicẽt cur iſta viſibilia placeant. Itaq; ſi quæram ab artifice,vno arcu conſtructo,cur alterum parem contra in alteram partem moliatur?Reſpondebit,credo,vt paria paribus ædificij membra reſpondeant. Porrò ſi pergam quærere,idipſum cur eligat, dicet hoc decere , hoc eſſe pulchrum, hoc delectare cernẽtes:nihil audebit amplius. Inclinatus enim recumbit oculis, & vnde pendeat nõ intelligit. At ego virum intrinſecus oculatum , & inuiſibiliter videntem nõ deſinam commonere cur iſta placeant , vt iudex eſſe audeat ipſius delectationis humanæ. Ita enim ſuperfertur illi, nec ab ea tenetur , dũ non ſecundum ipſam,ſed ipſam iudicat. Et prius quæram vtrum ideo pulchra ſint , quia delectant : an ideo delectẽt,quia pulchra ſunt. Hic mihi ſine dubitatione reſpõdebitur,ideo delectare,quia pulchra ſunt. Quæſam ergo deinceps , quare ſint pulchra. Et ſi titubabitur,ſubiiciam vtrum ideo quia ſimiles ſibi partes ſunt, & aliqua copulatione ad vnam conuenientiam rediguntur . Quod cum ita eſſe compererit, interrogabo vtrum hanc ipſam vnitatem,quam conuincuntur appetere , ſummè impleant , an longè infrà iaceant , & eam quodammodo mentiantur. Quod ſi ita eſt : quis non admonitus videat,neq; vllam ſpeciem, neque vllum omnino eſſe corpus , quod non habeat vnitatis qualecunque veſtigium , neq; quantumuis pulcherrimum corpus , cũ interuallis locorum neceſſariò aliud alibi habeat , poſſe aſſequi eam quam ſequitur vnitatem?quare ſi hoc ita eſt, flagitabo vt reſpõdeat,vbi videat ipſe vnitatem hanc,aut vnde videat:quam ſi non videret,vnde cognoſceret,& quid imitaretur corporũ ſpecies , & quid implere non poſſet. Nunc verò cum dicit corporibus, vos quidem niſi aliqua vnitas contineret, nihil eſſetis , & rurſus ſi vos eſſetis ipſa vnitas, corpora non eſſetis,rectè illi dicitur: Vnde illam noſti vnitatem , ſecũdum quam iudicas corpora,quam niſi videres,iudicare non poſſes quod eam non impleant. Si autem his corporeis oculis eam videres , non verè diceres, quanquam eius veſtigio teneantur , longè tamen ab ea diſtare : nam iſtis oculis corporeis non niſi corporalia vides: mente igitur eam videmus . Sed vbi videmus? Si hoc loco eſſet vbi corpus noſtrum eſt, nõ eam videret , qui hoc modo in oriente de corporibus iudicat . Non ergo iſta continetur loco , & cum adeſt vbicunque iudicãti, nuſquam eſt per ſpatia locorum, & per potentiam nuſquam nõ eſt.

CAPVT XXXIII. *Non ſenſus corporis, ſed iudicium mentitur.*

QVOD eam ſi corpora mentiũntur , non eſt credendum mentientibus,ne incidamus in vanitates vanitãtium: ſed quærendum potius eſt,cum ideo mentiãtur , quia eam videntur oſtendere oculis carneis , cum illa mente pura videatur,vtrum intantum mentiantur inquantum ei ſimilia ſunt,an inquantum eam nõ aſſequuntur.Nam ſi aſſequerentur,quod imitantur implerent . Si autem implerent,omnino eſſent ſimilia. Si omnino eſſent ſimilia , nihil inter illam naturam & iſtam intereſſet. Quod ſi ita eſſet,non eam mẽtirentur: id enim eſſent quod illa eſt. Nec tamen mentiuntur diligentius conſiderantibus: quia ille mẽtitur qui vult videri id quod non eſt:quod autem non volens aliud putatur quã eſt, non mentitur, ſed fallit tantum . Nam ita diſcernitur mentiens à fallente,quod ineſt omni mentienti volũtas fallendi,etiam ſi non ei credatur:fallens autem eſſe non poteſt,qui nõ fallit. Ergo corporea ſpecies,quia nullam voluntatem habet,nõ mentitur: ſi verò etiam non putetur eſſe quod nõ eſt,nec fallit. Sed ne ipſi quidẽ oculi fallunt , non enim renunciare poſſunt animo niſi affectionem ſuam. Quòd ſi non ſolum ipſi , ſed etiã omnes corporis ſenſus ita renunciant vt afficiũtur, quid ab eis amplius exigere debeamus ignoro . Tolle itaq; vanitantes,& nulla erit vanitas. Si quis remũ frãgi in aqua opinatur,& cũ inde aufertur integrari, non malum habet internũcium,ſed malus eſt iudex. Nam ille pro ſua natura nõ potuit aliter in aqua ſentire, nec aliter debuit:ſi enim aliud eſt aër, aliud aqua, iuſtũ eſt vt aliter in aëre,aliter in aqua ſentiatur. Quare oculus rectè videt:ad hoc enim factus eſt vt tãtum videat: ſed animus peruerſe iudicat,cui ad contemplandam ſummam pulchritudinem mens,non oculus factus eſt . Ille autem vult mentem conuertere ad corpora, oculos ad Deum. Quærit enim intelligere carnalia,& videre ſpiritalia,quod fieri non poteſt.

Differũt mentiens & fallens.

Cic. Academi. qu. lib.2.

CAPVT XXXIIII. *Cõficta phantaſmata quomodo iudicentur.*

QVARE iſta peruerſitas corrigenda eſt, quia niſi fecerit quod ſurſum eſt deorſum, & quod deorſum eſt ſurſum , regno cælorum aptus non erit. Non ergo ſumma quæramus in infimis , nec ipſis infimis inhæreamus . Iudicemus ea,ne cum ipſis iudicemur,id eſt tantũ eis tribuamus, quantum ſpecies meretur extrema,ne cum in nouiſſimis prima quærimus, à primis inter nouiſſima numeremur . Quod nihil ipſis nouiſſimis obeſt , ſed nobis plurimum. Nec ideo diuinæ prouidentiæ adminiſtratio minus decora fit, quia & iniuſti iuſtè , & fœdi pulchrè ordinãtur. Et ſi propterea nos fallit rerum viſibilium pulchritudo,quia vnitate continetur,& non implet vnitatẽ,intelligamus ſi poſſumus non ex eo quod eſt nos falli,ſed ex eo quod non eſt. Omne quippe corpus verum corpus eſt,ſed falſa vnitas. Non enim ſumme vnum eſt,aut intantum id imitatur vt impleat: & tamẽ nec corpus ipſum eſſet, niſi vtcunq; vnum eſſet. Porrò vtcũque vnum eſſe non poſſet, niſi ab eo quod ſumme vnum eſt,id haberet. O animę peruicaces,date mihi,qui videat ſine vlla imaginatione viſorum carnalium . Date mihi, qui videat omnis vnius principiũ non eſſe , niſi vnum ſolum à quo ſit omne vnum, ſiue illud

illud impleat, siue non impleat. Qui videat date, non qui litiget, non qui videri velit se videre, quod non videt. Date qui resistat sensibus carnis, & plagis quibus per illos in anima vapulauit: qui resistat consuetudini hominum, resistat laudibus hominum, qui compungatur in cubili suo, qui resculpat suum spiritū, qui non foris diligat vanitates, & quærat mendacia, qui iá sibi nouerit dicere: Si vna Roma est, quam circa Tyberim nescio quis Romulus dicitur condidisse, falsa est ista quam cogitans fingo, non enim est ipsa, nec ibi sum modò: nam quid ibi agatur modò, vtiq; scirem. Si vnus est sol, falsus est iste quem cogitans fingo. Nā ille curricula sua certis locis & temporibus peragit. Istū verò ego vbi volo, & quando volo constituo. Si vnus est ille amicus meus, falsus est iste quem cogitās fingo. Nam ille vbi sit nescio, iste ibi fingitur vbi volo. Ego ipse certè vnus sum, & hoc loco esse sentio corpus meum, & tamen figmēto cogitationis pergo quolibet, & loquor cum quolibet. Falsa sunt hæc: nec quisquam intelligit falsa. Non ergo intelligo quum ista contēplor, & istis credo, quia verum esse oportet quod intellectu contemplor. Nunquid fortè sunt ista quæ phātasmata dici solent? Vnde ergo impleta est anima mea illusionibus? Vbi est verum quod mente conspicitur? Ita cogitanti iam dici potest. Illa lux vera est, qua hęc non esse vera cognoscis. Per hanc illud vnum vides, [quo iudicas vnum esse quicquid aliud vides,] nec tamen hoc esse quod illud est quicquid mutabile vides.

CAPVT XXXV. *Vacandum vt Deum cognoscas. Sap. 1.a.*

QVOD si hæc intueri palpitat mētis aspectus, quiescite, nolite certare, nisi cum consuetudine corporū: ipsam vincite, & victa erunt omnia. Vnum certè quærimus, quo simplicius nihil est. Ergo in simplicitate cordis quæramus illum. Agite ocium, inquit, & agnoscetis quia ego sum Dominus, non ocium desidiæ, sed ocium cogitationis, vt à locis & temporibus vacetis. Hęc enim phantasmata tumoris & volubilitatis, constantē vnitatē videre non sinunt. Loca offerunt quod amemus, tempora surripiunt quod amamus, & relinquunt in anima turbas phātasmatum, quibus in aliud atque aliud cupiditas incitetur. Ita fit inquietus & ærumnosus animus, frustra tenere à quibus tenetur exoptans. Vocatur ergo ad ociū, id est vt ista non diligat, quæ diligi sine labore non possunt. Sic enim eis dominabitur, sic non tenebitur, sed tenebit. Iugum enim meum, inquit, leue est. Huic iugo qui subiectus est, subiecta habet cætera. Non ergo laborabit, non enim resistit, quod subiectum est. Sed miseri amici huius mundi, cuius Domini erunt, si filij Dei esse voluerint, quoniam dedit eis potestatem filios Dei fieri. Amici ergo huius mundi tam timent ab eius amplexibus separari, vt nihil eis sit laboriosius, quàm non laborare.

Matth. 11. d. 29.

Ioan. 1. b. 12

CAPVT XXXVI. *Vnde falsitas oriatur & veritas.*

SED cui saltem illud manifestum est, falsitatē esse, qua id putatur esse quod nō est, intelligit eam esse veritatem, quæ ostendit id quod est. At si corpora intantum fallunt, inquantum non implent illud vnū quod conuincuntur imitari, à quo principio vnum est quicquid est, ad cuius similitudinem quicquid nititur, naturaliter approbamus, quia naturaliter improbamus quicquid ab vnitate discedit, atque in eius dissimilitudinem tendit: datur intelligi esse aliquid quod illius vnius solius, à quo principio vnū est quicquid aliquo modo vnum est, ita simile sit vt hoc omnino impleat, ac sit idipsum, & hoc est veritas & verbum in principio, & verbum Deus apud Deum. Si enim falsitas ex iis est quæ imitantur vnum, non inquantum id imitantur, sed inquantum adimplere non possunt: illa est veritas quæ adimplere potuit, & id esse quod est illud: ipsa est quæ illud ostendit sicut est: vnde & verbum eius & lux eius rectissimè dicitur. Cætera illius vnius similia dici possunt inquantum sunt, intantum enim & vera sunt: hæc autem ipsa eius similitudo, & ideo veritas. Vt enim veritate sunt vera, quæ vera sunt, ita similitudine similia sunt, quæcunque similia sunt. Vt ergo veritas forma verorum est, ita similitudo forma similium est. Quapropter vera quoniam intantū vera sunt, inquantum sunt, intantum autē sunt, inquantum principalis vnius similia sunt: ea forma est omniū quæ sunt, quæ est summa similitudo principij: & veritas est, quia sine vlla dissimilitudine est. Vnde falsitas oritur, non rebus ipsis fallentibus, quæ nihil aliud ostendunt sentienti quàm speciem suam, quam pro suę pulchritudinis acceperunt gradu: neque ipsis sensibus fallentibus, qui pro natura sui corporis affecti, non aliud quàm suas affectiones præsidenti animo nūciant; sed peccata animas fallunt cum verum quærunt, relicta & neglecta veritate. Nam quoniam opera magis quàm artificem atque ipsam artem dilexerūt, hoc errore puniuntur, vt in operibus artificem artémq; conquirant: & cum inuenire nequiuerint: Deus enim nō corporalibus sensibus subiacet, sed ipsi menti supereminet, ipsa opera existiment esse & artem & artificē.

CAPVT XXXVII. *Impietas idolatrarum.*

HINC oritur omnis impietas, non modò peccantium, sed etiam damnatorum pro peccatis suis. Non enim tantum scrutari creaturam contra præceptum Dei, sed ea frui potius quàm ipsa lege & veritate volunt, quòd primi hominis peccatum deprehenditur, malè vtentis libero arbitrio. Sed hoc quoque in ipsa damnatione addunt, vt non modò diligant, sed etiam seruiant creaturę potius quàm creatori, & eam colant per partes eius, à summis vsque ad ima venientes. Sed aliqui se in hoc tenent, vt pro summo Deo animā colant, & primam intellectualem creaturam, quam per veritatem pater fabricauit ad ipsam veritatem semper intuendam, & per seipsam, quia omnimodo ei simillima est. Deinde veniunt ad vitam genitalē, per quam creaturam visibilia & temporalia gignentia Deus æternus & incommutabilis operatur. Hinc ad animalia, & inde ad ipsa corpora colenda dilabuntur, & in his primo eligunt pulchriora, in quibus cælestia maximè excellunt. Ergo in primis solis corpus occurrit, & in eo nonnulli remanent. Aliqui & lunæ splendorem religione dignum putant: est enim nobis, vt perhibetur, propinquior, vnde viciniorem speciē habere sentitur. Alij etiam cæterorum siderum corpora adiungunt, & totum cælum cum stellis suis. Alij cęlo æthereo copulant aërem, & istis duobus superioribus elementis corporeis subiiciūt animas suas. Sed inter hos illi sibi videntur religiosissimi, qui vniuersam simul creaturam, id est mundum totum cum omnibus quæ in eo sunt, & vitam qua spiratur & animatur, quā quidam corpoream, quidam incorpoream esse crediderunt: hoc ergo totum simul vnum Deum magnum esse arbitrantur, cuius partes sint cætera. Non enim vniuersæ creaturæ auctorem conditorémque nouerunt. Inde est quòd in simulacra præcipitantur, & ab operibus Dei vsque in opera sua demergūtur, quæ tamen adhuc visibilia sunt.

1. retr. ca. 1 §

CAPVT XXXVIII. *Triplex in mundo tentatio.*

EST enim alius deterior & inferior cultus simulachrorum, quo phantasmata sua colunt, & quicquid animo errante cum superbia vel tumore cogitando imaginati fuerint, religionis nomine obseruant, donec fiat in anima nihil omnino colendum esse, & errare homines qui superstitioni se inuoluunt, & misera se implicant seruitute. Sed frustra hoc sentiunt: non enim efficiunt vt non seruiant: remanent quippe ipsa vitia, quibus vt illa colenda opinarentur attracti sunt. Seruiunt enim cupiditati triplici, vel †voluntatis, vel excellentiæ, vel spectaculi. Nego esse quēquam istorum, qui nihil colendum existimant, qui non aut carnalibus gaudiis subditus sit, aut potentiam vanam foueat, aut aliquo spectaculo delectatus insaniat. Ita nescientes diligunt temporalia, vt inde beatitudinē expectent. His autem

al. voluptatis.

rebus quibus quisque beatus vult effici, seruiat neces- A
se est, velit nolit. Nam quocunque duxerint, sequitur:
& quisquis ea visus fuerit auferre posse, metuitur. Pos-
sunt autem auferre ista, & scintilla ignis & aliqua par-
ua bestiola. Postremò, vt omittam innumerabiles ad-
uersitates, tempus ipsum auferat necesse est omnia
transeuntia. Itaque cum omnia temporalia transeun-
tia mundus iste concludat, omnibus mundi partibus
seruiunt, qui propterea putant nihil colẽdum esse, ne
seruiant. Veruntamen quàquam in hac rerum extre-
mitate miseri iaceant, vt vitia sua sibi dominari patian
tur vel libidine, vel superbia vel curiositate damnati,
vel duobus horum, vel omnibus: quã diu sunt in hoc
stadio vitæ humanæ, licet eis congredi & vincere, si
prius credant, quod intelligere nondum valent, & nõ
diligant mundum: quoniam omne quod in mundo
1.Io.2.v.16 est, sicut diuinitus dictum est, concupiscentia carnis
est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi.
Hoc modo tria illa sunt notata: nam concupiscentia
carnis, voluptatis infimæ amatores significat: concu- B
piscentia oculorum, curiosos: ambitio sæculi, super-
bos. Triplex etiam tentatio in homine quem veritas
Mat.4.v.4. ipsa suscepit, cauenda monstrata est. Dic, inquit ten-
tator, lapidibus istis vt panes fiant. At ille vnus & solus
magister: Non, inquit, in solo pane viuit homo, sed in
omni verbo Dei. Ita enim domitam docuit esse opor-
tere cupiditatem voluptatis, vr nec fami cedẽdum sit.
Sed fortè dominationis temporalis fastu decipi pote-
rat, qui carnis voluptate non potuit: omnia ergo re-
gna mundi monstrata sunt ei, & dictum est: Omnia ti-
bi dabo, si prostratus adoraueris me. Cui respõsum
est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli ser-
uies. Ita calcata est superbia. Subiecta est autem extre-
ma etiam curiositatis illecebra: non enim vt se de fa-
stigio templi præcipitaret vrgebat, nisi causa tantùm
aliquid experiẽdi. Sed neque hic victus est, & ideo sic
respondit, vt intelligeremus non opus esse ad cogno- C
scendum Deum, tentationibus visibiliter diuina ex-
plorare molientibus: Non tẽtabis, inquit, Dominum
Deum tuum. Quamobrem quisquis intus verbo Dei
pascitur, non quærit in ista eremo voluptatem. Qui
vni Deo tantum subiectus est, non quẽrit in monte, id
est, in terrena elatione iactantiam. Quisquis æterno
spectaculo incommutabilis veritatis adhæresit, non
per fastigium huius corporis, id est per hos oculos præ-
cipitatur, vt temporalia & inferiora cognoscat.

CAPVT XXXIX. *Ex rebus cõditis quomodo deprehendatur summa veritas.*

QVID igitur restat, vnde non possit anima recor-
dari primam pulchritudinem quam reliquit, quãdo de
ipsis suis vitiis potest? Ita enim sapientia Dei pertendit
à fine vsque ad finem fortiter. Ita per hanc summus il-
le artifex opera sua in vnum finem decoris ordinata
contexuit. Ita illa bonitas à summo vsq; ad extremum
nulli pulchritudini, quæ ab ipso solo esse posset inui-
dit, vt nemo ab ipsa veritate deiiciatur, qui non exci-
piatur ab aliqua effigie veritatis. Quære in corporis
voluptate quid teneat, nihil aliud inuenies quàm con D
uenientiam: nam si resistentia pariunt dolorem, con-
uenientia pariunt voluptatem. Recognosce ergo quæ
sit summa cõuenientia: noli foras ire, in teipsum redi,
in interiore homine habitat veritas, & si tuam natu-
ram mutabilem inueneris, transcende & teipsum. Sed
memento cum te transcendis, ratiocinãtem animam
te transcendere. Illuc ergo tende, vnde ipsum lumen
rationis accenditur. Quò enim peruenit omnis bonus
ratiocinator, nisi ad veritatem? Cum ad seipsam veri-
tas non vtique ratiocinando perueniat, sed quod ra-
tiocinantes appetunt ipsa sit, vide ibi conuenientiam,
qua superior esse non possit, & ipse conueni cum ea.
Confitere te non esse quod ipsa est: siquidem se ipsa
non quærit, tu autem ad ipsam quærendo venisti, non
locorum spacio, sed mentis affectu, vt ipse interior ho-
mo cum suo inhabitatore, non infima & carnali, sed
summa & spiritali voluntate conueniat. Aut si non
cernis quæ dico, & an vera sint dubitas, cerne saltem
vtrũ te de iis dubitare non dubites, & si certum est te
esse dubitantem, quære vnde sit certum: non illic tibi
omnino solis huius lumen occurret, sed lumen verum
quod illuminat omnem hominem venientem in hũc
mundum. Quod his oculis videri non potest, nec illis Ioan.1.v.9.
quibus phantasmata cogitantur, per eosdem oculos a-
nimæ impacta, sed illis quibus ipsis phantasmatibus
dicitur: non estis vos quod ego quæro, neque illud e-
stis vnde ego vos ordino, & quod mihi inter vos fœdũ
occurrerit, improbo, quod pulchrum approbo, cum
pulchrius sit illud vnde improbo & approbo: quare
hoc ipsum magis approbo, & non solum vobis, sed il-
lis omnibus corporibus vnde vos hausi, antepono.
Deinde regulam ipsam quam vides, concipe hoc mo-
do: Omnis qui se dubitantem intelligit, verum intel-
ligit, & de hac re quam intelligit certus est. De vero
igitur certus est. Omnis igitur qui vtrum sit veritas du
bitat, in seipso habet verum vnde non dubitet, nec vl-
lum verum nisi veritate verum est. Non itaque opor-
tet eum de veritate dubitare, qui potuit vndecunque
dubitare. Vbi videntur hæc, ibi est lumen sine spa-
cio locorum & temporum, & sine vllo spaciorum ta-
lium phantasmate. Nunquid ista ex aliqua parte cor-
rumpi possunt, etiamsi omnis ratiocinator interea, aut
potius apud carnales inferos veterascat? Non enim ra-
tiocinatio talia facit, sed inuenit. Ergo antequam in-
ueniantur, in se manent, & cum inueniuntur, nos in-
nouant.

CAP. XL. *Diaboli tentatio cedit in decorem vniuersi.*

ITA renascitur interior homo,
& exterior corrumpitur de die in diem. Sed interior
exteriorem respicit, & in sua comparatione fœdum
videt: in proprio tamẽ genere pulchrum & corporum
conuenientia lætantem, & corrumpentem quod in
bonum suum conuertit, alimenta scilicet carnis: quæ
tamen corrupta, id est amittentia formam suã, in mẽ-
brorum istorum fabricam migrant, & corrupta refi-
ciunt, in aliam formam per conuenientiam transeun-
tia: & per vitalem motum diiudicãtur quodammodo,
vt ex eis in structuram huius visibilis pulchri quæ apta
sunt assumantur, non apta verò per incongruos mea-
tus eiiciantur. Quorum aliud fœculentissimum red-
ditur terræ ad alias formas assumendas, aliud per to-
tum corpus exhalat, aliud totius animalis latẽtes nu-
meros accipit, & inchoatur in prolem, & siue conue-
nientia duorum corporum, siue tali aliquo phãtasma-
te commotum, per genitales vias ab ipso vertice de- *Semen à cerebro.*
fluit in infima voluptate. Iam verò in matre per certos
numeros temporum in locorum numerum coapta-
tur, vt suas regiones quæque membra occupent, & si
modum parilitatis seruauerint, luce coloris adiuncta
nascitur corpus quod formosum vocatur, & à suis di-
lectoribus amatur acerrimè: non tamen in eo plus pla-
cet forma quæ mouetur, quàm vita quæ mouet. Nam
illud animal si nos amet, allicit violentius: si oderit au
tem, succensemus, & ferre non possumus, etiam si for-
mam ipsam præbeat fruenti. Hoc totum est voluptа-
tis regnum, & ima pulchritudo, subiacet enim corru-
ptioni: quod si non esset, summa putaretur. Sed adest
diuina prouidentia, quæ hanc ostendat, & nõ malam,
propter tam manifesta vestigia primorum numerorũ,
in quibus sapientiæ Dei nõ est numerus, & extremam Psal.146.v.5
tamen esse: miscens ei dolores & morbos & distortio-
nes membrorum, & tenebras coloris, & animorum si-
multates ac dissensiones, vt ex his admoneamur incõ-
mutabile aliquid esse quẽrendum. Et hoc facit per in-
fima ministeria eorum quibus id agere voluptatis est,
quos exterminatores & angelos iracundiæ, diuinæ
Scripturæ nominant, quamuis ipsi nesciant quid de
se agatur boni. His similes sunt homines, qui gaudent
miseriis

miseriis alienis,& risus sibi & ludicra spectacula exhibent, vel exhiberi volunt euersionibus & erroribus aliorum. Atque ita in his omnibus boni admonentur & exercentur & vincunt, & triumphant & regnant. Mali verò decipiuntur, cruciantur, vincuntur, dánantur & seruiunt, non vni omnium summo Domino, sed vltimis seruis, illis videlicet angelis, qui doloribus & miseriis damnatorum pascuntur, & pro ista maleuolentia bonorum liberatione torquentur. Ita ordinátur omnes officiis & finibus suis in pulchritudinem vniuersitatis, vt quod horremus in parte, si cum toto consideremus, plurimum placeat: quia nec in ædificio iudicando vnum tantum angulum considerare debemus, nec in homine pulchro solos capillos, nec in bene pronunciante solum digitorum motum, nec in lunæ cursu aliquas tridui tantum figuras. Ista enim quæ propterea sunt infima, quia partibus imperfectis tota perfecta sunt, siue in statu, siue in motu pulchra sentiantur, tota consideranda sunt, si rectè volumus iudicare. Verum enim nostrum iudicium, siue de toto, siue de parte iudicet, pulchrum est: vniuerso quippe mundo superfertur, nec alicubi parti eius inquantum verum iudicamus, adhæremus. Error autem noster parti adhærens eius, ipse per se fœdus est. Sed sicut niger color in pictura cum toto fit pulcher: sic totum istum agonem decenter ædit incommutabilis diuina prouidentia, aliud victis, aliud certantibus aliud, victoribus, aliud spectatoribus, aliud quietis & solum Deum contemplantibus tribuens: cum in his omnibus non sit malum nisi peccatum, & pœna peccati, hoc est defectus voluntarius à summa essentia, & labor in vltima non voluntarius. Quod alio modo dici potest, libertas à iustitia, & seruitus sub peccato.

CAPVT XLI. *Duplex exterioris hominis corruptio.*

CORRVMPITVR autem homo exterior aut profectu interioris, aut defectu suo. Sed profectu interioris ita corrumpitur, vt totus in melius reformetur, & restituatur in integrum in nouissima tuba, vt iam non corrumpatur neque corrumpat. Defectu autem suo in pulchritudines corruptibiliores, id est pœnarum ordinem præcipitatur. Nec miremur quòd adhuc pulchritudines nomino: nihil enim est ordinatum quod non sit pulchrum. Et sicut ait Apostolus. Omnis ordo à Deo est. Necesse est autem fateamur meliorem esse hominem plorantem, quam lætantem vermiculum: & tamen vermiculi laudem sine vllo mendacio copiosè possum dicere, considerans nitorem coloris, figuram teretem corporis, priora cum mediis, media cum posterioribus congruentia, & vnitatis appetentiam pro suę naturæ humilitate seruantia, nihil ex vna parte formatum, quod non ex altera parili dimensione respondeat. Quid iam de anima ipsa dicam, vegetante modulum corporis sui, quomodo eum numerosè moueat, quomodo appetat conuenientia, quomodo vincat aut caueat obsistentia quantum potest, & ad vnum sensum incolumitatis referens omnia, vnitatem illam cõditricem naturarum omnium, multo euidentius quam corpus insinuet: loquor de vermiculo animante qualicunque. Cineris & stercoris laudem verissimè atque vberrimè pleriq; dixerunt. Quid ergo mirum est, si hominis animam quæ vbicunq; sit & qualiscunque sit, omni corpore est melior, dicam pulchrè ordinari, & de pœnis eius alias pulchritudines fieri, cum ibi non sit quãdo misera est, vbi beatos esse decet, sed ibi sit vbi esse miseros decet? Prorsus nemo nos fallat. Quicquid rectè vituperatur, in melioris cõparatione respuitur. Omnis enim natura quãuis extrema, quamuis infima, in comparatione nihili iure laudatur. Et tunc cuiq; non est bene, si melius esse potest. Quare si nobis potest bene esse çũ ipsa v eritate, malè sumus cum quolibet vestigio veritatis: multo ergo deterius cum extremitate vestigij, quando carnis volu-

Rom. 13. a. 1

Cato apud Ciceronem in Catone maiore.

2. Tim. ca. 13

A ptatibus adhæremus. Vincamus ergo huius cupiditatis vel blanditias vel molestias, subiugemus nobis hãc fœminã, si viri sumus. Nobis ducibus, & ipsa erit melior, nec iam cupiditas, sed temperantia nominabitur. Nam cũ ipsa ducit, nos autẽ sequimur, cupiditas illa & libido, nos verò temeritas & stultitia nuncupamur. Sequamur Christum caput nostrum, vt & nos sequatur cui caput sumus. Hoc & fœminis præcipi potest, non maritali, sed fraterno iure, quo iure in Christo nec masculus nec fœmina sumus. Habent enim & illæ virile quiddam vnde fœmineas subiugẽt voluptates, vnde Christo seruiãt, & imperẽt cupiditati. Quod in multis viduis & virginibus Dei, in multis etiã maritatis, sed iam fraternè coniugalia iura seruantibus Christiani populi dispensatione manifestũ est. Quòd si ab ea parte cui dominari Deus nos iubet, atq; vt in nostram possessionẽ restituamur & hortatur & opitulatur: si ergo ab hac parte per negligentiã & impietatem vir subditus fuerit, id est mẽs & ratio, erit quidem B homo turpis & miser: sed destinatur in hac vita, & post hanc vitam ordinatur, quò eum destinari, & vbi ordinari summus ille rector & Dominus iudicat. Nulla itaque fœditate vniuersa creatura maculari permittitur.

CAPVT XLII. *Vnitatis pulchritudo in quibus.*

AMBVLEMVS ergo dum diẽ habemus, id est, dũ ratione vti possumus, vt ad Deum conuersi, verbo eius quod verũ lumen est, illustrari mereamur, ne nos tenebræ comprehendãt. Dies est enim præsentia illius luminis, quod illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundũ. Hominem dixit, qui ratione vti potest: & vbi cecidit, ibi incũbere debet vt surgat. Si ergo voluptas carnis diligitur, ea ipsa diligentius cõsideretur, & quum ibi recognita fuerint quorundam vestigia numerorum, quærendum est vbi sine tumore sint. Ibi enim magis vnũ est quod est. Et si tales sunt in ipsa motione vitali, quæ in seminibus operatur, magis ibi mirãdi sunt quã in corpore. Si enim numeri seminum sicut ipsa semina tumerẽt, de dimidio grano fici, arbor dimidia nasceretur, neq; de animalium seminibus etiam non totis, animalia tota & integra gignerentur, neq; tantillum & vnum semẽ vim haberet sui cuiusq; generis innumerabilem. De vno quippe secũdum suam naturam possunt, vel segetes segetum, vel syluæ syluarum, vel greges gregum, vel populi populorum per sæcula propagari, vt nullum folium sit, vel nullus pilus per tam numerosam succession em, cuius non ratio in illo primo & vno semine fuerit. Deinde illud cogitandum est, quàm numerosas, quam suaues sonorũ pulchritudines verberatus aër traiiciat cãtante luscinia, quas illius auiculæ anima non tã liberè cum liberet fabricaretur, nisi vitali motu incorporaliter haberet impressas. Hoc & in cæteris animantibus, quæ ratione carentia sensu tamen non carent, animaduerti potest. Nullum enim horum est, quod non vel in sono vocis, vel in cætero motu atq; operatione mẽbrorum numerosum aliquid, atq; in suo genere moderatum gerat, non aliqua scientia, sed tamen intimis naturæ terminis, ab illa incommutabili numerorũ lege modulatis.

CAPVT XLIII. *Ex ordine rerum cognosci Deũ.*

REDEAMVS ad nos, & omittamus ea quæ cum arbustis, & bestiis habemus commu nia. Vno nanq; modo hirũdo nidificat, & vnumquodque auium genus vno aliquo suo modo. Quid est ergo in nobis, quo & de illis omnibus iudicamus, quas figuras appetant, & quatenus impleant, & nos in ædificiis aliisque corporeis operibus, tanquam Domini omnium talium figurarũ, innumerabilia machinamur? Quid est in nobis, quod intus intelligit has ipsas visibiles corporum moles proportione magnas esse, vel paruas, & omne corpus habere dimidium quantulumcunque sit, & si dimidium, innumerabiles partes? Itaque omne granum milij suæ parti tantæ, quantam in hoc mundo nostrum corpus tenet, tam magnũ esse

quàm mundus est nobis, totúmque istum mũdum figurarum ratione pulchrum esse, non mole: magnum autem videri, non pro sua quantitate, sed pro breuitate nostra, id est animalium quibus est plenus, quæ rursus cum habeant infinitatem diuisionis, non ipsa per se, sed in aliorum, & maximè ipsius vniuersi comparatione tam parua sunt. Nec in spacio temporum alia ratio est, quia vt omnis loci, sic omnis temporis longitudo habet dimidium sui: quamuis enim sit breuissima, & incipit & progreditur & desinit. Itaque non potest nisi habere dimidium, dum ibi diuiditur quà trãsit ad finem. Ac per hoc & breuis syllabæ tempus in comparatione longioris breue, & hora brumalis æstiuæ horæ comparata minor est. Sic mora vnius horę ad diem, & diei ad mensem, & mensis ad annum, & anni ad lustrum, & lustri ad maiores circuitus, & ipsi ad vniuersum tempus relati breues sunt, cum illa ipsa numerosa successio, & quædam gradatio, siue localium, siue temporalium spaciorum, non tumore vel mora, sed ordinata conuenientia pulchra iudicetur. Ipse autẽ ordinis modus viuit in veritate perpetua, nec mole vastus, nec protractione volubilis, sed potentia super omnes locos magnus, æternitate super omnia tẽpora immobilis: sine quo tamen nec vllius molis vastitas in vnum redigi, nec vllius temporis productio potest ab errore cohiberi, & aliquid esse vel corpus vt corpus sit, vel motus vt motus sit. Ipsum est vnũ principale, nec per finitum, nec per infinitum crassum, nec per finitum nec per infinitum mutabile. Non enim habet aliud hic, aliud alibi, aut aliud nunc, aliud postea: quia summè vnus est pater veritatis, pater suæ sapientiæ, quæ nulla ex parte dissimilis, similitudo eius dicta est, & imago, quia de ipso est. Itaque etiam filius rectè dicitur ex ipso, cætera per ipsum. Præcessit enim forma omnium summè implens vnum de quo est, vt cætera quæ sunt inquantum sunt vni similia, per eam formam fierent.

Horas inæquales intelligit, quæ pro loco solis in zodiaco variantur, nam brumalis dies totidem habet horas quot æstiuus, licet breuiores.

2. sent. dist. 3. cap. nunc restat.

CAPVT XLIIII. *Dei imago filius, ad quã facta quædã.*

HORVM alia sic sunt per ipsam, vt ad ipsam etiam sint, vt omnis rationalis, & intellectualis creatura, in qua homo rectissimè dicitur factus ad imaginem & similitudinem Dei: non enim aliter incommutabilem veritatem posset mente conspicere. Alia verò ita sunt per ipsam facta, vt non sint ad ipsam. Et ideo rationalis anima si creatori suo seruiat à quo facta est, per quem facta est, & ad quem facta est, cuncta ei cætera seruient: & vita vltima quæ tam vicina illi est, & est adiutorium eius, per quod imperat corpori: & ipsum corpus, extrema natura & essentia: cui omni modo cedenti ad arbitrium dominabitur, nullam de illo sentiens molestiam: quia iam nõ ex ipso nec per ipsum quæret beatitudinem, sed ex Deo per seipsam percipiet. Reformatum ergo corpus ac sanctificatum, sine detrimento corruptionis, & sine onere difficultatis administrabit. In resurrectione enim nec nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli in cælis. Esca verò ventri, & venter escis. Deus autem & hunc & illas destruet, quoniam nõ est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium.

Matth. 22. 6. 30.

1 Cor. 6. 6. 13

CAP. XLV. *Voluptatis imbecillitas protrudit nos ad sublimiora.*

QVAPROPTER etiam in ista corporis voluptate inuenimus vnde commoneamur eam contemnere: non quia malum est natura corporis, sed quia in extremi boni dilectione turpiter volutatur, cui primis inhærere fruique concessum est. Cum trahitur auriga, & suæ temeritatis dat pœnas, quicquid illud est quo vtebatur, accusat: sed imploret auxilium, iubeat Dominus rerum, obsistatur equis, alia iam spectacula de illius præcipitatione facientibus, & nisi subueniatur de morte facturis, restituatur in locum, super rotas collocetur, habenarum iura reddantur, regat cautius obtemperantes, & edomitas bestias: tũc sentiet quàm bene currus, & tota illa iunctio fabricata sit, quæ ruina eius, & ipsum afflixerat, & cursum decentissimæ moderationis amiserat: quia & huic corpori imbecillitatem peperit animæ malæ vtentis auiditas in paradiso, vsurpans vetitum cibum contra medici disciplinam, qua sempiterna continetur salus. Si ergo in ista ipsa visibilis carnis imbecillitate, vbi beata vita esse non potest, inuenitur admonitio beatæ vitæ propter speciem de summo bono vsq; ad ima venientẽ: quanto magis in appetitione nobilitatis & excellentiæ, & in omni superbia vanáque pompa huius mũdi. Quid enim aliud in ea homo appetit, nisi solus esse si fieri possit cui cuncta subiecta sint, peruersa scilicet imitatione omnipotentis Dei? Quem si subditus imitaretur, secundum præcepta eius viuendo, per eum haberet subdita cætera, nec ad tãtam deformitatem veniret, vt bestiolam timeret, qui vult hominibus imperare. Habet ergo & superbia quendam appetitũ vnitatis & omnipotentiæ: sed in rerum temporaliũ principatu, quæ omnia transeunt tanquam vmbra. Inuicti esse volumus, & rectè: habet enim hoc animi nostri natura post Deum, à quo ad eius imaginem factus est: sed eius præcepta erant seruanda, quibus seruatis nemo nos vinceret. Nunc verò dũ ipsa cuius verbis turpiter consensimus, domatur dolore pariendi, & nos in terra laboramus, & cum magno dedecore superamur ab omnibus, quæ nos cõmouere ac perturbare potuerint. Itaque nolumus ab hominibus vinci, & iram non possumus vincere. Qua turpitudine quid execrabilius dici potest? Fatemur hominem hoc esse quod nos sumus, qui tamen & si habeat vitia, non est tamen ipse vitium. Quanto igitur honestius homo nos vincit quàm vitium? Quis autem dubitet immane vitium esse inuidentiam, qua necesse est torqueatur, & subiiciatur qui non vult in rebus temporalibus vinci? Melius est ergo vt homo nos vincat, quàm inuidentia, vel quodlibet aliud vitium.

SED nec ab homine vinci potest, qui vitia sua vicerit. Non enim vincitur, nisi cum ei eripitur ab aduersario quod amat. Qui ergo amat id solũ, quod amanti eripi non potest, ille indubitanter inuictus est, nec vlla cruciatur inuidia. Id enim diligit, ad quod diligendum, & percipiendum quanto plures venerint, tanto eis vberius gratulatur. Diligit enim Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & diligit proximum tanquam seipsum. Non ergo illi inuidet vt sit quod ipse est, imò adiuuat etiam quantum potest. Nec potest amittere proximum quem diligit tãquam seipsum, quia neque in seipso ea diligit quæ oculis subiacent, aut vllis aliis corporeis sensibus. Ergo apud semetipsum habet quẽ diligit tãquam seipsum. Ea autem est regula dilectionis, vt quæ sibi vult bona prouenire, & illi velit, & quæ accidere sibi mala non vult, & illi nolit: hanc voluntatem erga omnes homines seruat. Nã erga neminem operandum est malum. Et dilectio proximi malum non operatur. Diligamus ergo vt præceptũ est etiam inimicos nostros, si verè inuicti esse volumus. Non enim per seipsum quisquam hominum inuictus est, sed per illam incommutabilem legem, cui quicunq; seruiunt soli sunt liberi. Sic enim eis quod diligũt auferri non potest. Quæ res vna inuictos facit & perfectos viros. Nam si vel ipsum hominem homo dilexerit, non tanquam seipsum, sed tanquam iumentum aut balneas aut auiculam pictam vel garrulam, id est vt ex eo aliquid temporalis voluptatis aut commodi capiat, seruiat necesse est, non homini, sed, quod est turpius, tam fœdo & detestabili vitio, quo non amat hominem sicut homo amandus est. Quo vitio dominante, vsque ad extremam vitam, vel potius mortem perducitur. Sed nec sic quidem ab homine homo diligendus est, vt diliguntur carnales fratres vel filij vel coniuges, vel quiq; cognati, vel affines aut ciues. Nam & dilectio ista temporalis est. Non enim vllas tales necessi-

CAPVT XLVI. *Charitas erga Deum & proximum.*

Matth. 22. d. 37.

Tob. 4. c. 16

Ro. 13 c. 10

Mat. 5. g. 44

1. reg. 18. 1

neceſſitudines haberemus, quæ naſcendo & morien-
do contingunt, ſi natura noſtra in præceptis, & imagi-
ne Dei manens, in iſtam corruptionem non relegare-
tur. Itaque ad priſtinam perfectámque naturam nos
ipſa veritas vocans, præcipit vt carnali cõſuetudini re-
ſiſtamus, docens neminem aptum eſſe regno Dei, qui
non iſtas carnales neceſſitudines oderit. Neque hoc
cuiquam inhumanum videri debet. Magis enim eſt
inhumanum, non amare in homine quod homo eſt,
ſed amare quod vilius eſt: hoc eſt enim nõ in eo ama-
re illud, quod ad Deum pertinet, ſed amare illud quod
ad ſe pertinet. Quid ergo mirum ſi ad regnũ non per-
uenit, qui non communem ſed priuatam rem diligit?
Imò vtrunque ait quiſpiam: imò illud vnum, dicit Do
Mat.6,c.24 minus. Dicit enim veriſſimè Veritas: Nemo poteſt
duobus dominis ſeruire. Nemo enim poteſt perfectè
diligere quò vocamur, niſi oderit vnde reuocamur.
Vocamur autem ad perfectam naturam humanam,
qualem ante peccatum noſtrum Deus fecit: reuoca-
mur autem ab eius dilectione, quam peccãdo meru-
imus. Quare oderimus oportet, vnde vt liberemur o-
ptamus. Oderimus ergo temporales neceſſitudines, ſi
æternitatis charitate flagramus. Diligat homo proxi-
mum tanquam ſeipſum. Certè enim ſibiipſi nemo eſt
pater, aut filius aut affinis, aut aliquid huiuſmodi, ſed
tantum homo. Qui ergo diligit aliquem tanquam ſe-
ipſum, hoc in eo debet diligere quod ſibi ipſe eſt. Cor-
pora verò non ſunt quod nos ſumus. Non ergo in ho-
mine corpus eſt expetendum aut deſiderandum. Va-
let enim ad hoc etiam quod præceptum eſt: Non con-
Exo.20.v. cupiſcas rem proximi tui. Quapropter quiſquis in
17. proximo aliud diligit, quàm ſibi ipſe eſt, non eum di-
ligit tanquam ſeipſum. Ipſa igitur natura humana ſi-
ne carnali conditione diligenda eſt, ſiue ſit perficiẽda
ſiue perfecta. Omnes ſub vno Deo patre cognati ſunt
qui eum diligunt, & faciunt voluntatem ipſius. Et in-
uicem ſibi ſunt, & patres cum ſibi conſulunt, & filij
cum ſibi obtemperant, & fratres, maximè quia eos v-
nus pater teſtamento ſuo ad vnam hæreditatẽ vocat.

CAPVT XLVII. *Fortis omnib. bene vtitur.*

QVAPROPTER cur iſte non inuictus ſit homi-
nem diligendo, cum in eo nihil præter hominem dili-
gat, id eſt creaturam Dei ad eius imaginem factã, nec
ei poſſit deeſſe perfecta natura quam diligit, cum ipſe
perfectus eſt? Sicut enim, verbi gratia, ſi quiſquam di-
ligat bene cantantem, non hunc aut illum, ſed tãtum
bene cantantem quemlibet, cum ſit cantor ipſe per-
fectus, ita vult omnes tales eſſe, vt tamen ei non deſit
quod diligat, quia ipſe bene cantat. Nam ſi cuiquã in-
uidet bene cantanti, non iam illud diligit, ſed aut lau-
dem, aut aliquid aliud, quò bene cãtando vult perue-
nire, & poteſt ei minui vel auferri, ſi & alius bene can-
tauerit. Qui ergo inuidet bene cantanti, non amat be-
ne cantantem, ſed rurſus qui eo indiget, non bene can
tat. Quod multò accommodatius de bene viuẽte dici
poteſt, quia inuidere nulli poteſt: quò enim peruenĩũt
bene viuentes, tantundem eſt omnibus, nec minus ſit
cum plures habuerint. Et poteſt eſſe tempus quo bo-
nus cantor cantare nõ decenter queat, & indigeat vo-
ce alterius, qua ſibi exhibeatur, quod diligit tanquam
ſi alicubi cõuiuetur, vbi eum cantare turpe ſit, ſed de-
ceat audire cantãtem: bene autem viuere ſemper de-
cet. Quare quiſquis hoc & diligit & facit, non ſolum
non inuidet imitantibus, ſed his ſe præbet libẽtiſſimè
atq; humaniſſimè quantum poteſt, nec tamen eis in-
diget. Nam quod in illis diligit, in ſeipſo habet totum
atq; perfectum. Ita cum diligit proximum tanquã ſe-
ipſum, non inuidet ei, quia nec ſibiipſi: præſtat ei quod
poteſt, quia & ſibiipſi: nec eo indiget, quia nec ſeipſo:
tantum Deo indiget, cui adhærẽdo beatus eſt. Nemo
autem illi eripit Deum. Ille ergo veriſſimè atque cer-
tiſſimè inuictus homo eſt qui cohæret Deo, non vt ab
eo aliquid boni extra mereatur, ſed cui nihil aliud quã
ipſum hærere Deo bonũ eſt. Hic vir quãdiu eſt in hac
vita, vtitur amico ad rependendã gratiã, vtitur inimi-
co ad patiẽtiam, vtitur quibus poteſt ad beneficentiã,
vtitur omnibus ad beneuolentiam. Et quanquã tem-
poralia non diligat, ipſe rectè vtitur temporalibus, &
pro eorum ſorte hominibus conſulit, ſi æqualiter non
poteſt omnibus. Quare ſi aliquẽ familiarium ſuorum
promptius quam quẽlibet alloquitur, non eum magis
diligit, ſed ad eum habet maiorem fiduciam, & aper-
tiorem temporis ianuam. Tractat enim tempori dedi-
tos tanto melius, quanto minus ipſe obligatus eſt tem
pori. Cum itaq; omnibus quos pariter diligit prodeſſe
non poſſit, niſi cõiunctioribus prodeſſe malit, iniuſtus
eſt. Animi autem cõiunctio maior eſt quàm locorum
aut temporum, quibus in hoc corpore iunguntur, ſed
ea maxima eſt quæ omnibus præualet. Non ergo iſte
affligitur morte cuiuſquam, quoniam qui toto animo
Deum diligit, nouit nec ſibi perire quod Deo non pe-
rit. Deus autem dominus eſt & viuorũ & mortuorũ.
Non cuiuſquã miſeria miſer eſt, quia nec cuiuſquam
iuſtitia iuſtus eſt. Et vt nemo illi iuſtitiam & Deũ, ſic
nemo aufert beatitudinẽ. Et ſi aliquãdo fortè alicuius
periculo, vel errore vel dolore commouetur, vſque ad
illius auxilium, aut correctionem, aut conſolationem,
non vſq; ad ſuam ſubuerſionem valere patitur. In o-
mnibus autẽ officioſis laboribus futuræ quietis certa
expectatione non frãgitur. Quid enim ei nocebit, qui
bene vti etiam inimico poteſt? Eius enim præſidio at-
que munimento inimicitias nõ pertimeſcit, cuius præ-
cepto & dono diligit inimicos. Huic viro in tribula- Mat.5.g.44
tionibus parum eſt non cõtriſtari, niſi etiam gaudeat,
ſciens quod tribulatio patientiam operatur, patientia
probationẽ, probatio ſpem, ſpes autẽ non confundit.
Quoniam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris
per ſpiritum ſanctũ qui datus eſt nobis. Quis huic no- Rom.5.a.5
cebit? Quis hunc ſubiugabit? Homo qui proſperis
rebus proficit, aſperis quid profecerit diſcit. Cũ enim
mutabiliũ bonorum adeſt copia, non eis confidit: ſed
cum ſubtrahũtur, agnoſcit vtrum cum non ceperint.
Quia plerunq; cum adſunt nobis, putamus quod non
ea diligamus: ſed cũ abeſſe cœperint, inuenimus qui
ſimus. Hoc enim ſine amore noſtro aderat, quod ſine
dolore diſcedit. Videtur ergo vincere cum vincatur,
qui ſuperando ad id peruenerit, quod cũ dolore amiſ-
ſurus eſt: & vincit cum vinci videatur, quiſquis cedendo
ad id peruenit quod non amittit inuitus.

CAPVT XLVIII. *Quæ ſit perfecta iuſtitia.*

QVEM ergo delectat libertas, ab amore mutabiliũ
rerum liber eſſe appetat: & quem regnare delectat, v-
ni omnium regnatori Deo ſubditus hæreat, plus eum
diligendo quam ſeipſum. Et hæc eſt perfecta iuſtitia,
qua potius potiora, & minus minora diligimus. Sapiẽ-
tem animam atq; perfectam talem diligat qualem il-
lam videt: ſtultam non talem, ſed quia eſſe perfecta &
ſapiens poteſt: quia nec ſeipſum debet ſtultũ diligere.
Nam qui ſe diligit ſtultum, non proficiet ad ſapientiã:
nec fiet quiſquis qualis cupit eſſe, niſi ſe oderit qualis
eſt. Sed donec ad ſapientiã perfectionẽmq; veniatur,
eo animo ferat ſtultitiam proximi, quo ſuam ferret, ſi
ſtultus eſſet, & amaret ſapientiam. Quapropter ſi &
ipſa ſuperbia veræ libertatis, & veri regni vmbra eſt, e-
tiam per ipſam nos commemorat diuina prouidentia,
quid ſignificemus vitioſi, & quò debeamus redire cor-
recti.

CAP. XLIX. *Omnibus præferenda veritas.*

IAM verò cuncta ſpectacula, & omnis il-
la quæ appellatur curioſitas quid aliud quærit quàm
de rerum cognitione lætitiam? Quid ergo admirabi-
lius, quid ſpecioſius ipſa veritate, ad quam omnis ſpe-
ctator peruenire ſe cupere confitetur, cum vehemẽter
ne fallatur inuigilat, & inde ſe iactat ſi quid acutius cæ
teris, & viuacius in ſpectando cognoſcat & iudicet? Ip-
ſum deniq; præſtigiatorẽ nihil aliud quã fallaciã pro-
fitentem

fitentem diligenter intuentur,& cautiſſimè obſeruãt, & ſi eluduntur,quia ſua non poſſunt, illius delectãtur ſcientia qui eos eludit. Nam ſi & ille neſciret quibus cauſis fallantur intuentes,vel neſcire crederetur, pariter erráti nullus plauderet. Si quis autem de populo vnus eũ deprehenderit, maiorem illo laudẽ ſe mereri putat,non ob aliud,niſi quia decipi falliq; non potuit. Si autem multis apertus ſit,non ille laudatur, ſed irridentur cęteri qui talia deprehendere nequeunt. Ita omnis palma cognitioni datur & artificio,& cõprehenſioni veritatis, ad quã nullo modo perueniunt qui foris eam quærunt. Itaq; in tantas nugas,& turpitudines merſi ſumus,vt cũ interroganti quid ſit melius,verum an falſum,ore vno reſpondeamus, verum eſſe melius iocis & ludis,tamẽ vbi nos vtiq; non vera, ſed falſa delectant, multò propenſius quam præceptis ipſius veritatis hæreamus. Ita noſtro iudicio & ore punimur, aliud ratione approbantes,aliud vanitate ſectãtes. Tandiu autem eſt ludicrum, & ioculare aliquid, quandiu nouimus in cuius veri comparatione rideatur. Sed diligendo talia excidimus à vero,& non iam inuenimus quarum rerum imitamẽta ſint, quibus tanquã primis pulchris inhiamus, & ab eis recedentes amplexamur noſtra phantaſmata. Nam redeuntibus nobis ad inueſtigandam veritatem,ipſa in itinere occurrunt,& nos tranſire non ſinunt, nullis viribus, ſed magnis inſidiis latrocinantia, non intelligentibus quàm latè pateat quod dictum eſt:Cauete à ſimulachris. Itaque alij per innumerabiles mũdos vana cogitatione volutati ſunt. Alij Deũ eſſe non poſſe,niſi corpus igneũ putauerunt. Alij candorem lucis immenſæ per infinita ſpacia vſquequaq; porrectum, ex vna tamen parte quaſi nigro quodam cuneo fiſſum:duo aduerſa regna opinãtes,& talia rebus conſtituentes principia, cum ſuis phantaſmatibus fabulati ſunt. Quos ſi iurare cogam,vtrum hæc vera eſſe ſciant,fortaſſe non audeant, ſed viciſſim dicant:Tu igitur oſtẽde quid verum ſit. Quibus ſi nihil reſpondeam, niſi vt illã lucem quærant qua eis apparet & certum eſt,aliud eſſe credere, aliud intelligere,iurarent & ipſi,nec oculis videri poſſe iſtam lucem nec cum aliqua locorum vaſtitate cogitari,& nuſquã non præſto eſſe quærentibns,& nihil ea certius atque ſerenius inueniri. Quæ rurſus omnia quæ de hac luce mentis nunc à me dicta ſunt, nulla alia quàm eadem luce manifeſta ſunt. Per hanc enim intelligo vera eſſe quæ dicta ſunt,& hæc me intelligere per hanc rurſus intelligo. Et hoc rurſus & rurſus cum quiſq; ſe aliquid intelligere intelligit,& idipſum rurſus intelligit,in infinitum pergere intelligo, & nulla hic eſſe ſpacia cuiuſquam tumoris aut volubilitatis intelligo: intelligo etiam non me poſſe intelligere niſi viuam,& me viuaciorem intelligendo fieri,certius intelligo. Æterna enim vita vitã temporalẽ viuacitate ipſa ſuperat. Nec quid ſit æternitas,niſi intelligendo conſpicio. Mentis quippe aſpectu omnem mutabilitatem ab æternitate ſeiungo,& in ipſa æternitate nulla ſpacia tẽporis cerno, quia ſpacia temporis præteritis,& futuris rerum motibus conſtant. Nihil autem præterit in æterno,& nihil futurum eſt:quia & quod præterit eſſe deſinit,& quod futurum eſt,nondum eſſe cœpit. Æternitas autem tantummodo eſt,nec fuit quaſi iam nõ ſit, nec erit quaſi adhuc nõ ſit. Quare ſola ipſa veriſſimè dicere potuit humanę menti: Ego ſum qui ſum. Et de illa veriſſimè dici poterat: Qui eſt, miſit me. Cvi ſi nondum poſſumus inhærere, obiurgemus ſaltem noſtra phãtaſmata, & tam nugatorios & deceptorios ludos de ſpectaculo mentis eiiciamus. Vtamur gradibus quos nobis diuina prouidentia fabricare dignata eſt. Cum enim figmentis ludicris nimium delectati euaneſceremus in cogitationibus noſtris,& totam vitam noſtram in quædã vana ſomnia verteremus, rationali creatura ſeruiente legibus ſuis: per ſonos ac literas, ignem,fumum,nubem,columnam, quaſi quædã verba viſibilia cum infantia noſtra parabolis ac ſimilitudinibus quodãmodo ludere, & interiores oculos noſtros luto huiuſcemodi curare non aſpernata eſt ineffabilis miſericordia Dei. Diſtinguamus ergo quam fidem debeamus hiſtoriæ,quam fidem debeamus intelligentiæ, quid mandemus memoriæ, verum eſſe neſcientes, ſed credentes tamen. Et vbi ſit verum quod non venit & tranſit, ſed ſemper eodem modo manet. Qui ſit modus interpretandæ allegoriæ, quæ per ſapientiam dicta creditur in Spiritu ſancto. Vtrum à viſibilibus antiquioribus ad viſibilia recẽtiora eam perducere ſufficiat. An vſque ad animæ affectiones atque naturam,an vſque ad incommutabilem æternitatem: an aliæ ſignificent geſta viſibilia,aliæ motus animorũ, aliæ legem æternitatis, an aliqua inueniantur in quibus hæc omnia inueſtiganda ſint. Et quæ ſit ſtabilis fides,ſiue hiſtorica & temporalis,ſiue ſpiritalis & æterna, ad quam omnis interpretatio auctoritatis dirigenda ſit. Et quid proſit ad intelligenda, & obtinenda æterna, vbi finis eſt omnium bonarum actionum, fides rerum temporalium. Et quid interſit inter allegoriam hiſtoriæ, & allegoriam facti, & allegoriam ſermonis, & allegoriam ſacramenti. Et quomodo ipſa locutio diuinarum ſcripturarum ſecundum cuiuſque linguæ proprietatem accipienda ſit. Habet enim omnis lingua ſua quædam propria genera locutionum, quæ cũ in aliam linguam transferuntur, videntur abſurda. Quid proſit tanta loquendi humilitas, vt non ſolum ira Dei & triſtitia, & à ſomno expergefactio, & memoria, & obliuio, & alia nonnulla quæ in bonos homines cadere poſſunt, ſed etiam pœnitentię,zeli,crapulæ nomina, & alia huiuſmodi in Sacris libris inueniantur? Et vtrum oculi Dei & manus & pedes, & alia huius generis membra,quæ in Scripturis nominantur, ad viſibilem formam humani corporis referenda ſint, an ad ſignificationes intelligibilium & ſpiritalium potentiarum, ſicut galea & ſcutum, & gladius & cingulum, & cætera talia. Et quod maximè quærendum eſt,quid proſit generi humano, quod ſic nobiſcum per rationalem & genitalem, & corporalem creaturam ſibi ſeruientem diuina prouidentia locuta eſt. Quo vno cognito, omnis ab animo proteruitas puerilis excluditur, & introducitur ſacroſancta religio. Omissis igitur & repudiatis nugis theatricis & poëticis, diuinarum Scripturarum conſideratione, & tractatione paſcamus animum atq; potemus vanæ curioſitatis fame ac ſiti feſſum & æſtuantem, & inanibus phantaſmatibus tanquam pictis epulis, fruſtra refici ſatiarique cupientem. Hoc verè liberali, & ingenuo ludo ſalubriter erudiamur. Si nos miracula ſpectaculorum, & pulchritudo delectant, illam deſideremus videre ſapientiam, quæ pertẽdit à fine vſque ad finem fortiter,& diſponit omnia ſuauiter. Quid enim mirabilius, vi incorporea mundum corporeum fabricante & adminiſtrante? Aut quid pulchrius ordinante & ornante? Si autem omnes fatentur per corpus iſta ſentiri, & animum melioré eſſe quàm corpus,nihilne per ſe animus ipſe cõſpiciet, aut quod conſpiciet poteſt eſſe, niſi multò excellentius longéque præſtantius? Imò verò commemorati ab iis quæ iudicamus,intueri quid ſit ſecũdum quod iudicamus, & ab operibus artium conuerſi ad legem artium,eam ſpeciem mente contuebimur, cuius comparatione fœda ſunt, quæ ipſius benignitate ſunt pulchra. Inuiſibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, & ſempiterna eius virtus & diuinitas. Hæc eſt à temporalibus ad æterna regreſſio, & ex vita veteris hominis in nouũ hominem reformatio. Quid eſt autem vnde homo commoneri non poſ-

Allegoria quadruplex. *Quod omnis lingua habeat propria quædam locutionis genera.*

Exo. 3.d.14

CAP. L. *Scripturarum & interpretationum ratio.*

CAP. LI. *Scripturarum perſcrutatio.*

Sap.8.c.1.

CAPVT LII. *Et vitia ſunt occaſio ad virtutem.*

Rom.1.c.20

non possit ad virtutes capessendas, quando de ipsis vitiis potest? Quid enim appetit curiositas, nisi cognitionem quæ certa esse non potest, nisi rerum æternarum,& eodem modo se semper habẽtium? Quid appetit superbia nisi potentiam, quæ refertur ad agendi facilitatem, quam non inuenit nisi anima perfecta & Deo subdita,& ad eius regnum summa charitate conuersa? Quid appetit voluptas corporis nisi quietẽ, quę non est nisi vbi nulla est indigẽtia, & nulla corruptio? Cauendi sunt ergo inferiores inferi, id est post hãc vitam pœnę grauiores, vbi nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio. Ideo nulla ratiocinatio, quia non eam perfundit lumen verũ, quod illuminat omnem hominem venientem in hũc mundum. Quare festinemus,& ambulemus cũ dies prẽsto est, ne nos tenebræ comprehendant. Festinemus à secunda morte liberari, vbi nemo est qui memor Dei sit,& ab inferno, vbi nemo confitebitur Deo.

Ioan.1.d.9. Io.12.f.35. Psal.6.a.6

CAPVT LIII. Scopi stultorũ & sapiẽtum.

SED miseri homines quibus cognita vilescunt, & nouitatibus gaudent, libentius discunt quam norunt, cum cognitio sit finis discendi. Et quibus vilis est facilitas actionis, libentius certant quam vincunt, cum victoria sit finis certãdi. Et quibus vilis est corporis salus, malunt vesci quam satiari, & malunt frui genitalibus membris, quam nullam talem commotionẽ pati. Inueniuntur etiam qui malunt dormire quam non dormitare, cum omnis illius voluptatis sit finis, nõ esurire ac sitire,& non desiderare concubitũ,& non esse corpore fatigato. Quare qui fines ipsos desiderant, prius curiositate carent, cognoscentes eam esse certam cognitionem quæ intus est, & ea perfruentes quantum in hac vita queant. Deinde accipiunt actionis facilitatem peruicacia posita, scientes maiorem esse facilioremq; victoriam nõ resistere animositati cuiusquam, & hoc quantum in hac vita queunt sentiũt. Postremò etiam quietem corporis, abstinendo ab iis rebus sine quibus agi hæc vita potest: ita gustant quam suauis est Dominus. Nec erit eis dubium quid post hanc vitam futurum sit, & perfectionis suæ fide, spe & charitate nutriuntur. Post hanc autem vitam & cognitio perficietur, quia ex parte nunc scimus, cum autem venerit quod perfectum est, nõ erit ex parte, & pax omnis aderit. Nunc autem alia lex in membris meis repugnat legi mentis meæ, sed liberabit nos de corpore mortis huius, gratia Dei per Iesum Christum Dominũ nostrum. Quia ex magna parte cõcordamus cum aduersario, dum cũ illo sumus in via: & tota sanitas,& nulla indigentia, & nulla fatigatio aderit corpori: quia corruptibile hoc tempore atque ordine suo quo resurrectio carnis futura est, induetur incorruptione. Nõ mirum autem, si hoc dabitur iis, qui in cognitione solam veritatem amant,& in actione solam pacem,& in corpore solã sanitatem. Hoc enim in eis perficietur post hanc vitam, quod in hac vita plus diligunt.

Psal.33.b.9 1.Cor.13.c.9.&10.a. Rom.7.d.21 1.Corinth.15.g.53.

CAPVT LIIII. Premia diuersa post hanc vitam.

QVI ergo malè vtuntur tanto mentis bono, vt extra eam visibilia magis appetant, quibus ad concupiscenda diligenda intelligibilia commemorari debuerunt, dabuntur eis exteriores tenebræ. Harum quippe initium est carnis prudentia, & sensuũ corporeorum imbecillitas. Et qui certaminibus delectantur, alienabuntur à pace, & summis difficultatibus implicabuntur. Initium enim summæ difficultatis est bellum atque contentio. Et hoc significare arbitror, quòd ligantur ei manus & pedes, id est facilitas omnis aufertur operandi. Et qui sitire & esurire volunt, & in libidinem ardescere & defatigari, vt libenter edant, & bibant,& concumbant,& dormiant, amant indigentiam, quod est initium summorum dolorum. Perficietur ergo in eis quod amant, vt ibi sint vbi eis sit ploratus & stridor dentium. Plures enim sunt qui hæc omnia simul vitia diligunt,& quorum vita est spectare, contẽdere, mandu-

Matth.22.b.13. Mat.8.f.12.

ducare, bibere, concumbere, dormire,& in cogitatione sua nihil aliud quàm phantasmata, quæ de tali vita colligunt, amplexari,& ex eorum fallacia superstitionis, vel impietatis regulas fingere quibus decipiũtur, & quibus inhærent, etiam si ab illecebris carnis se abstinere conentur. Quia non bene vtuntur talento sibi commisso, id est mentis acie qua videntur omnes, qui docti aut vrbani aut faceti nominantur excellere. Sed habent eam in sudario ligatam, aut in terra obrutam, id est delicatis & superfluis rebus, aut terrenis cupiditatibus inuolutam & oppressam. Ligabuntur ergo his manus & pedes,& mittẽtur in tenebras exteriores, ibi erit ploratus & stridor dentium. Nõ quia ipsa dilexerunt, quis enim hæc diligat? sed quia illa quæ dilexerunt, initia sunt istorum, & necessariò dilectores suos ad ista perducunt. Qui enim magis amant ire quàm redire aut peruenire, in longinquiora mittendi sunt, quoniam caro sunt & spiritus ambulans, & nõ reuertens. Qui verò bene vtuntur vel ipsis quinq; sensibus corporis ad credenda, & prædicanda opera Dei,& nutriendam charitatem ipsius, vel actione vel cognitione ad pacificandam naturam suam,& cognoscendum Deum, intrant in gaudium Domini sui. Propterea talentum quod malè vtenti aufertur, illi datur qui talentis quinque bene vsus est: non quia transferri potest acumen intelligẽtiæ, sed ita significatum est, posse hoc amittere negligentes,& impios ingeniosos,& ad eam peruenire diligentes & pios, quamuis ingenio tardiores. Non enim datum est illud talẽtum ei, qui acceperat duo: habet enim & hoc, qui iam in actione,& cognitione bene viuit, sed ei qui acceperat quinq;. Nondum enim habet ad æterna contemplanda idoneam mentis aciem, qui visibilibus tantum, id est temporalibus credit: sed habere potest, qui horum omniũ sensibilium Deum artificem laudat, & eum persuadet fide,& expectat spe,& quærit charitate.

Psf.77.d.39 Mat.25.d.28.

CAP. LV. Epilogus exhortans ad veram religionem.

QVAE cum ita sint, hortor vos omnes homines charissimi & proximi mei, meq; ipsum hortor vobiscum, vt ad id quò nos per sapientiam suam Deus hortatur, quanta possumus celeritate curramus. Non diligamus mundum, quoniã omnia quę in mundo sunt, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorũ est, & ambitio sæculi. Non diligamus per carnis voluptatem corrumpere, atque corrumpi, ne ad miserabiliorem corruptionem dolorum tormentorúmq; veniamus. Non diligamus certamina, ne angelis qui talibus gaudent in potestatem demur, humiliandi, vinciendi, verberandi. Non diligamus visibilia spectacula, ne ab ipsa veritate aberrãdo,& amando vmbras, in tenebras proiiciamur. Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris. Melius est enim qualecunque verum, quàm omne quicquid pro arbitrio fingi potest. Et tamen animam ipsam, quamuis anima vera sit, cum falsa imaginatur, colere non debemus. Melior est vera stipula, quàm lux inani cogitatione pro suspicantis voluntate formata: & tamen stipulam quam sentimus & tangimus, dementis est credere colendam. Non sit nobis religio humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices qui talia fabricantur, quos tamẽ colere non debemus. Non sit nobis religio cultus bestiarum. Meliores enim sunt extremi homines, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si piè vixerunt, non sic habentur vt tales quærant honores: sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem malè vixerunt, vbicunque sint, non sunt colendi. Non sit nobis religio cultus dæmonum, quia omnis superstitio cum sit magna pœna hominum,& periculosissima turpitudo, honor est ac triumphus illorum.

Opiniones falsa de diis.

Non

Non sit nobis religio terrarum cultus & aquarũ, quia A istis purior & lucidior est aër, etiam caliginosus, quem tamen colere non debemus. Non sit nobis religio etiam purioris aëris, & serenioris cultus, quia luce absente inumbratur: & purior illo est fulgor ignis etiam huius, quem tamen quoniam pro voluntate accendimus & extinguimus, colere vtiq; non debemus. *Anima vegetabilis.* Non sit nobis religio cultus corporum æthereorum atque cælestium, quæ quamuis omnibus cæteris corporibus recte præponantur, melior tamen ipsis est quęcunque vita. Quapropter si animata sunt, melior est quæuis anima per seipsam quàm corpus quodlibet animatum, & tamen animam vitiosam nemo colendam esse censuerit. Non sit nobis religio cultus illius vitæ qua dicuntur arbores viuere, quoniam nullus sensus in illa est. Et ex eo genere est ista, qua nostri etiam corporis numerositas agitur, qua etiam capilli & ossa viuunt, quæ sine sensu præciduntur. Hac autem melior est vita sentiens, & tamen vitam bestiarum colere non debemus. Non sit nobis religio vel ipsa perfecta, & sapiens anima rationalis, siue in ministerio vniuersitatis, siue in ministerio partiũ stabilita, siue quæ in summis hominibus expectat commutationem reformationémq; portionis suæ: quoniam omnis vita rationalis si perfecta est, incommutabili veritati secũ intrinsecus sine strepitu loquenti obtemperat, non obtemperans autem vitiosa fit. Non ergo per se excellit, sed *Solus Deus adorandus.* per illam cui libenter obtemperat. Quod ergo colit summus angelus, id colendum est etiam ab homine vltimo, quia ipsa hominis natura id non colendo facta est vltima. Non enim aliunde sapiens angelus, aliunde homo, aliunde ille verax, aliũde homo, sed ab vna incommutabili sapientia & veritate. Nam id ipsum actum est temporali dispẽsatione ad salutem nostram, vt naturam humanam ipsa Dei virtus, & Dei sapiẽtia incommutabilis, & consubstantialis patri, & coęterna susciperet dignaretur, per quam nos doceret id esse homini colendum, quod ab omni creatura intellectuali & rationali colendum est. Hoc etiam ipsos optimos angelos, & excellentissima Dei ministeria velle credamus, vt vnum cum ipsis colamus Deum, cuius contemplatione beati sunt. Neque enim & nos videndo angelos beati sumus, sed vidẽdo veritatem, qua etiam ipsos diligimus angelos, & his cõgratulamur. Nec inuidemus quod ea paratiores, vel nullis molestiis interpedientibus perfruũtur: sed magis eos diligimus, quoniam & nos tale aliquid sperare à communi Domino iussi sumus. Quare honoramus eos charitate, non seruitute. Nec eis templa construimus. Nolunt enim se *1.Cor. 3. d.17. Apo.22.b.9* sic honorari à nobis, quia nos ipsos cum boni sumus, templa summi Dei esse nouerunt. Rectè itaque scribitur, hominem ab angelo prohibitũ ne se adoraret, sed vnum Deum sub quo ei esset & ille cõseruus. Qui autem nos inuitant vt sibi seruiamus, & tanquá Deos colamus, similes sunt superbis hominibus, quibus si D liceat, similiter coli volunt: sed istos homines perpeti minus, illos verò colere magis periculosum est. Omnis enim hominum dominatus in homines, aut dominãtium aut seruientium morte finitur. Seruitus autem sub angelorum malorũ superbia, propter ipsum tempus, quod est post mortem magis metuenda est. Illud etiam cuiuis cognoscere facile est, quod sub homine dominante liberas cogitationes habere cõcessum est. Illos autem dominos in mentibus ipsis formidemus, qui vnus est oculus intuendæ ac percipiẽdæ veritatis. Quare si omnibus potestatibus, quæ dantur hominibus ad regendam rempublicam pro nostro vinculo subditi sumus, reddentes Cæsari quod Cæsaris est, & *Matth.22. c.21.* Deo quod Dei est: non est metuendum, ne hoc post mortem nostram aliquis exigat. Et aliud est seruitus animæ, aliud seruitus corporis. Iusti autem homines, & in vno Deo habentes omnia gaudia sua, quando per eorum facta Deus benedicitur, congratulantur laudãtibus: cum verò ipsi tanquam ipsi laudãtur, corrigunt errantes quos possunt: quos autem non possunt, non eis congratulantur, & ab eo vitio corrigi volunt. Quibus si similes, vel etiam mundiores atque sanctiores sunt boni angeli, & omnia sancta Dei ministeria, quid metuimus ne aliquem illorum offendamus, si non superstitiosi fuerimus, cum ipsis adiuuantibus ad vnum Deum tendentes, & ei vni religantes animas nostras, *1.retr.ca.13 Religio, à religando.* vnde religio dicta creditur, omni superstitione carea-mus? Ecce vnum Deum colo, vnum omnium principium: & vnam sapientiam, qua sapiens est quęcunque anima sapiens est: & ipsum munus, quo beata sunt, B quæcunque beata sunt. Quisquis angelorũ diligit hũc Deum, certus sum quòd etiam me diligit. Quisquis in illo manet, & potest humanas preces sentire, in illo me exaudit. Quisquis ipsum habet bonum suum, in ipso me adiuuat, nec mihi eius participationem potest inuidere. Dicãt ergo mihi adoratores, aut adulatores partium mundi, quem non optimum sibi cõciliet, qui hoc vnum colit quod omnis optimus diligit, & cuius cognitione gaudet, & ad quod principium recurrẽdo fit optimus. Quisquis verò angelus excessus suos diligit, & veritati esse subditus non vult, & priuato suo lętari cupiens à communi omnium bono, & vera beatitudine lapsus est, cui omnes mali subiugandi & premendi sunt, nullus autem bonus, nisi exercẽdus in potestatem datur: nullo dubitante non est colendus, cuius lætitia est nostra miseria, & cuius damnum est nostra reuersio. Religet ergo nos religio vni omnipoten- *Vera religio.* ti Deo: quia inter mentem nostram qua illum intelligimus patrem & veritatem, id est lucem interiorẽ per C quã illum intelligimus, nulla interposita creatura est. Quare ipsam quoq; veritatẽ nulla ex parte dissimilem *1.Sen.dist.3 ca.nũc restat.* in ipso, & cum ipso veneremur, quæ forma est omniũ quæ ab vno facta sunt, & ad vnum nituntur. Vnde apparet spiritalibus animis, per hanc formam esse facta omnia, quæ sola implet quod appetunt omnia. Quæ tamen omnia neq; fierent à patre per filium, neq; suis finibus salua essent, nisi Deus summe bonus esset: qui & nulli naturæ quæ ab ipso bona esse posset inuidit, & in bono ipso alia quantum vellent, alia quantum possent vt manerent dedit. Quare ipsum donũ Dei cum *Spiritus dei* patre & filio æquè incõmutabile colere & tenere nos conuenit: vnius substantiæ trinitatem, vnum Deum à quo sumus, per quẽ sumus, in quo sumus: à quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, à quo perire non permissi sumus: principium ad quod recurrimus, formam quam sequimur, & gratiam qua reconciliamur: vnum Deum quo auctore cõditi sumus, & similitudinẽ eius, per quẽ ad vnitatem reformamur, & pacem qua vnitati adhęremus: Deũ qui dixit, Fiat: & verbũ per quod *Gen.1.a.3.* factum est omne, quod substãtialiter & naturaliter factum est, & donum benignitatis eius, quo placuit & conciliatum est auctori suo, vt non interiret quicquid ab eo per verbum factum est: vnum Deum quo creatore viuimus, per quem reformati sapienter viuimus, quem diligẽtes & quo fruentes beate viuimus: vnum Deum ex quo omnia, per quẽ omnia, in quo omnia, *Rom. 11. d.36.* ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

FINIS.

DIVI

DIVI AVRELII AVGVSTINI

DE MORIBVS ECCLESIÆ

CATHOLICÆ, LIBER I.

S. Augustinus 1. retract. at. 7.

De moribus ecclesiæ catholicæ, & De moribus Manich.

TAM baptizatus autem cùm Romæ essem, nec ferre tacitus possem Manichæorum iactantiam, de falsa & fallaci continentia vel abstinentia, qua se ad imperitos decipiẽdos, veris Christianis, quibus comparandi non sunt, insuper præferunt, scripsi duos libros, vnum De moribus ecclesiæ catholicæ: alterum De moribus Manichæorum. In eo igitur qui est De moribus ecclesię catholi-
Cap. 9. cæ, vbi posui testimonium, in quo legitur: Propter te
Ps. 43. d. 24 afficimur tota die, æstimati sumus vt oues occisionis: mẽdositas nostri codicis me fefellit minus memorem scripturarum, in quibus nondum assuetus eram. Nam eiusdẽ interpretationis alij codices non habent, Pro-
Rom. 8. g. 36 pter te afficimur: sed, Propter te morte afficimur: quod vno verbo alij dixerunt mortificamur. Hoc esse verius Græci libri indicant, ex qua lingua in Latinam secundum septuaginta interpretes, veterum diuinarum scripturarum est facta translatio: & tamen secundum hæc verba, id est, Propter te afficimur, multa disputans dixi, quæ in ipsis rebus non tanquam falsa improbo: veruntamen conuenientiam scripturarum veterum & nouarum, quam demonstrare cupiebam, ex his duntaxat verbis non vtique demonstraui. Vnde autem mihi error obrepserit, dixi: ex aliis verò testimoniis eandem conuenientiam sufficienter ostendi. Si-
Cap. 16. militer & paulò pòst testimonium posui de libro Sa-
Sap. 8. d. 7 pientiæ, secũdum codicem nostrum, in quo scriptum erat: Sobrietatem enim sapientia docet, & iustitiam & virtutem. Et secundum hæc verba disserui res quidem veras, sed ex occasione mendositatis inuentas.

Sapientia docet veritatem contemplationis.

Quid enim verius, quàm quod sapientia doceat veritatem contemplationis, quam nomine sobrietatis significatam putaui: & actionis probitatem, quam per duo alia intelligi volui, per iustitiam atque virtutem: cùm codices eiusdẽ interpretationis veriores habeãt: Sobrietatem enim & sapiẽtiam docet, & iustitiam &
Tul. lib. 1. of. virtutem? His enim nominib. Latinus interpres quatuor illas virtutes, quę maximè in ore philosophorum esse adsolent, nominauit, sobrietatem appellans temperantiam: prudentiæ imponens nomen, sapientiam: fortitudinem verò virtutis vocabulo enunciãs, solam iustitiam suo nomine interpretatus est. Has autẽ quatuor virtutes in eodem libro Sapiẽtiæ suis nominibus appellatas, sicut à Grẽcis vocantur, longe postea reperimus in codicibus Græcis. Item, quod posui de libro
Eccl 1. d. 2. Cap. 21. Salomonis, Vanitas vanitantum, dixit Ecclesiastes. In multis quidem codicibus legi, sed hoc Græcus nõ habet: habet autem, vanitas vanitatum: quod postea vidi: & inueni eos Latinos esse veriores, qui habent vanitatum, non vanitantum. Ex occasione tamen huius mendositatis quæcunque disserui, vera esse ipsis rebus apparent. Quòd autem dixi, Eum ipsum quẽ cognoscere volumus, hoc est Deum, prius plena charitate diligamus: melius diceretur sincera quàm plena: ne fortè putaretur, charitatem Dei non futuram esse maiorem, quando videbimus facie ad faciem. Sic itaque hoc accipiatur: tanquam plena dicta sit, qua maior esse non possit, quandiu ambulamus per fidem. Erit e-
Cap. 27. nim plenior, imò pleniſſima, sed per speciem. Item quod dixi de iis qui subueniunt indigẽtibus, quia misericordes vocantur, etiam si sapientes vsqueadeò sint, vt iam nullo animi dolore turbentur: non sic accipien dum est tanquam definierim, in hac vita esse tales sapientes. Non enim dixi, cùm sint: sed dixi, etiá si sint. Alio loco vbi dixi, Iam verò cùm hæc humana dile-
Cap. 30. ctio inhærentem vberibus suis nutriuerit & roborauerit animum, sequendo Deo factum idoneum, vbi eius maiestas ex tanta parte quanta homini dum terræ huius inhabitator est sufficit, aperire se cœperit, tãtus charitatis ardor innascitur, & tantum diuini amoris consurgit incendium, vt exustis omnibus vitiis, & homine sanctificato atque purgato, satis appareat quã diuinè dictum sit: Ego sum ignis consumens, possunt
Deu. 4. d. 24 Heb. 12. g. 29. putare Pelagiani, istam perfectionem in hac mortali vita me dixisse posse contingere. Sed non hoc putent. Ardor quippe charitatis sequendo Deo factus idoneus, & tam magnus vt vitia cuncta consumat, in hac vita nasci & crescere potest: perficere verò propter quod nascitur, vt nullum insit homini vitium, non consequenter hic potest: quamuis tanta ista res eodem ardore charitatis perficiatur, vbi perfici & quando perfici potest: vt quemadmodum lauacrum regenerationis purgat à reatu omnium peccatorum quæ humana traxit natiuitas, & contraxit iniquitas: ita illa perfectio purget ab omni labe vitiorum, sine quibus humana esse non potest in hoc seculo infirmitas. Sicut accipiendum est etiam quod ait Apostolus: Chri-
Eph. 5. f. 25 stus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Hoc est enim lauacrum aquæ in verbo quo mundatur ecclesia. Sed cùm tota dicat ecclesia quandiu hic est: Dimitte nobis debita
Mat. 6. d. 12 nostra: non vtique hic est sine macula & ruga, aut aliquid eiusmodi: ex eo tamen quod hic accipit, ad illam gloriam quæ hic nõ est, perfectionémque perducitur. In alio libro cuius est titulus De moribus Manichæorum, illud quod dixi, Dei bonitas omnia de-
Cap. 7. ficientia sic ordinat, vt ibi sint vbi congruentissimè possunt esse, donec ordinatis motibus ad id recurrant vnde defecerunt: non sic accipiendum est, tanquam omnia recurrant ad id vnde defecerunt, sicut Origeni visum est, sed ea omnia quæ recurrunt. Non enim
2. retr. ca. 14 recurrent ad Deum à quo defecerunt, qui sempiterno igne punientur: quamuis omnia deficientia sic ordinentur, vt ibi sint, vbi congruentissimè possunt esse: quia & illi qui non recurrunt, congruentissimè in pœna sunt. Alio loco, Nemo ferè, inquam, de scarabæis dubitat, quin de fimo in pilam rotundato ab his atque obruto existant: cùm hoc exemplum vtrum verum sit, multi dubitent, multi ne audiuerint quidem. Hoc opus sic incipit:

De ciuitate Dei, cap. 17.

CAP. 1. Quomodo decretarus sit fratres Manichæorum.

IN ALIIS libris satis opinor egisse nos quemadmodũ Manichæorum inuectionibus, quibus in legem quod Vetus testamẽtum vocatur, imperitè atque impiè feruntur, sesẽq; inter imperitorum plausus, inani iactatione ventilãt, possimus occurrere: quod breuiter etiam hic cõmemorari à me potest. Quis enim mediocriter sanus non facilè intelligat, Scripturarũ expositionem ab iis petendam esse, qui earum doctores se esse profitẽtur: fieriq; posse, imò id semper accidere, vt multa indoctis videãtur absurda,

absurda,quæ cũ à doctoribus exponuntur, eo laudanda videantur elatius quo abiectius aspernanda videbantur, & eo accipiantur aperta dulcius, quo clausa difficilius aperiebantur?Hoc ferè in sanctis Veteris testamenti libris euenit, si modò ille qui eis offenditur, doctorem potius eorum pium quam impium laceratorem requirat,priúsque studio quærẽtis,quam temeritate reprehendentis imbuatur. Nec si ea discere cupiens, in aliquos fortè inciderit vel episcopos vel presbyteros, vel cuiuscemodi ecclesiæ catholicæ antistites & ministros, qui aut passim caueãt nudare mysteria,aut contenti simplici fide, altiora cognoscere non curarint,desperet ibi scientiam esse veritatis,vbi neq; omnes à quibus quæritur docere possunt,neq; omnes qui quærunt,discere digni sunt. Et diligentia igitur & pietas adhibenda est:altero fiet vt sciẽtes inueniamus, altero,vt scire mereamur.Sed quoniam duæ maximæ sunt illecebræ Manichæorum,quibus decipiuntur incauti, vt eos velint habere doctores:vna,cum scripturas reprehendunt, vel quas malè intelligunt vel quas malè intelligi volunt:altera,cum vitæ castę & memorabilis continentiæ imaginem præferunt:hic liber cõgruentem catholicæ disciplinæ sententiam nostrã de vita & moribus cõtinebit, in quo fortasse intelligetur & quam sit facile simulare, & quam difficile habere virtutem.Eum sanè modum tenebo, si potero, vt neque in illorum morbos, qui mihi sunt notissimi, tam grauiter inuehar,quam illi in ea quæ ignorant.Sanari enim eos potius,si fieri potest, quam oppugnari volo: & ea de Scripturis assumã testimonia, quibus eos necesse sit credere,de Nouo scilicet testamento, de quo tamen nihil proferam eorum quæ solent immissa esse dicere,cum magnis angustiis coarctantur,sed ea dicam, quæ & approbare & laudare coguntur. Nec omnino vllam relinquam testem sententiã productam de Apostolica disciplina,cui non de Veteri testamẽto similem comparem: vt si euigilare tandem deposita pertinacia somniorum suorum,& in Christianæ fidei lucem aspirare voluerint,animaduertant, & quã non sit Christiana vita quam ostentant, & quam sit Christi scriptura quam lacerant.

Duo quibus falluntur Manichæi.

CAP. II. *Rationibus prius agit, obsequens hominum infirmitati.*

VNDE igitur exordiar? Ab auctoritate,an à ratione? Naturæ quidẽ ordo ita se habet,vt cum aliquid discimus, rationẽ præcedat auctoritas. Nam infirma ratio videri potest,quæ cum reddita fuerit, auctoritatem postea per quam firmetur assumit.Sed quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorúmque velantur,perspicuitati synceritatíq; rationis aspectum idoneum intendere nequeunt,saluberrimè comparatum est,vt in lucem veritatis aciem titubãtem veluti ramis humanitatis opacata inducat auctoritas. Sed quoniam cum iis nobis res est, qui omnia contra ordinem & sentiunt & loquuntur & gerunt,nihílque aliud maximè dicunt,nisi rationẽ prius esse reddendam,morem illis geram:& quod fateor in disputãdo vitiosum esse,suscipiam.Delectat enim me imitari quantum valeo mansuetudinem Domini mei Iesu Christi, qui etiam ipsius mortis malo quo nos exuere vellet,indutus est.

CAPVT III. *Beatus quis.*

RATIONE igitur quæramus quemadmodum sit homini viuendũ. Beatè certè omnes viuere volumus: neque quisquã est in hominum genere, qui non huic sententiæ antequam planè sit emissa,consentiat.Beatus autem quãtum existimo neq; ille dici potest,qui non habet quod amat, qualecunque sit:neque qui habet quod amat,si noxiũ sit:neque qui nõ amat quod habet, etiam si optimum sit.Nam & qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur: & qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur:& qui non appetit quod adipiscẽdum esset,ægrotat. Nihil autem istorum animo cõtingit sine miseria: nec miseria & beatitudo in homine vno simul habitare consueuerunt. Nullus igitur illorum beatus est. Quartum restat, vt video, vbi beata vita inueniri queat,cum id quod est hominis optimum, & amatur & habetur. Quid enim est aliud quod dicimus frui, nisi præsto habere quod diligis? Neque quisquam beatus est,qui non fruitur eo quod est hominis optimum: nec quisquam qui eo fruitur,non est beatus.Præsto ergo esse nobis debet optimum nostrum,si beate viuere cogitamus. Sequitur vt quæramus quid sit hominis optimum, quod profectò deterius esse quã ipse homo nõ potest. Quisquis enim quod seipso est deterius sequitur,fit & ipse deterior.Oportet autem omnem hominem id quod optimum est sequi. Nõ est igitur homine deterius hominis optimũ. Fortasse tale aliquid erit quale ipse homo est.Ita sit sanè, si nihil est homine melius quo perfrui possit. Si autem inuenimus aliquid quod & homine sit excellentius,& præsto esse amanti sese homini possit, quis dubitauerit homini ad id nitẽdum esse vt beatus sit,quod eo ipso qui nititur, manifestum est esse præstantius? Nam si id est beatum esse,ad tale bonum peruenisse quo amplius nõ potest, id est autem quod dicimus optimum,quo tandem pacto potest in ea definitione includi,qui ad summũ bonum suum nondum peruenerit? Aut quomodo summũ est, si est aliquid melius quò peruenire possimus? Hoc igitur si est, tale esse debet quod non amittat inuitus. Quippe nemo potest confidere de tali bono, quod sibi eripi posse sentit,etiam si retinere id amplectique voluerit. Quisquis autem de bono quo fruitur non confidit, in tanto timore amittendi beatus esse quí potest?

Frui.

Hominis optimum quid.

CAPVT IIII. *Homo quid.*

QVÆRAMVS igitur,quid sit homine melius. Quod profectò inuenire difficile est, nisi prius considerato atque discusso, quid sit ipse homo. Nec nunc definitionem hominis à me postulandam puto. Illud est magis quod mihi hoc loco quærẽdum videtur,cum inter omnes penè constet, aut certè id quod satis est,inter me atque illos cum quib.núc agitur hoc cõueniat, ex anima & corpore nos esse cõpositos. Quid est ipse homo, vtrunque horum quæ nominaui, an corpus tantummodo, an tantummodo anima? Quanquam enim duo sint,anima & corpus,& neutrum vocaretur homo,si non esset alterum. Nam neque corpus homo esset si anima non esset, nec rursus anima homo, si ea corpus non animaretur. Fieri tamen potest vt vnum horum & habeatur homo & vocetur. Quid ergo hominem dicimus? Animam & corpus tanquam bigas vel centaurum: an corpus tantum,quod sit in vsum animæ se regentis:tanquam lucernam,nó ignem simul & testam, sed testam solam, tamen propter ignem appellamus: an nihil aliud hominem quam animam dicimus, sed propter corpus quod regit, veluti equitem nó simul equum & hominem,sed hominem solum, ex eo tamen quòd regẽdo equo sit accommodatus vocamus? Difficile est istam controuersiam diiudicare,aut si ratione facile, oratione longum est. Quem laborem ac moram suscipere ac subire non opus est. Siue enim vtrũque, siue anima sola nomen hominis teneat, nõ est hominis optimum quod optimum est corporis, sed quod aut corpori simul & animæ, aut soli animæ optimum est, id est optimum hominis.

Ita Plato animam dixit hominẽ, corpus organum vel domicilium.

CAP. V. *Corporis optimũ quid sit.*

CORPORIS autem si quærimus quid optimum sit, id certè ratio cogit fateri,per quod fit vt sese corpus quã optimè habeat. Nihil est autem omniũ quæ vegetant corpus anima melius atque præstantius. Est ergo summum corporis bonum,non voluptas eius,non indolentia, nõ vires, non pulchritudo,nõ velocitas, & si quid aliud in bonis corporis numerari solet,sed omnino anima. Nam & ista quæ commemorata sunt, præsentia sui exhibet corpori, & quod antecellit omnibus, vitã. Quamobrem non videtur mihi anima esse summum hominis bonum, siue

num, siue animam simul & corpus, siue animam so- A lam hominem dicimus. Vt enim corporis summum bonum id inuenit ratio, quod est corpore melius, & quo ei vigor & vita præbetur: ita siue corpus & anima, siue anima ipsa per se homo sit, inueniẽdum est, si quid animam præcedit ipsam, quod cum anima sequitur, fit in suo genere quam potest optima. Quod si reperire potuerimus, id erit profectò quod ambagibus remotis omnibus, summum hominis bonũ iure meritóque nominandum est. Aut si corpus est homo, quin hominis optimum anima ipsa sit, recusare non possum. Sed certè cum de moribus agitur, cum quærimus quinam vitæ modus sit tenendus vt beatitudinem possimus adipisci, non corpori præcepta dantur, non corporis inuestigãda est disciplina. Postremò bonos mores ea nostra pars actura est, quæ eos inquirit & discit, & hæc animæ sunt propria. Non igitur de corpore cum de virtute obtinenda satagimus, quæstio est. Quod si est conseques, sicuti est, vt ipsum corpus cum B ab anima regitur, quæ virtutis compos est, multo & melius regatur & honestius, eóque optimè sese habeat quo est optima illa quæ sibi iusta lege dominatur, id erit hominis optimum quod animam optimã facit, etiam si hominem corpus vocemus. An verò si mihi auriga obtemperans, equos quibus præest agit ac regit commodissimè, atque ipse quo mihi est obedientior mea liberalitate perfruitur, negare quisquam potest non solum quòd auriga, verumetiam quod equi sese optimè habent, mihi deberi? Itaque siue tantum corpus, siue tantum anima, siue vtrunque homo sit, non mihi maximè quærendum videtur, nisi quid animam faciat optimam: nam eo percepto, non potest homo non aut optimè, aut certè multo melius sese habere, quam si hoc vnum defuisset.

CAP. VI. *Aliud bene, aliud beatè viuere.*

NEMO autem dubitauerit, quin virtus animam faciat optimam. Sed rectissimè quæri potest, vtrum ista virtus etiam per se, an nisi in anima esse nõ possit. Ob- C oritur iterum altissima & longissimi sermonis indigẽs quæstio: sed hoc bene vtar fortasse compendio: spero Deum adfuturum, vt quantum imbecillitas nostra patitur, de tantis rebus non modò dilucidè, sed etiã breuiter doceamus. Quodlibet enim eorum sit, siue etiam per se esse possit virtus sine anima, siue nisi animæ inesse nõ possit, proculdubio aliquid anima sequitur vt virtutem assequatur: id erit aut ipsa anima, aut virtus, aut aliquid tertium. At si seipsam sequitur vt virtutem adipiscatur, stultum nescio quid sequitur: stulta est enim ante adeptam virtutem. Summa sunt autem vota sequentium, vt id quod quisque sequitur, assequatur. Aut igitur optabit nõ assequi quod sequitur anima, quo nihil absurdius & peruersius dici potest: aut cum se sequitur stulta, eandem stultitiã quam vitat assequitur. Si autem virtutem sequitur, hanc assequi cupiens, quomodo sequitur id quod non est, aut D quomodo assequi cupit quod habet? Aut igitur virtus est præter animam, aut si non placet vocare virtutem nisi habitum ipsum & quasi sapientis animæ qualitatem, quæ nisi in anima esse non potest, oportet vt aliquid aliud sequatur anima, vt ei virtus possit innasci: quia neque nihil sequendo, neque stultitiam sequẽdo potest, quantum ratio mea fert, ad sapientiam peruenire. Hoc igitur aliud quod sequendo anima virtutis atque sapientiæ compos fit, aut homo sapiens est, aut Deus. Sed supra dictum est, tale quiddam esse debere, quod inuiti amittere nequeamus. Quis verò cunctandum putet, hominem sapientem, si eum sequi satis putauerimus, auferri nobis non modò recusantibus, sed etiam repugnantibus posse? Deus igitur restat, quem si sequimur, bene: si assequimur, nõ tantum bene, sed etiam beatè viuimus. Quem si qui esse negant, quid ego cogitem quo illis sermone suadendum sit, cũ qui-

bus vtrum omnino sermocinãdum sit, nescio? Quòd tamen si videbitur, longè aliud principium, alia ratio, alius ingressus ineũdus est, quam in præsentiarũ suscepimus. Nunc itaque cum illis mihi res est, qui Deum esse non negant. Neque id tantùm, sed etiam nõ ab eo negligi res humanas fatentur. Nullum enim arbitror aliquo religionis nomine teneri, qui non saltem animis nostris diuina prouidentia consuli existimet.

CAPVT VII. *Deus auctoritate Scripturarum vestigandus.*

SED quomodo sequimur quem nõ videmus? Aut quomodo videmus, qui nõ solum homines, sed etiam insipientes homines sumus? Quanquam enim non oculis, sed mente cernatur, quæ tandem mens idonea reperiri potest, quæ cum stultitiæ nube obtegatur, valeat illam lucem vel etiam conetur haurire? Confugiendum est igitur ad eorum præcepta quos sapientes fuisse probabile est. Hactenus potuit ratio perduci. Versabatur nanque, non veritate certior, sed cõsuetudine securior in rebus humanis. At vbi ad diuina peruentum est, auertit sese, intueri non potest, palpitat, æstuat, inhiat amore, reuerberatur luce veritatis, & ad familiaritatem tenebrarum suarum, nõ electione, sed fatigatione conuertitur. Quàm hic formidadum est, quàm tremendum, ne maiorem inde concipiat animam imbecillitatem, vbi quietam fessa conquirit. Ergo refugere in tenebrosa cupientibus per dispensationem ineffabilis sapientiæ, nobis illa opacitas auctoritatis occurrat, & mirabilibus rerũ, vocibúsque librorum veluti signis temperatioribus veritatis, vmbriq, blandiatur: quid potuit pro salute nostra fieri amplius? Quid beneficentius, quid liberalius diuina prouidentia dici potest, quæ à legibus suis hominem lapsum, & propter cupiditatem rerum mortalium iure ac merito mortalem sobolem propagantem, nõ omnino deseruit? Habet enim potestas illa iustissima, miris & incomprehensibilibus modis per quasdam secretissimas successiones rerum sibi seruientium quas creauit, & seueritatem vindicandi, & clementiam liberandi. *Auctoritas Scripturarum*

Quod quidem quàm sit pulchrum, quàm magnum, *Summa fides.* quàm Deo dignum, quàm postremò id quod quæritur verum, nequaquam intelligere poterimus: nisi ab humanis & proximis incipientes, veræ religionis fide præceptísque seruatis, non deserimus viam quam nobis Deus & patriarcharum segregatione, & legis vinculo, & prophetarum præsagio, & suscepti hominis sacramento, & Apostolorũ testimonio, & martyrum sanguine, & gẽtium occupatione muniuit. Quare deinceps nemo ex me quærat sententiam meam, sed potius audiamus oracula, nostráque ratiunculas diuinis submittamus affatibus.

CAPVT VIII. *Deus summũ bonum.*

VIDEAMVS quemadmodum ipse Dominus in Euãgelio nobis præceperit esse viuendum: quomodo etiam Paulus Apostolus. Has enim scripturas illi condemnare non audent. Audiamus ergo quem finem bonorũ nobis Christe præscribas, nec dubium est quin is erit finis, quò nos summo amore tendere iubes: Diliges, inquit, Dominum *Matth. 22. d. 37.* Deum tuum. Dic mihi etiam quæso te, qui sit diligendi modus: vereor enim ne plus minúsve quã oportet, inflammer desiderio & amore Domini mei. Ex toto, inquit, corde tuo. Non est satis. Ex tota anima tua. Ne id quidem satis est. Ex tota mente tua. Quid vis amplius? Vellẽ fortasse si viderẽ quid posset esse amplius. Quid ad hæc Paulus? Scimus, inquit, quoniã diligentibus Deum omnia procedunt in bonum. Dicat etiam *Rom. 8. c. 28* *Pro suus-ipse dilectionis modum.* Quis ergo, inquit, nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculũ, an gladius? Audiuimus quid diligere, & quantum diligere debeamus: eò est omnino tendendum, ad id omnia consilia nostra referenda. Bonorum summa, Deus nobis est. Deus est nobis summum bonum. Neque infra remanendum nobis est, neque vltra quærendum: alterum

CAP. IX. Concentus veteris & noui Testamenti.

enim periculosum, alterum nullum est. Age nunc inuestigemus, vel potius attendamus, præsto enim est & facillimè videtur, vtrum his sententiis ex Euangelio atque Apostolo prolatis, etiam Testamenti veteris auctoritas congruat. Quid dicam de superiore sententia, cũ manifestũ sit omnibus eam de lege, quæ per Moysen data est esse depromptam? Ibi enim scri-
Deut. 6. a. 5. ptum est, Diliges Dominum Deum tuũ, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Quid autem illi quod ab Apostolo dictum est, cõparare de veteri Testamento possim, ne diutius quærerẽ
Rom. 8. g. 38 ipse subiecit, Cũ enim dixisset nulla tribulatione, nulla angustia, nulla persecutione, nulla necessitate inopiæ corporalis, nullo periculo, nullo gladio nos à charitate Christi separari: statim subiũxit: Sicut scriptum
1. reg. ca. 7. Psal. 43. est, Quia propter te afficimur tota die, ęstimati sumus vt oues occisionis. Hæc illi solẽt à corruptoribus Scripturarum immissa est dicere, vsqueadeò nihil habent quod contradicant, vt hæc miseri respondere cogantur. Sed quis non intelligat conuictorum hominum aliam non esse potuisse vltimã vocem? A quibus tamen quæro, vtrum istam sententiam in veteri Testamento esse negent, an non congruere sententiæ Apostolicæ affirment? At illud primum libris docebo. In hoc autem altero tergiuersantes homines, & per abrupta fugientes, aut in pacem reuocabo, si voluerint respicere aliquantum & cõsiderare quod dictũ est: aut eos intelligentia cæterorum, qui sine cupiditate iudicant insectabor. Quid enim potest amicius quàm istæ sibi consonare sententiæ? Nam tribulatio, angustia, persecutio, fames, nuditas, periculum, hominem in hac vita constitutum grauiter afficiunt. Hæc itaq; omnia verbo illo vno concluduntur testimonio veteris legis,
Græce est, θανατούμεθα, id est, morte afficimur. quod dictum est, Propter te afficimur. Gladius restabat, qui non ærumnosam vitam affert, sed quam inuenerit adimit. Huic ergo respondet, Æstimati sumus vt
al. præsius. oues occisionis. Charitas verò ipsa non potuit significari expressius, quàm quod dictum est, Propter te. Fac ergo, non in Paulo apostolo compertũ istud testimonium, sed à me esse prolatum. Nunquid nam tibi demonstrandum est hæretice, nisi aut scriptum in vetere lege non esse, aut Apostolo non conuenire? Quorum si nihil dicere audes: vrgeris enim cum & codex legitur, quo planum sit scriptum esse, & homines intelligant ad id quod Apostolus dixit, nihil posse aptius conuenire: cur ergo valere aliquid putas, quòd scripturas corruptas esse insimulare audes? Postremo quid respõsurus es ei, qui tibi dicat, Ego sic intelligo, ego sic accipio, ego sic credo: nec ob aliud lego illos libros, nisi quod ibi omnia Christianę fidei concinere video. Illud potius dic, si audes, & aduersus me dicere cogitas, non esse credendũ quòd Apostoli & martyres propter Christũ affecti grauibus ærumnis dicuntur, quòd à persecutoribus vt oues occisionis æstimati sunt. Quod si non potes dicere, quid calumniaris in quo libro inueniam, quod me oportere credere confiteris?

CAP. X. De Deo quid doceat ecclesia.

An illud dicis, cõcedere te quidem, Deum esse di-
Gen. 1. a. 1. ligendum, sed nõ illum Deum quem colunt ij qui Testamenti veteris auctoritatem recipiunt. Non ergo illum Deum colendum esse dicitis, qui fecit cęlum & terram? Iste namque per omnes partes illorum voluminum prædicatur: vos autem fatemini vniuersum istum mundum, qui nomine cæli & terrę significatur, habere auctorem & fabricatorem Deum, & Deum bonum. Cum exceptione quippe vobiscum loquendum est, quando Deus nominatur. Duos enim Deos,
Duo dij Manichæorum. vnum bonum, alterum malum esse perhibetis. Quòd si dicitis colere vos & colẽdum atbitrari Deum, à quo factus est mundus, non tamen eum esse quem veteris Testamenti commendat auctoritas: impudenter facitis, qui alienum animum atque sententiam quam bene atq; vtiliter accepimus, malè interpretari conamini, frustra omnino. Neque enim vestræ stultæ atq; impiæ disputationes vllo modo cum piorum doctissimorúmque hominum sermonibus, per quos in ecclesia catholica Scripturæ illę volentibus digniſque aperiuntur, comparari queunt. Longè prorsus aliter quàm putatis Lex & Prophetæ intelliguntur à nobis. Desinite errare, non colimus pœnitentem Deum, non inuidũ, non indigum, non crudelem, non quærentem de hominum vel pecorum sanguine voluptatem, non cui flagitia & scelera placeant, non possessionem suá terræ quadam particula terminãtem. In has enim atque huiusmodi nugas grauiter copioséque inuehi soletis. Quare nos inuectio vestra non tangit, sed aniles quasdam, vel etiam pueriles opiniones, eo ineptiore, quo vehementiore oratione peruellitis. Qua quisquis mouetur & ad vos transit, non ecclesiæ nostrę damnat disciplinam, sed eam se ignorare demonstrat. Quamobrem si quid humani corde geritis, si curæ vobis vosmetipsi estis, quærite potius diligenter & piè quomodo illa dicãtur. Quærite miseri: nam talem fidem qua Deo inconueniens aliquid creditur, nos vehementius & vberius accusamus: nam & in illis quæ dicta sunt, cum sic intelliguntur vt litera sonat, & simplicitatem corrigimus & pertinaciam deridemus. Et alia multa quæ vos intelligere non potestis verat eos credere catholica disciplina, qui non annis, sed studio atque intellectu excedentes quandam mentis pueritiam, in
Deus incommutabilis. canos sapientię promouentur. Nam & credere Deum loco aliquo quamuis infinito, per quantitatis quęcunque spatia contineri, quàm sit stultum docetur: & de loco in locum, vel ipsum, vel aliquam eius partem moueri atque transire, arbitrari nefas habetur. Iam verò aliquid eius substantiæ atque naturæ commutationem vel conuersionem quolibet modo pati posse si quis opinetur, miræ dementiæ impietatisque damnabitur: ita fit vt apud nos inueniantur pueri quidam, qui humana forma Deum cogitent, atque ita se habere suspicentur, qua opinione nihil est abiectius: sed inueniantur item multi senes, qui eius maiestatẽ, non solum super humanum corpus, sed etiam super ipsam mentem manere inuiolabilem atque incommutabilem, eadem ipsa mente conspiciant. Quas ætates, non tempore, sed virtute atque prudẽtia discernendas esse iam dictum est. Apud vos autẽ nemo quidem reperitur qui Dei substantiam humani corporis figuratione describat: sed rursus nemo qui se ab humani erroris labe seiungat. Itaque illi quos quasi vagientes ecclesiæ catholicæ vbera sustentant, si ab hæreticis non fuerint deprædati, pro suo quisque captu viribúsque nutriuntur, perducuntúrque alius sic, alius autem sic: primum in virum perfectũ, deinde ad maturitatem canicięmque sapientiæ perueniunt, vt eis quantum volunt viuere ac beatissimè viuere liceat.

CAP. XI. Deus vnicè diligendus.

Secvtio igitur Dei, beatitatis appetitus est: consecutio autem, ipsa beatitas. At eum sequimur diligendo, consequimur verò, non cum hoc omnino efficimur quod est ipse, sed ei proximi, cúmque mirifico & intelligibili modo contingentes, eiúsque veritate & sanctitate penitus illustrati atque comprehensi. Ille nanque ipsum lumen est, nobis autem ab eodem illuminari licet. Maximum ergo quod ad beatam vi-
Deut. 6. a. 5. Matth. 22. d. 37. tam ducit, primúmque mandatum est, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & anima & mente. Diligentibus enim Deum, omnia procedunt in
Rom. 8. a. 28 bonum. Quamobrem paulò pòst idem Paulus: Certus sum, inquit, quòd neque mors, neque vita neque angeli, neque virtus, neque instantia, neq; futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia
Rom. 8. g. 38 & 39. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Si igitur diligentibus Deum

omnia

omnia procedunt in bonum: & ſummum bonũ quod etiam optimum dicitur, non modò diligẽdum eſſe nemo ambigit, ſed ita diligendum vt nihil amplius diligere debeamus: idq; ſignificatur & exprimitur quod dictum eſt: Ex tota anima, & ex toto corde, & ex tota mente: quis quæſo dubitauerit his omnibus conſtitutis, & firmiſſimè creditis, nihil nobis aliud eſſe optimum, ad quod adipiſcendum poſtpoſitis cæteris feſtinare oporteat, quam Deum? Item ſi nulla res ab eius charitate nos ſeparat, quid eſſe non ſolum melius, ſed etiam certius hoc bono poteſt? Sed ſingula breuiter attendamus. Nemo nos inde ſeparat, minando mortem. Id ipſum enim quòd diligimus Deum, mori non poteſt, niſi dum non diligit Deum: cum mors ipſa ſit non diligere Deum, quod nihil eſt aliud quàm ei quicquam in diligendo atque ſequendo pręponere. Nemo inde ſeparat pollicendo vitam. Nemo enim ab ipſo fonte ſeparat, pollicendo aquam. Non ſeparat angelus: non enim eſt angelus cum inhæremus Deo noſtra mente potentior. Non ſeparat virtus: nam ſi virtus hic illa nominata eſt, quæ aliquam poteſtatẽ in hoc mundo habet, toto mundo eſt omnino ſublimior mens inhærens Deo. Sin virtus illa dicta eſt, quæ ipſius animi noſtri rectiſſima affectio eſt: ſi in alio eſt, fauet vt coniungamur Deo: ſi in nobis eſt, ipſa coniungit. Non ſeparant inſtantes moleſtiæ: hoc enim leuiores eas ſentimus, quo ei vnde nos ſeparare moliuntur, arctius inhæremus. Non ſeparat promiſſio futurorum: nam & quicquid boni futurum eſt, certius promittit Deus: & nihil eſt ipſo Deo melius, qui iam profectò benè ſibi inhærentibus pręſens eſt. Non ſeparat altitudo neque profundum: etenim ſi hæc verba ſcientiæ fortè altitudinem vel profunditatem ſignificant, non ero curioſus, ne ſeiungar à Deo, nec cuiuſquam doctrina me ab eo ſeparat, vt quaſi depellat errorem, à quo nemo prorſus niſi ſeparatus erraret. Si verò altitudine & profundo ſuperna & inferna huius mundi ſignificantur, quis mihi cælum polliceatur, vt à cæli fabricatore ſeiungar? Aut quis terreat infernus, vt Deum deſeram, quem ſi nunquam deſeruiſſem, inferna neſcirem? Poſtremò quis me locus ab eius charitate diuellet, qui non vbique totus eſſet, ſi vllo contineretur loco?

Matth. 22. d. 37.

1. ſent. diſt. 17. cap. ad quod.

2. ſent. diſt. 17. cap. quod autem.

CAP. XII. Charitate Deo connectimur, dum illi ſubiicimur.

NON, inquit, ſeparat alia creatura. O altiſſimorum myſteriorum virum. Non fuit contentus dicere creatura, ſed alia, inquit, creatura, admonẽs etiam idipſum quo diligimus Deum, & quo inhæremus Deo, id eſt animum atq; mentem creaturam eſſe. Alia ergo creatura corpus eſt: & ſi animus res quædam eſt intelligibilis, id eſt quæ tantum intelligendo innoteſcit, alia creatura eſt omne ſenſibile, id eſt quod per oculos, vel aures, vel olfactum, vel guſtũ, vel tactum, quaſi quandam notitiam ſui præbeat: atque id deterius ſit neceſſe eſt, quàm quod intelligentia ſola capitur. Ergo cum etiam Deus dignis animis notus non niſi per intelligẽtiam poſſit eſſe, cũ tamen ſit ipſa qua intelligitur mente præſtantior, quippè qui creator eius atque auctor eius eſt, verendum erat ne animus humanus, eo quòd inter inuiſibilia & intelligibilia numeratur, eiuſdem ſe naturæ arbitraretur eſſe cuius eſt ipſe qui creauit, & ſic ab eo ſuperbia decideret, cui charitate iungendus eſt. Fit enim Deo ſimilis quantum datũ eſt, dum illuſtrandum illi atque illuminandum ſe ſubiicit. Et ſi maximè ei propinquat ſubiectione iſta qua ſimilis fit, longè ab eo fiat neceſſe eſt, audacia qua vult eſſe ſimilior. Ipſa eſt quæ legibus Dei obtemperare detrectat, dum ſuæ poteſtatis eſſe cupit vt Deus eſt. Quanto ergo magis longè diſcedit à Deo, non loco ſed affectione atque cupiditate ad inferiora quàm eſt ipſe, tanto magis ſtultitia miſeriáque completur. Dilectione igitur redit in Deum, qua ſe illi non componere, ſed ſupponere affectat. Quod quanto fecerit inſtantius ac ſtudioſius, tanto erit beatior atque ſublimior, & illo ſolo dominante liberrimus. Quamobrem noſſe debet ſe eſſe creaturam. Debet enim creatorem ſuum credere ſicuti eſt, inuiolabili & incommutabili ſemper manere natura veritatis atque ſapientiæ: in ſe autem cadere poſſe ſtultitiam atque fallaciam, vel propter errores quibus exui deſiderat, confiteri. Sed rurſus cauere debet, ne ab ipſius Dei charitate, qua ſanctificatur vt beatiſſimus maneat, alterius creaturæ, id eſt huius ſenſibilis mundi amore ſeparetur. Non igitur ſeparat nos alia creatura, ſiquidem & nos ipſi creatura ſumus, à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

CAPVT XIII. Per Chriſtũ & eius ſpiritum iungimur inſeparabiliter Deo.

DICAT nobis idem Paulus quis iſte ſit Chriſtus Ieſus Dominus noſter: Vocatis, inquit, prædicamus Chriſtum [a] Dei virtutem & Dei ſapientiam. Quid ipſe Chriſtus? Nõne, inquit, [b] ego ſum veritas? Si ergo quærimus quid ſit bene viuere, id eſt ad beatitudinem bene viuendo tendere, id erit profectò amare virtutem, amare ſapiẽtiam, amare veritatem, & amare ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente virtutem, quæ inuiolabilis & inuicta eſt, ſapientiam cui ſtultitia non ſuccedit, veritatem quæ conuerti atque aliter quàm ſemper eſt ſeſe habere non nouit. Per hanc ipſe cernitur pater, dictum eſt enim: Nemo venit ad patrem, niſi per me. Huic hęremus per ſanctificationem. Sanctificati enim plena & integra charitate flagramus, qua ſola efficitur vt à Deo non auertamur, eſque potius quã huic mundo conformemur. Prædeſtinauit enim, vt ait idem Apoſtolus, conformes nos fieri imagini filij eius. Fit ergo per charitatem vt conformemur Deo, & ex eo cõformati atque configurati, & circumciſi, ab hoc mundo non confundamur, cum iis quæ nobis debent eſſe ſubiecta. Fit autem hoc per ſpiritum ſanctum. Spes enim, inquit, non cõfundit, quoniam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Nullo modo autem redintegrari poſſemus per ſpiritum ſanctum, niſi & ipſe ſemper integer & incommutabilis permaneret. Quod profectò non poſſet, niſi Dei naturæ eſſet ac ipſius ſubſtantiæ, cui ſoli incommutabilitas, atque (vt ita dicam) inuertibilitas ſemper eſt. Creatura enim, neque hoc ego, ſed idem Paulus clamat, vanitati ſubiecta eſt. Neque nos poteſt à vanitate ſeparare, veritatiq; connectere quod ſubiectum eſt vanitati. Et hoc nobis ſpiritus ſanctus præſtat, creatura igitur non eſt. Quia omne quod eſt, aut Deus, aut creatura eſt.

a 1. Cor. 1. d. 24.

b Io. 14. a. 6 Deu. 6. a. 5.

Ioan. 14. a. 6

Rom. 8. f. 29

Rom. 5. a. 5.

Rom. 8. d. 20 ματαιότης

CAPVT XIIII. Trinitati ſummo bono dilectione hæremus.

DVM ergo diligere debemus trinã quandã vnitatem, patrem & filium & ſpiritum ſanctum, quod nihil aliud dicam eſſe, niſi idipſum eſſe. Eſt enim verè ſumméque Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Hæc verba Pauli ſunt. Quid deinde ſubiicitur? Ipſi gloria. Syncериſſimè omnino. Neque enim ait ipſis: nam vnus eſt Deus. Quid eſt autem, ipſi gloria, niſi ipſi optima & ſumma & latè patens fama? Quanto enim melius atque diffuſius diffamatur, tanto diligitur & amatur ardentius. Quod cum fit, nihil aliud ab humano genere, quàm certo & conſtãti gradu in optimam vitam & beatiſſimam pergitur. Non arbitror cum de moribus ac vita fit quæſtio, amplius eſſe requirẽdum, quod ſit hominis ſummum bonum, quò referenda ſunt omnia. Id enim eſſe patuit, & ratione quantum valuimus, & ea quæ noſtrę rationi antecellit auctoritate diuina, nihil aliud quàm ipſum Deum. Nam quid erit optimum hominis, niſi cui inhærere eſt beatiſſimum? Id autem eſt ſolus Deus, cui hærere certè non valemus, niſi dilectione, amore, charitate.

Rom. 11. d. 36.

CAP. XV. Quatuor virtutes definit Chriſtianè.

QVÒD ſi virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino eſſe virtutem affirmauerim, niſi ſummum amorem Dei. Nanque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipſius amoris vario

quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum vtinam ita sit in mẽtibus vis, vt nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem: vt temperantia sit amor, integrũ se præbens ei quod amatur: fortitudo amor, facilè tolerans omnia propter quod amatur: iustitia amor soli amato seruiens, & propterea rectè dominans: prudẽtia amor, ea quibus adiuuatur ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cuiuslibet, sed Dei esse diximus, id est summi boni, summæ sapiẽtię, summæque concordiæ. Quare definire etiam sic licet, vt temperantiam dicamus esse amorem, Deo sese integrum incorruptumque seruãtem: fortitudinem amorem, omnia propter Deum facilè perferentem: iustitiam amorem Deo tantum seruientem, & ob hoc benè imperantem cæteris quæ homini subiecta sunt: prudentiam, amorem, bene discernentem ea, quibus adiuuetur in Deum, ab iis quibus impediri potest.

CAPVT XVI. *Quatuor virtutes asserit è Scripturis.*

HISDEM singulis virtutibus quinam viuẽdi modus ducatur, paucis explicabo, si prius testimoniis Noui Testamenti quibus vtor iam diu, de Veteri etiam paria, vt pollicitus sum, cõparauero. Num enim Paulus tantum dicit, Deo nos esse debere subiectos, ita vt in medio quod separet nihil sit? Nónne & propheta commodissimè, hoc & breuissimè significat, cum dicit, Mihi autem adhærere Deo bonum est? Nónne quod ibi latissimè de charitate dictum est, hic vno verbo continetur quod ait, inhærere? Item quod addidit, bonum est, nónne ad illud respicit, quod ibi positum est, Diligentibus Deum omnia procedunt in bonum: ita vt vna sententia duobúsque verbis propheta & vim & fructum charitatis ostendat. Cúmque ibi dictum sit, Dei filium Dei virtutem esse atque sapientiam: cúmque virtus ad operationem, sapientia verò ad disciplinam pertinere intelligatur: vnde in Euangelio duo ipsa signantur, cũ dicitur, Omnia per ipsum facta sunt: nam hoc operationis atque virtutis est. Deinde quod ad disciplinam verique cognitionem attinet, Et vita (inquit) erat lux hominũ: potuit ne quicquam magis concinere his testimoniis noui Testamenti, quàm illud quod in Vetere dictum est de sapientia, Attingit autem à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter? Namque attingere fortiter, magis virtutem significat: disponere autem omnia suauiter, quasi artem ipsam atque rationem. Sed si hoc videtur obscurum, vide quæ sequuntur: Et omnium, inquit, Dominus dilexit illam: doctrix est enim disciplinæ Dei, & electrix operum illius. Videtur hic nihil adhuc de operatione dictum: nec enim hoc est eligere opera quod operari: ergo vt hęc ad disciplinam pertineant, opus virtuti debetur, vt sit plena quam volumus demonstrare sentẽtia. Lege igitur deinceps quod annexum est. Quòd si honesta est, inquit, possessio, quæ concupiscitur in vita, quid sapiẽtia est honestius, quæ omnia operatur? Potest ne quicquam præclarius aut manifestius, aut vero etiam vberius proferri? Audi aliud, si parum putas, quod idem sonet: Et sobrietatem sapientia docet, inquit, & iustitiam & virtutem. Sobrietas mihi ad ipsam cognitionẽ veri videtur pertinere, id est, ad disciplinam: iustitia verò & virtus ad actionem atque ad operationem. Quibus duobus, id est agendi efficacia, & sobrietate contemplandi, quæ Dei virtus & Dei sapientia, id est Dei filius, dilectoribus suis donat, quid comparãdum sit nescio, cũ idem Propheta statim dicat quanti sint ista pendenda: nam ita positum est, Sobrietatem enim sapientia docet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus. Hæc fortasse quispiam non de filio Dei dicta esse arbitretur. Quid ergo aliud ostendit quod dictum est, Generositatem magnificat, cõtubernium habẽs Dei? An verò generositas solet significare aliud quàm parentes? Contubernium verò nónne cum ipso patre æqualitatem clamat atque asserit? Deinde cum Paulus dicat, filium Dei esse Dei sapientiam: & ipse Dominus, Nemo nouit patrem, nisi vnigenitus filius: quid potuit à Propheta congruentius dici, quàm illud quod dictum est, Et tecum sapientia quæ nouit opera tua, quæ adfuit tunc cum orbem terrarum faceres, & sciebat quid placiturum esset oculis tuis? Quod autẽ Christus est veritas, quòd idem ostenditur cum splendor patris nuncupatur, num est quicquam in circuitu solis, nisi splendor ipse quem gignit? Quid ergo potuit apertius & clarius ex Vetere Testamento huic sententiæ consonare, quàm illud quod dictum est, Et veritas tua in circuitu tuo? Postremò dicit ipsa Sapientia in Euangelio, Nemo venit ad patrem, nisi per me. Dicit per Prophetam, Sensum tuum ergo quis scit, nisi tu dederis sapientiam? Et paulo pòst: Et quæ tibi placent, didicerunt homines, & per sapiẽtiam sanati sunt. Dicit Paulus: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Dicit Propheta: Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet dolũ. Vbi enim dolus, charitas nulla est. Dicit Paulus, Conformes fieri nos imaginis filij Dei. Dicit Propheta, Signatũ est super nos lumen vultus tui Domine. Ostendit Paulus, Deum esse Spiritum sanctum, & ideo non esse creaturam. Dicit Propheta: Et miseris Spiritum sanctũ de altissimis. Solus enim Deus altissimus, quo nihil est altius. Ostendit Paulus, trinitatem istã vnum Deum esse, cum dicit, Ipsi gloria. Dicitur in Veteri Testamento: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.

CAPVT XVII. *Apostrophe ad Manichæos vt resipiscant.*

QVID vultis amplius? Quid imperite atque impie sæuitis? Quid indoctas animas noxia suasione peruertitis? Vtriusque Testamẽti Deus vnus est. Nam vt ista sibi congruunt, quæ de vtroque posuimus, ita etiam cætera, si diligenter & ęquo iudicio velitis attendere. Sed quia multa dicuntur submissis, & humi repentibus animis, vt accommodatius per humana in diuina consurgant, multa etiam figuratè vt studiosa mẽs, & quæsitis exerceatur vtilius, & vberius lætetur inuentis, vos mirifica dispositione Spiritus sancti, ad decipiendos vestros auditores, ad illaqueandos abutimini. Quod ipsum cur diuina prouidentia vos facere sinat, quamque veriſſimè Apostolus dixerit: Oportet multas hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter nos, & longum est disputare, & quod dicendum est vobis, Non est vestrum ista intelligere. Nõ parum mihi cogniti estis. Crassas omnino mentes & corporeorum simulachrorum pestifero pastu morbidas ad diuina iudicãda defertis, quę multo altiora sunt quàm putatis: quare vobiscum modo non sic agendum est, vt ea iam intelligatis, quod fieri non potest, sed vt intelligere aliquando cupiatis. Facit enim hoc simplex & pura charitas Dei, quæ maximè spectatur in moribus, de qua multa iam diximus: quæ inspirata Spiritu sancto perducit ad filium, id est, ad sapientiam Dei, per quam pater ipse cognoscitur. Nam si sapientia & veritas non totis animi viribus concupiscatur, inueniri nullo pacto potest. At si ita quæratur, vt dignum est, subtrahere sese atque abscondere à suis dilectoribus non potest. Hinc est illud, quod in ore habere etiã vos soletis, quod ait Iesus: Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Nihil est occultum, quod nõ reuelabitur. Amore petitur, amore quęritur, amore pulsatur, amore reuelatur, amore deniq; in eo quod reuelatum fuerit permanetur. Ab hoc amore sapientiæ diligentiáque quærendi, non deterremur Veteri Testamento, quod semper mendaciſſimè dicitis, sed ad hæc vehementiſſimè concitamur. Audite itaque aliquando, & aduertite queso sine pertinacia quid per Prophetam dicatur: Clara est, inquit, & quæ nunquam marcescit sapientia, & facilè videtur

ab iis qui diligunt illam,& inuenitur ab iis qui quærũt illam:præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se ostendat. Qui vigilauerit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam inueniet foribus suis. Cogitare enim de illa, sensus est consummatus:& qui vigilauerit propter illam, citò erit securus:quia dignos seipsos circuit quærens,& in viis ostẽdit se illis hilariter,& omni prouidentia occurrit illis. Initium enim illis verissimum, disciplinæ concupiscentia est. Cura ergo disciplinæ dilectio est, & dilectio custoditio legum illius est. Custoditio autem legum, cõfirmatio incorruptionis est, incorruptio autem facit proximum Deo. Concupiscentia † autem sapientiæ deducit ad regnum. Itáne tandem adhuc aduersus ista latrabitis? Nónne ita posita & nondum intellecta, cuius significant altum se quiddam, & ineffabile continere? O vtinam possetis intelligere quæ dicta sunt. Confestim abiiceretis omnes ineptias fabellarum, & vanissimas imaginationes corporum,totóque vos magna alacritate syncero amore, firmissima fide, sanctissimo ecclesiæ catholicæ gremio conderetis. POTERAM pro mea mediocritate discutere singula, & eruere ac demonstrare quæ accepi,in quorum excellentia & altitudine plerunque verba deficiunt: sed quandiu latratis, non est faciendum. Non enim frustra dictum est, Nolite sanctum dare canibus. Ne succenseatis. Et ego latraui & canis fui,quando mecum iure non docẽdi cibo, sed refellendi fustibus agebatur. Si autem in vobis esset charitas,de qua nunc agitur, vel etiã si fuerit aliquando, quantam cognoscendæ veritatis magnitudo desiderat, aderit Deus qui ostendat vobis: neque apud Manichæos esse Christianam fidẽ, quæ ad summum apicem sapientiæ veritatísque perducit, qua perfrui, nihil est aliud nisi beatè viuere:neque esse vspiam,nisi in catholica disciplina. Quid enim aliud videtur apostolus Paulus optare,cum dicit: Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi à quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ fortitudinem, corroborari per spiritũ in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris: vt in charitate radicati & fundati, possitis comprehendere cum omnibus sanctis,quæ sit altitudo,& longitudo,& latitudo,& profundum: cognoscere etiam supereminentem † scientiam charitatis Christi, vt impleamini in † omni plenitudine Dei? Potest ne quicquã dici manifestius? Obsecro vigilate paululum, videte Testamenti vtriusque concordiam, qui sit in moribus vitæ modus,& quò sint referenda omnia, satis aperiente & docente amore Dei. Concitant Euangelia, cum dicitur,Petite,quærite,pulsate. Concitat Paulus dicendo: Vt in charitate radicati & fundati,possitis comprehẽdere. Concitat etiam Propheta,cũ dicit,facile sapientiam ab iis qui eam diligunt, quærunt, concupiscunt, vigilant,cogitant, curant,posse cognosci. Salus animi & via beatitudinis vtrarumque Scripturarum pace monstrantur,& vos latrare potius aduersus hæc,quàm his obtẽperare diligitis. Breui dicam quod sentio: Audite doctos ecclesiæ catholicæ viros tanta pace animi, & eo voto quo † vos ego audiui, nihil opus erit nouem annis quibus me ludificastis. Longè omnino, longè breuiore tempore, quid interfit inter veritatem vanitatémque cernetis. SED tempus est ad illas virtutes quatuor reuerti, & ex his singulis eruere ac ducere viuendi modum. Itaq; prius temperantiam videamus, quæ nobis amoris illius quo innectimur Deo, integritatem quandam & incorruptionem pollicetur. Munus enim eius est in coërcendis sedandísque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea quæ nos auertunt à legibus Dei,& à fructu bonitatis eius, quod est (vt breui explicem) beata vita. Ibi enim est fides veri,cuius contemplatione perfruentes,eíque penitus adhęrentes,proculdubio beati sumus:inde autem decidentes, magnis erroribus doloribúsq; implicamur. Nanque, vt ait Apostolus, radix omnium malorum cupiditas, quam quidam sequentes, naufragauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Quod peccatum animæ in Veteri Testamento satis apertè bene intelligentibus in ipsius hominis, qui erat in paradiso, pręuaricatione signatur. In Adam quippe omnes morimur,vt ait idem,& in Christo omnes resurgemus. O alta mysteria. Sed reprimam me. Nõ enim modò suscepi docere vos recta, sed dedocere praua, si potero, id est si Deus annuerit proposito in vos meo. Dicit ergo Paulus, radicem omnium malorum esse cupiditatem per quam etiam lex vetus primum hominem lapsum esse significat. Monet Paulus, vt exuamus nos veterem hominem,& induamus nouum. Vult autem intelligi, Adam qui peccauit, veterem hominem: illum autem quem suscepit in Sacramento Dei filius, ad nos liberandos nouum. Dicit nanque alio loco: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni: qualis cælestis,tales & cælestes. Sicut portauimus imaginem terreni,portemus & imaginem cælestis: hoc est, exuite veterem,& induite nouum. Omne igitur officium temperantiæ,est exuere veterem hominem,& in Deo renouari: id est,contemnere omnes corporeas illecebras, laudémque popularem, totúmque amorem ad inuisibilia, & diuina conferre. Vnde illud sequitur quod mirificè dictum est: Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem. Audi & Prophetam canentem; Cor mundum crea in me Deus,& spiritum rectũ innoua in visceribus meis. Quid contra istam conuenientiam dici, nisi à cæcis latratoribus potest? ILLECEBRAE autem corporis sitæ sunt in his omnibus, quæ corporeus sensus attingit, quę à nonnullis etiam sensibilia nominantur: in quibus maximè lux ista visibilis excellit, quia & in ipsis sensibus nostris, quibus anima per corpus vtitur, nihil est oculis præferendum: & ideo in Scripturis sanctis, visibilium nomine sensibilia cuncta significantur. Itaque in Nouo Testamento sic ab istorum amore prohibemur: Non respicientes, inquit, ea quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Ex quo intelligi potest, quòd Christiani nõ sint qui Solem & Lunam non modò diligendos, sed etiam colendos putant. Quid enim videmus, si Solem & Lunam non videmus? Vetiti autem sumus conuerti ad ea quæ videntur. Non sunt igitur etiam ista diligenda ei, qui amorem illum incorruptũ Deo cogitat exhibere. Sed erit mihi alius locus, quo de istis diligentius requiretur. Non enim nunc de fide, sed de vita dicere instituí, per quã meremur scire quod credimus. Amandus igitur solus Deus est, omnis verò iste mundus, id est, omnia sensibilia contemnenda, vtendum autem his ad huius vitæ necessitatem.

GLORIA verò popularis sic in nouo Testamento abiicitur atque contemnitur. Si hominibus, inquit Apostolus, placere vellem, Christi seruus non essem. Est item aliud quod de corporibus per imagines quasdam concipit anima,& eam vocat rerum scientiã. Quamobrem rectè etiam curiosi esse prohibemur, quod magnum temperantiæ munus est. Hinc illud est: Cauete ne quis vos seducat per philosophiam. Et quia ipsum nomen philosophiæ si consideretur, rem magnam totóque animo appetendam significat. Siquidem philosophia est amor studiúmque sapientiæ, cautissimè Apostolus ne ab amore sapientiæ deterrere videretur, subiecit: Et elementa huius mundi. Sunt enim qui desertis virtutibus,& nescientes quidsit Deus,& quãta

CAPVT XVIII. *In catholica sola perfecta veritas ex vtriusque Testamenti consensu.*

CAPVT XIX. *Temperantiã probat ex sacris literis.*

CAPVT XX. *Illecebræ oculorum.*

CAPVT XXI. *Curiositas sacris literis damnata.*

Mat.7.a.6. — *Eph.3.c.14* — *Mat.7.b.7.* — *Eph.3.d.17* — *Col.3.b.9.* — *1.Tim.6.b.* — *1.Cor.15. c.22.* — *1 Cor.15. f.47.* — *2.Cor.4. d.16.* — *Psal.50.c.12* — *2.Cor.4. d.18.* — *Gal.2. b.10* — *Col.2.b.8.*

al. itaque. — al. scientiæ charitatẽ. al. omnem plenitudinem. — al. eos. *Augustinus nouem annis Manichæus. vide inf. lib. 2. cap. 19.*

maiestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si vniuersam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè intentissimèque perquirant. Vnde tanta etiam superbia gignitur, vt in ipso cælo, de quo sæpe disputant, sibimet habitare videantur. Reprimat igitur se anima ab huiusmodi vanæ cognitionis cupiditate, si se castam Deo seruare disposuit. Tali enim amore plerunque decipitur, vt aut nihil putet esse, nisi corpus: aut etiamsi auctoritate commota, fateatur aliquid esse incorporeum, de illo tamen nisi per imagines corporeas cogitare non possit, & tale aliquid esse credere, quale fallax corporis sensus infligit. Ad hoc etiam valet quòd præcipitur cauẽdum esse à simulachris. Huic ergo auctoritati Noui Testamenti, qua iubemur nihil mundi huius diligere, illa maximè sententia qua dictum est: Nolite conformari huic mundo: simul enim demonstrandum est ei rei quemque conformari quam diligit. Huic ergo auctoritati si de Veteri Testamento quæram quid comparem, plura quidem inuenio, sed vnus Salomonis liber, Ecclesiastes qui dicitur, copiosissimè in summum cõtemptum omnia ista perducit. Incipit enim sic: Vanitas vãnitantium, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitantium, & omnia vanitas: quæ abundantia homini in omni labore suo quẽ ipse laborat sub sole? Hæc verba omnia si attendantur, si perpendantur, si discutiantur, multa inueniuntur perneccessaria iis qui hunc mundum fugere, & refugere in Deum desiderant. Sed longum est, & aliò festinat oratio. Tali tamen principio constituto, exequitur omnia, vanitantes esse eos qui rebus huiusmodi falluntur. Idipsum autem quo falluntur vanitatem vocans, non quòd Deus ista non creauerit, sed quia subiicere se homines volunt iis rebus per peccata, quæ illis per rectè facta diuina lege subiectæ sunt. Quid est enim aliud, falsis bonis illudi atque decipi, quam teipso inferiora miranda, & appetenda arbitrari? Habet igitur vir temperans in huiuscemodi rebus mortalibus & fluentibus, vitæ regulam vtroque Testamento firmatam: vt eorum nihil diligat, nihil per se appetẽdum putet, sed ad vitæ huius atque officiorum necessitatem quãtum satis est, vsurpet, vtentis modestia, non amantis affectu. Hæc dicta sint de temperantia pro rerum magnitudine breuiter, pro instituto tamen opere fortasse copiosius quàm oportebat.

ἐγκρατεῖς τῶν ἐγκρατευομένων.

1.Io.2.c.15

Rom.12.a.2

CAPVT XXII. *Fortitudinem præstat amor Dei.*

DE fortitudine verò non multa dicenda sunt. Amor namque ille de quo loquimur, quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur. Sed inter omnia quæ in hac vita possidentur, corpus homini grauissimum vinculum est, iustissimis Dei legibus, propter antiquum peccatum, quo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. Hoc ergo vinculum ne concutiatur atque vexetur, laboris & doloris; ne auferatur atque perimatur, mortis terrore animam quatit. Amat enim illud vi cõsuetudinis, non intelligens, si eo bene atque scienter vtatur, resurrectionem reformationémque eius ope ac lege diuina sine vlla molestia iuri suo subditam fore: sed cum se hoc amore tota in Deum conuerterit, his cognitis mortem non modò contemnet, verùm etiam desiderabit. Sed restat cum dolore magna conflictatio. Nihil est tamen tam durum atque ferreũ, quod non amoris igne vincatur. Quò cum se anima rapit in Deum, super omnem carnificinam libera, & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur. Nisi verò amatores auri, amatores laudis, amatores fœminarum, amatoribus suis Deus sinat esse fortiores, cum ille non amor, sed congruentius cupiditas vel libido nominetur. In qua tamen apparet quantus sit impetus animi ad ea quæ diligũtur †indefesso cursu per immania quęque tendentis, argumentóque nobis est, quam sint omnia perferenda, ne deseramus Deum, si tanta illi vt deserant, perferunt. †al. deflexo.

CAPVT XXIII. *Fortitudinis monita & exempla ex Scripturis.*

QVID ergo hic Noui Testamenti auctoritates colligam, vbi dictum est, [a]Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem: & non solùm dictum, sed etiam exemplis eorum, qui dixerunt probatum atque firmatum: de Veteri potius Testamento, in quod illi rabidè sæuiunt, excitabo exemplum patientiæ. Neque illum commemorabo virum, à quo in magnis cruciatibus corporis & horribili tabe membrorum, nõ modo sustinentur humana, sed diuina etiam disputantur. In cuius singulis vocibus satis elucet, si quis æquo animo attendat, quanti pendẽda sint ista, quæ cum volunt homines per dominationem tenere, ab his ipsis potius per cupiditatem tenentur, & rerum mortalium serui siũt, dum imperitè Domini esse desiderant. Amisit namque ille omnes diuitias, & factus repentè pauperrimus, tam inconcussum animum tenuit, & infixum Deo, vt satis demõstraret, non illas sibi fuisse magnas, sed se illis, sibi autẽ Deum. Quo animo si esse possent nostri temporis homines, non magnopere in Nouo testamento ab istorum possessione prohiberemur, vt perfecti esse possemus. Multò enim mirabilius est, nõ inhærere istis quamuis possideas, quam omnino ea non possidere. Sed quoniam de dolore atque cruciatibus corporis tolerandis nunc agitur, relinquo istum virum, licet magnum, licet inuictum, virum tamen. Offerunt enim mihi Scripturæ illæ stupẽdæ fortitudinis fœminam, & ad eam iam me transire compellunt. Quæ cum septem liberis tyranno atque carnifici prius viscera omnia, quam vnũ verbum sacrilegum impendit: cum eius hortatione filij roborarentur, in quorum membris ipsa torquebatur, latura tamen etiam proprio munere, quod eos ferre præceperat. Quid ad tantam patientiam quæso addi potest? Quid tamen mirum si omnibus medullis conceptus Dei amor, & tyranno, & carnifici, & dolori, & corpori, & sexui, & affectui resistebat? An non audierat: Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius? Non audierat; Melior vir patiens fortissimo? Non audierat: Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua habe patientiam: quoniam in igne probatur aurum & argentum? Non audierat: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis? Imò verò & hæc, & alia plura perceperat, quæ vno sancto Dei Spiritu, vt in istis Noui Testamenti, sic in illis qui soli adhuc erant, libris diuina præcepta fortitudinis conscripta sunt.

a Rom.5.a.3.4

Iob 1.c.14*

S. Fran. Co

S. Bern. in Cant. Ser. 26. Fran.

2 Mac. 7.a.1.*

Ps.115.d.15

Pro.16.d.32

Eccl.2.a.4.

Ecc.27.a.6

CAPVT XXIIII. *Prudentiam docent Scripturæ.*

QVID de iustitia quæ ad Deum pertinet? Nónne cum & Dominus dicat: [a]Non potestis duobus dominis seruire: & Apostolus redarguat eos, [b]qui creaturæ potius quam creatori seruiunt, in Veteri Testamẽto prius dictum est: Dominum Deũ tuum adorabis, & illi soli seruies? Sed quid opus est hinc plura dicere, cum sententiis talibus ibi plena sint omnia? Hanc ergo iustitia vitæ regulam dabit huic amatori, de quo sermo est: vt Deo quem diligit, id est summo bono, summæ sapientiæ summę paci libentissimè seruiat: cæteráque omnia partim subiecta sibi regat, partim subiicienda præsumat. Quæ norma viuendi, vt docuimus, vtriusque Testamenti auctoritate roboratur. Nec de prudentia diutius differendũ est, ad quam dignoscentia pertinet appetendorum & vitandorum. Quæ si desit, nihil eorum de quibus iam dictũ est, effici potest. Huius autem excubiæ atque diligentissima vigilantia est, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur: vnde sæpe Dominus, [c]Vigilate, clamat: &, [d]Ambulate, inquit, dum lumẽ habetis, ne vos tenebræ comprehendant. Itemque dicitur: Nescitis quia modicum

a Matth.6.c.24.
b Rom.1.c.25.
Deu.6.c.13

Prudentia.

c Matth.24.d.42.
d Ioan.12.f.35.
1 Ioa.5.c.6

dicum fermentum totam maſſam corrumpit? Quid autem proferri manifeſtius de veteri Teſtaméto contra iſtam dormitationem animi poteſt, per quam fit vt non ſentiamus quaſi minutatim ſerpentem perniciem, quam illud quod à Propheta dictum eſt: Qui ſpernit modica, paulatim decidet? De qua ſententia, ſi opportunum eſſet feſtinantibus, copioſiſſimè diſputarem: atque id ſi à nobis nunc ſuſceptum munus flagitaret, fortaſſe demonſtraremus, quam ſint alta myſteria, quæ imperitiſſimi & ſacrilegi homines deridendo, non illi quidem paulatim iam decidũt, ſed magno lapſu præcipites eunt. Eccl. 19. a. 1

CAP. XXV. *Officia quatuor virtutũ ex Scripturis.*

QVID amplius de moribus diſputem? Si enim Deus eſt ſummum hominis bonum, quod negare non poteſtis, ſequitur profectò, quoniam ſummum bonum appetere, eſt bene viuere: vt nihil ſit aliud bene viuere, quàm toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere: à quo exiſtit, vt incorruptus in eo amor atque integer cuſtodiatur, quod eſt temperantiæ: & nullis frangatur incommodis, quod eſt fortitudinis: nulli alij ſeruiat, quod eſt iuſtitiæ: vigilet in diſcernendis rebus, ne fallacia paulatim dolúſque ſubrepat, quod eſt prudentiæ. Hæc eſt hominis vna perfectio, qua ſola impetrat vt veritatis ſynceritate perfruatur: hæc nobis Teſtamento vtroq; concinitur, hęc nobis hinc atque inde ſuadetur. Quid adhuc Scripturas quas ignoratis calumniamini? Neſcitis quanta imperitia laceſſatis libros, quos & ſoli reprehendunt, qui non intelligunt: & ſoli intelligere nequeunt, qui reprehendunt? Nõ enim eos aut vllus inimicus cognoſcere ſinitur, aut eſſe niſi amicus cognitis poteſt. Diligamus igitur Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, quicunque ad vitam æternam peruenire propoſuimus. Vita enim æterna eſt totum præmium, cuius promiſſione gaudemus: nec præmiũ poteſt præcedere merita, & prius homini dari quàm dignus eſt. Quid enim hoc iniuſtius, & quid iuſtius Deo? Non ergo debemus poſcere præmiũ antequam mereamur accipere. Hic fortaſſe non incongruè quæritur, æterna ipſa vita quid ſit. Sed eius largitorem potius audiamus! Hæc eſt, inquit, vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ. Æterna igitur vita eſt ipſa cognitio veritatis. Quamobrem videte quàm ſint peruerſi atque prępoſteri, qui ſeſe arbitrantur Dei cognitionem tradere, vt perfecti ſimus, cum perfectorum ipſa ſit præmium. Quid ergo agendum eſt? quid quæſo, niſi vt eum ipſum quem cognoſcere volumus, prius plena charitate diligamus? Vnde illud exoritur, quod ab initio ſatis egimus, nihil in eccleſia catholica ſalubrius fieri, quàm vt rationem præcedat auctoritas. Ioan. 17. a. 3 Supra c. 11. Meritum.

CAPVT XXVI. *1. retr. cap. 7 Dilectio ſui & proximi.*

SED cætera videamus, videtur enim de homine ipſo, id eſt, de amatore ipſo nihil actum: ſed parum dilucidè qui hoc arbitratur intelligit. Non enim fieri poteſt, vt ſeipſum qui Deum diligit, non diligat: imò verò ſolus ſe nouit diligere, qui Deum diligit. Siquidem ille ſe ſatis diligit, qui ſedulò agit, vt ſummo & vero perfruatur bono: quòd ſi nihil eſt aliud quàm Deus, ſicut ea quæ dicta ſunt docuerunt, quis cunctari poteſt, quin ſeſe amet, qui amator eſt Dei? quid inter ipſos homines, nullúmne eſſe amoris vinculum debet? Imò verò ita debet, vt nullus certior gradus ad amorem Dei fieri poſſe credatur, quam hominis erga hominem charitas. Promat nobis ergo alterum præceptum Dominus, de vitæ præceptis interrogatus: non enim contentus fuit vno, qui ſciret aliud Deum eſſe, aliud hominem: atque intereſſe tantum, quantum inter eum qui creauit, & id quod ad creatoris ſimilitudinem creatum eſt. Dicit ergo ſecundum præceptum eſſe: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Te autem ipſum ſalubriter diligis, ſi plus quàm te diligis Deum. Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo eſt: hoc eſt, vt ipſe Matth. 22. d. 39.

A etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam teipſum, ſi non ad id bonum ad quod ipſe tendis, adducere ſatagis. Illud eſt enim vnum bonum, quod omnibus tecum tendentibus non fit angu ſtum. Ex hoc præcepto naſcuntur officia ſocietatis humanæ, in quibus non errare difficile eſt. Agendum autem in primis eſt, vt beneuoli ſimus, id eſt, vt nulla malitia, nullo dolo malo aduerſus hominem vtamur. Quid enim homini homine propinquius? Accipite etiam quid Paulus dicat: Dilectio, inquit, proximi, malum non operatur. Breuiſſimis vtor teſtimoniis, ſed (niſi fallor) idoneis, & quibus ſuſceptæ rei ſatis fiat: nã quis ignorat quam multa, & quanti ponderis verba in illis libris de charitate proximi vſquequaque diffuſa ſint? Sed cum duobus modis peccetur in homine, vno ſi lædatur, alio ſi cum poteſt non adiuuetur: eáque ipſa ſint quibus mali homines eſſe dicantur, quorum neutrum qui diligit, facit: ſatis opinor quod volumus B demonſtrat iſta ſententia, Dilectio proximi malũ non operatur. Etſi ad bona peruenire non poſſumus, niſi mala operari deſtiterimus, iſta ſunt quaſi cunabula charitatis Dei, quibus diligimus proximum: vt quoniam dilectio proximi malum non operatur, hinc ad illud aſcendamus quod dictum eſt: Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia procedunt in bonum. Sed neſcio quomodo aut pariter iſta in plenitudinem perfectionémque conſurgunt, aut inchoatur prius Dei amor, & prius perficitur proximi. Ad incipiendũ enim citius nos fortaſſe in ſe diuina charitas rapit, ſed facilius minora perficimus. Quoquo modo autem res ſe habeat, illud maximè tenendum eſt, ne ſe quiſquam credat, contempto proximo ad beatitudinem & ad Deum quem diligit eſſe venturum. Atque vtinam vt facile eſt bene inſtituto & benigno diligere proximũ, ita facile eſſet vel conſulere, vel nihil nocere. Non enim ad hæc ſatis eſt voluntas bona, ſed opus eſt magna quadam ratione atque prudentia, qua nemo vti C poteſt, niſi Deus ille fons omnium bonorum id tribuerit. De qua re, quantum arbitror, difficillima tentabimus dicere pro ſuſcepto opere pauca quædam, ſpem totam conſtituentes in eo, cuius ſolius iſta dona ſunt. Rom 13. c. 10. Rom. 8. c. 28

CAPVT XXVII. *Beneficentia in corpus proximi.*

HOMO igitur vt homini apparet, anima rationalis eſt, mortali atque terreno vtens corpore. Partim ergo corpori, partim verò animæ hominis benefacit, qui hominem diligit. Ad corpus quod pertinet, medicina nominata eſt: ad animam autem diſciplina. Sed medicinam nũc voco, quicquid omnino corporis vel tuetur vel inſtaurat ſalutem. Ad hanc itaque pertinent, non ea tantum quæ ars eorum exhibet, qui propriè medici nominantur: ſed etiam cibus & potus, tegmen & tectum, defenſio denique omnis atque munitio, qua noſtrum corpus aduerſus etiam externos ictus caſúſque ſeruatur: nam & fames & ſitis & frigus & æſtus, & quicquid extrinſecus gra- D uiter infligitur, ſalutem de qua nunc agitur manere non ſinunt. Quare illa omnia, quibus huiuſcemodi malis incommodiſve reſiſtitur, qui officioſe atq; humaniter præbent, miſericordes vocantur, etiamſi ſapientes vſqueadeò ſint, vt iam nullo animi dolore turbentur. Nam quis ignoret ex eo appellatam eſſe miſericordiam, quòd miſerum cor faciat condolentis alieno malo? Et quis non concedat ab omni miſeria liberum eſſe debere ſapientem, cum ſubuenit inopi, cùm eſurienti cibum præſtat, potúmque ſitienti, cum veſtit nudum, cum peregrinum tecto recipit, cum oppreſſum liberat, cum denique humanitatem ſuam vſque ad ſepulturam porrigit mortuorum? Etiamſi id faciat mente tranquilla, nullis aculeis doloris inſtinctus, ſed adductus officio bonitatis, miſericors tamen vocandus eſt. Huic enim nihil obeſt nomen, cum abſit miſeria. Stulti verò, cum miſericordiam quaſi vi- 1. retr. cap. 7 Stoici.

tium deuitant, quia officio satis moueri nequeunt, si nec perturbatione commouentur, congelascunt potius rigore inhumanitatis, quam rationis tranquillitate serenantur. Itaq; multò prudentius Deus etiam ipse misericors dicitur: qui quemadmodum dicatur, restat intelligere iis qui sese idoneos religione studióq; præstiterint: ne cùm verbis doctorum ineptè vtimur, indoctorum animas prius durescere vitando misericordiam, quam benignitatem appetendo mitescere faciamus: atque vt misericordia iubet, ista nos ab homine pellere incommoda, sic innocentia prohibet inferre.

CAPVT XXVIII. *Beneficentia in animam proximi.*

QVOD autem attinet ad disciplinam, per quam ipsi animo sanitas instauratur, quæ si absit, nihil ad depellendas miserias salus ipsa corporis valet, difficillima omnino res est. Atque vt in corpore dicebamus, aliud esse morbos & vulnera curare, quod pauci homines bene facere possunt, aliud autem famem sitimque sopire, & cætera in quibus subuenire homini homini vulgò passimque conceditur: sic in animo sunt quædam in quibus excellētia illa, & rara magisteria non admodum desiderantur: vt cum hortamur & monemus, vt hæc ipsa indigentibus exhibeantur, quæ corpori exhibenda esse diximus. Cum enim hæc facimus, ope corpori: cum autē docemus vt fiant, disciplina animo subuenimus. Sunt verò alia, quibus multi modi variique morbi animorum magna quadam, & prorsus ineffabili ratione sanantur: quæ medicina nisi diuinitus populis mitteretur, nulla spes salutis esset, tam immoderata progressione peccantibus: quanquam & illa corporis, si altius rerum originem repetas, non inuenitur vnde ad homines manare potuerit, nisi à Deo, cui rerum omnium status salúsque tribuenda est. Hæc tamen disciplina, de qua nunc agimus, quæ animi medicina est, quantum in Scripturis ipsis diuinis colligi licet, in duo distribuitur, coërcitionem & instructionem. Coërcitio timore, instructio verò amore perficitur, eius dico cui per disciplinam subuenitur: nam qui subuenit, nihil horum duorum habet, nisi amare. In his duobus Deus ipse, cuius bonitate atque clementia fit omnino vt aliquid simus, duobus Testamentis vetere & nouo disciplinæ nobis regulam dedit. Quanquam enim vtrumque in vtroq; sit, prævalet tamē in vetere timor, amor in nouo: quia ibi seruitus, hic libertas ab Apostolis prædicatur. De quorum testamentorum admirabili quodam ordine diuinóque concentu, longissimum est dicere, & multi religiosi doctique dixerunt. Multos libros res ista flagitat, vt pro merito quantum ab homine potest explicari & prædicari queat. Qui ergo diligit proximum, agit quantum potest vt sanus corpore sanúsque animo sit: sed cura corporis ad sanitatem animi referenda est.

Coercitio. Instructio.

Testamentū vetus & nouum.

Timor. Amor.

Agit ergo his gradibus, quod ad animum pertinet, vt primò timeat, deinde diligat Deum. Hi mores sunt optimi, per quos nobis etiam ipsa prouenit, ad quam omni studio rapimur, agnitio veritatis. Atq; in his duobus conuenit mihi cum Manichęis, id est, vt Deum & proximum diligamus: sed hoc in Veteri testamento negant contineri: in quo quantum errent, satis (vt opinor) apparet ex iis quas superius protulimus de vtroque sententiis. Veruntamen vt breue aliquid dicam, sed tale cui resistere sit mera dementia: nōne animaduertunt hæc ipsa duo, quæ laudare cogūtur, quam importunissime à Domino in Euangelio de Vetere Testamento esse prolata negent, vbi scriptum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mēte tua: vel illud alterum: Diliges proximum tuum tāquam teipsum? Aut si hęc negare non audent, premuntur enim luce veritatis: illud negare audeant, salubria esse ista præcepta, his mores optimos contineri: negent si possunt, & dicāt, non oportere Deum diligi, non oportere proximum diligi: neque diligentibus Deum omnia procedere in bonum, neque dilectionem proximi malum non operari, quibus duobus saluberrimè atque optimè humana vita disponitur. Quæ si dicunt, non solùm illis cum Christianis, sed ne cum hominibus quidem ratio est. Sin hæc dicere non audent, coguntúrque confiteri esse diuina, quid eos libros vnde ista prolata sunt impietate nefaria lacessere atque improbare non desinunt? An illi dicturi sunt, non esse consequens, vt omnia ibi bona sint, vbi hæc inuenire potuimus? Nam hoc solēt dicere. Cui ego tergiuersationi quid respondeam, & quemadmodum occurram, non facilè video. Discutiam ne verba singula Veteris Testamenti, vt in his summam cum Euangelio esse concordiam peruicacibus indoctisque demonstrem? Sed quando istud erit? Quando aut ego sufficiam, aut ipsi patientur? Quid ergo faciam? Deseram ne causam, & eos in sententia quamuis improba & falsa, tamen difficili ad dissoluendum delitescere sinam? Nō faciam: aderit de proximo Deus ipse, cuius illa præcepta sunt: nec me in tātis angustiis inopem ac desertum esse patietur.

Rom. 8. c. 28 Rom. 13. c. 10.

CAPVT XXIX. *De scripturarum auctoritate.*

QVAMOBREM adestote animis Manichęi, si qui forte illa superstitione ita tenemini, vt euadere aliquando possitis. Adestote, inquam, sine pertinacia, sine studio resistēdi: nam aliter vobis perniciosissimum est iudicare. Certè enim nemini dubiū est, nec auersi vos ita estis à vero, vt non intelligatis, si diligere Deum & proximum, bonum est, quod negare nemo potest, quicquid in his duobus præceptis pendet, vituperari iure non posse. Quid ergo in iis pēdeat, ridiculum est si à me quærendum esse putas: ipsum Christum audi, audi (inquam) Christum, audi Dei sapientiam. In his, inquit, duobus præceptis tota lex pēdet, & omnes prophetæ. Quid hoc loco potest dicere impudentissima pertinacia? Non hoc Christum dixisse? At in Euangelio verba eius ista conscripta sunt. Falsum esse scriptū? Quid hoc sacrilegio magis impium reperiri potest? Quid ista voce impudentius? Quid audacius? Quid sceleratius? Simulachrorū cultores, qui Christi etiam nomen oderunt, nunquam hoc aduersus Scripturas illas ausi sunt dicere. Consequetur namque omnium literarum summa peruersio, & omnium qui memorię mandati sunt librorum abolitio, si quod tanta populorum religione roboratum est, tanta hominū & temporum consensione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, vt ne historiæ quidem vulgaris fidem possit grauitatémque obtinere. Postremò quid de Scripturis vllis proferre poteris, vbi mihi vti hac voce nō liceat, si contra meam ratiocinationem intentionémq; proferatur? Illud verò quis ferre possit, quod nos notissimis ac iam in manibus omnium libris constitutis credere vetant, & iis quæ ipsi proferunt, imperant vt credamus? Si de Scriptura dubitandum est, de qua magis quàm quæ diffamari non meruit, quæ verè potuit sub nomine alio tota mentiri? At si istam obdis inuito, & auctoritatis exaggeratione cogis in fidem: egóne de illa, quam constanter latissimè diuulgatam video, & ecclesiarum per totum orbem dispersarum contestatione firmatam, dubitabo miser: & quod est miserius, te auctore dubitabo, cum si exemplaria proferres, altera tenere non deberem, nisi ea quę plurium consensione commendarentur? Nūc verò nihil te proferēte quod conferas: præter inanissimam vocem temeritatisque pleniſſimam, putabis vsqueadeò genus humanum esse peruersum, & diuinæ prouidentiæ ope desertum, vt illis Scripturis, non à te prolatas alias quibus redarguantur, sed tua tantum verba præponat? Proferendus est namque tibi alius codex eadem continens, sed tamen incorruptus & verior, vbi sola desint ea quæ hic immissa esse criminaris. Vt si, verbi causa, Pauli epistolam, quæ ad Romanos scripta est, corruptam esse

Deut. 6. d. 5

Matth. 22. d. 37. Leuit. 19. d. 18.

Matthæi 22 d. 40.

conten-

contendis, aliam proferas incorruptam, vel aliũ codicem potius, in quo eiusdem Apostoli eadem Epistola syncera, & incorrupta conscripta sit. Non faciam, inquis, ne ipse corrupisse credar. Hoc enim soletis dicere, & verum dicitis: nihil prorsus aliud suspicabuntur, vel mediocriter cordati homines, si hoc feceris. Vide ergo tu ipse quid de auctoritate tua iudicaueris: & intellige vtrum tuis verbis contra illas Scripturas credere debeant, si codici ob hoc solum quòd abs te profertur, magnæ temeritatis est credere.

CAPVT XXX. *Apostrophe ad ecclesiam totius sapientiæ magistrã.*

SED quid hinc plura? Quis enim non videat eos qui cõtra Scripturas Christianas hæc audent dicere, vt illud non sint quod homines suspicantur, certè tamen non esse Christianos? Nam Christianis hæc data est forma viuendi, vt diligamus Dominum Deum nostrũ ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, deinde proximum nostrum tanquam nosmetipsos: in his enim duobus præceptis tota lex pẽdet, & omnes Prophetæ. *Deut. 6. a. 5 Matth. 22. d. 37.*

Doctrina catholicæ ecclesiæ.

Meritò ecclesia catholica mater Christianorũ verissima, non solum ipsum Deum, cuius adeptio vita est beatissima, purissimè atq; castissimè colendum prædicas, nullam nobis adorandam creaturã inducens, qui seruire iubeamur: & ab illa incorrupta & inuiolabili æternitate, cui soli homo subiiciendus est, cui soli rationalis anima cohærendo non misera est, excludẽs omne quod factũ est, quod obnoxium commutationi, quod subditũ tempori, neq; confundens, quod æternitas, quod veritas, quod deniq; pax ipsa distinguit, nec rursum separans quod maiestas vna coniungit: sed etiam proximi dilectionem atq; charitatem ita cõplecteris, vt variorum morborũ quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter iuuenes, quietè senes, prout cuiusq; non corporis tantum, sed & animi ætas est, exerces ac doces. Tu fœminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolẽ, & ad rei familiaris societatem casta & fideli obediẽtia subiicis. Tu viros coniugibus non ad illudẽdum imbecilliorem sexum, sed synceri amoris legibus præficis. Tu parentibus filios libera quadã seruitute subiungis, parentes filiis pia dominatione præponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quã sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem & affinitatis necessitudinem, seruatis naturæ voluntatisque nexibus mutua charitate cõstringis. Tu Dominis seruos non tam conditionis necessitate, quàm officij delectatione doces adhærere. Tu dominos seruis, summi Dei scilicet communis Domini consideratione placabiles, & ad consulendum quàm coërcendum propensiores facis. Tu ciues ciuibus, gentes gentibus, & prorsus hominibus homines primorum parentum recordatione, non societate tãtum, sed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reuerentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium sedulò doces: ostendens quemadmodum & non omnibus omnia, & omnibus charitas, & nulli debeatur iniuria. Iam verò cum hæc humana dilectio inhærentem vberibus tuis nutriuerit & roborauerit animum, sequendo Deo factum idoneum: vbi eius maiestas ex tanta parte quanta homini, dum terræ huius inhabitator est, sufficit, aperire se cœperit, tantus charitatis ardor innascitur, & tantum diuini amoris consurgit incendium, vt exustis omnibus vitiis, & homine purgato atque sanctificato, satis appareat quã diuinè dictum sit: [a]Ego sum ignis consumens: &, [b]Ignẽ veni mittere in mundum. Quæ duæ voces vnius Dei in duobus Testamentis signatæ, sanctificationem animæ concordi attestatione declarant, vt fiat aliquando

1 Reg. cap. 7

a Deut. 4. d. 24. Heb. 12. g. 29.

b Luc. 12. f. 49.

illud quod item in Nouam scripturam de Veteri assumptum est, Absorpta est mors in victoriam. Vbi est mors aculeus tuus? vbi est mors contentio tua? Quod vnum isti hæretici intelligere si valerent, nusquã profectò Deum nisi apud te atque in tuo gremio, minimè superbi & bene pacati venerarentur. Meritò apud te diuina præcepta latè diffusèque seruantur. Meritò apud te bene intelligitur, quàm sit grauius cognita, quàm incognita lege peccare. Aculeus enim mortis peccatum, virtus autem peccati lex, qua grauius feriat & interimat contempti præcepti conscientia. Meritò apud te visum est, quàm sit sub lege operatio vana, cum libido animum vastat, & cohibetur pœnę metu, non amore virtutis obruitur. Meritò tibi tam multi hospitales, multi officiosi, multi misericordes, multi docti, multi casti, multi sancti, multi vsqueadeò Dei amore flagrantes, vt eos in summa continentia atque mundi huius incredibili cõtemptu etiam solitudo delectet.

1 Cor. 15. d. 55.

CAPVT XXXI. *Manichæorũ continentiæ opponit Anachoretarum & Cœnobitarum vitã.*

QVID est quæso, quod vident, qui non possunt hominem non diligere, & tamen possunt hominẽ non videre? Profectò illud quicquid est, præstantius est rebus humanis, cuius contemplatione potest homo sine homine viuere. Iam enim accipite Manichæi perfectorum Christianorum, quibus summa castitas non laudanda tantùm, sed etiam capessenda visa est, mores & continentiam singularem: ne vos impudenter iactare apud animos imperitorum quasi difficilima rerum abstinentia, si quid in vobis pudoris est, audeatis. Nec ea dicam, quæ vos ignoratis, sed quæ nobis occultatis. Quis enim nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum orbem indies magis magisque diffundi, & in Oriente maximè atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latere. Nihil de iis dicam quos paulò antè commemoraui, qui secretissimi penitus ab omni hominũ conspectu, pane solo, qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar: videntur enim nonnullis res humanas plus quàm oporteret deseruisse, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hinc disputare longum & superuacaneum puto: nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum & honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest? Tantum isti admonendi sunt, qui sese inaniter iactant, intantum processisse temperantiam & continentiam sanctissimorum catholicæ fidei Christianorum, vt restringenda nonnullis, & quasi ad humanos fines reuocanda videatur. Vsqueadeò supra homines illorum animos euasisse, ab iis etiam quibus id displicet, iudicatur. Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis atque desertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimámque congregati, simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus: nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi: sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam & intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quicquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impediri non possit. Opus autem simul tradunt eis quos decanos vocant, eo quòd sint denis præpositi, vt neminem illorum cura sui corporis tangat, neq; in cibo, neque in vestimẽto, neque si quid aliud opus est,

Monachi.

Cœnobitæ.

Paulus eremita.

vel quotidianæ neceſſitati, vel mutatæ (vt adſolet) valetudini. Illi autem decani cum magna ſolicitudine omnia diſponentes, & præſto facientes quicquid illa vita propter imbecillitatem corporis poſtulat, traditionem tamen etiam ipſi reddunt vni, quem patrem vocant. Hi verò patres non ſolum ſanctiſſimi moribus, ſed etiam diuina doctrina excellentiſſimi, omnibus rebus excelſi, nulla ſuperbia conſulunt iis quos filios vocant, magna ſua in iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Conueniunt autem diei tempore extremo de ſuis quiſque habitaculis, dum adhuc ieiuni ſunt ad audiendum illum patrē, & conueniunt ad ſingulos patres terna, vt minimum, hominum milia: nam etiam multo numeroſiores ſub vno agunt. Audiunt autem incredibili ſtudio, ſummo ſilentio affectiones animorum ſuorum, prout eos pepulerit differentis oratio, vel gemitu, vel fletu, ſed modeſto & clamore vacuo gaudium ſignificantes. Corpus deinde reficitur, quantum ſaluti & ſalubritati ſat eſt, coërcente vnoquoque concupiſcētiam, ne ſe profundat, vel in ea ipſa quæ præſto ſunt parca & viliſſima. Ita non ſolum à carnibus & vino abſtinent pro ſufficientia domandarum libidinum, ſed ab iis etiam quæ tanto concitatius ventris & gutturis prouocant appetitum, quanto quaſi mundiora nonnullis videntur: quo nomine ſolet turpe deſideriū exquiſitorum ciborum, quod à carnibus alienum eſt, ridiculè turpitérque defendi. Sanè quicquid neceſſario victui redundat: nam redundat plurimum ex operibus manuum, & epularum reſtrictione: tanta cura egentibus diſtribuitur, quanta non ab ipſis qui diſtribuunt comparatum eſt. Nullo modo nanque ſatagunt, vt hæc ſibi abundent, ſed omni modo agunt, vt non apud ſe remaneat quod abundauerit, vſqueadeò vt oneratas etiam naues in ea loca mittant, quæ inopes incolunt. Non opus eſt plura de re notiſſima dicere.

Monachæ. Hæc eſt etiam vita fœminarum Deo ſolicitè caſtéque ſeruientium, quæ habitaculis ſegregatæ ac remotæ à viris quàm longiſſimè decet, pia tantum illis charitate iunguntur & imitatione virtutis: ad quas iuuenum nullus acceſſus eſt, neque ipſorum quamuis graui ſſimorum & [illegible]obatiſſimorum ſenum, niſi vſque ad veſtibulum neceſſaria præbendi quibus indigent gratia. Lanificio nanque cōrpus exercent atque ſuſtentant, veſtéſque ipſas fratribus tradunt, ab iis inuicem quod victui opus eſt reſumentes. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc inſtitutum ſi laudare velim, neq; dignè valeo, & vereor ne iudicare videar per ſeipſum tantummodo expoſitum placere non poſſe, ſi ſuper narratoris ſimplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putauero. Hæc Manichæi reprehendite, ſi poteſtis. Nolite cæcis hominibus & diſcernere inualidis oſtentare noſtra zizania.

CAPVT XXXII. *Clericorum laus.*

NEQVE tamen ita ſeſe angustæ habent eccleſiæ catholicæ mores optimi, vt eorum tantum vitas quos commemoraui arbitrer eſſe laudandas. Quàm enim multos epiſcopos optimos viros, ſanctiſſimóſque cognoui, quàm multos presbyteros, quàm multos diaconos, & huiuſmodi miniſtros diuinorum ſacramentorum, quorū virtus eo mihi mirabilior & maiore prædicatione dignior videtur, quo difficilius eſt eam in multiplici hominum genere, & in iſta vita turbulentiore ſeruare. Non enim ſanatis magis quàm ſanandis hominibus præſunt. Perpetienda ſunt vitia multitudinis vt curentur, & prius toleranda quam ſedanda eſt peſtilentia. Difficillimum eſt hic tenere optimum vitæ modum, & animum pacatum atque tranquillum.

CAPVT XXXIII. *Aliud genus in ciuitate ſimul viuentium.* Quippe, vt breuiter explicem, hi agunt vbi viuere diſcitur, illi vbi viuitur. NEC ideo tamen laudabile Chriſtianorum genus contempſerim, eorum ſcilicet qui in ciuitatibus degunt, à vulgari vita remotiſſimi. Vidi ego diuerſoriū ſanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus vnus presbyter præerat vir optimus & doctiſſimus. Romæ etiam plura cognoui, in quibus ſinguli grauitate atque prudentia & diuina ſcientia præpollentes, cæteris ſecum habitantibus præſunt, Chriſtiana charitate, ſanctitate & libertate viuentibus: ne ipſi quidem cuiquam oneroſi ſunt, ſed Orientis more, & Pauli apoſtoli auctoritate manibus ſuis ſe tranſigunt. Ieiunia etiam prorſus incredibilia multos exercere didici, non quotidie ſemel ſub noctem reficiendo corpus, quod eſt vſque quaque vſitatiſſimum, ſed continuum triduum vel amplius ſæpiſſimè ſine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tātùm, ſed etiam in fœminis: quibus item multis viduis & virginibus ſimul habitantibus, & lana ac tela victum quæritantibus, præſunt ſingulæ grauiſſimæ probatiſſimæq; non tantum in inſtituendis componendiſque moribus, ſed etiam inſtruendis mentibus peritæ ac paratæ. Atque inter hæc nemo vrgetur in aſpera, quæ ferre non poteſt, nulli quod recuſat imponitur, nec ideo condemnatur à cæteris, quod in eis ſe imitandis fatetur inualidum: meminerunt enim quantopere Scripturis omnibus commendata ſit charitas: meminerunt, Omnia munda mundis: &, Non quod intrat in os veſtrum vos coinquinat, ſed quod exit. Itaque non reiiciendis generibus ciborum quaſi pollutis, ſed concupiſcentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ inuigilat omnis induſtria. Meminerunt: Eſca ventri, & venter eſcis, Deus autem & hunc & illas deſtruet. Et alibi, Neq; ſi manducauerimus, abundabimus: neque ſi non manducauerimus, egebimus. Et illud præ cæteris: Bonum eſt fratres non manducare carnes, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur. Hic enim oſtendit quam ſint ad finem charitatis hæc omnia dirigenda. Alius enim credit māducare omnia, qui autem infirmus eſt, olus (inquit) manducet: qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem nō iudicet: Deus enim illum aſſumit. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Suo Domino ſtat aut cadit: ſtabit autem, potens eſt enim Deus ſtatuere eum. Et paulo pòſt: Qui manducat, Domino manducat, & gratias agit Deo: & qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. Et item in conſequentibus: Itaque vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet. Non ergo amplius iudicemus inuicem, ſed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum. Scio & confido in Domino Ieſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt. Potuíſtne magis oſtendere non in ipſis rebus quibus veſcimur, ſed in animo eſſe vim quandam, quæ ad eum valeat maculandum: & propterea iis etiam, qui ad hęc contemnenda ſunt idonei, certóque ſciunt non ſe pollui, ſi quid ciborum ſine turpi cupiditate altitudine mentis aſſumpſerint, charitatem tamen eſſe intuendam: vide quid ſequatur: nam ſi propter eſcam frater tuus contriſtatur, iam non ſecundum charitatem ambulas. Lege cætera, nam longum eſt omnia interponere, & inuenies præceptum iis, qui poſſunt iſta contemnere, id eſt, firmioribus & ſecurioribus: ideo tamen eſſe temperandum, ne offendantur illi, quibus adhuc pro ſua imbecillitate huiuſcemodi opus eſt temperantia. Hæc illi de quibus agebam norunt & tenent: Chriſtiani ſunt enim, non hæretici: intelligunt Scripturas ſecundum Apoſtolicam diſciplinam, non ſecundum ſuperbum & commentitium nomen Apoſtolatus: vbi non manducantem nemo ſpernit, manducantem nemo iudicat: qui infirmus eſt, olus manducat. Multi tamen firmi propter infirmos idem faciunt: multis non eſt

Ieiunia triduana.

Tit. 1. d. 15 Matth. 15. b. 11.

1 Cor. 6. c. 13

1 Cor. 8. c. 8

Ro. 14. d. 21

cauſa

causa istâ faciendi, sed quòd viliore victu viuere placet, minimèque sumptuoso corporis sustentaculo ætatem tranquillissimam ducere. Omnia enim mihi licita sunt, inquit, sed ego non redigar sub potestate vllius. Ita multi neque vescuntur carnibus, neq; tamen eas immundas superstitiosè putant. Itaque iidem ipsi, qui sani temperant, si ratio valetudinis cogat, ægroti sine vlla formidine accipiunt. Multi vinum non bibunt, nec tamen eo se coinquinari arbitrantur: nam & quibusdam languidioribus, & prorsus omnibus qui sine illo nequeunt salutem corporis obtinere, humanissimè ac modestissimè præberi faciunt. Et stultè nonnullos recusantes, fraternè admonent, ne vana superstitione debiliores citius quam sanctiores fiant. Legunt eis Apostolum discipulo præcipientem, vt aliquantum vini sumat propter frequentes infirmitates suas. Ita pietatem sedulò exercent: corporis verò exercitationem, vt ait idem Apostolus, ad exiguum tempus pertinere nouerunt. Cõtinent se igitur ij qui possunt, qui tamen sunt innumerabiles, & à carnibus & à vino duas ob causas: vel propter fratrum imbecillitatem, vel propter suam libertatem. Charitas præcipuè custoditur: charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur: coitur in vnam conspiratúrque charitatem: hanc violare tanquam Deum nefas ducitur: huic si quis resistit, expugnatur atque eiicitur: hanc si quis offendit, vno die durare non sinitur. Sciunt ita commendatam esse à Christo & Apostolis, vt si hæc vna absit, inania: si hæc adsit, plena sint omnia.

1 Co.6.c.12

1.Tim.5.d.23.

1 Tim.4.c.8

CAPVT XXXIIII. *Ex malorum Christianorũ moribus non vituperãdam ecclesiam.*

ISTIS Manichæi si potestis obsistite, istos intuemini, istos sine mendacio, si audetis, & cum contumelia nominate: istorum ieiuniis vestra ieiunia, castitati castitatem, vestitum vestitui, epulas epulis, modestiam modestiæ, charitatem denique charitati, & quod res maximè postulat, præceptis præcepta conferte. Iam videbitis quid inter ostentationem & synceritatem, inter viam rectam & errorem, inter fidem atque fallaciam, inter robur & tumorem, inter beatitudinem & miseriam, inter vnitatem & conscissionem, postremò quid inter superstitionis sirenas, & portum religionis intersit. Nolite mihi colligere professores nominis Christiani, nec professionis suæ vim aut scientes aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibusediti, vt obliti sint quicquid promiserint Deo. Noui multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores: noui multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant, & epulas cadaueribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, & voracitates ebrietatésque suas deputent religioni. Noui multos esse, qui renunciauerunt verbis huic sæculo, & se omnibus huius sæculi molibus opprimi velint, oppressíque lætentur. Nec mirum est in tanta copia populorum, quòd non vobis desint, quorum vita vituperata decipiatis incautos, & à catholica salute auertatis, cum in vestra †paupertate magnas patiamini angustias, dum à vobis exigitur vel vnus ex iis quos electos vocatis, qui præcepta illa ipsa custodiat, quæ irrationabili superstitione defenditis. Sed & illa quàm vana sint, quàm noxia, quàm sacrilega, quemadmodum à magna parte vestrum, atque adeò penè ab omnibus vobis non obseruentur, alio volumine ostendere institui. Nunc vos illud admoneo, vt aliquando ecclesiæ catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet. Sed quicunque illorum bona voluntate Deique auxilio corriguntur, quod amiserant peccando, pœnitendo recuperant. Qui autem voluntate mala in pristinis vitiis perseuerant, aut etiam addunt grauiora prioribus, in agro quidem Dominí sinuntur esse, & cum bonis seminibus crescere, sed veniet tempus quo zizania separentur. Aut si iam propter ipsum Christianum nomen magis in palea quàm in spinis esse arbitrandi sunt, veniet etiam qui aream purget, & à frumentis paleam separet, & singulis partibus pro suo cuiusque merito, quod oportet, summa æquitate distribuat.

Sepulchrorũ adoratores.

†al. paucitate.

Matth.13. d.30.

Mat.3 c.12

CAP. XXXV. *Manichæi damnant coniugij vsum.*

VOS interea quid sæuitis, quid excæcamini studio partium? Quid tanti erroris longa defensione implicamini? Fruges in agro, frumenta in area quærite: apparebunt facilè, seséque offerent ipsa quærentibus. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis? quid ab opimi horti vbertate imperitos homines sepium asperitate terretis? Est certus aditus, quamuis paucioribus notus, qua possit intrari, quem vos aut esse non creditis, aut inuenire non vultis. Sunt in ecclesia catholica innumerabiles fideles, qui hoc mundo non vtantur, sunt qui vtantur tanquam non vtentes, vt ab Apostolo dicitur quod illis temporibus iam probatum est, quibus ad idolorum cultum Christiani cogebantur. Quot enim tunc pernicioſi homines, quot patresfamiliâs rusticani, quot negociatores, quot militares, quot primates vrbium suarum, quot denique senatores, vtriusque sexus, hæc omnia vana & temporalia relinquentes, quibus vtique quamuis vterentur, non detinebantur, mortem pro salubri fide ac religione subierunt, demonstrauerúntque infidelibus à se potius illa omnia, quàm se ab eis esse possessos. Quid calumniamini, quòd fideles ac iam baptismate renouati, procreare filios, & agros ac domos pecuniámque vllam possidere non debeãt? Permittit hoc Paulus, Nam quod negari non potest, fidelibus scripsit, post multorum quippè vitiosorum enumerationem, qui regnum Dei non possidebunt: Et hæc quidem fuistis, inquit, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Ablutos proculdubio, & sanctificatos nemo nisi fideles, & eos qui huic mundo renunciauerint, intelligere audebit. Sed quoniam ostendit quibus scripserit, videamus vtrum his illa permittat. Ita enim sequitur: Omnia mihi licita sunt, sed non omnia expediunt: Omnia mihi licita sunt, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, & venter escis, Deus autem & has & hunc destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori. Deus verò suscitauit Dominum, & nos quoque suscitabit per virtutem suam. An nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi, efficiam membra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum est spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis precio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. De quibus autem scripsistis mihi, Bonum est homini mulierem non tãgere: propter incontinentiam autem vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque virum suum habeat. Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non† habet, sed vir. similiter autem & vir sui corporis potestatem non †habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, ne vos tentet satanas propter intemperantiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, sed vnus-

Matrimonia & possessio.

1 Cor.7.c.30.

Ibid.d.16.

Gen.2.d.24

1.Co.6.d.18

1.Cor.7.c.2

†al. habeat.

†al. habeat.

sed vnusquisque proprium habet donum à Deo, alius A quidem sic, alius verò sic. Satisne vobis videtur Apostolus & fortibus demonstrasse quid summum sit, & imbecillioribus permisisse quod proximum est? Nam non attingere mulierem, summum ostendit esse, cum ait, Vellem omnes homines esse sicut meipsum. Huic autem summo coniugalis castitas proxima est, ne homo fornicatione vastetur. Nunquid propterea istos dixit adhuc fideles non esse, quia coniugibus vtuntur? Quandoquidem hac castitate coniugij, & ex se inuicem ipsos qui coniuncti sunt, si alter eorum fuerit infidelis, & eam quæ inde nascitur prolem sanctificari dixit: Sanctificatus est enim, inquit, vir infidelis in muliere fideli, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quid obstrepitis pertinacia tantæ veritati? Quid lucem Scripturarum vanis vmbris obnubilare conamini? Nolite iam dicere catechumenis licere vti coniugibus, fidelibus autem non B licere: catechumenis licere habere pecuniam, fidelibus autem non licere. Nam & multi sunt qui vtuntur tanquam non vtentes. Et illo sacrosancto lauacro inchoatur innouatio noui hominis, vt proficiendo perficiatur, in aliis citius, in aliis tardius: à multis tamen proceditur in nouam vitam, si quisquam non inimicè, sed diligenter intendat. Ipse quippe, sicut ait Apostolus, Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem. Apostolus de die in diem interiorem hominem renouari dicit vt perficiatur, & vos à perfectione vultis incipiat: Quod vtinam velitis. Sed quæritis potius, non vnde erigatis inualidos, sed vnde fallatis incautos. Hoc enim non debuistis tanta dicere audacia, nec si vos in eis ipsis nugatoriis mandatis vestris perfectos esse constaret. Cum verò nouerit vestra conscientia eos quos in sectam vestram introducitis, cum vobis familiarius iungi cœperint, multa inuenturos quæ in vobis esse cum alios accusaretis, nemo suspicabatur: quæ tandem impudentia est, perfectionem in catholicis imbecillioribus quærere, vt inde imperitos auertas, & eam nullo modo apud te iis quos auerteris exhibere? Sed ne quid in vos temerè iam videamur effundere, iste sit huius voluminis modus, vt ad demonstranda præcepta vitæ vestræ, moresque memorabiles aliquando veniamus.

2. Cor. 4. d. 16.

DIVI AVRELII AVGVSTINI DE MORIBVS MANICHAEORVM, LIBER II.

CAP. I. Quid verissimè sit.

NVLLI esse dubium arbitror, cũ de bonis & malis quæritur, hoc genus quæstionis ad moralem pertinere disciplinam, in qua isto sermone versamur. Quamobrem vellem quidẽ, vt tam serenam mentis aciem homines ad hæc inuestigãda deferrent, vt possent videre illud summum bonum, quo non est quicquam melius aut superius, cui rationalis anima pura & perfecta subiungitur. Hoc enim intellecto atque perspecto simul viderẽt id esse, quod summè ac primitus esse rectissimè dicitur. Hoc enim maximè esse dicendum est, quod semper eodem modo sese habet, quod omnimodò sui simile est, quod nulla ex parte corrumpi ac mutari potest, quod non subiacet tempori, quod aliter nunc se habere quàm habebat antea, non potest. Id enim est quod esse verissimè dicitur. Subest enim huic verbo manentis in se atque incommutabiliter sese habentis naturæ significatio. Hanc nihil aliud quàm Deum possumus dicere, cui si C contrarium rectè quæras, nihil omnino est. Esse enim contrarium non habet, nisi non esse. Nulla est ergo Deo natura contraria. Sed quoniam ad hæc contemplanda sauciam & hebetem nugatoriis opinionibus & prauitate voluntatis aciem mentis afferimus, conemur quantum possumus ad qualemcunque tantæ rei notitiam peruenire pedetentim atque cautè, non vt videntes, sed vt palpantes solent quærere.

Quid dicatur verissimè esse.

SÆPE atque adeo penè semper Manichæi, ab iis quibus hæresim vestram persuadere molimini, requiritis vnde sit malum. Putate me nunc primitus in vos incidisse, impetrem aliquid à vobis si placet, vt etiam vos deposita paulisper opinione qua vos ista scire opinamini, rem tantam mecum tanquam rudes indagare tentetis. Percunctamini me, vnde sit malum: ac ego vicissim percũctor vos, quid sit malum. Cuius est iustior inquisitio? Eorúmne qui quærũt vnde sit, quod quid sit ignorant: an eius qui prius putat esse quærendum quid sit, vt non ignotæ rei (quod absurdissimum est) origo quæratur? Verissimè dicitis. Quis enim ita est mente cæcus, qui non videat id cuique generi malum esse, quod contra eius naturam est? Sed hoc constituto, euertitur hæresis vestra: nulla enim natura malum, sed quod contra naturam est, id erit malum. Vos autem asseritis quãdam naturam atque substantiam malum esse: accedit etiam illud, quod contra naturam quicquid est, vtique naturæ aduersatur, & eam perimere nititur. Tendit ergo id quod est, facere vt non sit. Nam & ipsa natura nihil est aliud, quam id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Itaque vt nos iam nouo nomine ab eo, quod est esse, vocamus essentiam, quam plerunque substantiam etiam nominamus: ita veteres qui hæc nomina non habebãt, pro essentia & substantia naturam vocabant. Idipsum ergo malum est, si præter pertinaciam velitis attendere, deficere ab essentia, & ad id tendere vt non sit. Quocirca cum in catholica dicitur, omnium naturarum atque substantiarum esse auctorem Deum, simul intelligitur ab eis, qui hoc possunt intelligere, non esse Deum autorem mali. Quomodo enim potest ille qui omnium quę sunt, causa est vt sint, causa esse rursus vt non sint, id est, vt ab essentia deficiant, & ad non esse tendãt? Quod malum generale esse clamat verissima ratio. At verò illa vestra gens mali, quam vultis esse summum malum, quomodo erit contra naturam, id est contra substantiam, cum eam naturam atque substantiam esse dicatis? Si enim contra se facit, ipsum esse sibi adimit: quod si perfecerit, tunc demum perueniet ad summum malum. Non autem perficiet, quia eam non modò esse, verùm etiam sempiternam esse vultis. Non potest igitur esse summum malum, quod perhibetur esse substantia. Sed quid faciam? Scio plures esse in vobis, qui hæc intelligere omnino nequeãt. Scio rursus esse quosdam, qui quanquam bono ingenio vtcunque ista videant, mala tamen voluntate qua ipsum quoque ingenium sunt amissuri, pertinaciter agant, & quærant potius quid aduersus ista dicant, quod tardis & imbecillis facilè persuadeatur, quàm vera esse consentiant. Non me tamen scripsisse pœnitebit, quod aut quisquam in vobis tandem non iniquo iudicio consideret, vestrúmque relinquat erroré, aut quod ingenioſi & Deo subditi, atque adhuc ab studio vestro integri cũ legerint, non possint vestris sermonibus decipi.

CAP. II. Malum non esse substantiam.

Natura quid sit.

QVAERAMVS ergo ista diligentius, & quantum fieri potest, planius. Percunctor vos iterum quid sit malum? Si dixeritis, Id quod nocet: neq; hic mentiemini. Sed quæso animaduertite, quæso vigilate, quæso deponite studia partium, & verum non vincendi, sed inueniendi gratia quærite. Quicquid enim nocet, bono aliquo priuat eam rem cui nocet: nam si nullum bonum adimit, nihil prorsus nocet.

CAPVT III. Summo bono nocere non potest.

Quid

Quid hoc apertius, obsecro vos? quid planius? quid tam expositũ cuiuis mediocri intellectori, modò non pertinaci? Hoc autem posito, videtur iam (vt opinor) quid sequatur. In illa quippè gente quam summum malum esse suspicamini, nocere cuiquam rei non potest, vbi nihil est boni. Quòd si duæ naturæ sunt, vt affirmatis, regnum lucis, & regnum tenebrarum: quoniam regnum lucis, Deum esse fatemini, cui simplicem quandam naturam conceditis, ita vt ibi non sit aliud alio deterius: confiteamini necesse est, quod vehementer quidem est aduersum vos, sed tamen necesse est, confiteamini istam naturam, quam summum bonum non modò non negatis, sed etiam vehementer persuadere conamini, esse incõmutabilem & impenetrabilem & incorruptibilem & inuiolabilẽ: non enim erit aliter summum bonum, id est enim quo nihil est melius: tali autem naturæ noceri nullo pacto potest. At si nocere bono priuare est, sicut ostendi: noceri non potest regno tenebrarum, quia nihil ibi boni est, noceri non potest regno lucis, quia inuiolabile est: cui igitur nocebit quod dicitis malum?

CAPVT IIII. *Boni per se & participatione differentia.*

QVAM rem cum vos expedire nequeatis, videte quàm expedita sit sententia catholicæ disciplinæ, quæ aliud dicit bonum, quod summè ac per se bonum est, & non participatione alicuius boni, sed propria natura & essentia, aliud quod participando bonum & habendo: habet autem de illo summo bono vt bonum sit, in se tamen manente illo, nihilque amittente. Hoc autem bonum quod postea diximus, creaturam vocat, cui noceri per defectum potest: cuius defectus Deus auctor non est, quia existendi, & (vt ita dicam) essendi auctor est: ita & malum ostenditur quomodo dicatur: non enim secundum essentiam, sed secũdum priuationem rectissimè dicitur: & natura cui noceri possit apparet. Non enim ipsa est summum malum, cui bonum adimitur cum nocetur: neque summum bonum, quæ propterea deficere à bono potest, quia non existendo bonum, sed bonum habendo dicitur bona. Neque naturaliter bona res est, quæ cum facta dicitur, vtique vt bona esset accepit: ita & Deus summum bonum est, & ea quæ fecit, bona sunt omnia, quamuis non sint tam bona quàm est ille ipse qui fecit. Quis enim hoc tam insanus audet exigere, vt æqualia sint artifici opera, & condita conditori? Quid amplius desideratis? An etiam vultis aliquid planius?

CAP. V. *Summũ malum corrumpi non posse, vt nec bonũ.*

QVAERAM ergo tertiò quid sit malum. Respondebitis fortasse, Corruptio. Quis & hoc negauerit, generale malum esse? Nam hoc est contra naturam quod nocet: sed corruptio non est in seipsa, sed in aliqua substantia quam corrumpit: non enim substantia est ipsa corruptio. Ea igitur res quam corrumpit corruptio, non est malum. Quod enim corrumpitur, integritate & synceritate priuatur. Quod ergo non habet vllam synceritatem qua priuetur, corrumpi non potest: quod autem habet, profectò bonum est participatione synceritatis. Item quod corrumpitur, profectò peruertitur: quod autem peruertitur, ordine priuatur: ordo autem bonum est. Non igitur quod corrumpitur, bono caret: eo namque ipso quo non caret, ‡viduari dum corrumpitur potest. Gens ergo illa tenebrarum, si omni bono carebat, vt dicitis, corrumpi non poterat: non enim habebat quod ei posset auferre corruptio, quæ si nihil auferat, non corrumpit. Audete iam dicere, si potestis, Deum & Dei regnum potuisse corrumpi, si diaboli regnum quale describitis, quomodo corrumpi posset non inuenitis.

‡ al. fraudari

CAP. VI. *Ordo & vnitas dat esse.*

QVID ergo lux catholica dicit? Quid putatis nisi id quod habet veritas, corrumpi posse factam substantiam? Nam & illam non factam quæ summũ bonum est, esse incorruptibilem, & ipsam corruptionem, quæ summũ malum est, non posse corrumpi, sed hanc non esse substãtiam. Si autem quæritis quid sit, videte quò conetur perducere quæ corrumpit: ex seipsa enim afficit ea quæ corrumpuntur. Deficiunt autem omnia per corruptionem ab eo quod erant, & non permanere coguntur, non esse coguntur. Esse enim ad manendum refertur. Itaque quod summè & maximè esse dicitur, permanendo in se dicitur. Nam quod mutatur in melius: non quia manebat mutatur, sed quia peruertebatur in peius, id est, ab essentia deficiebat, cuius defectionis auctor non est qui est auctor essentię. Mutantur ergo quædam in meliora, & propterea tendunt ad esse: nec dicũtur ista mutatione peruerti, sed reuerti atque conuerti. Peruersitas enim contraria est ordinationi. Hæc verò quæ tendunt ad esse, ad ordinẽ tendunt: quem cum fuerint consecuta, ipsum esse consequuntur, quantum id creatura consequi potest. Ordo enim ad conuenientiam quãdam quod ordinat redigit. Nihil est autem esse, quam vnum esse. Itaque inquantum quodq; vnitatem adipiscitur, intantum est. Vnitatis est enim operatio, conuenientia & cõcordia, qua sunt inquantum sunt ea quę composita sunt: nam simplicia per se sunt, quia vna sunt: quæ autẽ non sunt simplicia, concordia partiũ imitantur vnitatem, & intantum sunt inquantũ assequuntur. Quare ordinatio esse cogit, inordinatio verò non esse, quæ peruersio etiam nominatur atq; corruptio. Quicquid igitur corrumpitur, eò tendit vt non sit. Iam vestrum est considerare, quò cogat corruptio, vt possitis inuenire summum malũ: nam id est quò corruptio perducere nititur.

CAPVT VII. *Quomodo Deus restituit omnia.*

SED Dei bonitas eò rem perduci nõ sinit, & omnia deficientia sic ordinat, vt ibi sint vbi congruentissimè possint esse, donec ordinatis motibus ad id recurrant vnde defecerunt. Itaq; etiam animas rationales, in quibus est potissimum liberum arbitrium, deficientes à se, in inferioribus creaturæ gradibus ordinat, vbi tales esse decet. Fiũt ergo miseræ diuino iudicio, dum conuenienter pro meritis ordinantur. Ex quo id optimè est dictum, quod insectari maximè soletis: Ego facio bona, & creo mala. Creare nanq; dicitur condere & ordinare. Itaq; in plerisque exemplaribus sic scriptum est, Ego facio bona, & cõdo mala. Facere enim est, quod omnino non erat: Cõdere autem ordinare, quod vtcunq; iam erat, vt melius magisque sit. Ea nanq; condit Deus, id est ordinat, cũ dicit: Condo mala, quę deficiunt, id est ad non esse tendunt, non ea quæ ad id quò tendunt peruenerunt. Dictum est enim: Nihil per diuinam prouidentiam, ad id vt non sit peruenire permittitur. Tractarentur hęc latius & vberius, sed dum vobiscum agitur, satis est. Ostendẽda enim vobis ianua fuit quam desperatis, & desperãdam facitis imperitis. Nam vos introducit nemo nisi voluntas bona, quam pacatam efficit diuina clementia, sicut in Euangelio canitur: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Satis est, inquam, vt videatis, nullum esse de bono & malo religiosæ disputationis exitum, nisi quicquid est, inquantum est, ex Deo sit: inquantum autem ab essentia deficit, non sit ex Deo, sed tamẽ diuina prouidẽtia semper sicut vniuersitati congruit, ordinetur. Quod si nõdum videtis, quid amplius nunc faciam nescio, nisi vt minutius etiam tractem ista quæ dicta sunt. Non enim ad maiora mentem nisi pietas puritásque perducit.

Esa. 45. b. 7.

Creare & condere.

Lu. 2. b. 14.

CAPVT VIII. *Nulla substãtia est mala, sed peruersa cõgruẽtia.*

QVID enim aliud cum quæro, quid sit malum, respõsuri estis, nisi aut quod contra naturam est, aut quod noceat, aut corruptionem, aut aliquid huiusmodi? At in his ostendi vestra naufragia, nisi fortè, vt soletis cum pueris pueriliter agere, respondebitis malum esse ignem, venenum, feram, & cætera huiusmodi. Nam etiam de quodam dicente, nullam substantiã malam esse, vnus de primatibus huius hæresis, quem familiarius crebriúsq; audiebamus, dice-

Dictum Manichæi.

dicebat: Vellem scorpionem in manu hominis ponere, ac videre vtrum non subtraheret manum. Quod si faceret, non verbis, sed re ipsa conuinceretur aliquam substantiam malum esse, quandoquidem illud animal esse substantiam non negaret. Et dicebat hoc non coram illo, sed cum ad eum nos commoti referremus quod ille dixisset. Respondebat ergo, vt dixi, pueriliter pueris. Quis enim meliuscule imbutus & eruditus, non videat per inconuenientiam corporalis temperationis hæc lædere, ac rursus per conueniẽtiam non lædere sæpe etiam commoda non parua cõferre? Nam si illud venenum per seipsum malum esset, eundem scorpionem magis priusque interimeret. At contra si ei penitus aliquo pacto detrahatur, sine dubitatione interiret. Ergo illius corpori malum est amittere: quod nostro recipere. Item illi bonum est habere id, quo nobis bonum est carere. Erit ergo eadem res & bonum & malum? Nullo modo, sed malũ est quod contra naturam est: hoc enim & bestiæ illi & nobis malum est, id est ipsa inconuenientia, quæ sine dubio non est substantia, imò est inimica substantiæ. Vnde est igitur? Attende quò cogat, & disces, si tamen in te aliquid interioris luminis viuit. Non esse enim cogit omne quod perimit. Deus verò autor essentiæ est: nec aliqua essentia potest videri esse, quòd in qua fuerit cogit non esse. Dicitur ergo aliquid vnde non sit inconuenientia, nam vnde sit nihil dici potest. Quædam facinorosa mulier Athenien sis, vt prodit historia, venenum quod certo modulo damnati vt morerentur hauriebant, paulatim bibẽdo sine vllo vel leui incommodo valetudinis effecit vt biberet. Itaque cum esset aliquando damnata, legitimam illam quãtitatem veneni, quam consuetudine vicerat, accepit vt cæteri, nec vt cæteri extincta est. Quod cum esset magno miraculo, missa est in exilium. Quid putamus si venenum malum est, istam feciſſe vt sibi malum nõ esset? Quid hoc absurdius? Sed quia incõuenientia malum est, fecit potius vt per moderatam consuetudinem illud corpus suo corpori conueniret. Nam quando illa qualibet calliditate posset efficere, vt sibi inconuenientia non nocerent? Quid ita? Quia quod verè & generaliter malum est, & semper & omnibus nocet. Oleum nostris corporibus commodum est, animalium autem multis quæ sex pedes habent, vehementer aduersum. Elleborum, nónne alio modo cibus est, alio medicamentum, alio venenum? Salem immoderatius acceptum, quis non venenum esse clamauerit? Quot autem & quantæ corporis commoditates ex eo sint, quis potest numerare? Aqua maris terrenis animalib. cum bibitur, noxia est: multorum autem corporibus dum illa aqua humectantur accommodatissima & vtilis: in vtroque autem piscibus saluti & voluptati est. Panis hominem alit, accipitrem necat. Cœnũ ipsum quod & haustum & olfactum grauiter offendit & lædit, nõne & æstate tactum refrigerat, & vulneribus quæ ab igne acciderunt, medicamentum est? Quid stercore aspernabilius? quid cinere abiectius? At hæc tantas agris vtilitates afferunt, vt eorum inuẽtori, à quo etiam stercus nomẽ accepit, Stercutio diuinos honores Romani deferendos putarent. Sed quid parua colligam, quæ sunt innumerabilia? Quatuor ipsa quæ in promptu sunt elementa, quis dubitet prodesse per conuenientiam, inconuenienter autem adhibita, vehementer aduersa esse naturæ? Nos qui aëre viuimus, & terra & aqua obrutos necant. Innumerabilia verò animantia per arenam laxioremque terram repunt vitaliter: pisces autem in hoc aëre moriũtur. Ignis corpora nostra corrumpit, sed conuenienter adhibitus, & resumit à frigore, & morbos innumerabiles pellit. Sol iste cui genu flectitis, quo verè nihil inter visibilia pulchrius inuenitur, aquilarum oculos vegetat, nostros fauciat inspectus & tenebrat: sed fit per consuetudinem, vt nos quoque in eo sine incommodo aciem figamus. Num ergo finitis, vt illi veneno eum comparemus, quod mulieri Athenien si consuetudo fecit innoxium? Respicite ergo aliquando & aduertite, si substantia vlla malum est, ideo quòd lædit aliquem, lucem quam colitis ab hoc crimine non posse defendi. Considerate potius hanc inconuenientiam vniuersale malum esse, per quam solis radius tenebrescere oculos facit, cum eis nihil sit luce iucundius.

CAP. 12. *Ne consistere quidem Manichæorum fabulas de bonis & malis.*

HAEC dixi, vt (si fieri potest) tãdem dicere desinatis, malum esse terram per immensum profundam & longam, malum esse mentem per terram vagantem: malum esse quinque antra elementorum, aliud tenebris, aliud aquis, aliud ventis, aliud igni, aliud fumo plenum: malum esse animalia in illis singulis nata elementis, serpentia in tenebris, natantia in aquis, volatilia in ventis, quadrupedia in igne, bipedia in fumo. Hæc enim sicut à vobis describuntur, nullo modo esse poterunt: quoniam quicquid tale est, inquantum est, à summo Deo sit necesse est, quoniã inquantum est, vtique bonum est: si enim dolor & imbecillitas malum est, erant ibi animalia in tanta corporis firmitate, vt eorum abortiuos fœtus, postquam de his secundum vestram sectam fabricatus est mundus, de cælo in terram cecidisse & mori non potuisse dicatis. Si cæcitas malum est, videbant: si surditas, audiebant. Si obmutescere aut mutum esse malum est, vsque adeò signatæ atque distinctæ ibi voces erant, vt aduersus Deum bellum gerere, sicut asseritis, eis in concione vno persuadente placuerit. Si sterilitas malum est, erat ibi filios procreandi magna fœcunditas. Si exiliũ malum est, in sua terra erant, suásque regiones incolebãt. Si seruitus malum est, erant ibi etiam qui regnabant. Si mors malum est, viuebant, & ita viuebant, vt mentem ipsam prorsus nec post victoriam Dei vllo modo vnquam mori posse prædicetis. Cur quæso in summo malo inuenio tanta bona iis malis, quæ commemorauí contraria? Aut si hæc non sunt mala vlláne tandem substantia inquantum substantia est malũ erit? Si malum imbecillitas non est, malúmne erit corpus infirmum? Si malum cæcitas non est, malúmne erunt tenebræ? Si malũ surditas non est, malúmne erit surdus? Si malum non est mutum esse, malúmne erit piscis? Si sterilitas malum non est, quomodo malum est animal sterile? Si exilium malum non est, quomodo malũ est animal exulans, vel animal in exilium aliquẽ mittẽs? Si seruitus malum non est, quomodo malum est animal seruiens? Si mors malum non est, quomodo malũ est animal mortale, vel inferens mortem? Si verò hæc mala sunt, quomodo non erunt bona firmitas corporis, visus, auditus, locutio persuadens, fœcunditas, solum genitale, libertas, vita, quæ omnia in illo mali regno fuisse perhibetis, & summum malum audetis asserere? Postremò si (quod omnino nemo vnquam negauit) inconuenientia malum est, quid conuenientius quam illa suis quibusque animalibus elementa, tenebræ serpentibus, aquæ natantibus, venti volatilibus, ignis edacioribus, fumus elatioribus? Tanta enim à vobis in discordiæ gente concordia, & tantus in peruersitatis sede ordo describitur. Si quod nocet, malũ est, omitto illud valẽtissimum quod suprà dictum est, noceri non potuisse, vbi nullum erat bonum: sed si hoc obscurum est, illud certè omnibus eminet & apparet, quia (sicut dixi) & vt omnes consentiunt, quod nocet est malum: fumus in illa gente bipedibus animalibus non nocebat: genuit ea & aluit atq; sustinuit sine labe nascentia, crescentia, regnantia. Nunc verò postquã mixtum est malo bonũ, nocentior fumus effectus est, ita vt à nobis qui certè bipedes sumus, sustineri nõ possit, excęcat, opprimit, necat. Tantáne malis elemen-

Assueta venenis.

Mirum.

Pisces muti.

elementis commixtione boni acceſſit immanitas? tanta Deo regnãte peruerſitas? Certè cur in cæteris videmus tantam congruentiam, quæ auctorem veſtrũ decepit, atq; illexit ad componenda mendacia? Cur, inquam, tenebræ ſerpentibus, aquæ natantibus, venti volantibus congruunt: quadrupedem verò ignis incẽdit, & nos fumus ſuffocat? Quid quòd etiam ſerpentes acutiſſimè vident, & præſentia ſolis exultant, ibiq; ſunt abundantiores, vbi aër ſerenior, difficilius & rarius vbi nubem contrahit? Quid abſurdius, quam ibi eſſe accommodatius, & aptius incolas amatoreſq; tenebrarum, vbi lucis perſpicuitate gaudetur? Quòd ſi eos dicitis delectari potius calore quam lumine, multò congruentius in igne ſerpentes alacres natos, quam tardum aſinum diceretis: & tamen luci huic amicam aſpidem quis neget, cum eius oculi aquilæ oculis comparẽtur? Sed de beſtiis videro. Nos ipſos obſecro conſideremus ſine pertinacia, & tandem fabulis vanis, & perniciоſis animum exuamus. Quis enim tantã peruerſitatem ferat, qua dicitur in tenebrarum gẽte, cui nihil admixtum erat luminis, animalia bipedia tã firmam, tam vegetam, tam denique incredibilem vim habuiſſe in oculorum acie, vt & in tenebris ſuis viderent puriſſimam quæ à vobis commẽdatur regnorum Dei lucem, (ſiquidem illã etiam talibus viſibilẽ fuiſſe vultis) & aſpicerent & conſiderarent & delectarentur & appeterẽt: noſtros autem oculos cõmixtione lucis, commixtione ſummi boni, commixtione deniq; Dei tam infirmos tã imbecilles eſſe redditos, vt neq; quicquam videamus in tenebris, & ſolis aſpectũ nullo modo ferre poſſimus, atq; inde conuerſi, etiam quæ à nobis videbantur quæramus? Hæc dici poſſunt, etiamſi corruptio malum eſt, quod æquè nemo ambigit: non enim tunc fumus corrumpebat genus animaliũ, quod modo corrumpit. Et ne pergam per ſingula, quod longum eſt & non neceſſarium, vſqueadeò minus erant corruptioni obnoxia, quæ ibi animantia fuiſſe confingitis, vt abortiui eorum fœtus nondum ad naſcendum idonei, de cælo in terram præcipitati, & viuere & gignere, & rurſus coniurare potuerint, habentes vtique priſtinam firmitatẽ, qua iam erant concepti ante commixtionem boni & mali: nam poſt iſtã concretionem quæ de iis nata ſunt, ea dicitis eſſe animalia quæ nunc infirmiſſima, & facilè corruptioni cedentia videmus: quis hunc diutius tolerare poſſit errorem, niſi qui aut iſta non videt, aut neſcio qua incredibili conſuetudine ac familiaritate vobiſcum contra omnes moles rationis obduruit?

Serpentes aprici.

Cap. x. Tria ſignacula quibus peruertitur.

SED quoniam oſtendi, vt arbitror, de bonis & malis generalibus, in quantis tenebris, & in quanta falſitate verſemini: nũc videamus tria illa ſignacula, quæ in veſtris moribus magna laude ac prædicatione iactatis. Quæ ſunt tandem iſta ſignacula? Oris certè, & manuum, & ſinus. Quid eſt hoc? Vt ore, inquit, & manibus, & ſinu, caſtus & innocens ſit homo? Quid ſi oculis, aut auribus, vel naribus peccet? Quid ſi calcibus hominem affligat, vel etiam necet? Quomodo iſtum tenebimus reum, qui nec ore, nec manibus, nec ſinu peccauit? Sed cũ os, inquit, nomino, omnes ſenſus qui ſunt in capite, intelligi volo: cum autem manum, omnem operationem: cum ſinum, omnem libidinem ſeminalem. Quò ergo vultis pertinere blaſphemias? Ad os, an ad manum? Eſt enim operatio iſta per linguam. Itaque ſi vno genere operationem omnem cõcluditis, cur operationem pedum coniungitis manibus, linguæ ſeparatis? An quia lingua verbis ſignificat aliquid, eam vultis ſeiungere ab ea operatione quæ non ſignificandi gratia fit: ita vt definiatur ſignaculum manuum, ab operatione mala quæ non ſignificandi cauſa eſt, continentia? Sed quid facturi eſtis, ſi quis peccet ſignificando aliquid manibus, vt fit cum ſcribimus, vel geſtu aliquid quod intelligatur, oſtendimus. Hoc enim ori atque linguæ tribuere non poteſtis, quia manibus fit: quid enim abſurdius, quàm cum tria dicantur ſignacula, oris, manuum, & ſinus, quædam peccata deprehenſa in manibus tribuantur ori? Si autem operatio generalis manibus datur, quæ tandem ratio eſt pedum operationem huic addere, linguæ non addere? Videtiſne quomodo nouitatis appetitio comite errore in magnas deducatur anguſtias? Tribus nanque iſtis ſignaculis, quæ noua quadam diuiſione prædicatis, quomodo includatis omnium peccatorum purgationem non inuenitis.

Nouitatis appetitio.

Quæ blaſphemi Manichæi de Deo prædicant.

SED diuidite vt vultis, prætermittite quicquid vultis, ea quæ maximè ſoletis commendare tractemus. Ad oris enim ſignaculum dicitis pertinere, ab omni continere blaſphemia. Eſt autem blaſphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque iam vulgò blaſphemia non accipitur, niſi mala verba de Deo dicere: de hominibus namque dubitari poteſt: Deus verò ſine controuerſia bonus eſt. Si ergo ratio conuicerit, neminem de Deo peiora quàm vos dicere, vbi erit memorabile oris ſignaculum? Docet enim ratio nec ſanè recondita, ſed in promptu ſita & expoſita omnium intellectui, ſed inuicta, & eo inuictior quòd eam nemo ignorare permittitur, Deum eſſe incorruptibilem, incommutabilem, inuiolabilem, in quem nulla indigentia, nulla imbecillitas, nulla miſeria cadere poſſit. Vſqueadeò autem iſta omnis anima rationalis communiter ſentit, vt etiam vos cum dicuntur, annuatis. Sed cum fabulas veſtras narrare cœperitis, & corruptibilem & commutabilem & violabilem, & indigentiæ obnoxium, & imbecillitatem admittentem, & à miſeria non tutum Deum mira cæcitate poſſeſſi ſuadetis, & mira cẽcitate poſſeſſis etiam perſuadetis. Atque hoc parum eſt: non enim corruptibilem tantùm Deum dicitis, ſed corruptum: nec commutabilem, ſed commutatum: nec violabilem, ſed violatum: nec qui poſſit indigentiam pati, ſed indigentem: nec in quem caſura ſit, ſed in quem ceciderit imbecillitas: nec qui miſer eſſe poſſit, ſed miſerum. Animam quippe Deum eſſe dicitis vel partem Dei. Nec video quomodo Deus non ſit, quæ pars Dei dicitur: nam & auri pars aurum, & argenti argentum, & lapidis lapis: & vt ad hæc maiora veniamus, pars terræ terra eſt, & aquæ pars aqua eſt, & aëris aër, & ſi quid de igne detraxeris, ignem eſſe non negabis, & quælibet pars lucis, nihil poteſt eſſe aliud quàm lux. Cur ergo pars Dei non erit Deus? An articulata Dei forma eſt ſicut hominis, reliquorúmque animantium? Nam pars hominis non eſt homo. Sed ad quamlibet iſtarum opinionum deſcendo, & ſingillatim vtramque conſidero: nam ſi Deum ita eſſe vultis vt lucem, recuſare non poteſtis Deum eſſe aliquam partem Dei. Quamobrem cum partem Dei eſſe animam dicitis, quam non negatis, & corruptam eſſe, quæ ſtulta eſt: & commutatam, quæ ſapiens fuit: & violatam, quæ propriam perfectionem non habet: & indigentem, quæ poſcit auxilium: & imbecillem, quæ medicina eget: & miſeram, quæ beata eſſe deſiderat: hæc omnia in Deum ſacrilega opinione confertis. Aut ſi non conceditis hæc de anima, nec † Spiritus eſt neceſſarius, qui animam in veritatem inducat, quia ſtulta non eſt: nec renouatur anima per veram religionem, quia inueterata non eſt: nec ſignaculis veſtris perficitur, quia perfecta eſt: nec ei Deus opem fert, quia non indiget: nec medicus eſt Chriſtus, quia ſana eſt: nec beata ei vita rectè promittitur. Quid quòd liberator dicitur Ieſus, quod & ipſe in Euangelio clamat: Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis? Et Apoſtolus Paulus ait: Vos in libertatem vocati eſtis. Seruit ergo anima quæ iſtam libertatem nõdum eſt aſſecuta.

al. Apoſtolus.

Ioan. 8. d. 36

Gal. 5. b. 13

Deus

Deus igitur vobis auctoribus, siquidem pars Dei est Deus, & stultitia corrumpitur, & cadēdo mutatus est, & amissione perfectionis violatus, & opis indiget, & debilis morbo, & oppressus miseria, & seruitute turpatus est. Quòd si Dei pars Deus non est: nec incorruptus potest esse, in cuius parte corruptio est: nec incommutatus, qui ex aliqua parte mutatus est: nec inuiolatus, qui non ex omni parte perfectus: neque non indigēs, qui sedulò agit vt sibi restituat partem suam: nec omnino sanus, qui aliqua parte imbecillus est: nec beatissimus, qui habet aliquam partem subiectam miserię: nec omnino liber, cuius pars aliqua premitur seruitute. Hæc omnia cogimini dicere, qui animā quam tantis obrutam calamitatibus cernitis, partem Dei esse perhibetis. Hæc & multa huiuscemodi de secta vestra si potestis auferre, tunc demum dicite os vestrum carere blasphemiis: Imò sectam illam deserite: nam si hoc quod ille scripsit destiteritis credere ac dicere, Manichęi vtique non eritis. Summum bonum omnino, & quo esse aut cogitari nihil melius potest, aut intelligendus, aut crēdendus Deus est, si blasphemiis carere cogitamus. Ratio aliqua numerorum violari & commutari nullò pacto potest, nec vlla natura qualibet violentia effecerit, vt post vnum qui sequitur numerus, non duplo ei concinat. Hoc commutari nullo pacto potest, & Deus à vobis commutabilis dicitur? Tenet ista ratio inuiolabilem integritatem suam, & ei saltem parem Deum esse non vultis? Faciat quælibet gens tenebrarum, vt ternarius intelligibilis numerus, in quo ita vnum est, quod vnum est, vt partibus careat. Faciat ergo gens ista tenebrarum, vt numerus iste ternarius in duas partes æquales diuidatur. Videt certè mens vestra nullius id maleuolentia posse contingere. Quæ ergo rationem numeri violare non poterat, poterat Deum? Si autem non poterat, quæ obsecro necessitas fuit, vt pars eius misceretur malo, & in tantas miserias truderetur?

CAPVT XII. *Excludit Manichæorū suffugia.*

HINC enim illud exortum est, quod etiam cum studiosè vos audiremus, nos magnis premebat angustiis: nec vllum exitum reperiebamus, quærētes quid factura erat Deo gens tenebrarum, si cum ea nollet cum tanta partis suæ calamitate pugnare. Si enim non erat nocitura quiescenti, crudeliter nobiscum actum querebamur, qui ad istas ærumnas missi sumus. Si autem nocitura erat, non esse illam naturam incorruptibilem, qualis natura Dei esse debebat. In hac quæstione non defuit qui diceret, non Deum malo carere voluisse, aut ne sibi noceretur cauisse, sed propter naturalem bonitatem suam inquietæ peruersæque naturæ vt ordinata esset, prodesse voluisse. Non hoc sonant libri Manichæi: cauisse Deum ne inuaderetur ab hostibus, sæpissimè ibi significatur, sæpissimè dicitur. Sed concedamus ista, Manichæum sensisse vt ille dicebat, qui non inueniebat aliud quod diceret, num ista ratione Deus à crudelitate aut infirmitate defenditur? Hæc enim eius in aduersam gentem bonitas, in suos extitit magna pernicies. Huic accedit, quia si natura illius corrumpi commutarique non posset, nec nos vlla pestis commutaret, atque corrumperet: & ille ordo qui naturæ alienæ præstandus fuit, posset sine †vestra peruersitate præstari. Illud verò nondum dictum erat, quod nuper apud Carthaginem audiui. Cum enim quidam, quem maximè illo errore cupio liberari, hac quæstione in easdem compingeretur angustias, ausus est dicere, scilicet regnum habuisse quosdam fines suos, qui possent inuadi à gente contraria, nam ipsum Deum nullo modo potuisse violari. Sed dixit quod neque auctor ille vester vllo modo dicere cogeretur: videret enim fortasse consequentes ruinas suę sectę multò per hanc sententiam, quam per aliam faciliores. Et reuera ita se hoc habet, vt si quisquam mediocris cordis audierit in natura illa fuisse, aliud violabile, aliud inuiolabile, facilè intelligat non iam duas, sed tres esse naturas, vnam inuiolabilem, alteram violabilem, tertiam violatricem.

†al. nostra.

CAPVT XIII. *Non ex rebus sed intentione facta æstimātur.*

HAE igitur blasphemiæ cū à corde profectæ quotidie in ore vestro habitent, definite aliquando signaculum oris vestri ad imperitorum illecebram, quasi magnum aliquid prædicare. Nisi fortè quòd non vescimini carnibus, & vinum non bibitis, signaculum oris mirandum & laudandum putatis. Quod quæro à vobis, quo fine faciatis. Finis enim quò referuntur ea quæ facimus, id est propter quem facimus quicquid facimus, si non solùm inculpabilis, sed etiam laudabilis fuerit, tunc demum etiam facta nostra laude aliqua digna sunt: sin ille iure meritóq; culpatur quem spectamus & intuemur, cum in aliquo versamur officio, id quoque officium nemo improbandum vituperandúmque dubitauerit. De Catilina memoriæ proditū est, quod frigus, sitim, famem ferre poterat. Hæc erant illi spurco sacrilegóque etiam cum Apostolis nostris communia. Vnde ergo discernitur parricida iste ab Apostolis nostris, nisi fine illo quem diuersissimum sequebatur? Nanque ille ista tolerabat, vt immoderatissimas & immanissimas expleret cupiditates: illi ecōtrà vt eas premerent, & dominanti rationi seruire cogerent. Soletis & vos, cum Catholicarum vobis virginum multitudo prædicatur, dicere, Etiam mula virgo est. Temerè id quidem, propter imperitiam catholicæ disciplinę, sed tamen significantes vanam esse cōtinentiam istam, nisi ad aliquem rectissimum finem certa ratione referatur. Possunt & Catholici Christiani vestram à vino & carnibus abstinentiam, iumentis & multis passeribus, postremò etiam innumerabilibus generibus vermium cōparare. Sed ne in vestram incidam temeritatem, non id præproperè faciam, sed discutiam primo quo ista fine faciatis. Iam enim constat inter vos, vt opinor, huiuscemodi moribus nihil aliud esse quærendum. Si ergo parsimoniæ gratia & coërcendæ libidinis, qua escis talibus & potu delectamur & capimur, audio & probo. Sed non ita est. Nam quæro à vobis, si quis existat, quod fieri potest, ita homo parcus & frugi, vt appetitum ventris & gutturis moderans, non epuletur bis per vnum diem: & huic cœnanti oluscula cum exiguo lardo apponantur, eodem lardo vncta atque condita, quantum comprimēdæ fami sat est: sitimque irriget propter diligentiam valetudinis, duabus aut tribus vini meracis potionibus, isque illi victus sit quotidianus: alius verò ex alia parte nihil gustans carnium, nihil vini, exquisitas & peregrinas fruges multis ferculis variatas & largo pipere aspersas nona hora libēter assumat, noctis etiam principio talia cœnaturus: bibat autem mulsum, carœnum passum, & nonnullorum pomorum expressos succos, vini speciem satis imitantes, atque id etiam suauitate vincentes, & bibat non quantum sitit, sed quantum libet, idque sibi exhibendum curet quotidie, talique victu deliciisque perfruatur, nulla necessitate, magna voluptate: quem tandem horum duorum, quod ad cibandum potandúmque attinet, abstinentius vitam ducere iudicatis? Non opinor vsqueadeò vos esse cęcos, quin illum de parco lardo & vino, huic gurgiti præferatis. Ita quidem veritas cogit, sed vester error longè aliter canit. Electus enim vester tribus signaculis prædicatus, si quotidie ita viuat, vt hic quem posterius descripsimus, ab vno, & fortasse duobus grauioribus reprehendi potest, damnari autem tanquam signaculi dissignitor omnino non potest. Si autem semel cum illo priore cœnauerit, frustóq; pernæ vel rancido labra vnxerit, & vappa vdauerit, solutor signaculi & gehennæ ilico destinatus, vestri auctoris sententia, mirantibus vobis, sed tamen consentientibus,

Saluſtius in prologo Catilin.

Delicta abſtinentiæ.

tientibus,iudicabitur. Quæſo relinquite errorẽ,quæſo aduertite rationem, quæſo aliquantulum conſuetudini obſiſtite. Quid enim eſt iſta prauitate peruerſius? Quid magis delirum? Quid porrò inſanius dici aut cogitari poteſt,hominem boletos,orizam,tubera, placentas,carœnum,piper,laſer, diſtento ventre cum gratulatione ructantem,& quotidie talia requirentẽ, non inueniri quemadmodum à tribus ſignaculis, id eſt à regula ſanctitatis excidiſſe videatur, alium verò fruges viliſſimas fumoſo obſonio condientẽ,tantúmque hinc aſſumentem, quantum refectioni corporis ſufficit, & tres cyathos vini ſuſtentandæ valetudinis gratia ſorbentem, & ab illo victu ad iſtum tranſeuntem,certo ſupplicio præparari?

CAPVT XIIII. *Tribus cauſis abſtinetur à certis ciborum generib.*

AT enim ait Apoſtolus; Bonũ eſt fratres non manducare carnem, neq; bibere vinum. Quaſi verò quiſquam noſtrum id bonum neget: ſed aut eo fine quem ſuperius commemoraui, ſecundum quem dicitur: Et carnis curã ne feceritis in concupiſcentiis:aut eis quos rurſus idem Paulus oſtendit:id eſt,aut refrenandæ gulæ cauſa, quæ his rebus ſolet rabidius immoderatiúſq; raptari:aut ne frater offendatur:aut ab infirmis idolio communicetur. Eo enim tempore quo hæc ſcribebat Apoſtolus,multa immolatitia caro in macello vendebatur. Et quia vino etiam libabatur diis gẽtium, multi fratres infirmiores, qui etiam rebus his vænalibus vtebantur,penitus à carnibus ſe & vino cohibere maluerunt, quàm vel neſcientes incidere in eam quam putabant cum idolis communicationem.Propter hos etiam ij qui firmiores erant, & hæc maiori fide contemnenda iudicarant, ſcientes nihil immũdum eſſe niſi per malam conſcientiam,tenentéſque illam Domini ſententiam:nõ quod intrat in os veſtrum vos coinquinat,ſed quod exit:tamen propter hos infirmiores, ne offenderentur, ab his rebus abſtinere debebant. Neque hoc ſuſpicione colligitur, ſed in ipſis Apoſtoli Epiſtolis manifeſtè inuenitur. Vos autem hoc ſolũ nobis dicere ſoletis;Bonum eſt, fratres, non manducare carnem,neque bibere vinum: non autem ſubiungere illud quod ſequitur: neque in quo frater tuus offenditur aut ſcandalizatur aut infirmatur. Hinc enim elucet quo fine Apoſtolus hæc præcipiebat. Planius hoc indicant ſuperiora & ſequentia, quæ commemorare longum eſt quidẽ,ſed propter eos qui ad diuinas Scripturas legẽdas,& pertractandas pigri ſunt, totũ iſtum locum retexerè cogimur. Infirmum autem in fide aſſumite,inquit,non in diſceptationibus cogitationum. Alius enim credit manducare omnia:qui autem infirmus eſt,olus manducet. Is qui manducat,non mãducantem non ſpernat,& qui non manducat,manducãtem non iudicet:Deus enim illum aſſumpſit. Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? Suo Domino ſtat, aut cadit.Stabit autem: Potens eſt enim Deus ſtatuere illum. Nam alius iudicat diem inter diem,alius iudicat omnem diem:vnuſquiſque in ſuo ſenſu abũdet. Qui ſapit diem,Domino ſapit: & qui manducat,Domino manducat:gratias enim agit Deo. Et qui non manducat,Domino non manducat,& gratias agit Deo. Nemo enim noſtrum ſibi viuit,& nemo ſibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus, ſiue morimur, Domino morimur. Siue enim viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. In hoc enim Chriſtus & viuit & mortuus eſt & reſurrexit,vt & viuorum & mortuorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrẽ tuum, aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Dei. Scriptum eſt enim: Viuo ego,dicit Dominus,quoniam mihi flectetur omne genu,& confitebitur omnis lingua Deo.Itaq; vnuſquiſque noſtrũm pro ſe rationem reddet Deo. Non ergo amplius inuicẽ diiudicemus, ſed hoc iudicate magis,

A ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum. Scio & confido in Domino Ieſu, quia nihil commune per ſeipſum,niſi ei qui exiſtimat quid cõmune eſſe,illi commune eſt. Si enim propter cibum frater tuus cõtriſtatur,non iam ſecundum charitatem ambulas: Noli cibo tuo perdere illum pro quo Chriſtus mortuus eſt: non ergo blaſphemetur bonum noſtrum: non eſt regnum Dei eſca & potus,ſed iuſtitia & pax & gaudium in Spiritu ſancto. Qui enim in hoc ſeruit Chriſto,placet Deo,& probatus eſt hominibus. Itaque quæ pacis ſunt ſectemur, & quæ ædificationis ſunt in inuicem. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei: Omnia quidem munda ſunt,ſed malum eſt homini qui per offenſionem manducat.Bonum eſt homini non manducare carnem,& non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur aut ſcandalizatur aut infirmatur. Tu fidem habes penes temetipſum, habe corã Deo. Beatus qui non iudicat ſemetipſum in eo quod probat.

B Qui autem diſcernit, ſi manducæuerit damnatus eſt, quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere,& non nobis placere. Vnuſquiſq; noſtrũm proximo ſuo placeat in bonum,ad ædificationem. Etenim Chriſtus non ſibi placuit. Satis ne apparet Apoſtolum eis præcepiſſe,vt carnes non manducarent,neq; vinum biberent,quicunq; firmiores eſſent:quia infirmos offendebant non eis cõgruendo,& faciebant vt putarent, eos qui fide omnia munda iudicabant in obſequium idolorũ à talibus epulis, & potu nolle abſtinere? Hoc ſignificat & ad Corinthios hoc modo ſcribens: De eſcis autẽ ſacrificiorum quæ idolis immolãtur,ſcimus quia nihil eſt idolum in mundo,& quòd nullus Deus eſt niſi vnus. Nã etſi ſunt qui dicantur dij, ſiue in cælo,ſiue in terra, nobis tamẽ vnus Deus pater,ex quo omnia,& nos in illo, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus,per quem omnia, & nos per ipſum. Sed non in omnibus eſt ſcientia. Quidam autem in conſcientia ſua vſq; adhuc in idolio quaſi idolothytum manducant,& conſcientia eorum cũ ſit infirma inquinatur.Eſca autem nos nõ cõmendat Deo. Neq; enim ſi manducauerimus,abundabimus,neq; ſi non manducauerimus, deficiemus: Videte autem ne fortè hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum qui habet ſcientiã in idolio recumbentem, nónne conſcientia eius cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta, & peribit infirmus in tua conſcientia frater, propter quẽ Chriſtus mortuus eſt? Sic autem peccãtes in fratres,& percutientes conſcientiam ipſorum infirmam,in Chriſtũ peccatis. Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrẽ meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrẽ ſcandalizem. Item alio loco: Quid ergo dico quòd idolis immolatum ſit aliquid, aut quòd idolum ſit aliquid? Sed quæ immolant gentes,dæmoniis immolãt,& non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicẽ dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. An æmulamur Dominũ? Nunquid illo fortiores ſumus? Omnia mihi licita ſunt,ſed non omnia expediunt:omnia mihi licita ſunt,ſed non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. Omne quod in macello vænit, mãducate:nihil interrogantes propter conſciẽtiam. Si quis autem dixerit,Hoc immolatum eſt idolis:nolite manducare propter illum qui indicat, & propter cõſcientiam.Conſcientiam autem dico,non tuã,ſed alterius. Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena cõſcientia? Si ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro quo gratias ago? Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriã Dei facite. Sine

Ibid. 14.

Tit. 1. *d.* 15.

1 Cor. 8. *d.* 13.

Rom. 15. *d.* 1

1 Cor. 8. *a.* 7.

1 Cor. 10. *c.* 19.

al. ſcientiã.

Rom. 14. *d.* 21.

Ibid. a. 1.

Matth. 15. *b.* 11.

1 Cor. 10. *g.* 28.*

Iſa. 45. *d.* 23 *Rom.* 14. *c.* 11. & 12.

offensione estote Iudæis & Græcis & ecclesiæ Dei, sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiãt. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Apparet igitur (vt opinor) quo fine à carnibus & à vino sit abstinendum. Is finis est triplex. Ad comprimẽdam delectationem, quæ in his maximè cibis haberi solet, atque in tali potu vsque ad ebriositatem peruenire. Ad tuendam infirmitatem, propter illa quæ sacrificantur atq; libantur. Et quod maximè commendandum est, propter charitatem, ne imbecilliorum ab his continentium offendatur infirmitas. Vos autem immunda esse obsonia dicitis, cum dicat Apostolus, omnia munda esse, sed ei malum esse qui per offensionem mãducat. Et prorsus credo vos istis epulis inquinari, eo ipso quo immunda esse arbitramini. Ait enim: Credo & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per seipsum, sed ei qui existimat aliquid cõmune esse, illi cõmune est. Cui autẽ dubiũ est, cõmune illũ immũdum & inquinatũ vocasse? Sed stultũ est vobiscũ agere de Scripturis, cum & rationem pollicendo decipiatis, & eos libros in quibus magna est religionis auctoritas, falsis capitibus immissis corruptos esse dicatis. Ratione igitur mihi persuadete, quomodo vescentẽ carnes coinquinãt, si sine vlla offensione, sine vlla infirma opinione, sine vlla libidine sumãtur? OPERÆ PRECIVM est totam superstitiosæ huius abstinentiæ rationẽ cognoscere, quæ ita redditur: Quoniam, inquit, membrum Dei malorum substantiæ commixtum est, vt eam refrenaret, atque à summo furore comprimeret, sic enim dicitis, de commixta vtraque natura, id est boni & mali, mundus est fabricatus. Pars autem illa diuina ex omni parte mundi quotidie purgatur, & in sua regna resumitur: sed hæc per terram exhalans, & ad cælum tendens, incurrit in stirpes, quoniam radicibus terræ affiguntur, atque ita omnes herbas, & arbusta omnia fœcundat & vegetat. Hinc animalia cibum capiunt; quæ si concumbunt, ligant in carne diuinum illud membrum, & à certo suo itinere auersum atque impeditum, erroribus ærumnisque implicant. Itaque cibi qui de frugibus & pomis parantur, si ad sanctos, id est ad Manichæos veniant, per eorum castitatem & orationem, & psalmos quicquid in eis est lutulentũ purgatur, id est ex omni parte perficitur, vt ad regna propria sine vlla sordium difficultate referatur. Hinc est quod mendicanti homini, qui Manichæus non sit, panem vel aliquid frugum, vel aquam ipsam quæ omnibus vilis est dari prohibetis: ne membrũ Dei, quod his rebus admixtum est, suis peccatis sordidatum à reditu impediat. Carnes autẽ iam de ipsis sordibus dicitis esse concretas. Fugit enim aliquid partis illius diuinæ, vt perhibetis, dum fruges & poma carpuntur, fugit cum affliguntur vel terendo vel molendo vel coquẽdo, vel etiam mordendo atq; mandendo. Fugit etiã in omnibus motibus animalium, vel cum gestiũt, vel cum exercentur, vel cum laborant, vel cum omnino aliquid operantur. Fugit etiam in ipsa quiete nostra, dum in corpore illa quæ appellatur digestio, interiore calore conficitur. Atq; ita tot occasionibus diuina fugiente natura, quiddam sordidissimũ remanet, vnde per concubitum caro formetur. Anima tamen boni generis, quoniam quamuis plurimum, non tamen totum bonum, memoratis illis motibus euolat. Quocirca cum anima etiam carnẽ deseruerit, nimias sordes reliquas fieri, & ideo eorum qui vescuntur carnibus, animam coinquinari. O RERVM naturę obscuritas, quantum tegmen est falsitatis? Quis non hæc audiẽs, qui rerum causas non didicit, qui nondum veritatis quantulocunque lumine aspersus corporeis imaginibus fallitur, eo ipso quo hæc minimè apparent, & per

1 Cor. 11. a. 1.

Rom. 14. d. 20. Tit. 1. d. 15.

CAP. XV. *Manichæi cur interdicant esum carnium.*

CAP. XVI. *Aperit portentosa Manichæorum mysteria.*

A quędam simulachra rerum visibilium cogitãtur, & diserte dici possunt, vera esse arbitretur? Talium autem hominum magnæ turbæ atque greges vocãtur, quos religiosus timor ab his fallaciis potius quàm ratio tutos facit. Quamobrem ita ego ista conabor refellere, quantum me Deus adiuuare dignabitur, vt nõ solùm prudẽtium iudicio, quo simul ac dicta fuerint improbentur, sed ipsi etiam vulgari intelligentiæ quàm sint falsa, & absurda satis eluceſcat. Primo enim quæro, vnde doceatis in frumẽtis ac legumine, & oleribus & floribus, & pomis inesse istam nescio quam partẽ Dei? Ex ipso coloris nitore, inquiunt, & odoris iucunditate, & saporis suauitate manifestum est: quæ dum non habent putria, eodem bono sese deserta esse significant. Non pudet Deum naso & palato inuentũ putare? Sed hęc omitto. Latinè enim vobis dicam, & (vt dici adsolet) multum est ad vos. Illud potius qualicunq; mente intelligendũ est. Si colore apparet in corporibus boni B præsentia, fimum animalium, quòd ipsarum etiam carnium purgamẽtum est, diuersis nitere coloribus, aliàs candido, plerunque aureolo, & aliis huiusmodi, quos in pomis & floribus velut testes Dei præsentis atq; inhærentis accipitis. Quid tandem causæ est, quòd ruborem in rosa indicem abundantis boni esse perhibetis, & eundem damnatis in sanguine? Cur in viola eundem colorem amplectimini, quẽ in coloribus in morbo ictericorum, in infantis denique fimo aspernamini? Cur nitorem atq; fulgorem olei, clamare copiam coadmixti boni arbitramini, & ad id purgandum fauces & ventrem paratis: de pingui autem carne simillimi fulgoris distillantibus guttis labra contingere formidatis? Cur de thesauris Dei melonem putatis aureum esse: & pernæ adipem rancidum, vel oui mediũ non putatis? Cur vobis candor in lactucis prædicat Deum, in lacte non prædicat? De coloribus enim adhuc loquor, in quibus (vt omittam cætera) vnius C pauonis pennis & plumis, quæ certè de concubitu, & carne nascuntur, nulla potestis vestita floribus prata conferre. Nam si & odore inuenitur hoc bonum, nonnullorum animalium carnibus miri odoris conficiuntur vnguẽta. Cibi denique ipsi qui cum carnibus meliusculis concoqui solent, multò iucundius olent quàm si eis caro defuisset. Postremò si suauius olentia mundiora iudicatis, quodam luto vesci auidius, quàm cisterninam aquam bibere debuistis: quia perfusa imbri terra siccior, nares miro odore permulcet, meliúsque olet tale lutum, quàm si exciperetur pluuia purior. Quòd si saporem opus est attestari, vt cognoscamus habitare in corpore aliquid Dei, magis habitat in dactylis & melle quã in carne porcina, sed magis in carne porcina quàm in faba: magis in fico quàm in ficato, ecce concedo, sed & vos concedite magis in ficato quàm in beta. Quid quòd ista ratione cogimini confiteri, quasdam stirpes quas certè omnes mundiores vultis quàm carnem, ex ipsa carne accipere Deum, si sapore Deus immixtus agnoscitur? Nam D & olera sapidiora fiunt cocta cum carnibus: & herbas quibus pecora pascuntur gustare non possumus, conuersas autem in succum lactis & colore prestantiores, & sapore commodissimas iudicamus. An bona tria simul vbi fuerint, id est color bonus & odor & sapor: ibi esse maiorem boni partem putatis? Nolite ergo flores tantopere mirari atque laudare, quos iudicandos ante tribunal palati non potestis admittere. Nolite portulacam saltem carnibus anteponere, quæ ab his coctis & colore & sapore & odore superatur. Porcellus assus, hoc enim cogitis, vt de bono & de malo, non scriptoribus & librariis, sed cocis & dulciariis ministris vobiscum potius disseramus: porcellus ergo assus & colore nitidus, & odore blandus, & sapore iucun-

Excarnibus animantium vnguenta.

Lutum.

iucundus est: habetis perfectum diuinæ substantiæ inhabitantis indicium: trino testimonio vos inuitat, & purgari vestra sanctitate desiderat. Inuadite. Quid cunctamini? quid contradicere paratis? Colore solo lenticulam fimus vincit infantis, odore solo assa offella superat mitem ac viridem ficum, sapore solo hœdus occisus herbam qua viuus pascitur, vincit. Inuenta est etiam caro, cuius causa his simul tribus telhibus adiuuetur. Quid quæritis amplius? aut quid dicturi estis? Cur vos epulantes immundos faciant pulpamenta, & disputantes hæc portenta non faciant: præsertim cum solis istius radius, quem vos certè & carnibus omnibus & frugibus anteponitis, nec oleat, nec sapiat, sed tantummodo inter cætera corpora, præstantia fulgentissimi coloris emineat: qui vos magnopere hortatur, atque adeò cogit inuitos, vt inter documenta commixti boni, nihil coloris nitori præferatis? Ad illas ergo reducemini angustias, vt magis in sanguine, & in iis quæ animalium carnibus fœtidissima, sed nitidè colorata in vicis egeruntur, quàm in oliuæ foliis pallentibus partem Dei habitare fateamini. Quòd si dicitis, nam etiam hoc dicitis, oliuæ folia cum incenduntur ignem emittere, in quo præsentia lucis apparet, carnes autem cum incenduntur non idem facere: quid de adipe respondebitis, qui propè omnes Italas lucernas illuminat? Quid de fimo bubulo, qui est certè bouis carne sordidior, quo siccato rustici sic vtuntur ad focum, vt eius igne facilius nihil fit fumóque purgatius? Quid, quod si nitor & fulgor maiorem præsentiam diuinæ partis ostendit, eam vos non purgatis, non consignatis, nõ liberatis? Siquidem est maximè in floribus, vt omittam sanguinem, & innumerabilia in carne, vel ex carne simillima, quos certè flores habere in epulis non potestis: qui si etiam carnibus vesceremini, squamas certè piscium, & quosdam vermiculos atque muscas, quæ omnia etiam in tenebris luce propria coruscant, pulmẽtis vestris non adderetis. Quid igitur restat, nisi vt dicere desinatis habere vos idoneos iudices oculos, nares, palatũ, quibus diuinæ partis præsentiam in corporibus approbetis? His autem remotis, vnde docebitis non modò maiorem partem Dei in stirpibus esse quàm in carnibus, sed omnino esse aliquid eius in stirpibus? An pulchritudo vos mouet, non quæ in suauitate coloris est, sed quæ in partium congruentia? Vtinã hoc esset. Quando enim corporibus animantium, in quorum formaparibus paria membra respondeant, auderetis distorta ligna conferre? Sed si corporalium sensuum testimoniis delectamini, quod necesse est iis qui vim essentiæ mente videre non possunt, quomodo probatis per moram temporis, & per obtritiones quasdam fugere de corporibus substantiam boni, nisi quia inde discedit Deus, vt asseritis, & de loco in locum migrat? Plenum est dementiæ. Veruntamen signa vos ad istam sententiam & indicia, quantum existimare possum, nulla duxerunt. Multa enim carpta de arboribus vel euulsa de terra, antequam ad cibum nostrũ veniant interpositione aliqua temporis meliora redduntur: vt porri & intiba, lactucæ, vuæ, mala, ficus, & quædam pira: & multa præterea quæ & colorantur melius, dum non statim vt decerpta fuerint absumuntur, & corpore capiuntur salubrius, & sapiunt in ore cõditius: quæ tanta commoditas & suauitas inesse his rebus minimè deberet, si secundum vestram sententiam, tanto desertiora bono fierent, quãto diuturnius reponuntur, postquam à terra quasi à matre separata sunt. Caro ipsa pridie occisorum animalium profectò est iucundior atque commodior: non autem ita esse oportebat, si (vt asseritis) plus haberet boni, eo die recens animante interempto, quàm postridie cum diuinæ substantiæ maior fuga facta esset. Vinum verò vetustate purius meliúsq; fieri quis ignoret? Nec ad peruertendos sensus redolentius, vt putatis, sed ad vegetandum corpus vtilius: tantum adsit modus, quem in omni re dominari decet. Nam musto recentiore peruersitas sensuũ citius solet accidere: ita vt si aliquando in lacu remanserit, aliquantulúmque ferbuerit, intuentes desuper percusso cerebro præcipites agat, & nisi aliquo modo subueniatur, extinguat. Iam quod ad valetudinem attinet, inflari eo corpora pernicioséque distendi, quis abnuat? Num ideo tanta incommoda insunt, quia plus habet boni: propterea ista in vini vetustate non sunt, quia diuinæ substantię pars magna discessit? Absurdum est dicere, vobis præsertim qui præsentiam partis Dei, oculis, naribus, palato, cum hi sensus bene afficiuntur, iudicatis. Iam verò quæ tanta peruersitas est, vinum putare fel principum tenebrarum, & vuis comedendis non parcere? Magis ne inerit illud fel cùm in cupa, quàm cùm in acinis fuerit? Quòd si bono discedẽte quasi meracius remanet malum, & id temporis mora contingit, nõ oportebat easdem vuas suspensas atque seruatas fieri mitiores, dulciores, salubriores: neque ipsum vinũ quod suprà dictum est, amissa luce liquidius atque luculentius, & salutifera substantia discedẽte salubrius. Quid dicam de lignis & frondibus, quæ tempore arescunt, nec ex eo à vobis dici possunt deteriora fieri? Id enim amittũt quo fumus gignitur, id autem retinent vnde lucida flamma consurgit, & ea claritate quam multum diligitis, purius bonum in aridioribus, quàm in viridioribus esse testatur. Ex quo fit, vt aut negetis Dei partem in luce pura quàm in fumosa esse maiorem, & ita omnia documenta vestra turbetis: aut fateamini fieri posse, vt de stirpibus amputatis vel euulsis, si diuturniore tempore reponantur, copiosius fugiat mali natura quàm boni. Quo concesso, tenebimus de frugibus carptis maius malum posse abire, atque ita in carnibus maius bonum posse remanere. Et hoc quidem de tempore dictum sit. Nam si commotione & subactione & attritione harum rerum, fugæ occasionem inuenit diuina illa natura, multa vos similiter redarguunt, quæ fiunt mouendo meliora. Hordeũ quidam succo vinum imitantur, quod mouẽdo fit optimum. Sanè quod minimè prætereundum est, hoc genus potus citissimè inebriat: nec tamẽ vnquam succum hordei, fel principum esse dixeritis. Farina parciore aqua peritè contrahitur paulo durius, vt subigẽdo fiat melior, & quo dici peruersius nihil potest, luce fugiente candidior. Pastillarius mella diu subigit, vt ad illũ candorem perueniant, & minus noxiam mitioremq; dulcedinem. Hoc quomodo eueniat bono discedente, differite. Quòd si non visu & odoratu & gustu, sed auditu etiam delectato præsentiam Dei placet probare, caro citharis neruos, tibiis ossa largitur, quæ siccata & attrita & torta sonora redduntur. Ita dulcedo musica, quam de diuinis regnis venisse cõtenditis, nobis mortuarum carnium sordibus exhibetur, & tempore arefactis, & attritione tenuatis, & tortione distentis: quibus afflictationibus etiam de rebus viuentibus diuinam substantiam fugere prædicatis, quod etiam decoctione earum accidere dicitis. Cur ergo elixati cardui minimè obsunt valetudini? Vtrum ab eis dum ita coquuntur, Deum an pestem discedere existimandum est? Quid cætera persequar, quæ omnia dici nec facile est, nec necessarium? Cui enim non occurrit, quàm multa cocta suauiora & salubriora sint? Quod non deberent, si, vt opinamini, huiuscemodi commotionibus deseruntur bono. Nihil vos prorsus inuenire arbitror, vnde istis corporeis sensibus approbetis, ideo carnes immundas esse, atq; animas inquinare vescentium,

Sebum.

Bubulum fimum.

Mira de musto.

tium, quod carptæ fruges post multas commotiones A vertantur in carnem, præsertim cum & vetustatem
κάφρωσιν. corruptionémque aceti, putetis vino esse mundiorem, & carœnum quod bibitis, nihil aliud quàm coctum vinum esse videamus, quod vino deberet esse sordidius, si motibus & coctionibus de rebus corporeis membra diuina discedunt. Si autem non ita est, non est cur arbitremini fruges cum carpuntur, reponuntur, tractantur, coquuntur, digeruntur, fugiente bono deseri, & propterea sordidissimam creandis corporibus præbere materiam. Quòd si non colore & forma & odore & sapore ducimini, vt bonum his rebus inesse iudicetis, quid aliud potestis afferre? An argumento vobis est firmitas quædam atque valentia, quæ istis rebus detrahi videtur, dum à terra separantur atque tractantur? Sed si hoc vos moueret: quanquam falsum id esse citò animaduerti potest, propter nonnullorum auctam post quam terræ detracta sunt firmitatem, vt iam de vino commemoratũ est, quod B fit robustius vetustate: tamen si hæc firmitas vos moueret, vt dixi, in nullo magis cibo quàm in carnibus, copiosiorem partem Dei probaretis esse. Non enim athletæ quibus illud robur & valentia maximè necessaria est, olere ac pomis, & non carne vescerentur. An quia carnes aluntur arboribus, arbores autem carnibus non aluntur, idcirco arbitramini illatum quàm nostra corpora esse meliora? Non considerastis rem tam in promptu sitam, arbusta lætiora & fœcundiora, segetésque pinguiores alimento stercorum fieri, cum vos in accusatione carnis nihil grauius vobis dicere videamini, quàm cum dicitis esse stercorum domum. Hinc ergo ea aluntur quæ vobis mũda sunt, quod in ea re quæ vobis immunda est, multo esse immundius prædicatis. Quòd si carnem ob hoc aspernamini, quòd post concubitum nascitur, vermiũ vos caro delectet, qui in pomis, lignis, in terra ipsa denique sine vllo concubitu tam multi magnique nascun C tur. Sed nescio quæ ista simulatio est. Nam si vobis propterea displiceret caro, quod patris atque matris commixtione formatur, non illos principes tenebrarum de fructibus arborum suarum natos fuisse diceretis, quos certè amplius aspernamini quàm carnes quas gustare non vultis. Nam quod opinamini omnes quidem animas animalium de parentum cibis venire, à quibus carceribus vos liberare gloriamini diuinam substantiam, quę in vestris tenetur alimentis, nimium contra vos & ad carnes edendas vos instantissimè impellit. Cur enim animas quas illigaturi sunt corpori qui carnibus epulantur, non præoccupando & vescendo liberatis? Sed, inquit, non de carnibus aliquid ab eis bonæ partis illigatur, sed de frugibus quas cum carnibus sumunt. Quid ergo de animis leonum, quorum cibus sola caro est, respondendum videtur: Bibunt, inquit, & ideo anima illa de aqua tracta, carnique implicata est. Quid de innumerabilibus aui- D bus? Quid de ipsis aquilis dici potest, quæ non nisi carne pascuntur, nec vllo potu indigent? Certè hic deficitur, & quid responderi possit non inuenitur. Si enim anima de cibis venit, & sunt animalia fœtum gignentia, quorum & nullus potus, & cibus sola sit caro, est in carne anima, cui purgandæ more vestro subuenire deberetis vescendo carne. Nisi fortè porcum, quod & frugibus alitur, & aquam bibit, animam lucis habere arbitramini: aquilæ verò, cui sol maximè congruit, tenebrarum animam, quia sola carne viuit, inesse defenditis. O rerum angustias, ô incredibiles absurditates, in quas profectò non incidissetis, si à vanissimis fabulis alieni, hoc ad continentiam ciborum sequeremini quod veritas probat: vt concupiscentiæ coërcendæ gratia, non vitandæ immunditiæ quæ nulla est, delicioſas escas respuẽdas iudicaretis. Nam si quis etiam rerum naturam vimque animæ & corporis minus intuens, vobis concedat animam coinquinari de obsonio, multo magis eam tamen immũdam fieri cupiditate conceditis. Quæ ergo ratio est, vel potius amentia, de numero electorum hominem pellere, qui fortè carnem valetudinis causa nulla cupiditate gustauerit? Si autem piperata tubera voraciter edere concupierit, immodestiæ tantum fortè possitis reprehendere, non autem vt corruptorem damnare signaculi. Ita fit vt in electis vestris esse non possit, qui proditus fuerit, non concupiscendo, sed edendo partem aliquam cœnasse gallinæ: esse autem in iis possit qui vehementer cum iphas, & alia placentia carne carentia desideresse se ipse prodiderit. Tenetis ergo eum quem cupiditas sordibus mergit, quem verò ipse cibus (vt arbitramini) maculat, non tenetis: cum inquinationem de concupiscentia, quàm de obsonio longè B maiorem fieri fateamini: plectentes tamen eum qui conditis suauissimè frugibus imminet inhians sesèque non tenet: excludentes eum qui quaslibet epulas hominum comprimendæ famis causa sine vlla cupiditate paratus sumere, & paratus amittere indifferenter capit. En miri mores, en egregia disciplina, en memorabilis temperantia. Iam quòd ea quę vobis quasi purganda offeruntur ad epulas, nefas putatis si quis alius præter electos ad cibandum tetigerit, quantæ turpitudinis & aliquando sceleris plenum est? Si quidem sæpe tam multa dantur, vt consumi facilè à paucis non possint. Et quoniam sacrilegium putatur, vel aliis dare quod redundat, vel certè abiicere, in magnas contrudimini cruditates, totum quod datum est quasi purgare cupientes. Iam verò distenti, & propè crepantes, eos qui sub vestra disciplina sunt pueros, ad deuoranda reliqua crudeli dominatione compellitis: ita vt cuidam sit Romæ obiectum, quòd miseros paruulos C cogendo ad vescendum tali superstitione necauerit. Quod non crederem, nisi scirem quantum nefas esse arbitremini, vel aliis hæc dare qui electi non sunt, vel certè proiicienda curare. Vnde illa vescendi necessitas restat, quæ ad turpissimam crudelitatem penè quotidie, aliquando tamen potest & vsque ad homicidium peruenire. Quæ cum ita sint, etiam panem mendicanti dare prohibetis: censetis tamen propter misericordiam, vel potius propter inuidiã nummos dari. Quid hic prius arguam, crudelitatem, an vecordiam? Quid enim si eo loco res agatur, vbi venalis cibus inueniri non potest? Homo egens ille fame moriturus est, dum tu vir sapiens & benignus magis cucumerem quàm hominem miserearis. Hæc est profectò (quid enim dicam congruentius & planius?) falsa misericordia & vera crudelitas. Nunc vecordiam videamus. Quid enim si nummis illis quos dederis sibi panem emat? Nónne hoc in illo pars illa vestra diuina, qui hanc sumit à venditore passura est quod passura erat si te dante sumpsisset: Inuoluit igitur sordibus peccator ille mendicus partem Dei † reuolare cupiẽtem, tuis num- *al* releuari mis ad tantum scelus adiutus: & tamen vos homines prudentissimi interesse arbitramini, si homicidium facturo non detis hominem quem occidat, sed scientes pecuniam vnde occidendũ comparet, detis. Quid ad hanc insaniam addi potest? Ita enim fit vt aut homo moriatur, si vænalem non inuenerit cibum, aut cibus ipse si inuenerit: quorum alterũ est verum homicidium, alterum vestrum, vobis tamen ita tribuendum, tanquam vtrunque sit verum. Nam quod auditores vestros non prohibetis carnibus vesci, sed occidere animalia prohibetis, quid stultius & peruersius fieri potest? Nam si talis non contaminat cibus, vos quoque sumite: si contaminat, quæ tandem dementia est

tia est maius nefas putare, animam porcinam de corpore soluere, quàm humanam porcino corpore maculare?

CAPVT XVII. *Salsissimè ridet ineptias Manichæorũ*

SED iam ad manuum signaculum considerandum tractandúmq; veniamus. Ac primum quidem quod ab animalium nece, & ab stirpiũ laceratione vos temperatis, superstitiosissimum Christus ostendit: qui nullam nobis cum beluis & arboribus societatem iuris esse iudicans: & in gregem porcorũ dæmones misit; & arborem in qua fructum non inuenerat, maledicto aridam fecit. Nihil certè porci, nihil arbor illa peccauerat. Neque enim vsque eò dementes sumus, vt arbitremur sua sponte arborem vel fructiferam esse vel sterilem. Neque illud hic vobis dicẽdum est, his factis Dominum nostrum alia quædam significare voluisse. Quis enim nesciat? Sed certè filio Dei non per homicidium signum dãdum fuit, si arborem necare (vt vos dicitis) homicidium est, aut necare animalia. Nam & de hominibus, cum quibus vtique sumus iuris societate coniuncti, signa quædam dedit, sed sanando homines, non necando. Quod & de beluis, & de arboribus faceret, si eadem nos cum illis societate, quam vos opinamini, coniunctos esse iudicaret. Quo loco mihi auctoritas interponenda visa est, propterea quia de pecorum anima, & de quadam vita qua dicuntur arbores viuere, non potest vobiscum subtiliter disputari. Sed quoniam priuilegio quodam vos tuemini, vt de Scripturis opprimi nequeatis, dicendo eas esse falsatas: quanquam ea quæ commemoraui de arbore, & de grege porcorum, nunquã à corruptoribus immissa esse dixistis: tamen considerantes quantum vobis aduersentur, hoc idem etiam de his aliquando dicere velitis, teneam propositum meum, vt à vobis magnis omnino pollicitatoribus rationis atque veritatis quæram, primũ quid obsit arbori, non dico si pomum inde foliúmve decerpas, quod quidẽ apud vos, si quis non imprudentia, sed sciẽs fecerit, signaculi corruptor sine vlla dubitatione damnabitur, sed omnino si eam radicitus eruas. Anima nanque illa quam rationalem inesse arboribus arbitramini, arbore excisa vinculo soluitur, vos enim hoc dicitis, & eo quidem vinculo in quo magna miseria nulla vtilitate tenebatur. Nam & reuolutionem hominis in arborem, notũ est† vos, id est auctorem ipsum vestrum pro ingenti pœna, non tamẽ pro summa solere minitari: & num potest in arbore anima fieri, vt in homine sapientior? Non necandi hominis quippe certissima ratio est, ne aut eum neces cuius sapientia, & virtus aliis plurimum prodest, aut eum qui fortè poterat ad sapientiam peruenire, siue extrinsecus ab aliquo admonitus, siue interioribus cogitationibus diuinitus illustratus. Animam autem hominis quanto sapientior corpore excesserit, tanto vtilius excedere veritas docet, & ratione subtilissima, & auctoritate latissimè peruagata. Quamobrem qui arborem deiicit, animam nihil in sapientia proficientem de illo corpore liberat. Itaque vos homines sancti, vos inquam potissimum excidere arbores deberetis, & earum animas ab illo vinculo exutas, orationibus & psalmis ad meliora perducere. An de his animis hoc fieri potest, non quas mente adiuueritis, sed quas ventre receperitis? Quamuis idipsum animas arborũ quandiu sunt in arboribus, ad sapientiam non proficere, summæ angustiæ quantum arbitror vos compellũt fateri, cum à vobis quæritur, cur & arboribus nõ mittatur præceptor Apostolus, aut cur ille qui hominibus mittitur, non & arboribus prædicet veritatem. Hic cogimini respondere, illas animas percipere in talibus corporibus præcepta diuina non posse. Sed vehementius ab alio latere vrgemini, quandoquidem illas perhibetis, & audire voces nostras, & verba intelligere, & corpora motúsque corporum intueri, cogitationes

Arbores sapiunt.

denique ipsas perspicere. Quæ si vera sunt, cur nihil possunt à lucis Apostolo discere, vel cur etiam multo facilius non possunt quàm nos, cum interiora etiam mentis aspiciant? Ita enim magister ille, qui vos loquendo vix docet, vt dicitis, cogitando eas posset erudire, quæ sententias eius ante sermonem in anima cernerent. Si verò hæc falsa sunt, videte tandem in quo errore iaceatis. Iam quod poma ipsi non decerpitis, herbámque non vellitis, sed tamen ab auditoribus vestris decerpi & euelli atque afferri vobis iubetis, non vt iis qui afferunt tantum, sed vt iis etiam quę afferuntur, prodesse possitis, quis bene considerans vllo modo tolerauerit? Primò, quia nihil interest, vtrum ipse scelus admittas, an propter te ab alio admitti velis. Nolle te dicis. Quomodo ergo subuenitur illi diuinæ parti, quæ in lactucis & in porris iacet, si nemo hæc euellat, & ad sanctos purganda deferat? Deinde tuipse transiens per eum agrum, in quo tibi iure amicitiæ decerpendi quod libet potestas datur, si fico videris coruum imminentem, quid facies? Nónne ex opinione tua ficus ipsa tecum loqui, & deprecari miserabiliter videtur, vt eam ipse decerpas, & sancto ventre purificandam resuscitandámque sepelias potius quàm coruus ille deuoratam funesto corpori misceat, atque in alias formas illigandã cruciandámque transmittat? Quid te crudelius, si verum est? Quid ineptius, si falsum est? Quid magis contrarium disciplinæ vestræ, si signaculum solueris? Quid te inimicius Dei membro, si custodieris? Sed hoc ex vestra opinione falsa & nugatoria, nam certa & manifesta crudelitas in vobis esse conuincitur, ex eodem ipso errore manans. Si quis enim per morbum corpore dissoluto, fessus ab itinere, ac peste semianimis in via iaceat, nihil valens amplius quàm vtcunque verba proferre, cui prosit ad stringendum corpus pirum dari, teque transeuntem vt subuenias oret, atque obsecret vt de arbore proxima, à qua nullo humano, nullo denique vero iure prohiberis, pomum afferas homini, post paululum nisi feceris morituro, tu vir Christianus, & sanctus transibis potius, & hominem sic affectum precantémque deseres, ne arbor ploret dum fructus demitur, & tu signaculi dissolutor ad pœnas Manichæis destineris. O mores & innocentiam singularem. Sed iam de nece animalium requiram quod mouet, & multa quidem huiusmodi etiam in hoc genere dici possunt. Nam quid oberit animæ lupi, qui lupum interfecerit: cum & lupus ille quandiu viuit, lupus futurus sit, nec vlli obtemperet prædicatori, vt aliquantum ab ouium sanguine temperet: & ex illo vinculo corporis, anima secundum vos rationalis, interfecta belua liberetur? Et ab hac quidem cæde auditores etiam vestros prohibetis. Maior enim videtur quàm in arboribus. Hic vestros sensus corporeos videlicet non multum probo. Videmus enim & vocibus sentimus, cum dolore mori animantia, quod quidem homo contemnit in bestia, cum qua scilicet rationalem animam non habente, nulla legis societate copulatur. Sed eosdem vestros sensus in intuendis arboribus quæro, & vos cæcos prorsus inuenio. Vt enim omittam, quod nullis motibus in ligno sensus doloris apparet quid manifestius, quàm tũc se optimè habere arborem, cum viget, cum frondet, cum floribus læta, fructibus opulenta est? At hoc ei plerunq; ac maximè putatione præstatur. Quòd si ferrum sic sentiret, vti vultis, contabescceret potius tot tantisque affecta vulneribus, quàm ex illis pullulans locis, tam certa exultatione reuirescceret. Veruntamen cur maius nefas putatis animalia quàm stirpes cædere, cum illæ vobis puriorem animam quàm carnes habere videantur? Fit, inquit, compensatio quædam,

dam, cum eorum quæ de agris auferuntur pars aliqua datur electis sanctisque purganda. Iam superius ista frustrata sunt, satisque demonstratum est, quantum existimo, nulla ratione dici plus esse in frugibus partis illius bonæ quàm in carnibus. Sed si vendendis carnibus victum quisque sustentet, atque omne talis negocij lucrum in emendis electorum vestrorum cibis consumat, pluresque iste afferat sanctis escas quam agricola & rusticus, nónne eadem compensatione sibi animantia licere perimere clamitabit? Est, inquit, alia quædam secretissima ratio. Non enim deest homini callido aduersus indoctos in naturę obscuritate perfugium. Cœlestes enim ait principes, qui de gente tenebrarum capti atque vincti, à conditore mundi in illis ordinati sunt locis, sua quisque possidet in terra animalia, de suo scilicet genere ac stirpe venientia: qui peremptores eorum reos tenent, nec de hoc mundo exire permittunt, pœnisque illos quibus possunt & cruciatibus afterunt. Quis imperitorum hæc non formidet? & qui in tanta obscuritate nihil videt, hoc ita vt dicitur esse non arbitretur? Sed ego institutum non relinquam meum, cui Deus aderit, vt apertissima veritate obscura mendacia refellantur. Quæro enim, si animalia quæ in terris sunt, & in aquis de illo genere principum per successionem prolis & operationem concubitus veniunt, cum ad illos abortiuos fœtus reuocatur origo nascentium: quæro, inquam, si ita est, vtrum apes & ranas, & alia multa, quæ sine concubitu gignuntur, non sit nefas occidere? Nefas esse dicitis. Non ergo propter cognationem principum nescio quorum, ab animantium nece auditores vestros prohibetis. Aut si generalem cognationem omnium esse corporum dicitis, arbores quoque ad eandé principum offensionem proculdubio pertinebunt, quibus parcere non est mandatum † auctoribus. Reditur ergo ad illud inualidum, ea quæ in stirpibus auditores lædunt, expiari per fructus, quos ad ecclesiam vestram ferunt. Dictum est enim hoc modo, eos qui in macello laniant animalia carnesque venditant, si vestri auditores sint suáq; lucra comparatis frugibus vobis conferant, cædem illam quotidianam sibi licere contemnere, & quicquid in ea peccati est, vestris epulis aboleri. Quòd si dicatis, quèthadmodum de pomis & de oleribus conferendum fuisse, vt illa interfectione venia mereretur: quod quia fieri non potest, electi enim non edunt carnem, temperandum esse auditoribus à nece animalium: quid respondebitis de spinis herbisque inutilibus, quas euellendo in agris purgandis agricolæ necant, nec ex his vobis possunt cibos aliquos exhibere? Quomodo ad veniam pertinebit tanta vastatio, vnde nulla est esca sanctorum? An forte quicquid peccatum fuerit vt fruges, & poma proficiant, & de ipsis frugibus & pomis aliquid comedendo dissoluitis? Quid si ergo agros locustæ aut mures aut sorices vastent, quod sæpe accidere manifestum est, impunè ab agricola vestro auditore necabuntur, quia ideo peccat vt fructus proficiant? Hic certè coarctamini. Aut enim conceditis auditoribus interfectionem animalium, quam vester auctor concedere noluit, aut eos ab agricultura etiam prohibebitis, quàm ille concessit. Quanquam sæpe etiam dicere audeatis, fœneratorem innocentiorem esse quàm rusticum, vsque adeo melonibus quàm hominibus estis amiciores. Si quidem illi ne lædantur, melius iudicatis hominem fœnore trucidari. Hæccine est apperenda, & prædicanda iustitia, an potius execranda & damnanda fallacia? Hæccine est misericordia memorabilis, an execranda potius immanitas? Quid quod à nece animalium nec vosipsi in pediculis & pulicibus & cimicibus temperatis? Magnámque huius rei defensionem putatis, quod has esse sordes nostrorum corporum dicitis. Quod primo apertè falsum de pulice & cimice dicitur. Cui enim non manifestum est, hæc animalia non de nostro corpore existere? Deinde si concubitum vehementius execramini, quod nimium videri vultis, cur non vobis mundiora videntur animalia, quæ sine concubitu de nostra carne nascuntur? quanquam enim postea coëundo pariant, non tamen nobis coëuntibus de nostro corpore primo nascuntur. Iam verò si quæcunque de viuentibus gignuntur corporibus, sordidissima sunt putanda, multo magis quæcunque de mortuis. Impunius ergo occiditur vel sorex, vel anguis, vel scorpio, quos de humanis cadaueribus nasci à vobis potissimum solemus audire. Sed obscura omitto & incerta. De apibus certè fama est celebrior, quòd de boum cadaueribus oriantur. Ergo occiduntur impunè. At si hoc quoque dubium est, nemo ferè de scarabeis dubitat, quin de fimo in pilam rotundato ab his atque obruto existant. Hæc igitur animalia & alia quę prosequi longum est, sordidiora certè debetis opinari, quàm pediculos vestros: & tamen illa occidere nefas vobis videtur, his autem parcere stultum: nisi fortè quod sunt hæc animalia parua contemnitis. Sanè si ita est, vt animal quo breuius est, eo contemptius esse debeat, necesse est camelum homini præferatis. Huc accedit illa gradatio, quæ cum vos audirem, nos sæpe turbauit. Nulla enim causa est, cur propter paruum corporis modulum, pudex necandus sit, non etiam musca quæ in faba gignitur. Et si hæc, cur non etiam ista paulò amplior, cuius certè fœtus minor est quàm illa. Hoc etiam sequitur, vt apis quoque sine culpa perimatur, cuius pullus vix huic muscæ coæquatur. Inde ad locustæ pullum & locustam, inde ad pullum muris & murem. Et ne longum faciam, nónne videtis his gradibus ad elephantem perueniri, vt omnino recusari non possit ingentem illam beluam sine culpa se occidere, quisquis propter paruulum corpus interfectionem pulicis peccatum esse non putat? Sed iam etiam de huiusmodi nugis satis dictum arbitror.

† auditoribus.

Lex. cap. 7

Scarabeus & fimus.

capimus

CAPVT XVIII. *De signaculo sinus & nefandis mysteriis.*

RESTAT signaculum sinus, in quo multum incerta est castitas vestra. Non enim concubitum, sed vt longè antè ab Apostolo dictum est, vere nuptias prohibetis, quæ talis operis vna est honesta defensio. Hic non dubito vos esse clamaturos, inuidiámque facturos, castitatem perfectam vos vehementer commendare atque laudare, non tamen nuptias prohibere: quandoquidem auditores vestri, quorum apud vos secundus est gradus, ducere atque habere non prohibentur vxores. Quæ cum magna voce & magna indignatione dixeritis, ego vos lenius interrogabo ad hunc modum: Nónne vos estis qui filios gignere, eo quod animæ ligentur in carne, grauius putatis esse peccatum, quàm ipsum concubitum? Nónne vos estis, qui nos solebatis monere, vt quantum fieri posset, obseruaremus tempus, quo ad conceptum mulier post genitalium viscerum purgationem apta esset, eóque tempore à concubitu temperaremus, ne carni anima implicaretur? Ex quo illud sequitur, vt non liberorum procreandorum causa, sed satiandæ libidinis habere coniugem censeatis. Nuptiæ autem vt ipsæ nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum causa marem fœminámque coniungunt: quisquis ergo procreare liberos quàm concumbere grauius dicit esse peccatum, prohibet vtique nuptias: & non iam vxorem, sed meretricem fœminam facit, quæ donatis sibi certis rebus, viro ad explendam eius libidinem iungitur. Si enim vxor est, matrimonium est. Non autem matrimonium est vbi datur opera ne sit mater: non igitur vxor.

Quocirca

1 Tim. 1. Quocirca nuptias prohibetis, nec ab hoc crimine, quod olim à Spiritu sancto de vobis prædictum est, vlla vos ratione defenditis. Iam verò cum vehementer satagitis, ne per concubitum anima ligetur in carne; & vehementer asseritis, per sanctorum cibum animam de seminibus liberari, nónne confirmatis, ô miseri, quod de vobis homines suspicentur? Cur enim cum de tritico & faba & de lenticula aliisque seminibus vescimini, liberare vos velle animam creditis, de animalium seminibus non credatur? Non enim vt ipsam carnem mortui animantis immundam esse dicitis, quod animam non habet: hoc ita potestis & de animantis semine dicere, in quo animam quæ apparebit in prole, colligatam esse censetis, & in quo ipsius Manichæi animam implicatam fuisse fatemini. Et quia non possunt ab auditoribus vestris purganda vobis talia semina afferri, quis non suspicetur secretam de vobisipsis inter vos fieri talẽ purgationem, & ideo illis ne vos deserant occultari? Quæ si non facitis, quod vtinam ita sit, videtis tamen quantæ suspicioni vestra superstitio pateat, & quàm non sit hominibus succensendum id opinantibus, quod de vestra professione colligitur, cum vos animas per escam & potum, de corporibus & sensibus liberare prædicatis. Nolo hic diutius immorari, & videtis quantus sit inuectionis locus. Sed quia & res talis est, vt eam potius reformidet quàm insectetur oratio, & propositum illud meum per totum sermonem animaduerti potest, quo statui nihil exaggerare, sed nudis quodammodo rebus & rationibus agere, transeamus ad aliud.

CAP. XIX. *Flagitia Manichæorum.*

IAM enim satis apparet, qualia sint tria vestra signacula: hi sunt vestri mores, hic finis admirabilium præceptorum, vbi nihil certum, nihil constans, nihil rationabile, nihil inculpabile: sed omnia dubia, imò verò sine dubitatione falsissima, omnia repugnátia, abominabilia, absurda. Denique tam multa & tam grauia peccata in his moribus deprehenduntur, vt si quis accusare velit omnia homo alicuius facultatis, singula, vt minimum, singulis voluminibus possit. Hæc igitur si custodiretis, vestrámque impleretis professionem, nihil vobis esset ineptius, nihil stultius, nihil imperitius. Cum autem laudatis & docetis ista, nec facitis, quid vobis fallacius, quid insidiosius, quid malitiosius dici aut inueniri potest? *Nouem annos totos magna cura & diligentia vos audiui, nullus mihi electorum innotescere potuit, qui secundum hæc præcepta non aut deprehensus in peccato, aut certè suspicioni subditus fuerit. Multi in vino & carnibus, multi latantes in balneis inuenti sunt. Sed hæc audiebamus. Nonnulli alienas fœminas seduxisse approbati sunt, ita vt hinc planè dubitare non possim. Sed sit & hæc magis fama quàm verum. Vidi ipse non solus, sed cum iis qui partim iam illa superstitione liberati sunt, partim adhuc opto vt liberentur. Vidimus ergo in quadriuio Carthaginis in platea celeberrima, non vnum sed plures quàm tres electos simul post transeuntes nescio quas fœminas tam petulanti gestu adhinnire, vt omnium triuialium impudicitiam impudentiámque superarent. Quod de magna venire consuetudine, atque illos inter se ita viuere satis eminebat, quandoquidem nullus socij præsentiam veritus, omnes, aut certè penè omnes eadem teneri peste indicabat. Non enim erant hi ex vna domo: sed diuersè prorsus habitantes, ex eo loco vbi conuẽtus omnium factus erat, pariter fortè descenderant. Nos autem grauiter commoti, grauiter etiam questi sumus. Quis tandem hoc vindicandum, non dicam separatione ab ecclesia, sed pro magnitudine flagitij vehementius saltem obiurgationibus arbitratus est? Et hæc erat omnis excusatio impunitatis illorum, quod eo tempore quo conuenticula eorum lege publica prohiberentur, ne quid læsi proderent, metuebatur. Vbi est ergo quod perpetuam sibi persecutionem in hoc mundo futuram prædicãt, eóque se commendatiores haberi volunt: hinc interpretantes quod hic mundus eos oderit, & propterea penes se quærendam veritatem affirmantes, quia in promissione spiritus sancti paracleti dictum est, quòd eum mundus iste accipere non possit. De qua re non iste locus differendi est. Sed certè si perpetua vobis persecutio futura est, vsque in seculi finem, perpetua erit & hęc dissolutio, tantæque turpitudinis impunita contagio, dum tales hædere formidatis. Id etiam nobis responsum est, cum ad ipsos primates detulissemus conquestam nobis esse mulierem, quod in conclaui vbi cum aliis fœminis erat, de illorum scilicet sanctitate secura, ingressis electis pluribus, & ab vno lucerna extincta, incertum cuius eorum in tenebris appetita esset amplexu, & coacta in flagitium, nisi subsidio clamoris euasisset. Hoc vobis quoque notissimum nefas, de quanta consuetudine venisse arbitrandum est? Et hoc factum est ea nocte, qua festæ apud vos vigiliæ celebrabantur. Sed reuera etiam si nullus esset proditionis metus, quis posset damnandum offerre episcopo, qui sic præcauerat ne agnosceretur? Quasi verò non omnes idem crimen inuolutos teneat, qui simul ingressi erant. Nam omnibus petulanter iocantibus lucerna extincta placuerat. Suspicionibus verò ianuæ quantæ aperiebantur, cum eos inuidos inueniebamus, cum auaros, cum epularum exquisitarum auidissimos, cum in iurgiis frequentissimos, cum de rebus exiguis mobilissimos? Non vtique arbitramur eos temperare posse, à quibus se temperare profitebantur, quando latibula & tenebras inuenirent. Duo quidem erant existimationis satis bonæ, facili ingenio, atque in illis suis disputationibus principes, nobis amplius quàm cæteri familiariúsque coniuncti. Quorum vnus qui propter studia etiam liberalia nobis arctius adhęrebat hic, nunc ibi esse presbyter dicitur. Hi sibi grauiter inuidebant, & obiiciebat alter alteri, non accusatione manifesta, sed sermone apud quos poterat & susurris, ab eo violenter attentatam cuiusdam auditoris vxorem. Ille autem se purgans, interim apud nos alium eiusdem sceleris electum criminabatur, qui apud eundem auditorem, quasi amicus fidelissimus habitabat. Quem quoniam subitò ingrediens cum muliere deprehenderat, dicebat mulieri & adultero ab illo inimico atque inuido consilium datum, vt illa sibi conflaretur calumnia, ne si quid proderet, crederetur. Angebamur nos, & molestissimè ferebamus, quod etiamsi de appetita muliere incertum erat, liuor tamen in illis duobus quibus meliores ibi non inueniebamus, apparebat acerrimus, & alia coniicere cogebat. Postremò in theatris electos, & ætate, & (vt videbantur) moribus graues, cum sene presbytero sæpissimè inuenimus. Omitto iuuenes, quos etiam rixantes pro scenicis & aurigis deprehendere solebamus, quæ res non mediocri argumento est, quomodo se possint continere ab occultis, cum eam cupiditatem superare non possint, quæ illos auditorum suorum oculis sustentat, & prodit erubescentes atque fugitantes. An verò illius etiam sancti, ad cuius disputationes in ficariorum vicum ventitabamus, tantum illud flagitium proderetur, si virginem sanctimonialem mulierem tantum, non & prægnantem facere potuisset. Sed occultum & incredibile malum, crescens vterus latere non passus est. Quod cum mater fratri iuueni prodidisset, acerrimè dolens, religionis tamen nomine ab accusatione publica reuocatus est: perfecitque vt ille (non enim hoc ferre quisquam posset) de illa ecclesia pelleretur: & ne impunita

Conf. lib. 3. cap. 11. & lib. 5. cap. 6. a Sup. ca. 19 lib. 1.

punita res omnino esset, cepit consilium, vt adiunctis A sibi amicis, hominem pugnis calcibúsque concideret. At ille cum grauiter cæderetur, clamabat, vt sibi ex auctoritate Manichæi parceretur. Adam primum heroëm peccauisse, & post peccatum fuisse sanctiorem. Talis est namque apud vos opinio de Adam & Eua: longa fabula est, sed ex ea attingam quod in præsentia satis est. Adam dicitis sic à parentibus suis genitum, abortiuis illis principibus tenebrarum, vt maximam partem lucis haberet in anima, & perexiguam gentis aduersæ. Qui cum sancte viueret propter exuperantem copiam boni, commotam tamen in eo fuisse aduersam illam partem, vt ad concubitum declinaretur: ita eũ lapsum esse atque peccasse, sed vixisse postea sanctiorem. Hic ego non tam de nequam homine conqueror, qui stupro nefario alienam famulam sub habitu electi, & sancti viri ad tãtum dedecus infamiámque perduxit. Non hoc vobis obiicio. Fuerit hoc hominis perditissimi potius quàm consuetudinis vestræ. Non enim tantum flagitium in vobis, sed in illo arguo. Illud tamen in omnibus vobis quemadmodum ferri, & tolerari possit ignoro, quòd cum animam partem Dei esse dicatis, asseritis tamen etiam exiguo admixto malo, maiorem eius copiam vbertatémque superari. Quis enim cum hoc crediderit, & eum libido pulsauerit, non ad talem defensionem potius, quàm eius libidinis refrenationem compressionémque confugiat? B

CAPVT XX. *Flagitia eorundem Romæ deprehensa.*

QVID amplius dicam de moribus vestris? Dixi quę ipse comperi, cum in ea essem ciuitate vbi ista commissa sunt. Romæ autem me absente quid actum sit, longum est explicare. Dicam tamen breui. Eò enim res erupit, vt occulta esse non posset absentibus: & ego quidem postea Romæ cum essem: C omnia vera me audisse firmaui: quamuis tam familiaris & mihi probatus qui præsens erat, ad me rem pertulerat, vt omnino dubitare non possem. Nam quidam vester auditor, in illa memorabili abstinentia nihilo electis cedẽns, qui & liberaliter institutus esset, & vestram sectam copiosè vellet & soleret defendere, molestissimè ferebat, quod ei vagè pessiméque habitantium passimque viuentium electorum mores perditissimi sæpe disputanti obiiciebantur. Cupiebat itaque, si fieri posset, omnes qui secundum illa præcepta vitam degere parati essent, congregare in domum suam, & suis sumptibus sustinere. Erat enim & non mediocris pecuniæ contemptor, & non mediocriter pecuniosus. Quærebatur autem impediri tantos conatus suos episcoporum dissolutione, quibus adiuuantibus implere debebat. Interea autem episcopus quidam homo planè (vt ipse expertus sum) rusticanus atque impolitus, sed nescio quomodo ea ipsa duritia seuerior in custodiendis bonis moribus videbatur. Hũc diutissimè desideratum & aliquando præsentem arripit iste, exponit voluntatem suam: laudat ille atq; consentit, placet vt in domo eius prior ipse incipiat habitare. Quod vbi factum est, eò congregati sunt electi omnes qui Romæ esse potuerunt. Proposita est viuendi regula de Manichæi epistola. Multis intolerabile visum est. Abscesserunt. Remanserunt tamen pudore non pauci. Cœpit ita viui vt placuerat, & vt tanta præscribebat auctoritas: cum interim auditor ille vehementer omnes ad omnia cogeret, neminem tamẽ ad id quod non prior ipse susciperet: interea rixæ inter electos oriebantur creberrimæ, obiiciebantur abinuicem crimina, quæ ille omnia gemens audiebat, dabátque operam, vt seipsos in iurgando incautissimè proderent. Prodebant nefanda & immania. Ibi cognitum D est quales essent, qui tamen inter cæteros vim præceptorum illorum subeundam sibi putauerunt esse. Iam de cæteris quid suspicandum erat, aut quid potius iudicandum? Quid plura? Coacti aliquando murmurauerunt sustineri illa mandata non posse. Inde in seditionem. Agebat auditor causam suam complexione breuissima, aut illa omnia esse seruanda, aut illum qui talia sub tali conditione præcepisset, quæ nullus posset implere, stultissimum existimandum. Vicit tamen, non enim aliter poterat, vnius sententiam effrenatissimus plurium strepitus. Postea etiam ipse cessit episcopus, & cum magno dedecore aufugit. Huius sanè cibi præter regulam clanculo accepti, & sæpe inuenti ferebantur, cum ei de proprio sacculo diligenter occultato pecunia copiosa suppeteret. Hæc si falsa esse dicitis, nimis apertis & peruulgatis rebus obsistitis. Sed vtinam hoc dicatis. Cũ enim sint ista manifesta, & iis qui scire voluerint cognitu facillima, intelligitur quam verè dicere soleant, qui hæc vera esse negauerint. Sed aliis defensionibus vtimini, quas ego non improbo. Aut enim dicitis aliquos qui vestra præcepta custodiãt, nec eos aliorum criminibus debere perfundi: aut non oportere omnino quæri quales sint homines, qui vestram sectam profitentur, sed qualis sit ipsa professio. Quorum ego vtrumque admisero, quanquam nec illos fidos mandatorum obseruatores demonstrare, nec ipsam hæresim à tot & tantis nugis atque sceleribus purgare possitis. Illud tamẽ à vobis magnopere requiram, cur maledictis insectemini Christianos catholici nominis, quorundam intuẽtes perditam vitam, cum de vestris hominibus haberi quæstionẽ, aut impudenter recusetis, aut impudentius non recusetis, velitísque intelligi in tanta vestra paucitate latere nescio quos qui sua præcepta custodiant, & in tanta catholicæ multitudine non velitis?

FINIS.

DIVI

DIVI AVRELII AVGVSTINI

DE GENESI CONTRA MANI-CHÆOS, LIBER PRIMVS.

D. Augustinus 1. retract. cap. 10.

De Genesi aduersus Manichæos.

IAM verò in Aphrica constitutus, conscripsi duos libros De Genesi contra Manichæos. Quamuis enim in superioribus libris quicquid disputaui, vnde ostenderem Deũ summe bonum & immutabilem creatorem esse omnium mutabilium naturarum, nec vllam esse naturam malam siue substantiam inquãtum natura est atque substantia, aduersus Manichæos nostra inuigilaret intentio: isti tamen duo libri apertissimè aduersus eos editi sunt in defensionem veteris legis, quã vehementi studio vesani erroris oppugnant. In primo ab eo quod Cap. 1. Gen. 1. 4. 1. scriptum est: In principio fecit Deus cęlum & terram: donec septem peragãtur dies, vbi legitur Deus requieuisse in die septimo. In secũdo autem ab eo quod scriptum est, Hic liber creaturæ cæli & terræ, donec Adam & mulier eius dimissi sunt de paradiso, & custodia posita est ligno vitæ. Deinde in fine libri errori Manichæorum fidẽ catholicæ veritatis opposui, quid illi dicant, & nos quid dicamus breuiter apertéq; com Lib. 1. cap. 3 plectens. Quod verò dixi: Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credũt, & ab amore visibilium rerum & temporalium se ad eius præcepta implẽda conuertunt, quod omnes homines possunt si velint, non existiment noui hæretici Pelagiani secundum eos esse dictum. Verum est enim omnino, omnes homines hoc posse si velint, sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis, vt possint. Quod hic ideo dictum non est, quoniam præsenti ne- Lib. 1. ca. 19 cessarium non erat quæstioni. Quod verò ibi legitur, Gen. 1. d. 28 benedictionem Dei qua dictum est, Crescite & multiplicamini: in carnalem fœcunditatem post peccatum conuersam esse credendum, si non potest alio modo dictum videri, nisi vt putentur illi homines non habituri fuisse filios homines nisi peccassent: omnino Lib. 1. ca. 20 non approbo. Illud etiam non est consequens, vt ideo intelligatur in allegoria tantummodo esse accipiendum, quod herbæ virides, & ligna fructifera omni generi bestiarum, & omnibus auibus, & omnibus serpentibus in libro Geneseos dantur ad cibum, quia sunt & quadrupedia & volatilia, quæ solis carnibus viuere videantur. Fieri enim posset vt alerentur ab hominibus etiam de fructibus terræ, si propter obedientiam qua ipsi homines Deo sine vlla iniquitate seruirent, mererentur omnes bestias & aues omni modo habere seruientes. Item mouere potest quomodo dixerim de po Lib. 1. ca. 23 pulo Israël: adhuc corporali circũcisione & sacrificiis, tanquam in mari gentium populus ille legi seruiebat. Quandoquidem apud gentes sacrificare non poterãt, sicut eos & nunc videmus sine sacrificiis remãsisse, nisi fortè quod per pascha immolant ouem, hoc in sacrifi- Cap. 3. cio deputetur. In secundo etiam libro illud quod posui, nomine pabuli significari posse vitam, cum melioris interpretationis codices non habeant pabulum sed fœnum, nõ satis aptè dictum videtur. Non enim congruit fœni nomẽ significationi vitæ, quomodo pabuli. Item videor non rectè appellasse verba prophetica Lib. 2. cap. 5 quibus scriptum est, Quid superbit terra & cinis? quia Ec. 10. b. 10 Lib. 2. cap. 8 non in eius libro legitur quem certi simus appellandũ esse prophetam. Nec illud Apostoli, vbi adhibet testi- 1 Cor. 15. f. 45. monium de Genesi, dicens: Factus est primus homo Adam in animam viuentem, sicut ille voluit, intellexi Gen. 2. b. 7. cum exponerem quod scriptum est, Insufflauit Deus A in faciem eius flatum vitæ, & factus est homo in animam viuam, vel in animam viuẽtem. Apostolus enim ad hoc adhibuit illud testimoniũ, vt probaret esse corpus animale: ego autem hinc putaui hoc esse mõstrandum, animalem factum prius hominem, non corpus hominis solum. Quod autẽ dixi, Nulli naturæ nocere Lib. 2. c. 28. peccata nisi sua: ideo dixi, quoniã iusto qui nocet, non ei verè nocet, quandoquidem etiam mercedem eius auget in cælis: sibi autem peccando verè nocet, quia propter ipsam voluntatem nocendi, recipiet id quod nocuit. Possunt sanè Pelagiani ad suũ dogma trahere istam sententiam, & ideo dicere, paruulis aliena non nocuisse peccata, quia dixi nulli naturę nocere peccata nisi sua: non intuentes ideo paruulos, qui vtiq; pertinent ad humanam naturã, trahere originale peccatum, quia in primis hominibus natura humana peccauit, ac per hoc naturæ humanæ nulla nocuere peB cata nisi sua. Per vnũ quippe hominem in quo omnes Rom. 5. c. 12 peccauerunt, peccatum intrauit in mundum: non enim nulli homini, sed nulli naturæ dixi peccata nocere nisi sua. Item in eo quod paulò pòst dixi, Nullũ esse Li. 2. ca. 29 malum naturale: possunt quærere similem latebram, nisi hoc dictum ad naturam talem referatur, qualis sine vitio primitùs cõdita est. Ipsa enim verè ac propriè natura hominis dicitur. Translato autẽ verbo vtimur, vt naturam dicamus etiã quali nascitur homo, secundum quam locutionẽ dixit Apostolus: Fuimus enim Eph. 2. a. 3. & nos aliquando natura filij iræ, sicut & cæteri. Hoc opus sic incipit:

C SI eligerent Manichæi quos deciperent, eligeremus & nos verba quibus eis respondere mus: cũ verò illi & doctos literis, & indoctos errore suo persequantur, & cum promittunt veritatem, à veritate conentur auertere: nõ ornato politóque sermone, sed rebus manifestis conuincẽda est vanitas eorum. Placuit enim mihi quorundam verè Christianorum sententia, qui cum sint eruditi liberalibus literis, tamen alios libros nostros, quos aduersus Manichæos edidimus cum legissent, viderunt eos ab imperitioribus, aut vix aut difficile intelligi, & me beneuolentissimè monuerunt, vt communem loquendi consuetudinem non desererem, si errores illos tã pernicioso s ab animis etiam imperitorum expellere cogitarem. Hũc enim sermonem vsitatum & simplicem etiam docti intelligunt, illum autem indocti non intelligunt. Solẽt ergo Manichæi Scripturas veteris Te- 1. retr. ca. 19 stamenti, quas non nouerunt vituperare, & ea vituperatione infirmos & paruulos nostros, non inuenientes D quomodo sibi respondeant, irridere atque decipere. Quia nulla Scriptura est, quæ non apud eos qui illam non intelligunt facilè possit reprehendi. Sed ideo diuina prouidentia multos diuersi erroris hæreticos esse permittit, vt cum insultant nobis, & interrogant nos ea quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, & diuinas Scripturas nosse cupiamus. Propterea & Apo- 1 Cor. 11. stolus dicit, Oportet hæreses esse, vt probati manifesti d. 19. fiant inter vos. illi enim Deo probati sunt, qui bene possunt docere: sed manifesti hominibus esse nõ possunt, nisi cum docent. Docere autem nolunt, nisi eos qui doceri quærunt. Sed multi ad quærendum pigri sunt, nisi per molestias & insultationes hæreticorum

CAP. 1. Cur hic stylus demiserit.

quasi de somno excitentur,& de imperitia sua erubescant sibi, & de illa imperitia sua periclitari se sentiant. Qui homines si bonæ sunt fidei, non concedunt hæreticis, sed quid eis respondeant diligenter
Matth.7.b. inquirunt. Nec eos deserit Deus, vt petentes accipiant, & quærentes inueniant, & pulsantibus aperiatur. Qui autem desperant se posse in catholica disciplina inuenire quod quærunt, atteruntur erroribus, & si perseueranter inquirunt, ad ipsos fontes à quibus aberrauerant post magnos labores fatigati atque sitientes, & penè mortui reuertuntur.

CAP. II. *Stultè quæri, quare Deus cõdiderit mũdum.* *Gen.1.a.1.* PRIMVM ergo librum veteris Testamenti, qui inscribitur Genesis, sic solent Manichæi reprehendere. Quod scriptum est, In principio fecit Deus cælum & terram: quærunt, in quo principio: & dicunt, Si in principio aliquo temporis fecit Deus cælum & terram, quid agebat antequam faceret cælum & terram? Et quid ei subitò placuit facere, quod nũquam
Lib.11 de Ciuit.Dei, cap.4. antea fecerat per tempora æterna? His respondemus, Deum in principio fecisse cælum & terram: non in principio temporis, sed in Christo: cum verbum esset apud patrem, per quod facta & in quo facta sunt o-
Ioan.1.a.3. mnia. Dominus enim noster Iesus Christus cum eum
Ibid.8.c.25 Iudæi interrogassent quis esset: respondit; Principiũ, quod & loquor vobis. Sed & si in principio temporis Deum fecisse cælum & terram credamus, debemus vtique intelligere, quòd ante principium temporis nõ erat tempus. Deus enim fecit & tempora. Et ideo antequam faceret tempora, non erant tempora. Non ergo possumus dicere fuisse aliquod tempus quando Deus nondum aliquid fecerat. Quomodo enim erat tempus quod Deus non fecerat, cum omnium temporum ipse sit fabricator? Etsi tempus cum cælo & terra esse cœpit, non potest inueniri tempus quando Deus nondum fecerat cælum & terram. Cum autem dicitur, quid ei placuit subitò? sic dicitur, quasi aliqua tempora transierint, quibus Deus nil operatus est. Non enim transire poterat tempus, quod nondum fecerat Deus, quia non potest esse operator temporum, nisi qui est ante tempora. Certè & ipsi Manichæi legunt apostolum Paulum, & laudant & honorant: & eius Epistolas malè interpretando multos decipiunt.
Tit.1.a.1.2 Dicant ergo nobis quid dixerit apostolus Paulus, Agnitionem veritatis quæ est secundum pietatem Dei in spem vitæ æternę, quam promisit non mẽdax Deus ante tempora æterna. Æterna enim tempora quid ante se habere potuerunt? Hoc ergo cogantur exponere, vt intelligant se non intelligere, cum temerè volunt reprehendere, quòd diligenter quærere debuerunt. Si autem non dicunt, quid placuit Deo subitò facere cælum & terram, sed tollunt inde, subitò: & hoc tantum dicunt, quid placuit Deo facere cælum & terram? Non enim coæuum Deo mundum istum dicimus, quia non eius ęternitatis est hic mundus, cuius æternitatis est Deus: mundum quippe fecit Deus, & sic cum ipsa creatura quam Deus fecit, tempora es-
Quomodo æterna tẽpora, & quæ Deus creauit, bona dicantur. se cœperunt. Et ideo dicuntur tempora æterna, non tamen sic sunt æterna tempora quomodo æternus est Deus, quia Deus est ante tempora, qui fabricator est temporum. Sicut omnia quæ fecit Deus bona sunt valde, sed nõ sic bona sunt, quomodo bonus est Deus qui illa fecit, hæc autem facta sunt. Nec ea genuit de seipso, vt hoc essent quod ipse est: sed ea fecit de nihilo, vt non essent æqualia, nec ei à quo facta sunt, nec filio eius per quem facta sunt, Iustus est enim. Si ergo isti dixerint, quid placuit Deo facere cælum & terram? Respondendum est eis, vt prius discant vim voluntatis humanæ, qui voluntatem Dei nosse desiderant. Causas enim voluntatis Dei scire quærunt,
Dei voluntas omnium causa. cum voluntas Dei omnium quæ sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas Dei, est aliquid quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit, Quare fecit Deus cælum & terram? Respondendum est ei, Quia voluit. Voluntas enim Dei causa est cæli & terræ, & ideo maior est voluntas Dei quàm cælum & terra. Qui autem dicit, Quare voluit facere cælum & terram? maius aliquid quærit quam est volũtas Dei: nihil autem maius inueniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, & id quod non est non quærat, ne id quod est non inueniat. Et si voluntatem Dei nosse quisquam desiderat, fiat amicus Deo: quia si voluntatem hominis nosse quisquam vellet, cuius amicus non esset, omnes eius impudentiam ac stultitiam deriderent: non autem quisquam efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus, & illo fine præcepti de quo Apostolus dicit, Fi-
1 Tim.1.b.5 nis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Quod isti si haberent, non essent hæretici.

CAPVT III. *Tenebræ super abyssum. Gen.1.a.2.* QVOD autem sequitur in libro Geneseos, "Terra erat inuisibilis & incomposita: sic reprehendũt Manichęi, vt dicãt, Quomodo fecit Deus in principio cælum & terram, si iam terra erat inuisibilis & incomposita? ita cum volunt Scripturas diuinas prius vituperare quàm nosse, etiam res apertissimas non intelligunt. Quid enim manifestius dici potuit, quam hoc dictum est, In principio fecit Deus cælum & terram, terra autem erat inuisibilis & incomposita: id est, In principio fecit Deus cælum & terram, terra autem ipsa quam fecit Deus, inuisibilis erat & incomposita, antequam Deus omniũ rerum formas locis, & sedibus suis ordinata distinctione disponeret: antequam diceret, Fiat lux, & fiat firmamentum, & congregentur aquæ & appareat arida: & cætera quæ in eodem libro sic exponuntur per ordinem, quemadmodum possint ea paruuli capere. Quæ omnia continent tam magna mysteria, vt quisquis ea dicerit omnium hæreticorum vanitatem vel doleat, quia homines sunt, vel derideat, quia superbi sunt. Sequitur in eodẽ libro, Et tenebræ erant super abyssum. Quod Manichæi reprehendunt dicentes, In tenebris ergo erat Deus, antequam faceret lucem? Verè ipsi sunt in tenebris ignorantię, & ideo non intelligunt lucem, in qua Deus erat antequam faceret istam lucem. Non enim norunt isti lucem, nisi quam carneis oculis vident. Et ideo istum solem, quem pariter non solũ cum bestiis maioribus, sed etiam cum muscis & vermiculis cernimus, illi sic colunt vt particulam dicant esse lucis illius in qua habitat Deus. Sed nos intelligamus aliam lucem esse in qua Deus habitat, vnde est illud lumen de quo in Euangelio legitur, Erat lumen *Ioan.1.a.9.* verum, quod illuminat omnem hominem veniẽtem in hunc mundum. Nam solis istius lumen non illuminat omnem hominem, sed corpus hominis & mortales oculos, in quibus nos vincunt aquilarum oculi, qui solem istum multò melius quàm nos dicuntur aspicere. Illud autem lumẽ non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad eius prẽcepta seruanda conuertunt. Quod omnes ho-
Liberum arbitrium. l.retr.10. mines possunt si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum. Ergo tenebrę erant super abyssum antequam lux ista fieret: de qua consequenter hoc loco dicitur.

ET dixit Deus; Fiat lux. Quia vbi lux non est, tenebræ sunt: non quia aliquid sunt tenebræ, sed ipsa lucis absentia tenebrę dicuntur. Sicut silentium non aliqua res est, sed vbi sonus non est, silentium dicitur. Et nuditas aliqua res non est, sed in corpore vbi tegumentum non est, nuditas dicitur. Et inanitas nõ est aliquid, sed locus vbi corpus non est, †inanitas dicitur. Sic tenebræ non aliquid sunt, sed vbi lux nõ est, tenebræ dicuntur. Hoc ideo dicimus, quia solent dicere, Vnde

Gen.1.a.3. CAPVT IIII. *Quòd tenebræ nihil sint. 2.sent.dist. 12.cap.secũdum hanc. al.inanis.*

erant

erant ipsæ tenebræ super abyssum, antequam faceret Deus lucem? Quis illas fecerat vel genuerat? Aut si nemo fecerat vel genuerat eas, æternæ erant tenebræ, quasi aliquid sint tenebræ. Sed vt dictum est, lucis absentia hoc nomẽ accepit. Sed quia ipsi fabulis suis decepti crediderunt esse gentem tenebrarum, in qua & corpora & formas & animas in illius corporibus fuisse arbitrantur, ideo putant quòd tenebræ aliquid sint: & nõ intelligunt non sentiri tenebras, nisi quãdo non videmus, sicut non sentitur silentium, nisi quãdo non audimus. Sicut autem silentium nihil est, sic & tenebrę nihil sunt. Sicut autem isti dicunt gẽtem tenebrarum contra lucem Dei pugnasse, sic potest & alius similiter vanus dicere, gentem silentiorum contra vocem Dei pugnasse. Sed illas vanitates modo nõ suscepimus refellere atque conuincere. Nunc enim ea quę reprehendunt in veteri Testamento, statuimus defendere quantum vires Dominus præstare dignatur, & in eis ostendere contra veritatem Dei nihil valere hominum cæcitatem.

Gen. 1. a. 3. *CAP. V. Quomodo ferebatur Spiritus, & de chao.*

QVOD autem scriptum est, Et Spiritus Dei superferebatur super aquã: sic solent Manichæi reprehendere, vt dicant, Aqua ergo erat habitaculum Spiritus Dei, & ipsa continebat Spiritum Dei? Totum ergo conantur peruersa mente peruertere, & excæcantur malitia sua. Cum enim dicimus, Sol superfertur super terram, nunquid intelligi volumus, quòd in terra habitet sol, & terra solem contineat? Et tamen non sic Spiritus Dei superferebatur super aquam, sicut superfertur Sol super terram, sed alio modo quem pauci intelligunt. Non enim per spacia locorum superferebatur aquę ille Spiritus, sicut Sol terrę superfertur, sed per potentiam inuisibilis sublimitatis suæ. Dicat autem nobis isti, quomodo iis rebus quæ fabricandæ sunt superferatur voluntas fabri? Quòd si hæc humana & quotidiana non comprehendunt, timeant Deum, & simplici corde quod non intelligunt quærant, ne cum volunt verbis sacrilegis concidere veritatem quam videre non possunt, redeat illis securis in crura. Nam illa cõcidi non potest quæ incommutabilis manet, sed quæcunque plagæ in illam emissæ fuerint repercutiuntur, & maiore ictu redeunt in eos qui cædere audent quod credere deberent, vt intelligere mererẽtur. Deinde quærunt, & insultando interrogant: Vnde erat ipsa aqua super quam ferebatur Spiritus Dei? Nũquid enim superius scriptum est, quòd Deus aquam fecerit? Hoc si piè quærerent, inuenirent quemadmodum intelligẽdum esset. Non enim aqua sic appellata est hoc loco, vt hæc à nobis intelligatur quá videre iam possumus, & tangere: quomodo nec terra quæ incompositа & inuisibilis dicta est, talis erat qualis ista quæ iam videri

Gen. 1. a. 1. & tractari potest. Sed illud quod dictum est; In principio fecit Deus cælum & terram: cæli & terræ nomine vniuersa creatura significata est quam fecit & condidit Deus. Ideo autem nominibus visibilium rerum hæc appellata sunt, propter paruulorum infirmitatẽ, qui minus idonei sunt inuisibilia comprehendere. Prima ergo materia facta est confusa & informis, vnde omnia fierent quæ distincta atque formata sunt, quod credo à Græcis chaos appellari. Sic enim & alio loco legimus dictum in laudibus Dei; Qui fecisti mundum de materia informi. Quod aliqui codices habent de materia inuisa.

χάος.

CAP. VI. Chaos ex nihilo, & ex hoc omnia.

ET ideo Deus rectissimè creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hęc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est. Non enim debemus esse similes istis qui omnipotentem Deum non credunt aliquid de nihilo facere potuisse, cum considerant fabros, & quoslibet opifices non posse aliquid fabricare, nisi habuerint vnde fabricent. Et ligna enim adiuuãt fabrum, & argentum argentarium adiuuat, & aurum aurificem, & terra figulum vt possit perficere opera sua. Si enim non adiuuentur ea materia vnde aliquid faciunt, nihil possunt facere, cum materiam ipsam ipsi non faciant. Non enim faber lignum facit, sed de ligno facit aliquid. Sic & cæteri omnes huiusmodi opifices. Omnipotens autem Deus nulla re adiuuandus erat, quã ipse non fecerat, vt quod volebat efficeret. Si enim ad eas res quas facere volebat adiuuabat eum aliqua res quã ipse non fecerat, non erat omnipotẽs, quod sacrilegum est credere.

2. sent. dist. 12. ca. secundum hanc.

INFORMIS ergo illa materia quam de nihilo Deus fecit, appellata est primò cælum & terra: & dictum est, In principio fecit Deus cælũ & terram: nõ quia iam hoc erat, sed quia hoc esse poterat. Nam & cælum scribitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices, & robur, & ramos, & fructus & folia, non quia iã sunt, sed quia inde futura sunt. Sic dictum est, In principio fecit Deus cælum & terram, quasi semen cęli & terrę, cum in confuso adhuc esset cæli & terræ materia. Sed quia certum erat inde futurum esse cælũ & terrã: iam & ipsa materia cælum & terra appellata est. Isto genere locutionis etiam Dominus loquitur, cum dicit; Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autẽ dixi amicos, quia omnia quęcunque audiui à patre meo nota feci vobis: non quia iam factum erat, sed quia certissimè futurũ erat. Nam post paululum dicit illis: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nõ potestis portare modò. Vt quid ergo dixerat; Omnia quæ audiui à patre meo nota feci vobis: nisi quia se sciebat hoc esse facturum? Sic etiam cælũ & terra potuit dici materia vnde nõdum erat factum cælum & terra, sed tamen non erat aliunde faciendũ. Innumerabiles tales locutiones in Scripturis diuinis inueniuntur. Sicut in consuetudine sermonis nostri, cum id quod certissimè speramus futurum, dicimus iam factum, puta. Hanc autem adhuc informem materiam, etiam terram inuisibilem atq; incompositam voluit appellare, quia inter omnia elementa mundi terra videtur minus speciosa quàm cętera. Inuisibilem autem dixit propter obscuritatem: & incompositam propter informitatem. Eandem ipsam materiã etiam aquam appellauit, super quam ferebatur Spiritus Dei, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis. Quod etsi paucorum intelligentia potest attingere, humanis tamen verbis, nescio vtrum vel à paucis hominibus, posset exponi. Propterea verò non absurdè etiam aqua dicta est ista materia, quia omnia quæ in terra nascuntur, siue animalia, siue arbores vel herbæ, & si qua similia, ab humore incipiunt formari atque nutriri. Hæc ergo nomina omnia, siue cælum & terra, siue terra inuisibilis & incompositа, & abyssus cum tenebris, siue aqua super quã Spiritus ferebatur, nomina sunt informis materiæ: vt res ignota notis vocabulis insinuaretur imperitioribus, & non vno vocabulo, sed multis: ne si vnum esset, hoc putaretur esse quod consueuerant homines in illo vocabulo intelligere. Dictũ est ergo cęlum & terra, quia inde futurum erat cęlum & terra. Dicta est terra inuisibilis, & incompositа & tenebræ super abyssum: quia informis erat, & nulla specie cerni aut tractari poterat, etiamsi esset homo qui videret atque tractaret. Dicta est aqua, quia facilis & ductilis subiacebat operãti, vt de illa omnia formarentur. Sed sub his omnibus nominibus materia erat inuisa & informis, de qua Deus condidit mundum.

CAP. VII. Informis materia variis nominibus designata.

Lib. 1. de trinit. cap. 12.

Ioã. 15. b. 15.

Io. 16. b. 12.

Ioã. 15. c. 15

ET dixit Deus, Fiat lux: & facta est lux. Hoc non solent reprehendere Manichęi, sed illud quod sequitur, Et vidit Deus lucem quia bona est. Dicũt enim: Ergo non nouerat Deus lucem, aut non nouerat bonam.

CAPVT VIII. Deus per ignorantiam probat, aut ...

Miseri

Miseri homines, quibus displicet, quod Deo placue- A runt opera sua, cum videant etiam hominem artificē, verbi gratia, lignarium fabrum, quamuis in comparatione sapientiæ, & potentię Dei penè nullus sit, tamen tam diu lignum cædere atq; tractare dolando, asciando, planando vel tornando atque poliendo quousque ad artis regulas perducatur quantum potest & placeat artifici suo. Nunquid ergo quia placet ei quod fecit, ideo non nouerat bonum? Prorsus nouerat intus in animo, vbi ars ipsa pulchrior est, quàm illa quæ arte fabricantur. Sed quod videt artifex intus in arte, hoc foris probat in opere, & hoc est perfectum quod artifici suo placet. Vidit ergo Deus lucem, quia bona est: quibus verbis non ostenditur eluxisse Deo insolitum bonum, sed placuisse perfectum. Quod si dictū esset, miratus est Deus lucem, quia bona est, quantum clamarent? quantum litigarent? Admiratio enim reuera de rebus insperatis nasci solet, & tamen legunt isti, & lau
Mat. 8. a. 10 dant Dominum nostrum Iesum Christum in Euāge- B lio admiratum esse fidem credētium. Quis autem in illis fecerat ipsam fidem, nisi ipse qui eam mirabatur? Quòd si & alius eā feciſſet, vt quid miraretur qui præscius erat? Si soluunt Manichæi quæstionem istam, videant quia & illa solui potest. Si autem non soluunt, quid ista reprehendunt quæ ad se nolunt pertinere, quum illa quæ ad se pertinere dicunt, non nouerint? Quòd enim mirabatur Dominus noster, nobis miran dum esse significat, quibus adhuc est opus sic moueri. Omnes ergo tales motus eius non perturbati animi sunt signa, sed docentis magistri. Sic sunt & verba veteris Testamenti, quæ non Deum infirmum docent, sed nostræ infirmitati blandiūtur. Nihil enim de Deo dignè dici potest. Nobis tamen vt nutriatur fides, & ad ea perueniamus quæ nullo humano sermone dici possunt, ea dicuntur quæ capere possumus.

Gen. 1. a. 4. CAP. IX. Tenebræ quomodo factæ. ET diuisit Deus inter lucem & tenebras, & vocauit C Deus diem lucem, & tenebras vocauit noctem. Hic non dictum est, Fecit Deus tenebras: quia tenebræ, sicut superius dictum est, lucis absentia est. Distinctio tamen facta est inter lucem & tenebras, quemadmodum nos clamando vocem facimus, silentium autem non sonando facimus, quia cessatio vocis silētium est. Distinguimus tamē sensu quodam inter vocem & silentium, & illud vocamus vocem, illud silentium.
Esa. 45. b. 7 Quemadmodum ergo rectè dicimur facere silētium, sic rectè multis diuinarū Scripturarum locis Deus dicitur facere tenebras, quia lucem quibus vult temporibus & locis vel non donat, vel detrahit. Hoc autem totum ad intellectum nostrum dictum est. Qua enim lingua vocauit Deus diem lucem & tenebras noctem, vtrum Hebræa, an Græca, an Latina, an aliqua alia? Et sic omnia quæ vocauit, quæri potest qua lingua vocauerit. Sed apud Deum purus intellectus est, sine strepitu & diuersitate linguarum. Vocauit autem dictum est, vocari fecit: quia sic distinxit omnia, & ordinauit, D vt & discerni possent, & nomina accipere. Sed postea suo loco requiremus, vtrum verè sic est accipiendum, quia vocauit Deus: quoniam quantum accedimus in Scripturis & in eis assuescimus, tantum nobis locutiones earum innotescunt. Sic enim dicimus, ille paterfamilias ædificauit domum istam, id est ędificari fecit, & multa talia per omnes libros diuinarum Scriptura-
CAP. X. Mane & vespera quid. rum inueniuntur. ET factum est vespere, & factum est mane dies vnus. Et hic calumniantur Manichæi, dum putant ita dictum esse, quasi à vespera dies cœperit. Non intelligunt operationem illam qua lux facta est, & diuisum est inter lucem & tenebras, & vocata est lux dies, & tenebræ nox. Hanc ergo totam operationem non intelligunt ad diem pertinere: post hanc autem operationem tanquam finito die facta est vespera. Sed quia etiam nox ad diem suum pertinet, non dicitur transisse dies vnus, nisi etiam nocte transacta quum factum est mane: sic deinceps reliqui dies computantur à mane vsque in mane. Nūc enim cum factum est mane, & transactus est vnus dies, incipit operatio quæ sequitur ab ipso mane quod iam factum est: & post ipsam operationem fit vespera, deinde mane, & transit alter dies: atque ita deinceps cæteri dies transeunt. ET dixit Deus; Fiat firmamētum Gen. 1. a. 6. in medio aquæ, & sit diuisio inter aquam & aquam, & CAPVT XI. sic factum est. Et fecit Deus firmamentum, & diuisit Aquæ supra firmamētū. Deus inter aquam quæ est super firmamentum, & inter aquam quæ est sub firmamento, & vocauit Deus firmamentum cælum: & vidit Deus quia bonum est. Hæc non memini Manichæos reprehēdere solere, tamen quòd diuisæ sunt aquæ vt aliæ essent super firmamentum, & aliæ sub firmamento, quoniam materiam illam dicebamus nomine aquæ appellatam, credo sub firmamento cæli materiam corporalem rerum visibilium ab illa incorporali rerum inuisibilium fuisse discretam. Cum enim cęlum sit corpus pulcherrimum, omnis inuisibilis creatura excedit etiam pulchritudinem cæli: & ideo fortasse super cęlum esse dicuntur aquæ inuisibiles, quæ à paucis intelliguntur non locorum sedibus, sed dignitate naturæ superare cælū: quanquam de hac re nihil temerè affirmandū est. Obscura est enim, & remota à sensibus hominum. Sed quoquo modo se habeat, antequam intelligatur, credenda est. Et facta est vespera, & factum est mane dies secundus. Iam omnia hæc quæ repetuntur, sicut superius intelligenda atque tractanda sunt. ET dixit Deus, CAPVT Congregetur aqua quæ est sub cælo in congregationē XII. vnam & appareat arida: & sic factum est. Et congre- Aquæ in vnū gata est aqua quæ erat sub cælo in congregationem vnam, & apparuit arida. Et vocauit Deus aridam, ter- Gen. 1. b. 10. ram: & congregationem aquæ, vocauit mare. Et vidit Deus quia bonum est. In isto loco Manichæi dicūt, Si totum aquis plenum erat, quomodo poterant aquæ congregari in vnum? Sed iam superius dictum est, nomine aquarum materiā illam appellatam super quam ferebatur Spiritus Dei, vnde erat Deus omnia formaturus. Nunc verò cum dicitur, Cōgregetur aqua quæ est sub cælo in congregationem vnam: hoc dicitur vt illa materia corporalis formetur in eam speciē, quam habent aquæ istæ visibiles. Ipsa enim congregatio in vnum, ipsa est aquarum istarum formatio quas videmus & tangimus. Omnis enim forma ad vnitatis regulam cogitur. Et quod dicitur, appareat arida: quid aliud dici intelligendum est, nisi vt illa materia accipiat visibilem formam quam nunc habet terra ista quam videmus & tangimus? Superius ergo quod nominabatur terra inuisibilis & incomposita, materiæ confusio & obscuritas nominabatur: & quod nominabatur aqua super quam ferebatur Spiritus Dei, eadem rursus materia nominabatur. Nūc verò aquā istā, & terra formantur ex illa materia, quæ ipsis nominibus appellabatur, antequam formas istas quas nunc videmus acciperet. Sanè dicitur, in Hebræa locutione omnem aquarum cōgregationem, siue falsarum siue dulcium, mare appellari. ET dixit Deus, Germinet Gen. 1. b. 11 terra herbam pabuli ferentem semen secundū suum CAP VT genus & similitudinem, & lignum fructiferum fa- XIII. ciens fructum, cuius semen sit in se secundum suam Infrugifera & noxia quare gigni tellus. similitudinem. Et sic est factum. Et eiecit terra herbam pabuli, ferentem semen secundum suum genus, & lignum fructiferum faciens fructum, cuius semē est in se secundum suam similitudinem, secundum suum genus super terram. Et vidit Deus quia bonum est, & facta est vespera, & factum est mane dies tertius. Hic solēt dicere, Si Deus iussit nasci de terra herbā pabuli, & lignum

& lignum fructiferum, quis iussit nasci tantas herbas vel spinosas vel venenosas, quæ ad pabulum non proficiunt, & tam multa ligna quæ nullum fructū ferunt? Allegoria cabat mysteriū. Quibus sic respondendum est, vt nulla indignis aperiantur mysteria, neque ostendatur in qua figura futurorum ista sic dicta sint. Ergo dicendum est, quòd per peccatum hominis terra maledicta sit, vt spinas pareret: non vt ipsa pœnas sentiret, quæ sine sensu est, sed vt peccati humani crimen semper hominibus ante oculos poneret, quo admonerentur aliquando auerti à peccatis, & ad Dei præcepta conuerti. Herbæ autem venenosæ ad pœnam, vel ad exercitationem mortalium creatæ sunt: & hoc totum propter peccatū, quia mortales post peccatum facti sumus. Per infructuosas verò arbores insultatur hominibus, vt intelligāt quàm sit erubescendum sine fructu bonorum operum esse in agro Dei, hoc est in ecclesia: & timeant ne deserat eos Deus, quia & ipsi in agris suis infructuosas arbores deserunt, nec aliquam culturam eis adhibent. Ante peccatum ergo hominis non est scriptū, quòd terra aliud protulerit nisi herbam pabuli & ligna fructuosa. Post peccatum autem videmus multa horrida & infructuosa de terra nasci, credo propter eam causam quam diximus. Sic enim dicitur ad primum hominē Gen. 3. d. 17 postea quàm peccauit: Maledicta erit terra tibi in omnibus operibus tuis: in tristitia & gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos eiiciet tibi, & edes pabulum agri tui: in sudore vultus tui edes panem tuum, donec reuertaris in terrā de qua sumptus Gen. 1. b. 14 es, quia terra es, & in terram ibis. CAPVT XIIII. Dierum ac noctium distinctio. ET dixit Deus, Fiant sidera in firmamento cæli, sic vt luceant super terram, & diuidant inter diem & noctem, & sint in signa & in tempora & in dies & in annos, & sint in splendorem in firmamento cæli, sic vt luceant super Gen. 1. b. 16 terram. Et factum est ita. Et fecit Deus duo luminaria, maius & minus: luminare maius in inchoationē diei, & luminare minus in inchoationem noctis, & stellas. Et posuit illas Deus in firmamento cæli, sic vt luceant C super terram, & præsint diei & nocti, & diuidant inter diem & noctem. Et vidit Deus quia bonum est. Et facta est vespera, & factum est mane dies quartus. Hic primo quærunt, quomodo quarto die facta sunt sidera, id est Sol & Luna & Stellę. Tres enim dies superiores quomodo esse sine sole potuerūt, quum videamus nunc solis ortu & occasu diem transigi, noctem verò nobis fieri solis absentia, cum ab alia parte mundi ad Orientem redit? Quibus respondemus, potuisse fieri, vt tres superiores dies singuli per tantam morā temporis computarentur, per quantam moram circumit Sol, ex quo procedit ab Oriente quousque rursus ad Orientem reuertatur. Hanc enim moram & longitudinem tēporis possent sentire homines etiamsi in speluncis habitarent, vbi orientem & occidētem Solem videre non possent. Atque ita sentitur potuisse istam moram fieri etiam sine Sole antequam Sol factus esset, atque ipsam moram in illo triduo per dies singu- D los computari. Hoc ergo responderemus, nisi nos reuocaret quod ibi dicitur, Et facta est vespera, & factū est mane, quod nūc sine Solis cursu videmus fieri non posse. Restat ergo vt intelligamus, in ipsa quidem mora temporis ipsas distinctiones operum sic appellatas, vesperam propter transactionem consummati operis, & mane propter inchoationem futuri operis, de similitudine scilicet humanorum operum, quia plærique à mane incipiunt, & ad vesperam desinunt. Habent enim consuetudinem diuinæ Scripturæ de rebus humanis ad diuinas res, verba transferre. Deinde quærunt vt quid dictum sit de sideribus: & sint in signa & in tempora. Nunquid enim aiunt tres illi dies sine temporibus esse potuerunt, aut ad temporis spacia A non pertinent? Sed in signa & tempora dictum est, vt per hæc sidera tempora distinguantur, & ab hominibus dignoscantur: quia si currant tempora, & nullis distinguantur articulis, qui articuli per siderum cursus notantur, possunt quidem currere tempora atque præterire, sed intelligi & discerni ab hominibus non possunt. Sicut horæ quando nubilus dies est transeunt 2. sent. dist. quidem, & sua spacia peragunt, sed distingui à nobis 14. cap. quia & notari non possunt. Quod autem dictum est, Et fecit Deus duo luminaria, luminare maius in inchoationem diei, & luminare minus in inchoationem noctis: pro eo dictum est ac si diceretur, in principatum diei & in principatum noctis. Non enim Sol tantummodo inchoat diem, & non etiam peragit & finit: Luna verò aliquando media nocte vel in fine noctis ad nos procedit. Si ergo illæ noctes quibus hoc facit non ab ista inchoantur, quomodo in inchoationem noctis facta est? Si autem per inchoationem principium intelligas, & per principium principatum, manifestum B est, quia per diem Sol principatum tenet, Luna verò per noctem, quia etsi cætera sidera tunc apparent, illa tamen suo fulgore superat omnia, & ideo princeps eorum rectissimè dicitur. Quod autem dictum est, Et diuidant inter diem & noctem: potest hæc fieri calumnia, vt dicatur, quomodo iam Deus diuiserat superius inter diem & noctem, si hoc quarto die sidera faciunt? Sic igitur hic dictum est, Diuidant inter diem & noctem, tanquam si diceretur, Sic inter se diem diuidāt & noctem, vt soli dies detur, nox autem lunæ & sideribus cæteris. Quæ duo iam diuisa erant, sed nondum inter sidera, vt iam certum esset de siderum numero, quid per diem, & quid per noctem appareret hominibus. CAP. XV. Aërem crassum aquæ nomine designari. ET dixit Deus, Eiiciant aquæ reptilia animarum viuarum, & volatilia volantia super terram sub firmamento cæli. Et sic factum est. Et fecit Deus cetos magnos, & omnem animam animalium & repentium quæ eiecerunt aquæ, & omne genus volatile pennatum secundum vniuscuiusque genus. Et vidit Deus quia bona sunt, & benedixit illa Deus, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, & volatilia multiplicentur super terram. Et facta est vespera, & factum est mane dies quintus. Hic solent reprehendere, quærentes vel potius calumniantes, quare animalia non solum ea, quæ in aquis viuunt, sed etiam ea quæ in aëre volitant, & omnia pennata de aquis nata scriptum sit? Sed sciant omnes quos hæc mouent, istum aërem nubilosum & humidum, in quo aues volant, à doctissimis hominibus qui hæc diligenter inquirunt, cum aquis solere deputari. Concrescit enim & crassus efficitur exhalationibus & quasi vaporibus maris & terræ, & de ipso humore pingue scit quodammodo vt volatus auium portare possit. Ideo per noctes serenas etiam rorat, cuius roris guttæ mane in herbis inueniuntur. Nam mons ille Olympi altitudo. Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis esse dicitur, vt in eius cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant, quia excedit altitudine sua totum istum aërem humidum in quo aues volant, & ideo nec aues ibi volare asseuerantur. Quod ab eis perceptum dicitur, qui per singulos annos solebant, nescio quorum sacrificiorum causa, memorati montis cacumen scandere, & aliquas notas in puluere scribere, quas alio anno integras inueniebant. Quod fieri non posset, si ventum aut pluuiam locus ille pateretur. Deinde quia tenuitas aëris illius qui ibi est, non eos inspirabat, durare ibi non poterant, nisi spongias humectas naribus applicarent, vnde crassiorem & consuetum spiritum ducerent. Hi ergo indicauerunt se etiam nullam auem in eo loco aliquando vidisse. Non itaq; immeritò non solum pisces

& cætera quæ in aquis sunt animalia, sed etiam aues A de aquis natas esse, fidelissima Scriptura commemorat, quia per istum aërem volare possunt, qui de maris
Gen. 1. c. 20 & terræ humoribus surgit. ET dixit Deus,
CAPVT XVI. Eiiciat terra animam viuam secundum vnum quodq; genus quadrupedum & serpentium & bestiarum terræ, & sic est factum. Et fecit Deus bestias terræ secundum genus, & pecora secundum genus, & omnia repentia terræ secundum genus. Et vidit Deus quia bona sunt. Solent etiam Manichæi mouere quæstionem vt dicãt: Quid opus erat, vt tam multa animalia Deus faceret, siue in aquis, siue in terra quæ hominibus non sunt necessaria? Multa etiam pernicioſa sunt & timenda. Sed cum ista dicunt, non intelligunt quemadmodum omnia pulchra sunt conditori & artifici suo, qui omnibus vtitur ad gubernationem vniuersitatis, cui summa lege dominatur. Si enim in alicuius opificis officinam imperitus intrauerit, videt ibi multa instrumenta quorum causas ignorat, & si multum B est insipiens, superflua putat. Iam verò si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id malè tractat, seipsum vulnerauerit, etiam pernicioſa & noxia existimat ibi esse multa. Quorum tamen vsum quoniam nouit artifex, insipiẽtiam eius irridet, & verba inepta non curans, officinam suam constanter exercet. Et tamẽ tam stulti sunt homines, vt apud artificem hominem non audeãt vituperare quæ ignorant, sed cum ea viderint credunt esse necessaria, & propter vsus aliquos institutæ: in hoc autem mundo cuius conditor & administrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere quorum causas non vident, & in operibus atque instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire quod nesciunt. Ego verò fateor me nescire mures & ranæ quare creata sint, aut muscæ aut vermiculi, video tamẽ omnia in suo genere pulchra esse, quamuis propter peccata nostra multa nobis videantur aduersa. Non enim animalis alicuius corpus & membra considero, vbi non mensuras & C numeros & ordinem inueniam ad vnitatem concordiæ pertinere. Quæ omnia vnde veniant non intelligo, nisi à summa mensura & numero & ordine, quę in ipsa Dei sublimitate incommutabili atque ęterna cõsistunt. Quòd si cogitarent isti loquacissimi & ineptissimi, non nobis tædium facerent, sed ipsi considerando omnes pulchritudines & summas & infimas, Deũ artificem vbique laudarent: & quoniam nusquam offenditur ratio, sicubi fortè sensus carnalis offenditur, non rerum ipsarum vitio, sed nostræ mortalitatis meritis imputarent. Et certè omnia animalia aut vtilia nobis sunt, aut pernicioſa, aut superflua. Aduersus vtilia non habent quid dicant. De pernicioſis autẽ vel punimur vel exercemur vel terremur, vt non vitam istam multis periculis & laboribus subditã, sed aliam meliorem vbi securitas summa est diligamus & desideremus, & eam nobis pietatis meritis comparemus. D De superfluis verò quid nobis est quærere? Si tibi displicet quod non prosunt, placeat quòd non obsunt, quia etsi domui nostræ non sunt necessaria, eis tamen completur huius vniuersitatis integritas, quæ multo maior est quàm domus nostra, & multo melior. Hanc enim multo melius administrat Deus, quã vnusquisque nostrũm domum suam. Vsurpa ergo vtilia, caue pernicioſa, relinque superflua. In omnibus tamẽ cum mensuras & numeros & ordinem vides, artificẽ quære. Nec alium inuenies, nisi vbi summa mensura & summus numerus, & summus ordo est, id est Deum, de quo verissimè dictum est, quòd omnia in mensura & numero, & põdere disposuerit. Sic fortasse vberiorem capies fructum, cum Deum laudas in humilitate formicę, quàm cum transis fluuium in alicuius iuméti altitudine.
Sap. 11. d. 21

ET dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & habeat potestatem piscium maris & volatilium cæli, & omnium pecorum & ferarum, & omnis terræ & omnium reptilium, quæ super terram repunt, & cætera vsque ad vesperam, & mane quo completur dies sextus. Istam maximè quæstionem solent Manichæi loquaciter agitare, & insultare nobis quòd hominem credamus factum ad imaginem & similitudinem Dei. Attendunt enim figuram corporis nostri, & infeliciter quærunt, vtrum habeat Deus nares & dentes & barbam, & membra etiam interiora, & cætera quæ in nobis sunt necessaria. In Deo autem talia ridiculum est, imò impium credere, & ideo negant hominem factum esse ad imaginem & similitudinem Dei. Quibus respondemus, membra quidem ista in Scripturis plerunque nominari, cum Deus insinuatur audientibus paruulis, & hoc non solum in veteris Testamenti libris, sed etiam in Noui. Nam & oculi Dei commemorantur, & aures, & labia, & dentes, & pedes, & ad dexteram Dei patris sedere euangelizatur filius. Et ipse Dominus dicit: Nolite per cælum iurare, quia sedes Dei est: neque per terram, quia scabellum pedum eius est. Item ipse dicit, quòd in digito Dei eiiciebat dęmonia. Sed omnes qui spiritaliter intelligunt Scripturas, non membra corporea per ista nomina, sed spiritales potentias accipere didicerũt, sicut galeas & scutum & gladium & alia multa. Primò ergo istis hæreticis dicendum est, quia impudentia de talibus verbis veteri Testamento calumnientur, cum etiam in Nouo hæc posita videant, aut fortasse non videant, sed cũ litigant excæcantur. Sed tamen nouerint in catholica disciplina spiritales fideles non credere Deum forma corporea definitum. Et quòd homo ad imaginem Dei factus dicitur, secundum interiorem hominem dici, vbi est ratio & intellectus: vnde etiam habet potestatem piscium maris & volatilium cæli & omnium pecorum & ferarum & omnis terræ, & omnium repentium quæ repunt super terram. Cum enim dixisset, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: addidit continuò, Et habeat potestatem piscium maris & volatilium cæli, & cætera: vt intelligerémus non propter corpus dici hominem factum ad imaginem Dei, sed propter eam potestatem qua omnia pecora superat. Omnia enim animalia cætera subiecta sunt homini, non propter corpus, sed propter intellectum, quem nos habemus, & illa non habent, quamuis etiam corpus nostrum sic fabricatum sit, vt indicet nos meliores esse quàm bestias, & propterea Deo similes. Omnium enim animalium corpora, siue quæ in aquis, siue quæ in terra viuunt, siue quæ in aëre volitant, inclinata sunt ad terram, & non sunt erecta sicut hominis corpus. Quo significatur, etiam animum nostrum in superna, id est in æterna spiritalia erectum esse debere. Ita intelligitur per animum maximè, attestante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem & similitudinem Dei.
Gen. 1. c. 26
Mat. 5. f. 35
Lu. 11. c. 20
Ephes. 6. a. 13.
Gen. 1. c. 26
CAPVT XVII. Quomodo ad imaginẽ Dei factus homo. Gen. 1. c. 26
2. sent dist. 16. cap. quoniam.

ALIQVANDO etiam solent dicere: Quomodo accepit homo potestatem piscium maris & volatilium cæli & omnium pecorum & ferarum, cum videamus à multis feris homines occidi, & à multis volatilibus nobis noceri, quæ volumus vel vitare vel capere & plerunque non posse? Quomodo ergo in hæc accepimus potestatem? Hic illis primò dicendum est, quòd multum errent qui post peccatum non cõsiderant hominem, cum in huius vitę mortalitatem damnatus est, & amisit perfectionem illam qua factus est ad imaginem Dei. Sed si dominatio eius tantum valet, vt tam multis pecoribus imperet: quamuis enim à multis feris propter fragilitatem corporis possit occidi, à nullis tamen
CAPVT XVIII. Potestas hominis in bestias.

tamen dominari poteſt, cùm ipſe tam multas & propè omnes domet. Si ergo hæc hominis dominatio tantũ valet, quid de regno eius cogitandum eſt, quod ei renouato & liberato diuina voce promittitur. Quod autem ſcriptũ eſt, Maſculum & fœminam fecit illos, & benedixit eos Deus dicens, Creſcite & multiplicamini, & generate & replete terram: rectiſſimè quæritur quemadmodum accipienda ſit coniunctio maſculi & fœminæ ante peccatum, & iſta benedictio qua dictum eſt, Creſcite & multiplicamini, & generate, & replete terram: vtrum carnaliter an ſpiritaliter accipienda ſit. Licet enim nobis eam etiam ſpiritaliter accipere, vt in carnalem fœcunditatem poſt peccatum conuerſa eſſe credatur. Erat enim prius caſta coniunctio maſculi & fœminæ: huius ad regendum, illius ad obtemperãdum accommodata: & ſpiritalis fœtus intelligibilium & immortalium gaudiorum replẽs terram, id eſt viuificans corpus: & dominans eius, id eſt ita ſubiectum habens, vt nullam ex eo aduerſitatem, nullam moleſtiam pateretur. Quod ideo ſic credendum eſt, quia nondum erant filij ſæculi huius antequã peccarent. Filij enim ſæculi huius generant & generantur, ſicut Dominus dicit, cum in comparatione futuræ vitæ quæ nobis promittitur, carnalem iſtam generationem contemnendam eſſe demonſtrat.

CAPVT XIX. *Creſcite ſpiritaliter.* *Gen.1.d.28*

1.retr.ca.10

Lu.20.f.34

CAPVT XX. *Beſtiis dominari, per allegoriam.* *Gen.1.d.*

ET quod eis dictum eſt, Habete poteſtatẽ piſcium maris & volatilium cæli & repentium omnium quæ repũt ſuper terram: ſaluo quidem intellectu, quo manifeſtum eſt omnibus his animalibus hominẽ ratione dominari: rectè tamen intelligitur etiam ſpiritaliter, vt omnes affectiones & motus animi, quos habemus iſtis animalibus ſimiles, ſubditos haberemus, & eorũ dominaremur per temperãtiam & modeſtiam. Cum enim non reguntur iſti motus, erumpunt & pergunt in fœdiſſimas conſuetudines, & in diuerſas perniciоſasque delectationes nos rapiunt, & faciunt ſimiles omni generi beſtiarum. Cum autem reguntur & ſubiiciuntur, omnino manſueſcunt & nobiſcum concorditer viuunt. Non enim à nobis alieni ſunt motus animi noſtri. Paſcuntur etiam nobiſcum cognitione rationum & morum optimorum, & vitæ æternæ, tanquam herbis ſeminalibus & lignis fructiferis & herbis viridibus. Et hæc eſt hominis vita beata atque tranquilla, cum omnes motus eius rationi veritatiq; conſentiunt, & vocantur gaudia & amores ſancti, & caſti & boni. Si autem non conſentiunt, nihilominus dum negligenter geruntur, conſcindunt & diſſipant animum, & faciunt vitam miſerrimam, & vocantur perturbationes & libidines & concupiſcentiæ malæ. De quibus iam nobis præcipitur, vt eas cum quãto poſſumus labore crucifigamus in nobis, donec abſorbeatur mors in victoriam. Dicit enim Apoſtolus: Qui autem Ieſu Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cũ perturbationibus & concupiſcentiis. Vel hinc enim quiuis admoneri debet, non carnaliter hæc eſſe intelligẽda, quia herbæ virides & ligna fructifera omni generi beſtiarum, animalibus & omnibus volatilibus & omnibus ſerpentibus in Geneſi dãtur ad cibum, cum videamus leones & accipitres & miluos & aquilas non paſci niſi carnibus, & interfectione aliorum animalium. Quod etiam de nonnullis ſerpentibus credo, qui ſunt in arenoſis & deſertis locis, vbi nec lignum nec herba naſcitur.

1 Cor. 15.g.

Gal.5.d.

1.retr.ca.10

Gen.1.d.30

De Ciuit. Dei, lib.15. cap.27.

CAPVT XXI. *Decorum Vniuerſi.* *Gen.1.d.31*

SANE non eſt negligenter prætereundum quod dictum eſt, Et vidit Deus omnia quæ fecit bona valde. Cum enim de ſingulis ageret, dicebat tantum, Vidit Deus quia bonum eſt: cum autem de omnibus diceretur, parum fuit dicere Bona, niſi adderetur & Valde. Si enim ſingula opera Dei cùm conſiderantur à prudentibus, inueniuntur habere laudabiles menſuras & numeros & ordines in ſuo quæque genere conſtituta, quanto magis omnia ſimul, id eſt ipſa vniuerſitas, quæ iſtis ſingulis in vnum collatis impletur. Omnis enim pulchritudo quæ partibus conſtat, multo eſt laudabilior in toto quàm in parte: ſicut in corpore humano, ſi laudamus oculos ſolos, ſi naſum ſolum, ſi ſolas genas, aut ſolum caput, aut ſolas manus, aut ſolos pedes, & cætera ſi pulchra ſingula & ſola laudamus: quanto magis totum corpus cui omnia membra, quæ ſingula pulchra ſunt, conferunt pulchritudinẽ ſuam: ita vt manus pulchra, quæ etiam ſola laudabatur in corpore, ſi ſeparetur à corpore, & ipſa amittat gratiam ſuam, & cætera ſine illa inhoneſta ſint: tanta eſt vis & potentia integritatis & vnitatis, vt quæ bona ſunt tunc multum etiam placeant, cum in vniuerſum aliquid conueniunt atque concurrunt. Vniuerſum autem ab vnitate nomen accepit. Quòd ſi Manichęi conſiderarent, laudarent vniuerſitatis auctorem & conditorem Deum: & quod eos propter conditionem noſtrę mortalitatis in parte offendit, redigerent ad vniuerſi pulchritudinem, & viderent quemadmodum Deus fecerit omnia nõ ſolum bona, ſed etiam bona valde. Quia etiam in ſermone aliquo ornato atque compoſito ſi conſideremus ſingulas ſyllabas, vel etiam ſingulas literas, quæ cum ſonuerint ſtatim tranſeunt, non in eis inueniemus quid delectet atque laudãdum ſit. Totus enim ille ſermo non de ſingulis ſyllabis aut literis, ſed de omnibus pulcher eſt.

Sap.11.d.21.

CAPVT XXII. *Requies diei ſeptimi per allegoriam.* *Gen.2.a.2.*

IAM nunc videamus etiam illud quod ſolẽt maiore impudentia, quàm imperitia deridere quod ſcriptũ eſt, Deum conſummato cælo & terra atque omnibus quæ fecit, requieuiſſe die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis, & benedixiſſe diem ſeptimum, & ſanctificaſſe eum, quia requieuit ab operibus ſuis. Dicunt enim: Quid opus erat vt Deus requieſceret? An fortè operibus ſex dierum fatigatus & laſſatus erat? Addũt etiam Domini teſtimoniũ, vbi ait: Pater meus vſq; nũc operatur: & hinc multos imperitos decipiunt, quibus perſuadere conantur nouum Teſtamentum veteri Teſtamento aduerſari. Sed ſicut illi quibus Dominus dicit, Pater meus vſq; nunc operatur: carnaliter opinabãtur requiem Dei, & carnaliter ſabbatum obſeruãtes, non videbãt quid illius diei ſignificatio figuraret: ſic & iſti diuerſa quidem voluntate, pariter tamen non intelligunt ſabbati ſacramentum. Et illi enim carnaliter obſeruando, & iſti carnaliter execrãdo, ſabbatũ non nouerunt. Tranſeat ergo vnuſquiſq; ad Chriſtum vt auferatur velamen, ſicut Apoſtolus dicit. Velamen enim aufertur, quando ſimilitudinis & allegoriæ, cooperimento ablato, veritas nudatur, vt poſſit videri. Primò ergo huius locutionis regula in multis diuinarũ Scripturarum locis animaduertẽda atq; diſcẽda eſt. Quid enim aliud ſignificat, quòd dicitur Deus requieuiſſe ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit bona valde, niſi requiem noſtram quã nobis daturus eſt ab omnibus operibus noſtris, ſi & nos bona opera fecerimus. Secundum ipſam figuram locutionis dicit & Apoſtolus: Quid enim oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Non enim Spiritus ſanctus gemit, quaſi indigeat, aut anguſtias patiatur, qui ſecundum Deum interpellat pro ſanctis: ſed quia ipſe nos mouet ad orandum cum gemimus, quod ipſo mouente nos facimus, ipſe facere dictus eſt. Sic dicitur etiam illud, Tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligatis eum. Non enim vt ſciat ipſe quem nihil latet, ſed vt ſcire nos faciat, quantum in eius dilectione profecerimus, tentari nos permittit. Secundum ipſam locutionem dicit & Dominus noſter, neſcire ſe diem & horam de fine ſæculi. Quid enim poteſt eſſe quod ipſe neſciat?

Ioan.5.c.17

2 Cor.3. d.16.

Rom.8.c.26

Deu.13.a.3

Matth.24. c.36.

Sed

Sed quia hoc vtiliter occultabat discipulis, nescientem se esse dixit, quia illos nescientes occultando faciebat. Secundum hanc figuram etiam patrem solum dixit scire diem ipsum, quia eundem filium scire faceret. Ex hac figura multę quęstiones in diuinis Scripturis eis, qui iam genus locutionis huius nouerunt sine vlla difficultate soluũtur. Talibus locutionibus etiam abundat nostra consuetudo, cùm dicimus lætum diẽ, quia nos lætos facit: & pigrum frigus, quia nos pigros facit: & fossam cæcam, quia nos eam non videmus: & linguam politam, quia verba polita facit. Postremò etiam quietum ab omnibus molestiis tempus dicimus, in quo nos ab omnibus molestiis quieti sumus. Gen. 2. d. 2. Sic & Deus requieuisse dictus est ab omnibus operibus suis, quæ fecit bona valde, quia in illo requiescemus ab omnibus operibus nostris, si opera bona fecerimus: quia & ipsa bona opera nostra illi tribuenda sunt qui vocat, qui præcipit, qui viá veritatis ostendit, qui vt & velimus inuitat, & vires implendi ea quæ imperat, subministrat.

CAPVT XXIII. *Septem dies, & septem ætates mundi*

SED quare septimo die requies ista tribuatur, diligentius considerandum arbitror. Video enim per totum textum diuinarum Scripturarũ sex quasdam ætates operosas, certis quasi limitibus suis esse distinctas, vt in septima speretur requies: & easdem sex ætates habere similitudinem istorum sex dierum, in quibus ea facta sunt, quę Deum fecisse Scriptura commemorat. *Prima ætas.* Primordia enim generis humani, in quibus ista luce frui cœpit, bene comparantur primo diei quo fecit Deus lucem. Hæc ætas tanquam infantia deputanda est ipsius vniuersi sæculi, quòd tanquam vnum hominẽ pro portione magnitudinis suæ cogitare debemus: quia vnusquisque homo cùm primò nascitur, & exit ad lucem, primam ætatem agit in infantia. Hæc tenditur ab Adam vsque ad Noë generationibus decem. Quasi vespera huius diei fit diluuium: quia & infantia nostra tanquam obliuionis diluuio deletur. *Secunda ætas* Et incipit mane à temporibus Noe secunda ætas tanquam pueritia, & tenditur hæc ætas vsque ad Abraham aliis generationibus decem. Et bene comparatur secundo diei quo factum est firmamentum inter aquam & aquam, quia & arca in qua erat Noë cum suis, firmamentum erat inter aquas inferiores in quibus natabat, & superiores quibus compluebatur. Hæc ætas non diluuio deletur, quia & pueritia nostra non obliuione tergitur de memoria. Meminimus enim nos fuisse pueros, infantes autem non meminimus. Huius vespera est cõfusio linguarum in eis qui turrim ædificabant, & fit mane ab Abraham. Sed nec ista ætas secunda generauit populum Dei, quia *Tertia ætas.* nec pueritia apta est ad generandum. Manè ergo fit ab Abraham, & succedit ætas tertia similis adolescentiæ. Et bene comparatur diei tertio, quo ab aquis terra separata est. Ab omnibus enim gentibus quarum error instabilis & vanis simulacrorum doctrinis tãquam ventis omnibus mobilis, maris nomine bene significatur: ab hac ergo gentium vanitate & huius sæculi fluctibus separatus est populus Dei per Abraham, tanquam terra cùm apparuit arida, id est, sitiens imbrem cælestem diuinorum mandatorum: qui populus vnũ Deum colendo, tanquam irrigata terra, vt fructus vtiles posset afferre, sanctas Scripturas & Prophetias accepit. Hæc enim ætas potuit iam generare populum Deo, quia & tertia ætas, id est, adolescentia filios ha- Gen. 17. d. 4 bere iam potest. Et ideo ad Abraham dictum est; Patrem multarum gentium posui te ante Deum cui credidisti, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ nõ sunt, Rom. 4. c. 17 tanquam ea quæ sunt. Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est: Sic erit semen tuum, & augeá te nimis valde, & ponam te in gentes, & reges de te exient, & ponam testamentũ meum inter me, & semen tuũ post te, in generationes eorũ in testamentũ æternum: vt sim tibi Deus, & semini tuo post te: & dabo tibi & semini tuo post te terram in qua habitas, omnẽ terrá Chanaan in possessionẽ æternã, & ero illis Deus. Hæc ætas porrigitur ab Abraham vsque ad Dauid quatuordecim generationib. Huius vespera est in populi peccatis, quibus diuina mandata præteribant, vsq; ad malitiam pessimi regis Saul. Et inde fit mane regnũ Da- *Quarta ætas* uid. Hæc ætas similis iuuẽtuti est. Et reuera inter omnes ætates regnat iuuentus, & ipsa est firmamentũ & ornamentum omnium ætatum: & ideo bene cõparatur quarto diei quo facta sunt sidera in firmamẽto cæli. Quid enim euidentius significat splendorem regni quàm solis excellentia? Et plebem obtemperantẽ regno, splendor lunæ ostẽdit, tanquam synagogã ipsam, & stellæ principes eius, & omnia tanquã in firmamento in regni stabilitate fundata. Huius quasi vespera est in peccatis regum, quibus illa gens meruit captiuari atque seruire. Et fit manè transmigratio in Babyloniá, *Quinta ætas.* cum in ea captiuitate populus leniter & peregrino ocio collocatus est. Et porrigitur hæc ætas vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi, id est quinta ętas, scilicet declinatio à iuuentute ad senectutem, nõdum senectus, sed iam non iuuentus: quæ senioris ætas est, quam Græci πρεσβύτην vocant. Nam senex apud eos non πρεσβύτης, sed γέρων dicitur. Et reuera sic ista ætas à regni robore inclinata & fracta est in populo Iudæorum, quemadmodum homo à iuuentute fit senior. Et bene comparatur illi diei quinto, quo facta sunt in aquis animalia, & volatilia cæli, posteaquam illi homines inter gentes tanquam in mari esse cœperunt, & habere incertam sedem & instabilem, sicut volantes aues. Sed planè erant ibi etiam ceti magni, id est illi magni homines qui magis dominari fluctibus sæculi, quàm seruire in illa captiuitate potuerunt. Non enim ad cultum idolorũ aliquo terrore deprauati sunt. Vbi sanè animaduertendum est, quod benedixit Deus illa animalia dicens: Crescite & multiplicamini, & imple- Gen. 1. d. 28 te aquas maris, & volatilia multiplicentur super terram: quia reuera gens Iudæorum ex quo dispersa est per gentes valde multiplicata est. Huius diei, hoc est huius ætatis, quasi vespera est multiplicatio peccatorum in populo Iudæorum, quia sic excæcati sunt, vt etiam Dominum Iesum Christum non possent agnoscere. Mane autem fit prædicatione Euãgelij per Do- *Sexta ætas.* minum nostrum Iesum Christũ, & finitur dies quintus: incipit sextus, in quo senectus veteris hominis apparet. Hac enim ætate illud carnale regnum vehementer attritum est, quando & templum deiectum est, & sacrificia ipsa cessauerunt: & nunc ea gens quantum ad regni sui vires attinet, quasi extremam vitam trahit. In ista autem ætate tanquam in senectute veteris hominis, homo nouus nascitur, qui iam spiritaliter viuit. Sexta enim die dictum erat: Producat terra animam viuam. Nam quinto die dictum erat: Produ- Gen. 1. c. 20 cant aquę, non animam viuam, sed reptilia animarum viuarum: quoniá corpora sunt reptilia, & adhuc corporali circumcisione, & sacrificiis tanquam in mari gentium populus ille seruiebat legi. Iam verò ani- 1. Petr. c. 4. 10 mam viuam dicit, qua vitam iam incipiunt æternam desiderare. Serpentes ergo & pecora quæ terra producit, gentes significant iam stabiliter Euangelio credituras. De quibus dicitur in illo vase quod Petro demonstratum est in Actibus Apostolorum: Macta & Act. 10. b 14 manduca. Et cum ille immunda diceret, respondsum est ei: Quæ Deus mundauit, tu ne immunda dixeris. Tunc fit homo ad imaginem & similitudinẽ Dei, sicut in ista sexta ętate nascitur in carne Dominus noster, de quo dictum est per Prophetam, Et homo est,

& quis

& quis agnoſcet eum? Et quemadmodum in illo die maſculus & fœmina, ſic & in iſta ætate Chriſtus & eccleſia. Et præponitur homo in illo die pecoribus & ſerpentibus & volatilibus cæli, ſicut in iſta ętate Chriſtus regit animas obtemperantes ſibi, quæ ad eccleſiam ſibi, partim de gẽtibus, partim de populo Iudęorum venerunt, vt ab eo domarentur atque manſuęſcerent homines, qui vel carnali concupiſcentiæ ſunt dediti ſicut pecora, vel tenebroſa curioſitate obſcurati quaſi ſerpentes, vel elati ſuperbia quaſi aues. Et ſicut in illo die paſcitur homo & animalia, quę cum ipſo ſunt, herbis ſeminalibus & lignis fructiferis & herbis viridibus: ſic iſta ætate ſpiritalis homo quicunq; miniſter eſt Chriſti, & eum bene quantum poteſt imitatur, cum ipſo populo ſpiritaliter paſcitur ſanctarum Scripturarum alimentis & lege diuina: partim ad concipiendam fœcũditatem rationum atque ſermonum tãquam herbis ſeminalibus: partim ad vtilitatem morum conuerſationis humanę, tanquam lignis fructiferis: partim ad vigorem fidei, ſpei & charitatis in vitam æternam, tanquam herbis viridibus, id eſt vigentibus, quæ nullo æſtu tribulationum poſſunt areſcere. Sed ſpiritalis ſic iſtis alimẽtis paſcitur, vt multa intelligat: carnalis autem, id eſt paruulus in Chriſto, tãquam pecus Dei, vt multa credat quæ intelligere nondum poteſt, tamẽ eoſdem cibos omnes habent. Huius autem ætatis quaſi veſpera, quæ vtinam nos non inueniat, ſi tamen nondum cœpit, illa eſt de qua Dominus dicit,

Luca 18.b.8 Putas cum veniet filius hominis, inueniet fidem ſuper
Septima ætas. terram? Poſt iſtam veſperam fiet mane, quum ipſe Dominus in claritate venturus eſt: tunc requieſcẽt cum Chriſto ab omnibus operibus ſuis ij quibus dictũ eſt,
Mat. 5.g.48 Eſtote perfecti, ſicut pater veſter qui in cælis eſt. Tales enim faciunt opera bona valde. Poſt enim talia opera ſperanda eſt requies, in die ſeptimo qui veſperam nõ habet. Nullo ergo modo verbis dici poteſt quemadmodum Deus fecerit, & condiderit cælum & terram & omnem creaturam quam condidit: ſed iſta expoſitio per ordinem dierum ſic indicat tanquam hiſtoriam rerum factarum, vt prædicationẽ futurorum maximè obſeruet.

CAPVT XXIIII. *Ætates mundi quare inæquales.* Mat. 1.a.1. SI autem aliquem mouet quòd in iſtis ætatibus ſæculi duas ętates primas denis generationibus aduertimus explicari, tres autẽ conſequentes ſingulæ quatuordecim generationibus contexuntur, ſexta verò iſta nullo generationum numero definita eſt, facile eſt videre etiam in vnoquoq; homine duas primas ætates, infantiam & pueritiam, corporis ſenſibus inhærere. Qui ſenſus corporis quinque ſunt, viſus, auditus, olfactus, guſtus & tactus. Quinarius autem numerus duplicatus, quoniam duplex eſt ſexus humanus, vnde generationes tales exiſtunt, maſculinus & fœmininus, quinarius ergo (vt dixi) duplicatus, denarium numerum facit. Iam verò ab adoleſcentia, & deinceps vbi ratio iam incipit in homine
al. cogitatio. prævalere, accedit quinq; ſenſibus † cognitio & actio, quibus vita regitur & adminiſtratur, vt iam ſeptenarius numerus incipiat eſſe: qui ſimiliter duplicatus propter duplicem ſexum in quatuordecim generationibus eminet & apparet, quas habent tres ætates conſequentes, tanquam adoleſcentis & iuuenis & ſenioris. Senectus verò ſicut in nobis nullo ſtatuto annorum tempore definitur, ſed poſt quinque illas ætates quantum quiſque vixerit, ſenectuti deputatur: ſic & in iſta ætate ſæculi non apparent generationes, vt etiam occultus ſit vltimus dies, quem vtiliter Dominus
Matth. 24. c. 36. latere oportere demonſtrauit.

CAPVT XXV. *Septem dierum alter ille altior gloria.* HABET etiam vnuſquiſque noſtrum in bonis operibus & recta vita tanquam diſtinctos iſtos ſex dies, poſt quos debet quietem ſperare. Primo die lucem fidei, quando prius inuiſibilibus credit, propter quam fidem Dominus viſibiliter apparere dignatus eſt. Secundo die tanquam firmamẽtum diſciplinæ, quo diſcernit inter carnalia & ſpiritalia, ſicut inter aquas inferiores & ſuperiores. Tertio die, quo mentem ſuam ad ferendos bonorum operum fructus, ſeparat à labe & fluctibus tentationum carnalium, tanquam aridam terram à perturbationibus maris ſecernit, vt iam poſſit dicere, Mente ſeruio legi Dei, carne autẽ legi peccati. Quarto die, quo iam in illo firmamento diſciplinæ ſpiritales intelligentias operatur atque diſtinguit, videt quæ ſit incommutabilis veritas, quæ tãquam ſol fulget in anima: & quemadmodum anima ipſius veritatis particeps fiat, & corpori ordinem & pulchritudinem præſtet, tanquam luna illuminans noctem: & quemadmodum ſtellæ omnes, ſcilicet intelligentiæ ſpiritales, in huius vitæ obſcuritate tanquam in nocte micent & fulgeãt. Quarum rerum notitia fortior effectus incipiat quinto die in actionibus turbulentiſſimi ſæculi, tanquam in aquis maris operari, propter vtilitatẽ fraternæ ſocietatis: & de corporalibus actionibus quæ ad ipſum mare pertinent, id eſt ad hãc vitam producere animarũ viuarum reptilia, id eſt opera quæ proſint animis viuis: & cetos magnos, id eſt fortiſſimas actiones, quibus fluctus ſæculi dirumpuntur & contemnuntur: & volatilia cæli, id eſt voces cæleſtia prædicãtes. Sexto autem die producat de terra animam viuam, id eſt de ipſa ſtabilitate mentis ſuæ vbi ſpiritales habet fructus, id eſt bonas cogitationes, motus omnes animi ſui regat: vt ſit in illo anima viua, id eſt rationi & iuſtitiæ ſeruiens, non temeritati atque peccato. Ita fiat etiam homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei, maſculus & fœmina, id eſt intellectus & actio, quorũ copulatione ſpiritalis fœtus terram impleat, id eſt carnem ſubiiciat, & cętera quę iam in hominis perfectione ſuperius dicta ſunt. In iſtis autem tanquam diebus veſpera eſt in ipſa perfectione ſingulorum operum, & manè in inchoatione conſequentium. Poſt iſtorum quaſi ſex dierum opera bona valde, ſperet etiam homo quietem perpetuam, & intelligat quid ſit. Requieuit Deus ſeptima die ab omnibus operibus ſuis: quia & ipſe in nobis hæc bona operatur, qui vt operemur iubet: & ipſe rectè requieſcere dicitur, quia poſt hæc omnia opera requiem nobis ipſe præſtabit. Quomodo enim rectè dicitur paterfamiliãs ędificare domum, cum hoc non opere ſuo faciat, ſed eorum quibus ſeruientibus imperat: ſic rectè dicitur & ab operibus requieſcere, cum poſt perfectionem fabricæ illis quibus imperabat permittit vt vacent, & iucundo ocio perfruantur.

Rom. 7.d.25

Gen. 2. 2, 2.

DIVI AVRELII AVGVSTINI DE GENESI CONTRA MANICHAEOS, LIBER II.

CAP. 1. *Ratiocinatio ſecundi & tertij capitis Geneſeos.*

POST enumerationẽ & expoſitionẽ dierum ſeptẽ, interpoſita eſt quaſi quædam concluſio, & appellatus eſt liber creaturæ cæli & terræ, quicquid ſuperius dictũ eſt, cum ſit parua pars libri: ſed ideo ſic meruit vocari, quia vniuerſi ſæculi à capite vſq; finem quaſi breuis quædam imago in his diebus ſeptẽ figurata eſt. Deinde incipit de homine diligẽtius tractare. Quæ omnis narratio non apertè, ſed figuratè explicatur, vt exerceat mentes quærentium veritatẽ, & ſpiritali negocio à negociis carnalibus auocet. Sic enim ſe
Ge. 2. a. 4. continet: Hic eſt liber creaturę cęli & terrę. Cũ factus eſſet dies quo fecit Deus cælum & terrã, & omnia viridia agri antequã eſſent ſuper terram, & omne pabulum agri, antequam germinaret. Nõdum enim pluerat Deus ſuper terram, nec erat homo qui operaretur in ea,

in ea. Fons autem ascendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ. Et tunc finxit Deus hominem de limo terræ, & insufflauit in faciem eius flatum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Et tunc plantauit Deus paradisum in Eden ad Orientem, & posuit ibi hominem quem finxerat. Et produxit adhuc Deus de terra omne lignum formosum ad aspectum, & bonum ad escam: & lignum vitæ plantauit in medio paradisi, & lignum scientiæ boni & mali. Flumen autem prodibat ex Eden, & irrigabat paradisum: quod inde diuiditur in quatuor partes. Nomen vni Phison, hoc est quod circuit totam terram Euilath; vbi aurum nascitur, & aurum terræ illius optimum: ibi est carbunculus & lapis prasinus. Et nomen secundi
al. Gion. fluminis †Geon, hoc circuit totam terram Æthiopiæ. Et flumen tertium Tigris, hoc est quod vadit contra Assyrios. Et flumen quartũ dicitur Euphrates. Et sumpsit Dominus Deus hominem quem fecerat, & posuit eum in paradiso, vt operaretur ibi, & custodiret eum. Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicens: Ex omni ligno quod est in paradiso edes ad escam, de ligno autem scientiæ boni & mali non edetis ab eo: qua die enim ederitis ab illo, morte moriemini. Et dixit Dominus Deus, Non est bonum esse hominẽ solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Et quæcunque finxerat Deus ex omni genere pecorum, & ex omni genere bestiarum agri, & ex omni genere volatilium volantium sub cælo, perduxit ea ad Adam vt videret quid ea vocaret: & quod vocauit ea omnia Adam animam viuam, hoc est nomen eius. Et post hæc vocauit Adam nomina omnium pecorum & omnium auium cæli, & omnium bestiarum agri: & secundum quod vocauit ea Adam, hoc est nomen eorum vsque in hodiernum diem. Ipsi autem Adæ nondum fuit adiutorium simile illi. Et immisit Deus soporem in Adam, & obdormiuit: & sumpsit Deus vnam de costis eius, & impleuit locum eius carne, & formauit Deus costam quam accepit ab Adam in mulierem, & adduxit illam ad Adam, vt videret quid C eam vocaret. Et dixit Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur mulier, quoniam de viro sumpta est: & hæc erit mihi adiutorium. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Et erant ambo nudi, Adam & mulier eius, &
Gen.3.4.1 * non confundebantur. Serpens autem erat sapientior omnium bestiarum, quæ erant super terram, quas fecerat Dominus Deus. Et dixit serpens ad mulierem: Quare dixit Deus, Ne ederetis ab omni ligno quod est in paradiso? Et dixit mulier ad serpentem: Ex omni ligno quod est in paradiso edimus: à fructu autem ligni, quod est in medio paradisi, dixit Deus, ne edamus, sed neque tangamus, ne moriamur. Et dixit serpens ad mulierem, Nõ morte moriemini, sciebat enim Deus, quia qua die manducaueritis ex illo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum. Et vidit mulier, quia bonum est li- D gnum in escam, & quia bonum est oculis ad videndum & cognoscendum: & sumpsit fructum de ligno illo, & manducauit, & dedit viro suo: & accepit Adam, & manducauit, & aperti sunt oculi eorum: & tunc scierunt quia nudi erant, & sumpserunt sibi folia fici, & fecerunt sibi succinctoria. Et quum audissent vocem Domini deambulantis in paradiso ad vesperam, absconderunt se Adam & mulier eius ante faciem Domini Dei sui, ad illam arborem quæ erat in medio paradiso. Et vocauit Dominus Deus Adam, & dixit illi: Adam, vbi es? Et dixit ille, Vocem tuam audiui Domine in paradiso, & timui, & abscondi me, quia nudus sum. Et dixit Dominus Deus, Quis nunciauit tibi, quia nudus es, nisi quia ab illa arbore A de qua dixeram tibi, ex illa sola non manducare, ex illa manducasti? Et dixit Adam: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit vt ederem, & manducaui. Et dixit Deus mulieri: Quid hoc fecisti? Et dixit mulier: Serpens seduxit me, & manducaui. Et dixit Dominus Deus serpenti: Quia hoc fecisti, maledictus tu ab omni pecore, & omni genere bestiarum. Pectore & ventre repes, & terram manducabis omnibus diebus vitæ tuæ: & inimicitiam ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum, & inter semen illius. Ipsa tuum obseruabit caput, & tu eius calcaneum. Et mulieri dixit, Multiplicans multiplicabo dolores tuos, & suspiria tua, & in doloribus paries filios tuos: & ad virum tuum conuersio tua, & ille tui dominabitur. Et tunc dixit Deus ad Adam: Quia audisti vocem mulieris tuæ, & manducasti de ligno de quo præceperam tibi, ex illo solo ne ederes, maledicta terra erit tibi in omnibus operibus tuis, & in tristitia & gemitu tuo manducabis ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & B tribulos germinabit tibi, & edes pabulum agri tui. In sudore vultus tui edes panem tuum, donec reuerteris in terram, de qua sumptus es, quia terra es, & in terram ibis. Et tunc Adam posuit nomen vxori suæ, Vita, quia mater est omnium viuorum. Et tunc fecit Dominus Deus Adæ & mulieri eius tunicas pelliceas, & induit illos. Et dixit: Ecce Adam factus est tanquam vnus ex nobis, ad scientiam cognoscendi bonum & malum. Et tunc ne porrigeret manum suam Adam ad arborem vitæ & sumeret sibi inde, & ederet & viueret in æternum, dimisit eum Dominus Deus de paradiso suauitatis, vt operaretur terram de qua & sumptus fuerat. Et eiectus foras de paradiso, moratus est contra paradisum voluptatis. Et Cherubin & illam flammeam frameam quæ versatur, posuit Deus ad custodiendam viam arboris vitæ.

CAPVT II. *Genesis ad literam vbique non potest exponi.*

HAEC secreta verborum si non reprehendentes & accusantes, sed quærentes & reuerentes Manichæi mallent discutere, non essent vtique Manichæi, sed daretur [a] petentibus, & quærentes inuenirent, & pulsantibus aperiretur. Plures enim quæstiones in hoc sermone proponunt, qui diligentia pia quærunt, quàm isti miseri atque impij. Sed hoc interest, quòd illi quærunt vt inueniant, isti nihil laborant, nisi non inuenire quod quærunt. Hic ergo totus sermo primo secundum historiam discutiendus est, deinde secundum prophetiam. Secundum historiam facta narrantur, secundum prophetiam futura prænunciantur. Sanè quisquis voluerit omnia, quæ dicta sunt secundum literam accipere, id est non aliter intelligere quàm litera sonat, & potuerit euitare blasphemias, & omnia congruentia fidei catholicæ prædicare, non solùm ei non est inuidendum, sed præcipuus multúmque laudabilis intellector habendus est. Si autem nullus exitus datur, vt piè & dignè de Deo quæ scripta sunt intelligantur, nisi figuratè atque in ænigmate proposita ista credamus, habentes auctoritatem apostolicam, à quibus tam multa de libris Veteris Testamenti soluuntur ænigmata: modum quem intendimus teneamus, adiuuante illo qui nos petere, quærere & pulsare adhortatur: vt omnes istas figuras rerum secundum catholicam fidem, siue quæ ad historiam, siue quæ ad prophetiam pertinent explicemus, non præiudicantes meliori diligentioríque tractatui, siue per nos, siue per alios quibus Dominus reuelare dignatur.

[a] Mat.7.b.7

CAPVT III. *Viride agri, quid designet*

FACTVS est ergo dies quo die fecit Deus cælum & terram, & omne viride agri, antequam essent super terram, & omne pabulum agri. Superius septem dies numerabantur, nunc vnus dicitur dies, quo die fecit Deus cælum & terram, & omne viride agri, & omne pabulum, cuius diei nomine omne tempus significari bene

bene intelligitur. Fecit enim Deus omne tempus simul cum omnibus creaturis temporalibus, quæ creaturæ visibiles cæli & terræ nomine significantur. Mouere autem nos debet ad quærendum, quod cum diem quo factum est cælum & terram nominasset, adiecit etiam viride agri, & omne pabulum. Non enim quando dictum est: In principio fecit Deus cælum & terram: tunc dictum est, factum esse omne viride agri & pabulum. Manifestè enim legitur, quod tertio die factum est omne viride & pabulum agri.

Gen.1.d.9.

Gen.1.d.1. Quod autem dictum est: In principio fecit Deus cælum & terram: non pertinet ad aliquem dierum ex illis septem diebus. Adhuc enim vel materiam ipsam vnde facta sunt omnia, cæli & terræ nomine nuncupabat. Vel certè prius totam creaturam cæli & terræ nomine proposuerat, dicendo: In principio fecit Deus cælum & terram: & postea particulatim per ordinem dierum sicut oportebat, propter prophetiam, quam in primo libro commemorauimus, Dei opera executus exposuit. Quid sibi ergo vult quod nũc nominato cælo & terra, addidit, viride agri & pabulum, & tacuit cætera tam multa, quæ sunt in cælo & in terra, vel etiam in mari, nisi quia viride agri inuisibilem creaturam vult intelligi, sicut est anima? Ager enim solet in Scripturis figuratè mundus appellari. Nam & ipse Dominus, Ager est hic, inquit, mundus: cum illam parabolam exponeret, vbi bono semini sunt commixta zizania. Viride ergo agri spiritalem atque inuisibilem creaturam dicit, propter vigorem vitæ, & nomine pabuli vtique propter vitam bene hoc ipsum interpretamur. Deinde quod addidit, antequam essent super terram, intelligitur, antequam anima peccaret. Terrenis enim cupiditatibus sordidata, tanquam super terram nata, vel super terram esse, rectè dicitur: ideóque addidit, nondum enim pluerat Deus super terram.

Matth.13. v.38.

1.retr.ca.10

Gen.2.d.5.

CAPVT IIII. *Quid sit, nondum pluerat super terram.*

QVIA & nunc viride agri Deus facit, sed pluendo super terram, id est cum facit animas reuirescere per verbum suum: sed de nubibus eas irrigat, id est de Scripturis Prophetarum & Apostolorum. Rectè autem appellantur nubes, quia verba ista quæ sonant scisso & percusso aëre transeũt. Addita etiam obscuritate allegoriarum, quasi aliqua caligine obducta, velut nubes fiunt. Quæ dum tractando exprimuntur, bene intelligentibus tanquam imber veritatis infunditur. Sed hoc nondum erat antequam anima peccaret, id est antequam viride agri esset super terram. Nondum enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur in ea. Laboranti enim homini in terra imber de nubibus est necessarius, de quibus nubibus iam dictum est. Post peccatum autem homo laborare cœpit in terra, & necessarias habere illas nubes. Ante peccatum verò cum viride agri, & pabulum fecisset Deus, quo nomine inuisibilem creaturam significari diximus, irrigabat eam fonte interiore, loquens in intellectu eius: vt non extrinsecus verba exciperet tanquam ex supradictis nubibus pluuiam, sed fonte suo, hoc est de intimis suis manente veritate satiaretur.

Gen.2.d.6. CAP. V. *Fons irrigans terram allegoricè.* FONS enim ascendebat, inquit, de terra, & irrigabat omnem faciem terræ. De qua scilicet terra dicitur: Spes mea es tu, portio mea in terra viuentium. *Ps.141.b.6* Quando autem anima tali fonte irrigabatur, nõdum per superbiam proiecerat intima sua. Initium enim *Eccl.10.b.14* superbiæ hominis apostatare à Deo. Et quoniam in exteriora per superbiam tumescens cœpit non irrigari fonte intimo, bene insultatur illi verbis Prophe- *1.retr.ca.10.* tis & dicitur, Quid superbit terra & cinis? Quoniam *Eccl.10.d.9* in vita sua proiecit intima sua. Quid est enim superbia aliud nisi deserto secreto conscientiæ foris videri velle quod non est? Et ideo laborans iam in terra necessariam habet pluuiam de nubibus, id est doctrinam

Superbia quid sit.

de humanis verbis, vt etiam hoc modo possit ab illa ariditate reuirescere, & iterum fieri viride agri. Sed vtinam vel pluuiam veritatis de ipsis nubibus libẽter excipiat. Nam propter illam Dominus noster nubilum carnis nostræ dignatus est assumere, imbrem sancti Euangelij largissimum infudit, promittens etiã quod si quis biberit de aqua eius, rediret ad illum intimum fontem, vt forinsecus non quærat pluuiam. Dicit enim: Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Ioan.4 c.14* Iste credo fons ante peccatum ascendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ, quia interior erat, & nubium non desiderabat auxilium: nondum enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur in ea. Cum enim dixisset, Nondum enim pluerat Deus super terram: subiecit & causam quare nondum pluerat: quia nondum erat homo qui operaretur in ea. *Gen.2.d.5.* Tunc autem homo cœpit operari in terra, cum post peccatum de beata vita dimissus est, qua in paradiso fruebatur. Sic enim scriptum est: Et dimisit *Gen.2.d.23* eum Dominus Deus de paradiso suauitatis, vt operaretur terram, de qua & sumptus fuerat. Vnde suo loco *Infra cap.28* requiremus. Quod nũc ad hoc commemoraui, vt intelligeremus laboranti homini in terra, id est in peccatorum ariditate constituto, necessariam esse de humanis verbis diuinam doctrinam, tanquam de nubibus pluuiam. Talis autem scientia destruetur. Vide- *1.Cor.13. d.12.* mus enim nunc per speculum in ænigmate tanquam in nubilo faginam quærentes: tunc autem facie ad faciem, quando vniuersa facies terræ nostræ interiore fonte aquæ salientis irrigabitur. Nam si fontem aliquem huius visibilis aquæ voluerimus intelligere, de quo dictum est: Fons autem ascendebat de terra, & ir- *Gen.2. d.6.* rigabat omnem faciem terræ, non est verisimile, quod cum tam multi fontes perennes, siue riuorum, siue fluuiorum per vniuersam terram inueniantur, solus ille siccuerit, qui irrigabat omnem faciem terræ.

CAP. VI. *Inuisibilia quibus vocabulis significentur.* SVB his ergo paucis verbis vniuersa creatura nobis significata est ante peccatum animæ. Nomine enim cæli & terræ vniuersa visibilis creatura insinuata est: & nomine diei, vniuersum tempus: & nomine viridium & pabuli agri, creatura inuisibilis: & nomine fontis ascendentis & irrigantis omnem faciem terræ, inundatio veritatis, animam satians ante peccatum. Dies autem iste, cuius nomine vniuersum tempus significari diximus, insinuat nobis non solùm visibilem, sed etiam inuisibilem creaturam tempus posse sentire: quod de anima nobis manifestatur, quæ tanta varietate affectionum suarum, & ipso lapsu quo misera facta est, & reparatione qua rursus in beatitatem redit, tempore mutari posse conuincitur. Et ideo non dictum est: Cum factus esset dies, quo die fecit Deus cælum & terram tantùm, quibus nominibus visibilis creatura intimatur, sed additum est etiam, viride, & pabulum agri: quo nomine inuisibilem creaturam propter vigorem & vitam significari diximus, sicuti est anima. Et ita dictum est: Cum factus esset dies, *1.retr.ca.10* quo die fecit Deus cælum & terram, & omne viride, & pabulum agri, vt sic intelligeremus non solùm visibilem, sed etiam inuisibilem creaturam pertinere ad tempus propter mutabilitatem: quia solus Deus incommutabilis est, qui est ante tempora.

CAP. VII. *Limus quid habeat mysterij.* NVNC videamus post vniuersæ creaturæ insinuationem tam visibilis quàm inuisibilis, & vniuersale beneficium diuini fontis erga inuisibilem creaturam, quid de homine specialiter intimetur, quod ad nos maximè pertinet. Primo enim quod de limo *Gen.2. d.7.* terræ Deus hominem finxit, solet habere quæstionem qualis ille limus fuerit, vel quæ materia nomine limi significata sit. Illi autem inimici veterũ librorum, omnia carnaliter intuentes, & propterea semper errantes, etiam hoc reprehendere mordaciter solent,

quod de limo Deus hominem finxit. Dicunt enim: Quare de limo fecit Deus hominem? An defuerat ei melior & cæleſtis materia, vnde hominem faceret, vt de labe terrena tam fragilem mortalémque formaret. Non intelligentes primo quod multis ſignificationibus vel terra vel aqua in Scripturis ponatur. Limus enim aquæ & terræ commixtio eſt. Dicimus enim tabidum & fragile & morti deſtinatum corpus humanum poſt peccatum eſſe cœpiſſe. Non enim in noſtro corpore iſti exhorreſcunt, niſi mortalitatem quam damnatione meruimus. Quid autem mirum aut difficile Deo, etiam ſi de limo iſtius terræ hominem fecit, tale tamen corpus eius efficere, quod corruptioni non ſubiaceret, ſi homo præceptum Dei cuſtodiens peccare noluiſſet? Si enim ſpeciem cæli ipſius de nihilo, vel de informi materia dicimus factam, quia omnipotentem artificem credimus: quid mirum ſi corpus, quod de limo qualicunque factum eſt, potuit ab omnipotenti artifice tale fieri, vt nulla moleſtia, nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum, & nulla corruptione tabeſceret? Itaque ſuperfluè quæritur, vnde hominis corpus Deus fecerit, ſi tamen nunc de corporis formatione dicitur. Sic enim nonnullos noſtros intelligere accepi, qui dicunt, poſteaquam dictum eſt: Finxit Deus hominem de limo terræ: propterea non additum eſſe, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quoniam nunc de corporis formatione dicitur. Tunc autem homo interior ſignificabatur, quando dictum eſt: Fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Sed etiam ſi nunc quoque hominem ex corpore & anima factum intelligamus, vt non alicuius noui operis inchoatio, ſed ſuperius breuiter inſinuati, diligentior retractatio iſto ſermone explicetur: Si ergo, vt dixi, hominem hoc loco ex corpore, & anima factum intelligamus: non abſurdè ipſa commixtio limi nomen accepit. Sicut enim aqua terram colligit, & conglutinat, & continet, quando eius commixtione limus efficitur: ſic anima corporis materiam viuificando in vnitatem concordem conformat, & non permittit labi & reſolui.

CAPVT VIII. *Inſufflatio ſpiritus quid.*

QVOD autem ſcriptum eſt; [a] Et inſufflauit in eum Spiritum vitę, & factus eſt homo in animam viuentem: ſi adhuc corpus ſolum erat, animam adiunctam corpori hoc loco intelligere debemus: ſiue quia iam facta erat, ſed tanquam in ore Dei erat, id eſt in eius veritate vel ſapientia: vnde tamen non receſſit quaſi locis ſeparata, quando inſufflata eſt: non enim Deus loco continetur, ſed vbique præſens eſt. Siue tunc anima facta eſt, quando in illud figmentum Deus inſufflauit ſpiritum vitæ, vt illa inſufflatio ipſam operationem Dei ſignificet, qua fecit animam in homine Spiritu potentiæ ſuæ. Si autem homo ille qui factus erat, iam corpus & anima erat, ipſi animæ ſenſus eſt additus iſta inſufflatione, cum factus eſt homo in animam viuentem: non quia illa inſufflatio conuerſa eſt in animam viuentem, ſed operata eſt in animam viuentem. Nondum tamen ſpiritalem hominem debemus intelligere, qui factus eſt in animam viuentem, ſed adhuc animalem. Tunc enim ſpiritalis effectus eſt, cum in paradiſo, hoc eſt in beata vita conſtitutus, præceptum etiam perfectionis accepit, vt verbo Dei conſummaretur. Itaque poſtquam peccauit, recedens à præcepto Dei, & dimiſſus de paradiſo, in hoc remanſit vt animalis eſſet. Et ideo animalem hominem prius agimus omnes qui de illo poſt peccatum nati ſumus, donec aſſequamur ſpiritalem Adam, id eſt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui peccatum non fecit: & ab illo recreati & viuificati, reſtituamur in paradiſum, vbi latro ille cum ipſo eo die meruit eſſe quo vitam iſtam finiuit. Sic enim Apoſtolus dicit: Sed non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, ſicut ſcriptum eſt: Factus eſt primus Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in Spiritum viuificantem. Sic ergo debemus intelligere hunc locum, vt non quia dictum eſt, Inſufflauit in eum ſpiritum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem, credamus illam veluti partem naturæ Dei in animam hominis fuiſſe conuerſam, & cogamur dicere naturam Dei eſſe mutabilem: in quo errore maximè iſtos Manichæos veritas premit. Sicut enim eſt mater omnium hæreticorum ſuperbia, auſi ſunt dicere quòd natura Dei ſit anima. Et hinc vrgentur à nobis, cum eis dicimus. Ergo natura Dei errat & miſera eſt, & vitiorum labe corrumpitur & peccat: aut etiam (vt vos dicitis) naturæ contrariæ ſordibus inquinatur: & cætera talia quæ de natura Dei nefas eſt credere? Nam factam eſſe animam ab omnipotente Deo, & ideo non illam eſſe partem Dei vel naturam Dei, manifeſtè alio loco ſcriptum eſt, dicente Propheta: Et qui finxit Spiritum omnibus, ipſe† fecit omnia. Et alio loco: [a] Qui finxit Spiritum hominis in ipſo. Ergo factum eſſe Spiritum hominis, manifeſtè his teſtimoniis approbatur. Spiritus autem hominis in Scripturis dicitur ipſius animæ potentia rationalis, qua diſtat à pecoribus, & eis naturæ lege dominatur. De quo dicit Apoſtolus: Nemo ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt. Ne fortè ſi non probaretur his teſtimoniis animam factam eſſe, non deeſſent qui dicerent, ſpiritum hominis non eſſe factum, & ipſum arbitrarentur eſſe naturam Dei, & in ipſum dicerent partem Dei eſſe conuerſam, cum illa inſufflatio Dei facta eſt. Quod ſana doctrina ſimiliter reſpuit, quia & ipſe ſpiritus hominis cum aliquando errat, & aliquando prudenter ſapit, mutabilem ſe eſſe clamat: quod nullo modo de natura Dei fas eſt credere. Non autem poteſt maius ſignum eſſe ſuperbię, quàm vt dicat ſe humana anima hoc eſſe quod Deus eſt, cum adhuc ſub tantis vitiorum & miſeriarum molibus gemat.

CAP. VIII. *Inſufflatio ſpiritus quid.* 2 Ge. 2. b. 7.

Lib. 13. de Ciuit. Dei, cap. 24.

1 Pe. 2. d. 22 Luc. 23. f. 43.

2. Corinth. 15. f. 46.

Pſal. 32. c. 15.

[a] *Quid in Scripturis dicatur ſpiritus hominis.* al. ſcit.

[a] Zach. 12. a. 1.

1 Co. 2. c. 11

CAP. VIII. *Paradiſi delicię quid allegorice.*

NVNC iam videamus ipſam beatitudinem hominis, quæ paradiſi nomine ſignificatur: nam quoniam in nemoribus delicioſa quies hominum eſſe ſolet, & corporeis ſenſibus noſtris de Oriēte lumen oritur, cælúmque conſurgit, quod ſuperius corpus eſt noſtro corpore atque excellentius: propterea his verbis etiam ſpiritales deliciæ, quas habet beata vita, figuratè explicantur, & ad Orientem paradiſus plantatur. Intelligamus autem noſtra gaudia ſpiritalia ſignificare omne lignum formoſum ad aſpectum intelligentiæ, & bonum ad eſcam quæ nō corrumpitur, qua beatæ animæ paſcuntur: nam & Dominus dicit: Operamini eſcam quæ non corrumpitur, vt eſt omnis ratio, quæ cibus eſt animæ. Ad Orientem lucem ſapientiæ in Eden, id eſt in deliciis immortalibus & intelligibilibus. Nam deliciæ vel voluptas, vel epulum hoc verbo ſignificari dicitur, ſi ex Hebrẹo in Latinum interpretetur. Poſitum eſt autem ſic ſine interpretatione, vt aliquem locum ſignificare videatur, magiſque figuratam faciat locutionem. Productum autem ex terra omne illud lignū accipimus omne illud gaudium ſpiritale, id eſt ſupereminere terræ, & non inuolui atque obrui terrenarum cupiditatum impedimentis. Lignum autem vitæ plantatum in medio paradiſi, ſapientiam illam ſignificat, qua oportet vt intelligat anima, in meditullio quodam rerum ſe eſſe ordinatam, vt quamuis ſubiectam ſibi habeat omnem naturam corpoream, ſupra ſe tamen eſſe intelligat naturam Dei: & neque in dexteram declinet ſibi arrogando quod non eſt: neque ad ſiniſtram, per negligentiam contemnendo quod eſt: & hoc eſt lignum vitæ plantatum in medio paradiſi. Ligno autem ſcientiæ boni & mali, ipſa item medietas animæ & ordinata integritas ſignificatur: nam & ipſum lignum in medio

Lib. 13. de Ciuit. Dei, cap. 20. in fin.

Ioan. 6. d 27

medio paradiſi plantatum eſt: & ideo lignum dignoſcentiæ boni & mali dicitur, quia ſi anima quæ debet in ea quæ anteriora ſunt ſe extendere, id eſt in Deum: & ea quæ poſteriora ſunt obliuiſci, id eſt corporeas voluptates, ad ſeipſam deſerto Deo conuerſa fuerit, & ſua potentia tanquam ſine Deo frui voluerit, intumeſcit ſuperbia, quod eſt initium omnis peccati. Et cum hoc eius peccatum pœna fuerit conſecuta, experiendo diſcit quid interſit inter bonum quod deſeruit, & malum in quod cecidit. Et hoc ei erit guſtaſſe de fructu arboris dignoſcentiæ boni & mali. Præcipitur ergo illi vt de omni ligno paradiſi edat, ex ligno autẽ in quo eſt dignoſcentia boni & mali non edat: id eſt non ſic eo fruatur, vt ipſam ordinatam integritatem naturæ ſuæ, quaſi manducando violet atq; corrumpat.

Phil. 3. c. 13

CAP. X. Flumina quatuor quid norent.

FLVMEN autem quod procedebat ex Eden, id eſt ex deliciis & voluptate & epulis, quod flumen à Propheta ſignificatur in Pſalmis, cum dicit; Torrente voluptatis tuæ potabis eos: hoc eſt enim Eden, quod Latinè voluptas dicitur: diuiditur in quatuor partes, & quatuor virtutes ſignificat: prudẽtiam, fortitudinem, temperantiam, iuſtitiam. Dicitur autem Phiſon ipſe eſſe Ganges, Geon autem Nilus, quod etiam in Hieremia propheta animaduerti poteſt: nunc aliis nominibus appellantur. Sicut nunc Tyberis dicitur fluuius, qui prius Albula dicebatur. Tigris verò & Euphrates etiam nunc eadem nomina tenent: quibus tamen nominibus virtutes (vt dixi) ſpiritales ſignificãtur. Quod etiam ipſorum nominum interpretatio docet, ſi quis Hebræam linguam vel Syram conſideret. Sicut Hieruſalem quamuis ſit viſibilis & terrenus locus, ſignificat tamen †ciuitatem pacis ſpiritaliter: & Sion quamuis ſit mons in terra, ſpeculationem tamen ſignificat: & hoc nomen in Scripturarum allegoriis ad ſpiritalia intelligenda ſæpe transfertur: Et ille qui deſcendebat ab Hieruſalem in Hiericho, ſicut Dominus dicit, & in via vulneratus, ſaucius & ſemiuiuus relictus eſt à latronibus, vtiq; locos iſtos terrarum quamuis ſecũdum hiſtoriam in terra inueniantur, ſpiritaliter cogit intelligi. Prudentia ergo, quæ ſignificat ipſam contemplationem veritatis, ab omni ore humano alienam, quia eſt ineffabilis quam ſi eloqui velis, parturis eam potius quam paris, quia ibi audiuit & Apoſtolus ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Hæc ergo prudentia terram circumit, quæ habet aurum & carbunculum, & lapidem praſinum: id eſt diſciplinam viuendi, quæ ab omnibus terrenis ſordibus, quaſi decocta niteſcit, ſicut aurum optimum & verum, quod nulla falſitas vincit, ſicut carbunculi fulgor nocte nõ vincitur: & vitam æternam, quæ viriditate lapidis praſini ſignificatur, propter vigorem qui non areſcit. Fluuius autem ille qui circuit terram Æthiopiam multum calidam atq; feruentem, ſignificat fortitudinem calore actionis alacrem atq; impigram. Tertius autem Tigris vadit contra Aſſyrios, & ſignificat temperantiam, quæ reſiſtit libidini, multum aduerſanti conſiliis prudẽtiæ. Vnde plerunq; in Scripturis Aſſyrij aduerſariorũ loco ponuntur. Quartus fluuius non dictum eſt cõtra quid vadat, aut quam terram circumeat: iuſtitia enim ad omnes partes animę pertinet, quia & ipſe ordo & æquitas animæ eſt, qua ſibi iſta tria concorditer copulãtur, prima prudentia, ſecunda fortitudo, tertia temperantia, & in iſta tota copulatione atque ordinatione perficiunt iuſtitiam.

Pſal. 35. b. 9

al. viſionẽ.

Ibid. c. 15.

Gen. 2. c. 15

CAPVT XI. De opere & natura hominis.

QVOD autem ita cõſtitutus eſt homo in paradiſo, vt operaretur & cuſtodiret: operatio illa laudabilior laboriosa non erat. Alia eſt nanq; in paradiſo operatio, & alia in terra, qua poſt peccatũ damnatus eſt. Ex eo autem quod additũ eſt, Et cuſtodiret: ſignificatum eſt qualis illa operatio erat. Nãque in tranquillitate beatæ vitæ, vbi mors non eſt, omnis operatio eſt cuſtodire quod tenes. Accipit etiam præceptum, de quo ſuperius iam tractauimus. Quod præceptum, quoniam ſic concluditur, vt non ad vnum loquatur, ſic enim dicit: Qua die autem mãducaueritis, morte moriemini: incipit exponi quomodo ſit facta fœmina. Et facta dicitur in adiutorium viri, vt copulatione ſpiritali ſpiritales fœtus æderet, id eſt bona opera diuinæ laudis: dum ille regit, hæc obtemperat: ille à ſapientia regitur, hæc à viro. Caput enim viri Chriſtus, & caput mulieris vir. Ideóq; dicitur: Non eſt bonum ſolum hominem eſſe. Ad hoc enim erat quo fieret, vt non ſolùm anima corpori dominaretur, quia corpus ſeruilem locum obtinet, ſed etiam virilis ratio ſubiugaret ſibi animalem partem ſuam, per quod adiutorium imperaret corpori. Ad huius rei exemplum fœmina facta eſt, quam rerum ordo ſubiugat viro: vt quod in duobus hominibus euidentius apparet, id eſt in maſculo & fœmina, etiam in vno homine conſiderari poſſit: vt appetitum animæ, per quem de membris corporis operamur, habeat mens interior tãquam virilis ratio ſubiugatum: & iuſta lege modum imponat adiutorio ſuo, ſicut vir debet fœminã regere, nec eam permittere dominari in virum: quod vbi cõtingit, peruerſa & miſera domus eſt. Primo ergo demonſtrauit Deus homini, quãto melior eſſet pecoribus, & omnibus irrationabilibus animantibus: & hoc ſignificat quod dictum eſt, adducta eſſe ad illum omnia animantia, vt videret quid ea vocaret, & eis nomina imponeret. Ex hoc enim apparet ipſa ratione hominem meliorem eſſe quàm pecora, quod diſtinguere, & nominatim ea diſcernere non niſi ratio poteſt, quæ de ipſis iudicat. Sed hæc facilis ratio eſt: cito enim homo intelligit ſe meliorem eſſe pecoribus. Illa eſt difficilis ratio, qua intelligit in ſeipſo aliud eſſe rationale quod regit, aliud animale quod regitur.

Supra eòdem cap. 9.

Gen. 2. c. 17

1 Co. 11. d. 3

1 Ti. 2. d. 13

Gen. 2. d. 19

CAPVT XII. Sopito Adã innicta Eua, quid ſibi velit.

ET quoniam hæc ſecretiore ſapientia videt, ipſam viſionem ſecretam nomine ſoporis ſignificari arbitror, quem immiſit Deus in Adam, quando ei mulier facta eſt. Vt enim hoc videatur, non eſt opus oculis iſtis corporeis, ſed quanto quiſque ab iſtis viſibilibus rebus in interiora intelligentiæ ſeceſſerit, hoc eſt autem quaſi obdormiſcere, tanto melius & ſyncerius illud videt. Ipſa enim cognitio, qua intelligitur in nobis aliud eſſe quod ratione dominetur, aliud quod rationi obtemperet: ipſa ergo cognitio veluti effectio mulieris eſt de coſta viri, propter coniunctionem ſignificandam. Deinde vt quiſque huic ſuæ parti rectè dominetur, & fiat quaſi coniugalis in ſeipſo, vt caro non concupiſcat aduerſus Spiritum, ſed ſpiritui ſubiugetur: id eſt, concupiſcentia carnalis non aduerſetur rationi, ſed potius obtemperando deſinat eſſe carnalis, opus habet perfecta ſapientia. Cuius contemplatio quia interior eſt & ſecretior, & ab omni ſenſu corporis remotiſſima, conuenienter etiam iſta ſoporis nomine intelligi poteſt. Tum enim ordinatiſſimè caput mulieris vir eſt, cum caput viri eſt Chriſtus, qui ſapientia eſt Dei. Et ſanè in locum illius coſtę carnem adimpleuit, vt hoc nomine inſinuaretur dilectionis affectus, quo diligit vnuſquiſque animam ſuam, & non eſt durus vt eam contemnat, quia diligit quiſque cui prœeſt. Nõ enim ſic nominata eſt caro iſto loco, vt carnalem concupiſcentiam ſignificet, ſed iſto modo potius, quo Propheta dicit, auferri populo cor lapideum, & dari cor carneum. Hoc modo enim dicit etiam Apoſtolus: Non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Aliud eſt quippe propria locutio, aliud figurata, qualis iſta eſt quam tractamus modò. Quapropter etſi viſibilis fœmina ſecundum hiſtoriam de corpore viri primo facta eſt à Domino Deo, non vtique ſine cauſa ita facta eſt, niſi vt aliquod ſecretũ intimaret. Nũ enim aut limus defuit, vnde fœmina formaretur: aut ſi vellet Dominus, homini vigilanti coſtam

1 Co. 11. d. 3

1 Co 1. d. 24

Ezec. 11. d. 19

2 Cor. 3. c. 3

a Geneſ. 2. d. 21.

sine dolore detrahere non posset? Siue ergo ista figuratè dicta sunt, siue etiam figuratè facta sunt, non frustra hoc modo dicta vel facta sunt, sed sunt planè mysteria & sacramenta: siue hoc modo quo tenuitas nostra conatur, siue aliquo alio meliore, secundum sanam tamen fidem sunt interpretanda & intelligenda.

CAP. XIII. *Spirituale coniugium in homine.*

Gen. 2. d. 23

VOCAVIT ergo mulierem suam vir, tanquam potior inferiorem, & dixit: Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. Os de ossibus, fortasse propter fortitudinem: & caro de carne, propter temperãtiam. Hæ nãque duæ virtutes ad inferiorem animi partem, quam prudentia rationalis regit, docentur pertinere. Quod autem dictum est: Hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumpta est, ista origo nominis & interpretatio in lingua Latina non apparet. Quid enim simile habeat mulieris nomen ad viri nomen, non inuenitur. Sed in Hebræa locutione dicitur sic sonare, quasi dictum sit: Hæc vocabitur virago, quoniam de viro suo sumpta est. Nam virago vel virgo potius habet aliquam similitudinem cum viri nomine, mulier autem non habet. Sed hoc (vt dixi) linguæ diuersitas facit. Quod autem additum est: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: quomodo referatur ad historiam non video, nisi quòd plerunque in genere humano ista contingunt: sed tota prophetia est, cuius Apostolus meminit, dicẽs: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo Iesu, & in ecclesia. Quod Manichæi si non cæci legerent, qui per Epistolas Apostolicas multos decipiũt, intelligerent quomodo accipiendæ sint Veteris Testamenti Scripturæ, nec tam sacrilega voce auderent accusare quod nesciunt. Quod autem nudi erant Adam & mulier eius, & non confundebantur, simplicitatem animæ castitatémque significat. Nam & Apostolus ita dicit: Aptaui vos vni viro virginem castam exhibere Christo: timeo autem ne sicut serpẽs Euam fefellit versutia sua, ita corrumpantur mentes vestræ à simplicitate & castitate quæ est in Christo.

Ibid. d. 24. Lib. 6. de trinit. cap. 3. 6. 8. 12.

Eph. 5. 8. 31

2 Co. 11. a. 2

CAPVT XIIII. *Serpẽs diabolus, Eua affectus.*

SERPENS autem significat diabolum, qui sanè non erat simplex. Quod enim dicitur, [a] sapientior omnibus bestiis, figuratè insinuatur eius versutia. Non autem dictum est, quod in paradiso erat serpens, sed erat serpens inter bestias quas fecit Deus. Paradisus nanque beatam vitam (vt superius dixi) significat, in qua iam non erat serpẽs, quia iam diabolus erat: & de sua beatitudine ceciderat, quia in veritate non stetit. Nec mirandum est quomodo mulieri loqui potuerit, cum illa esset in paradiso, & ille non esset: nec enim aut illa secundum locum erat in paradiso, sed potius secundum beatitudinis affectum: aut etiam si locus est talis, qui paradisus vocetur, in quo corporaliter Adam & mulier habitabãt, etiam diaboli accessum corporaliter intelligere debemus? Nõ vtique, sed spiritaliter, sicut Apostolus dicit, secundum principem potestatis aëris huius spiritus, qui nũc operatur in filiis diffidentiæ. Nunquid ergo visibiliter eis apparet, aut quasi corporeis locis accedit ad eos in quibus operatur? Non vtique sed miris modis per cogitationes suggerit quicquid potest. Quibus suggestionibus rẽsistunt, qui verè dicũt, quod item dicit Apostolus: Nõ enim ignoramus astutias eius. Quomodo enim accessit ad Iudam, quandó ei persuasit vt Dominum traderet? Nunquid in locis, aut per hos oculos ei visus est? Sed vtique, vt dictum est, intrauit in cor eius. Repellit autem illum homo, si paradisum custodiat. Posuit enim Deus hominem in paradisum, vt operaretur & custodiret: quia sic & Ecclesiæ dicitur in Canticis canticorum, Hortus cõclusus, fons signatus: quo vtiq; non admittitur peruersitatis ille persuasor.

a Gen. 3. a. 1

Sup. cap. 9.

Ioan. 8. f. 49

Eph. 2. a. 2.

2. sent. dist. 24. cap. itaque vt.

2. Corinth. 2. c. 11.

Lu. 22. a. 3.

Can. 4. d. 12

Sed tamen per mulierem decipit: non enim etiam ratio nostra deduci ad consensionem peccati potest, nisi cum delectatio mota fuerit in illa parte animi, quę debet obtemperare rationi tanquam rectori viro. Etiam nunc in vnoquoque nostrũm nihil aliud agitur, cum ad peccatum quisque delabitur, quàm tunc actum est in illis tribus: serpẽte, muliere, & viro. Nam primo fit suggestio siue per cogitationem, siue per sensus corporis, vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel gustando, vel olfaciendo: quę suggestio cum facta fuerit, si cupiditas nostra non moueatur ad peccandum, excludetur serpentis astutia: si autem mota fuerit, quasi mulieri iam persuasum erit. Sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat atq; cõpescit. Quod cum fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat, & quod libido commouerit faciẽdum esse decernat, ab omni vita beata tanquam de paradiso expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiam si non subsequatur factum, quoniam rea tenetur in consensione conscientia.

Libro 12. de trinit. cap. 8. & 12.

CAP. XV. *Tertio quomodo deiecit.*

QVO autem modo serpens ille peccatum persuaserit, diligenter considerandum est, pertinet enim maximè ad nostram salutem: nam ideo hæc scripta sunt vt iam talia caueamus. Nam cum interrogata mulier respondisset quid eis præceptum esset, ait ille: Nõ morte moriemini, scit enim Deus, quoniam qua die manducaueritis ex illo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum. Videmus his verbis per superbiã peccatum esse persuasum: ad hoc enim valet quod dictũ est, Eritis sicut dij. Sicut etiam hoc quod dictum est, scit enim Deus, quoniam qua die manducaueritis ex eo, aperientur oculi vestri: quid hic intelligitur nisi persuasum esse, vt sub Deo esse nollent, sed in sua potestate potius sine Domino, vt legem eius non obseruarent, quasi † inuidentis sibi ne seipsi regerent, non indigentes illius interno lumine, sed vtentes propria prouidentia quasi oculis suis ad dignoscendũ bonum & malum, quod ille prohibuisset? Hoc est ergo quod persuasum est, vt suam potestatem nimis amarent, & cum Deo esse pares vellent, illa medietate, per quam Deo subiecti erant, & corpora subiecta habebant tanquam fructum arboris constitutæ in medio paradisi, malè vterentur, id est contra legem Dei: atq; ita quod acceperant amitterent, dum id quod non acceperant vsurpare voluerunt. Non enim accepit hominis natura, vt per suam potestatem Deo non regente beata sit: quia nullo regente, per suam potestatẽ beatus esse solus Deus potest. Et vidit (inquit) mulier, quia bonũ est lignum ad escam: & quia bonum est oculis ad videndum, & cognoscendum. Quomodo videbat, si clausi erant oculi? Sed hoc dictũ est, vt intelligeremus eos oculos esse apertos, posteaquã de fructu illo acceperunt, quibus se nudos videbant, & displicebant sibi, id est oculos astutiæ, quibus simplicitas displicet. Cum enim quisque ceciderit ab illa intima, & secretissima luce veritatis, nihil est vnde velit placere superbia, nisi fraudulentis simulationibus. Hinc enim & hypocrisis nascitur, in qua multum sibi videntur cordati, qui potuerunt fallere, & decipere quem voluerunt. Dedit enim mulier viro suo, & manducauerũt, & aperti sunt oculi eorum, de quibus iam dictum est, & tunc viderunt quod nudi essent: sed oculis peruersis, quibus illa simplicitasquæ nuditatis nomine significata est, erubescenda videbatur. Itaque vt iam non essent simplices, fecerunt de foliis fici sibi succinctoria, tãquam tegentes pudenda sua, id est occultantes simplicitatem, de qua iam erubescebat astuta superbia. Folia verò fici pruritum quendam significant, si hoc bene in rebus incorporalibus dicitur, quem miris modis animus patitur cupiditate, & delectatione mẽtiendi. Vnde etiam

Gen. 3. a. 6.

Libro 12. de trin. cap. 8.

Ibid. a. 5.

al. prouidentes sibi vt seipsi.

Latin

Latinè falsi dicuntur, qui iocari amant. In iocis autem vtique simulatio principatum tenet.

Gen. 3. b. 8. CAP. XVI. *Absconsio, ambulatio, percontatio, quid signent.*

ITAQVE cum deambularet Deus in paradiso ad vesperam, id est cum ad eos iam iudicandos veniret adhuc ante pœnam eorum deambulabat in paradiso, id est quasi mouebatur in eis præsentia Dei, quando iam ipsi stabiles in eius præcepto non erant. Et bene ad vesperam, id est cum iam ab eis sol occideret, id est auferretur ab eis lux illa interior veritatis. Audierunt vocem eius, & absconderunt se à cõspectu eius. Quis se abscondit à conspectu Dei, nisi qui deserto ipso in-
Ioan. 8. f. 44 cipit iam amare quod suum est? Iam enim habebant cooperimenta mendacij. Qui autem loquitur mendacium, de suo loquitur. Et ideo ad arborem se dicuntur abscondere, quæ erat in medio paradisi, id est ad seipsos, qui in medio rerum infra Deum & supra corpora erant. Ergo ad seipsos absconderunt se, vt cõturbarentur miseris erroribus: relicto lumine veritatis, quod ipsi non erant. Particeps enim veritatis potest esse anima humana, ipsa autem veritas Deus est incõmutabilis supra illam. Ab ea verò veritate quisquis auersus est, & ad seipsum conuersus, & non directore atque illustratore Deo, sed de suis motibus quasi libe-
Ioan. 8. f. 44 ris exultat, tenebratur mendacio: quoniam qui loquitur mendacium, de suo loquitur: atque ita turbatur, vt
Psal. 41. b. 7 vox illa Prophetæ manifestat, qua dictum est: Ad meipsum anima mea turbata est. Itaque iam interrogatur Adam, non Deo nesciente vbi esset, sed cogente ad confessionem peccati: non enim & Dominus Iesus Christus tam multa quæ interrogabat, nesciebat. Respondit autem voce eius audita, abscondisse se, quoniam nudus esset. Iam miserrimo errore respondit, quasi Deo posset displicere nudus, sicut eum ipse fecerat. Est autem hoc erroris proprium, vt quod cuiq; displicet, hoc etiam Deo displicere arbitretur. Illud autem sublimiter intelligendum est, quod Dominus
Gen. 3. b. 11 ait: Quis nunciauit tibi quòd nudus esses, nisi quia ab illa arbore de qua dixeram tibi, ex illa sola ne manducares, ex illa manducasti? Nudus enim erat à simulatione, sed vestiebatur luce diuina. Vnde auersus & ad seipsum conuersus, quod significat de illa arbore manducasse, nuditatem suam vidit, & displicuit sibi ex eo quod non habebat aliquid proprium.

CAPVT XVII. *Reiectio culpæ & serpentis pœna.*

DEINDE iam more superbiæ in se non accusat quod consensit mulieri, sed in mulierem refundit culpam suam: & sic subtiliter quasi de astutia quam miser cõceperat, voluit ad ipsum Deum pertinere quod
Gen. 3. b. 12 Lib. 11. de Genes. ad literam ca. 35 & lib. 8. c. 8 peccauit. Non enim ait, mulier dedit mihi: sed addidit dicens, mulier quam dedisti mihi. Nihil est autem tam familiare peccantibus, quàm tribuere Deo velle vndecunque accusantur: & hoc de illa vena superbiæ, vt quoniam sic homo peccauit cum vult esse par Deo, id est liber esse ab eius dominio, sicut ille ab omni dominio liber est, quoniam ipse est Dominus omnium. Quoniam in maiestate par illi esse non potuit, iam lapsus & iacens in peccato suo, parem sibi eum facere conatur, vel potius illum vult ostendere peccasse, se autem esse innocentem: & mulier interrogata refert culpam in serpentem: quasi aut ille sic acceperit vxorem vt ei obtemperaret, & nõ potius vt ipsam sibi obtemperare faceret: aut illa non potuerit Dei præceptum potius custodire quàm verba serpentis admittere. Iam serpens non interrogatur, sed prior excepit pœnam, quia nec confiteri peccatum potest, nec habet omnino vnde se excuset. Non autem nunc ea damnatio diaboli dicitur quę vltimo iudicio reseruatur,
Matth. 25. d. 41. de qua loquitur Dominus cum dicit, Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius: sed ea pœna eius dicitur qua nobis cauendus est. Pœna enim eius est, vt in potestate habeat eos, qui Dei præcepta contemnunt. Hoc enim explicatur his verbis,

A quibus in eum profertur sententia: & inde maior pœna est, quia de hac tam infelici potestate lætatur, qui solebat antequam caderet sublimi veritate gaudere in qua non stetit: & ideo illi etiam pecora præponun- Ioan. 8. f. 44
tur, non in potestate, sed in conuersatione naturæ suæ: quia pecora non amiserũt beatitudinem aliquam cœlestem, quam nunquam habuerunt, sed in sua natura quam acceperunt peragunt vitam. Dicitur ergo huic, Gen. 3. c. 14
Pectore & ventre repes. Quod quidem & in colubro animaduertitur, & ex illo animante visibili ad hunc inuisibilem inimicum nostrum locutio figuratur. Nomine enim pectoris, significatur superbia, quia ibi dominatur impetus animi. Nomine autem ventris, significatur carnale desiderium, quia hæc pars mollior sentitur in corpore. Et quia his rebus ille serpit ad eos quos vult decipere: propterea dictum est, Pectore & ventre repes. ET terram, inquit, man- *Ibidem.* CAPVT XVIII. *Serpentis cũ Eua inimicitia.*
ducabis omnibus diebus vitæ tuæ: id est, omnibus die-
B bus quibus agis hanc potestatem, ante illam vltimam pœnam iudicij. Hæc enim vita eius videtur, de qua gaudet atque gloriatur. Terram ergo manducabis, duobus modis intelligi potest. Vel ad te pertinebunt, quos terrena cupiditate deceperis, id est peccatores, qui terræ nomine significantur. Vel certè genus tertium tentationis his verbis figuratur, quod est curiositas. Terram enim qui mãducat, profunda & tenebrosa penetrat, & † tantum temporalia atque terrena. Nõ *al.* tamen.
autem inimicitiæ ponuntur inter ipsum & virum, sed inter ipsum & mulierem. Nunquid quia viros non decipit & tentat? Sed manifestum est quòd decipit. An quia ipsum Adam non decepit, sed mulierem eius? Sed nunquid propterea nõ est inimicus eius, ad quem peruenit per mulierem suam illa deceptio, maximè quia de futuro iam dicitur, inimicitias ponam inter te & mulierem? Si autem quòd non deinceps decepit Adam, nec ipsam Euam deinceps decepit. Quare ergo
C ita dicitur, nisi quia hinc manifestè ostenditur, nõ posse nos à diabolo tentari, nisi per illam animalem partem, quæ quasi mulieris imaginem, vel exemplum in vno ipso homine ostendit, de qua superius iam multa diximus? Quod autem etiam inter semen diaboli, & semen mulieris ponuntur inimicitiæ, significatur semine diaboli peruersa suggestio: semine autem mulieris, fructus boni operis, quo peruersę suggestioni resistit. Et ideo obseruat ipse plantã mulieris, vt si quando in illicita labitur delectatio: tunc illam capiat: & illa obseruat caput eius, vt eum in ipso initio malę suasionis excludat. IAM de pœna mulie- Gen. 3. c. 16 CAP. XIX. *De pœna mulieris infœlicis.*
ris nulla quæstio est: manifestè enim multiplicatos dolores habet, atque suspiria in huius vitæ calamitatibus, & quòd in doloribus pariet filios, quamuis & in
D ista visibili muliere compleatur, tamẽ ad illam secretiorem consideratio reuocanda est. Nam vt in pecoribus fœminæ cum doloribus pariunt filios, & hæc est in illis mortalitatis conditio potius quàm pœna peccati. Potest ergo fieri, vt etiam in fœminis hominibus mortalium corporum sit ista cõditio. Sed hoc est magnum supplicium, quod ad istam corporum mortalitatem ex illa immortalitate venerunt. Veruntamen magnum sacramentum est huius sententiæ, scilicet quòd nulla abstinentia fiat à voluntate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem consuetudo flectatur. Quò cum peruenerit, quasi natus est filius, id est ad bonum opus paratus est affectus per consuetudinem bonam. Quæ consuetudo vt nasceretur, cum dolore reluctatum est consuetudini malæ. Nam & illud quod post de partu dictum est: Erit tibi conuersio ad virum tuum, & ipse tui dominabitur: nónne multæ ac propè omnes mulieres absentibus viris suis pariunt, & post partum se ad illos non conuertunt? Quæ autem superbæ sunt mulieres,

& dominantur viris, nunquid post partum carent hoc vitio, vt viri earum dominentur? Imò quasi dignitatem sibi additam credunt, quod matres fiunt, & plerunque superbiores existunt. Quid sibi ergo vult, quod posteaquam dictum est, In doloribus paries filios: additum est, Et erit tibi cõuersio ad virum tuum, & ipse tui dominabitur: nisi quia illa pars animæ, quæ carnalibus gaudiis tenetur, cum aliquam malam consuetudinem volens vincere, passa fuerit difficultatem ac dolorem, atq; ita pepererit cõsuetudinem bonam, cautius iam & diligentius rationi obtemperat tanquã viro: & †ipsi quasi erudita doloribus conuertitur ad rationem, & libẽter seruit iubẽti, ne iterum in aliquam pernicioſam consuetudinem defluat? Ista ergo quæ videntur maledicta, præcepta sunt, si non carnaliter spiritalia legamus. Lex enim spiritalis est.

al. ipsis

Rom. 7. c. 14

CAP. XX. De viri pœna.

ITEM de sententia ista, quæ prolata est in ipsum virum, quid dicemus? Nunquid fortè diuites, quibus prouenit facillimus victus, neque in terra operantur, euasisse istam pœnam existimandi sunt, qua dicitur:

Gen. 3. d. 17

Maledicta terra erit tibi in omnibus operibus tuis, in tristitia & gemitu tuo mãducabis ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos pariet tibi, & edes pabulum agri tui, in sudore vultus tui edes panem tuũ, donec reuertaris in terram, ex qua sumptus es: quia terra es, & in terram ibis? Sed certè illud manifestum est, quòd nemo euadat istam sententiam. Hoc ipsum enim erit ei timendum, quod in hac vita quisque natus, difficultatem inueniendæ veritatis ex corruptibili

Sap. 9. c. 15

li corpore patitur. Sicut enim Salomon dicit: Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: ipsi sunt labores & tristitiæ quas habet homo ex terra: & spinæ ac tribuli sunt punctiones tortuosarum quæstionum, aut cogitationes de prouisione huius vitæ: quæ plerunque nisi extirpentur, & de agro Dei proiician-

Mar. 4. b. 19

tur, suffocant verbum Dei ne fructificet in homine, sicut Dominus in Euangelio dicit. Et quoniam necessitate iam per hos oculos, & per has aures de ipsa veritate admonemur, & difficile est resistere phantasmatibus, quę per istos sensus intrant in animã, quamuis per illos intret etiam ipsa admonitio veritatis. In ista ergo perplexitate, cuius vultus non sudet vt manducet panem suum? Quod omnibus diebus vitæ nostræ passuri sumus, id est huius vitæ quæ transitura est.

al. quia.

Et hoc illi dictum est, qui coluerit agrum suum, † qui ista patitur donec reuertatur in terram, ex qua sumptus est, id est donec finiat vitam istam. Qui enim coluerit agrum suum interius, & ad panem suum quamuis cum labore peruenerit, potest vsque ad finem vitæ huius hunc laborem pati: post hanc autem vitam non est necesse vt patiatur. Sed qui fortè agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit, vel ignem purga-

Ignis purgationis.

tionis vel pœnam æternam. Ita nemo euadit istam sententiam. Sed agendum est, vt saltem in hac tantum vita sentiatur.

CAPVT XXI. Quare post transgressionem Adam vitam vocauerit ipsam Euam, & de pellicearum tunicarum significatione

QVEM autem non moueat, quòd post peccatum & sententiam iudicis Dei vocat Adam mulierem suam Vitam, quia viuorum ipsa sit mater, posteaquam meruit mortem, & mortales fœtus parere destinata est, nisi quia illos fœtus attendit Scriptura, quos cum in doloribus pepererit, fiet illi conuersio ad virum suum, & eius ipse dominabitur? De quibus fœtibus superius dictum est. Sic enim est illa vita matérque viuorum. Nam vita quæ in peccatis est, mors appellari in Scripturis solet, sicut Apostolus dicit, mortuam esse viduam quæ in deliciis viuit: & mortui nomine peccatum ipsum si-

Eccles. 34. d. 30.

gnificari legimus, vbi dictum est, Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit in lauacro suo? Sic & qui ieiunat super peccata sua, & iterum ambulans hæc eadem facit. Pro peccato enim mortuum posuit, abstinentiam verò ieiuniúmque à peccato, tanquam baptismum, hoc est † inundationem à mortuo. Iterum autem redire ad peccatum, tanquam iterum tangere mortuum. Quare ergo non animalis illa pars nostra, quæ tanquam viro debet obtemperare rationi, cum per ipsam rationem de verbo vitæ rectè viuendi sarcinam conceperit, appelletur vita, & cum parturitione abstinentiæ, quamuis cum doloribus atque gemitibus, malæ consuetudini resistens bonam consuetudinem ad rectè facta pepererit, mater viuorum vocetur, id est rectè factorum: quibus contraria sunt peccata, quæ nomine mortuorum significari posse docuimus? Nam illa mors quam omnes, qui ex Adam nati sumus, cœpimus debere naturæ, quam minatus est Deus, cùm præceptum daret ne arboris fructus ille ederetur: illa ergo mors in tunicis pelliceis figurata est. Ipsi enim sibi fecerunt præcinctoria de foliis fici, & Deus illis fecit tunicas pelliceas: id est, ipsi appetiuerunt mentiendi libidinem relicta facie veritatis, & Deus corpora eorum in istam mortalitatem carnis mutauit, vbi latent † corda mendacia.

al. mundationem.

al. cordis.

Neque enim in illis corporibus cœlestibus sic latere posse cogitationes credendum est, quemadmodum in his corporibus latent: sed sicut nõnulli motus animorum apparent in vultu, & maximè in oculis: sic in illa perspicuitate ac simplicitate cœlestium corporum omnes omnino motus animi latere non arbitror. Itaque illi merebuntur habitationem illam & commutationem in angelicam formam, qui etiam in hac vita cum possint sub tunicis pelliceis occultare mendacia, oderunt tamen ea & cauent flagrantissimo amore veritatis, & hoc solum tegunt quod ij qui audiunt ferre non possunt, sed nulla mentiuntur. Veniet enim tempus vt nihil etiam contegatur. Nihil est enim occultum quod non manifestabitur. Tandiu autem in paradiso fuerunt isti, quamuis iam sub sententia damnantis Dei, donec ventum esset ad pelliceas tunicas, id est ad huius vitæ mortalitatem. Quo enim maiore iudicio potuit significari mors quam sentimus in corpore, quàm pellibus quæ mortuis pecoribus detrahi solent? Itaque cum contra præceptum non imitatione legitima, sed illicita superbia Deus esse appetit homo, vsque ad beluarum mortalitatem deiectus est. Ideo sic illi lex diuina insultat ore Dei, qua insultatione nos admonemur quantum possumus cauere superbiam.

Matth. 10. v. 26.

ECCE Adam factus est tanquam vnus ex nobis ad scientiam cognoscẽdi bonum & malum. Quæ ambigua locutio figuram facit: nam factus est tanquam vnus ex nobis, dupliciter intelligi potest; vel vnus ex nobis quasi & ipse Deus, quod pertinet ad insultationem. Sicut dicitur, vnus ex senatoribus, vtique senator: aut certè, quia & ipse Deus esset, quamuis creatoris sui beneficio, non natura, si sub eius potestate manere voluisset, sic dictum est, ex nobis, quomodo dicitur, ex consulibus, aut pro consulibus qui iam non est. Sed ad quam rem factus est tanquam vnus ex nobis? ad scientiam scilicet dignoscendi boni & mali, vt iste per experimentum disceret dum sentit malum, quod Deus per sapientiam nouit: & potestatem illam omnipotentis quã pati noluit beatus atque consentiens, pœna sua discat esse ineuitabilem. Et tunc ne porrigeret Adam manũ suam ad arborem vitæ, & viueret in æternum, dimisit illum Deus de paradiso. Bene dictum est, dimisit, non exclusit, vt ipso peccatorum suorum pondere tanquam in locum sibi congruum videretur vrgeri. Quod patitur plerunque malus homo cum inter bonos viuere cœperit, si se in melius commutare noluerit, ex illa bonorum congregatione, pondere malæ suæ consue-

Gen. 3. d. 22

CAPVT XXII. Expulsio Adæ quid allegorice.

ἐξωτέρω λιθ.

1. sent. dist. 29. cap. sed quia.

tudinis

tudinis pellitur, & illi eum non excludunt reluctantem, sed dimittunt cupientem. Quod autem dictum est, ne porrigeret Adam manum suam ad arborem vitæ, etiam hæc ambigua locutio est. Loquimur enim sic, cum dicimus: Ideo te moneo, ne iterum facias quod fecisti, volentes vtique vt non faciat. Et iterum sic: Ideo te moneo, ne fortè sis bonus, volentes vtique vt sit, id est moneo te non desperans quòd bonus possis esse. Sicut loquitur Apo- 2 Timoth. 2. d. 25. stolus cum dicit: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem. Potest ergo videri propterea homo in labores huius vitæ esse dimissus, vt aliquando manum porrigat ad arborem vitæ, & viuat in æternum. Manus autem porrectio bene significat crucem, per quam vita æterna recuperatur: quamuis etiam si illo modo intelligamus ne manum porrigat, & viuat in æternum, non iniusta pœna est post peccatum intercluſum esse aditum ad sapientiam, donec Dei misericordia mensuris temporum Luc. 15. d. 32. reuiuiscat qui mortuus est, vt inueniatur qui perierat. Dimissus est ergo de paradiso suauitatis, vt operaretur terram de qua sumptus erat, id est vt in corpore isto laboraret: & ibi si posset collocaret sibi meritum redeundi. Moratus est autem contra paradisum in miseria: quæ vtique beatæ vitæ contraria est. Nam beatam vitam paradisi nomine significatam existimo.

Gen. 3. d. 24. CAPVT XXIII. Framea versatilis quid. al. Cherubim. POSVIT autem Deus Cherubim & flammeam frameam quæ versatur, quæ vno nomine versatilis dici potest, ad custodiendam viam arboris vitæ. Sicut illi volunt qui Hebræa verba in Scripturis interpretati sunt, † Cherubis Latinè scientiæ plenitudo esse dicitur. Flammea verò framea versatilis, temporales pœnæ intelliguntur, quæ temporum volubilitate versantur. Propterea & flammea dicitur, quia vrit quodammodo omnis tribulatio. Sed aliud est vri ad consumptionem, & aliud est vri ad purgationem.

2 Cor. 11. d. 29. Nam & Apostolus dicit, Quis scandalizatur, & ego non vror? Sed iste affectus purgabat eum magis, quia de charitate veniebat. Et illæ tribulationes quas iusti patiuntur, ad istam pertinent flammeam frameam: quoniam in igne probatur aurum & argentum, & homines acceptabiles Deo in camino humiliationis. Et iterum: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Quoniam ergo quem diligit Deus, hunc corripit: & flagellat omnem filium quem recipit: sicut dicit Apostolus, Scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem. Et legimus, & audimus, & credendum est arborem vitæ, plenitudinem esse scientiæ, & flammea framea custodiri. Nemo ergo potest peruenire ad arborem vitæ, nisi per has duas, id est per tolerantiam molestiarum, & scientiæ plenitudinem. Sed tolerantia molestiarum omnibus ferè in hac vita subeunda est, tendentibus ad arborem vitæ. Plenitudo autem scientiæ videtur paucioribus prouenire: vt quasi non omnes qui perueniunt ad arborem vitæ, per scientiæ plenitudinem veniát, quamuis omnes tolerãtiam molestiarum, id est flammeam frameam versatilem sentiant. Sed si attendatur quod Apostolus dicit: Plenitudo autem legis charitas, & videamus eandem legis charitatem præcepto illo gemino contineri: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & diliges proximum tanquam teipsum, in quibus duobus præceptis tota lex pendet; & prophetæ: sine dubitatione intelligimus ad arborem vitæ non solum per flammeam frameam versatilem, id est, per tolerantiam temporalium molestiarum, sed etiam per plenitudinem scientiæ, id est per charitatem veniri: quia si charitatem, inquit, non habeam, nihil sum.

Gen. 2. d. 8. & 24. 2. sent. dist. 29. cap. ne verò, in fine. Rom. 13. d. 10. Matth. 22. d. 39. 1 Cor. 13. d. 2.

SED in hoc sermone pollicitus sum considerationem rerum factarum, quam puto explicatam: & deinde considerationem prophetiæ, quæ remanet explicanda iam breuiter. Posito enim tanquam signo quodam manifesto, quò cætera dirigantur, non diu nos, quantum arbitror, ista consideratio detinebit. Dicit enim Apostolus sacramentum magnum esse, quod dictum est, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Quod ipse interpretatur subiiciendo: Ego autem dico in Christo, & in ecclesia. Ergo quod per historiam impletum est in Adam, per prophetiam significat Christum, qui reliquit patrem, cum dicit: Ego à patre exiui, & veni in hunc mundum. Sed non loco reliquit, quia Deus loco non continetur, neque auersione peccati, sicut apostatæ relinquunt Deum, sed apparendo hominibus in homine, cum verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quod ipsum non commutationem naturæ Dei significat, sed susceptionem naturæ inferioris personæ, id est humanæ. Ad hoc valet etiam quod dicitur: Semetipsum exinaniuit, quia non in ea dignitate apparuit hominibus in qua est apud patrem, blandiens eorum infirmitati, qui cor mundum nondum habebant, vnde videretur verbum in principio Deus apud Deum. Quid est ergo quod diximus, Reliquit patrem: nisi reliquit apparere hominibus, sicut est apud patrem? Item reliquit & matrem, id est synagogæ veterem atque carnalem obseruantiam, quæ illi mater erat ex semine Dauid secundum carnem, & adhæsit vxori suæ, id est ecclesiæ, vt sint duo in carne vna. Dicit enim Apostolus ipsum esse caput ecclesiæ, & ecclesiam corpus eius. Ergo & ipse soporatus est dormitione passionis, vt ei coniunx ecclesia formaretur, quam dormitionem cantat per prophetam dicens, Ego dormiui, & somnum cepi, & exurrexi, quoniam Dominus susceptit me. Formata est ergo coniunx ecclesia de latere eius, id est de fide passionis & baptismi. Nam percussum latus eius lancea, sanguinem & aquam profudit. Factus autem (vt suprà dixi) ex semine Dauid secundum carnem, sicut Apostolus dicit, id est tanquam de limo terræ, cum homo non esset qui operaretur in terra, quia nullus homo operatus est in virgine, de qua natus est Christus. Fons autem ascendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ. Facies terræ, id est dignitas terræ, mater Domini virgo Maria rectissimè accipitur, quam irrigauit spiritus, qui fontis & aquæ nomine in Euangelio significatur, vt qualis de limo terræ, talis homo ille fieret, qui constitutus est in paradiso, vt operaretur ibi & custodiret, id est in voluntate patris, vt eam impleret atque seruaret.

CAPVT XXIII. Adam Christus, Eua ecclesia. Eph. 5. g. 32. Io. 16. d. 28. Ioan. 1. b. 14. Phil. 2. d. 7. Rom. 1. d. 3. Col. 1. c. Psal. 3. b. 6. Ioã. 19. f. 34 Rom. 1. d. 3 Gen. 2. b. 6. Ioan. 7. f. 39

NAM præceptum quod accepit, nos accepimus in illo, quia vnusquisque Christianus non incongruè sustinet personam Christi, dicente ipso Domino, Quod fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis. Atque vtinam frueremur sicut est præceptum omni ligno paradisi, quod significat spiritales delicias. Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, sicut Apostolus dicit. Et non tangeremus lignum in medio paradisi plantatum scientiæ boni & mali, id est ne vellemus superbire de natura nostra, quæ sicut iam diximus media est, vt decepti experiremur, quid interfit inter simplicem fidem catholicam, & fallacias hæreticorum. Ita enim peruenimus ad dignoscentiam boni & mali. Nam oportet, inquit, etiam hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter vos. Etenim serpens ille secundum

CAP. XXV. Accommodat allegoriam ad vnumquemlibet hominẽ. Gal. 5. d. 22. 1 Cor. 11. d. 19.

prophetiam, hæreticorum venena significat, & maximè istorum Manichæorum & quicunque Veteri Testamento aduersantur. Non enim aliquid manifestius prænunciatum arbitror, quàm istos in illo serpente, vel potius illum in istis esse vitandum. Nulli enim loquacius atque iactantius promittunt scientiam boni & mali, & in ipso homine tanquam in arbore, quæ
Gen.2.b.8. plantata est in medio paradisi eam dignoscentiam demonstraturos se esse præsumunt: & etiam illud quod
Gen.3.a.5. dictum est, Eritis sicut dij: qui alij magis dicunt quam isti, qui per suam superbam vanitatem, eandem superbiam persuadere conantes, affirmant animam naturaliter hoc esse quod Deus est? Et ad quod magis pertinet apertio carnalium oculorum, quàm ad istos qui relicta interiore sapientiæ luce solem istum, qui pertinet ad oculos corporis adorare compellũt? Et omnes quidem hæretici generaliter scientiæ pollicitatione decipiunt, & reprehendunt eos quos simpliciter credentes inuenerunt, & quia omnino carnalia persuadent, quasi ad carnalium oculorum apertionẽ conan-
al. excæcetur. tur adducere, vt interior oculus †excæcatur.

CAPVT XXVI. *Serpens hæreticus, Eua ecclesia.*

SED istis etiam corpora sua displicent, non propter pœnalem mortalitatem, quam peccando meruimus, sed ita vt negent Deum esse corporum conditorem, tanquam apertis oculis carneis nuditas ista displiceat. Sed nihil vehementius istos designat & notat, quàm
Ge.3.a.4.5 quod dicit serpens, Non morte moriemini: sciebat enim Deus quoniam qua die ederitis, aperientur oculi vestri. Sic enim isti credunt, quòd serpens ille Christus fuerit, & Deum nescio quem gentis tenebrarum, sicuti affirmant, illud præceptum dedisse confingunt, tanquam inuideret hominibus scientiam boni & ma-
Ophitæ. li. Ex ista opinione etiam nescio quos serpentinos natos esse arbitror, qui serpentem pro Christo colere
2 Co.11.a.3 dicuntur, nec attendunt Apostolum qui ait, Metuo ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic & sensus vestri corrumpantur. Hos ergo per istam prophetiam præfiguratos esse existimo. Seducitur autem verbis huius serpentis, carnalis nostra concupiscentia, & per illam decipitur Adam, non Christus, sed Christianus: qui si præceptum Dei seruare vellet, & ex fide perseueranter viueret, donec idoneus fieret intelligentiæ veritatis, id est si operaretur in paradiso, & custodiret quod accepit, non veniret in illam deformitatem, vt cum sibi displiceret caro quasi nuditas sua, carnalia magis tegumenta mendaciorum, tanquam folia fici colligeret, quibus sibi faceret succinctorium. Hoc enim isti faciunt, cum de Christo mẽtiuntur, & ipsum mentitum esse prædicant, & tanquam abscondunt se à facie Dei ad sua mendacia ab illius veritate conuer-
2 Tim.4.a.4 si, sicut Apostolus dicit, Et à veritate quidem audi-
al. auertẽt. tum †conuertent, ad fabulas autem conuertentur. Et ille quidem serpens, id est ille error hæreticorum, qui tentat ecclesiam, cõtra quem clamat Apostolus, cum
2 Co.11.a.3 dicit, Metuo ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic & sensus vestri corrumpantur: ille ergo error pectore & ventre serpit, & terram manducat. Non enim decipit, nisi aut superbos, qui sibi arrogantes quod non sunt, citò credunt, quòd summi Dei & animæ humanæ vna eadémque natura sit: aut desideriis carnalibus implicatos, qui libenter audiunt quòd quicquid lasciuè faciunt, non ipsi faciunt, sed gens tenebrarum: aut curiosos, qui terrena sapiunt, & spiri-
Ge.3.c.15 talia terreno oculo inquirunt. Erunt autem inimicitiæ inter istum & mulierem, & inter semen eius, & semen mulieris, si pariat ista filios quamuis cum doloribus, & se ad virum suum conuertat, vt eius ipse dominetur. Tunc enim potest cognosci non aliam partem in nobis pertinere ad auctorem Deum, & aliam ad gentem tenebrarum: sicut isti dicunt: sed potius & illud quod regendi habet potestatem in homine, & illud inferius quod regendum est, ex Deo esse, sicut
1 Cor.11.b.7 dicit Apostolus, Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago & gloria Dei, mulier autem gloria viri est: non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro: etenim non creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum: propterea debet habere velamen mulier super caput, propter angelos: veruntamen neque mulier sine viro, neque vir sine muliere in Domino: sicut enim mulier ex viro, ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo.

CAPVT XXVIII. *Labor Adæ & cultura terræ quid.*

LABORET iam Adam in agro suo, & quòd spinas & tribulos ei parit terra, intelligat non naturæ esse, sed pœnæ: & hoc non nescio cui genti tenebrarum, sed diuino iudicio tribuat: quia moderamen iustitiæ est sua cuique tribuere. Tribuat ergo ipse mulieri escam cœlestem, quam accepit à capite suo, qui est Christus: non ab illa accipiat vetitum cibum, id est hæreticorum fallaciam cum magna pollicitatione scientiæ, & quasi secretorum adapertionem, quo fiat ad decipiendum error ipse cõditior. Hæreticorum quippe superba & curiosa cupiditas in libro Prouerbio-
Prou.9.d.16 rum clamat sub mulieris imagine, & dicit; Qui stultus est, diuertat ad me: & inopes sensu exhortatur, dicens, Panes occultos edite libenter, & aquam dulcem furtiuam bibite. Et necesse est tamen, cum & illa quisque crediderit, præcedente libidine mentiendi, qua Christum mentitum esse credit, accipiat etiam tunicam pelliceam diuino iudicio. Quo nomine mihi videtur in prophetia significari non corporis mortalitas, quæ significatur in historia, de qua iam tractatum est, sed de carnalibus sensibus attracta phãtasmata, quæ carnaliter mentientem diuina lege cõsequuntur & contegunt: atque ita de paradiso, id est, de catholica fide & veritate dimittitur habitaturus contra paradisum, id est eidem fidei contradicturus. Qui si aliquando se ad Deum conuerterit per flammeam frameam, id est per temporales tribulationes, sua scilicet peccata cognoscendo & gemendo, & non iam extraneam naturam, quæ nulla est, sed seipsum accusando, vt ipse per conuersionem veniam mereatur: & per plenitudinem scientiæ, quæ est charitas, diligendo Deum, qui supra omnia est incommutabilis, & diligendo ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente: & diligendo proximum tan-
Matth.22. d.39. quam seipsum, perueniet ad arborem vitæ, & viuet in æternum.

CAPVT XXVIII. *Per epilogum refellit singula.*

QVID habent ergo isti, quod in his literis Veteris Testamenti reprehendant? Interrogent secundum morem suum, & respondeamus sicut Dominus donare dignatur. Quare fecit Deus hominem, inquiũt, quem peccaturum sciebat? Quia & de peccante multa bona facere poterat, ordinans eum secundum moderamen iustitiæ suæ, & quia nihil oberat Deo peccatum eius: & siue non peccaret, mors nulla esset: siue quia peccauit, alij mortales de peccato eius corriguntur. Nihil enim sic reuocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio. Sic eum faceret, inquiunt, vt non peccaret. Immò ipse hoc faceret: sic enim factus est, vt si noluisset, non peccaret. Non admitteretur, inquiũt, diabolus ad eius mulierem. Immò ipsa ad se diabolum non admitteret: sic enim facta est, vt si noluisset, non admitteret. Non fieret, inquiunt, mulier. Hoc est dicere, non fieret bonum: quia & ipsa vtique aliquod bonum est, & tantum bonum, vt Apostolus eam gloriam viri esse dicat: Omnia certè ex Deo. Iterum di-
1 Cor.11.b cunt, Quis fecit diabolum? Se ipse: non enim natura, sed peccando diabolus factus est. Vel ipsum, aiũt, non faceret Deus, si eum peccaturum esse sciebat. Immò, quare non faceret, cum per suam iustitiã & prouidentiam multos de malitia diaboli corrigat? An fortè non audistis

1 Timoth.1. d.20. audistis Apostolum Paulum dicentem, Quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare? Et de seipso dicit; 2 Co.12.b.7 Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis, angelus satanæ qui me colaphizet. Ergo, inquiunt, bonus est diabolus, quia vtilis est? Imò malus inquantum diabolus est, sed bonus & omnipotens Deus est, qui etiam de malitia eius multa iusta & bona operatur. Non enim diabolo imputatur, nisi voluntas sua, qua conatur facere malè, non Dei prouidentia, quæ de illo bene facit.

CAPVT XXIX. *Per contentionem confert ecclesiæ dogmata cum Manichæorũ erroribus.*

POSTREMÒ quoniam cum Manichæis nobis de religione quæstio est, quæstio autẽ religionis est, quid de Deo piè sentiatur, quoniam negare non possumus in miseria peccatorum esse genus humanum: Illi dicunt naturam Dei esse in miseria: Nos negamus, sed dicimus eam naturam esse in miseria, quam de nihilo fecit Deus, & ad hoc venisse non coactam, sed voluntate peccandi. Illi dicunt naturam Dei cogi ab ipso Deo ad pœnitentiam peccatorum: Nos negamus, sed B dicimus eam naturã quam Deus fecit de nihilo, posteaquam peccauit cogi ad pœnitentiam peccatorum. Illi dicũt naturam Dei ab ipso Deo accipere veniam: Nos negamus, sed dicimus eam naturam quam fecit Deus de nihilo, si se à peccatis suis ad Deum suũ conuerterit, accipere veniam peccatorum. Illi dicunt naturam Dei necessitate esse mutabilem: Nos negamus, A sed dicimus eam naturam quam Deus fecit de nihilo, voluntate esse † mutatam. Illi dicũt naturę Dei nocere aliena peccata: Nos negarnus, sed dicimus nulli naturæ nocere peccata, nisi suæ: & Deum dicimus tãtæ bonitatis esse, tantæ iustitiæ, tantæ incorruptionis, vt neque peccet, neque ipse alicui nocet qui peccare noluerit, nec ipsi aliquis qui peccare voluerit. Illi dicunt esse naturam mali qui Deus coactus est naturę suę partem dare cruciandam: Nos dicimus nullum malum esse naturæ, sed omnes naturas bonas esse, & ipsum Deum summam esse naturam, cęteras ex ipso esse naturas, & omnes bonas inquantum sunt: quoniam fecit Deus omnia bona valde, sed distinctionis gradibus ordinata, vt sit aliud alio melius: atque ita omni genere bonorum vniuersitas ista compleatur, quę quibusdam perfectis, quibusdam imperfectis, tota perfecta est. Quam Deus affector conditórque eius iusto moderamine administrare non cessat, qui omnia bona facit voluntate, nihil mali patitur necessitate. Cuius enim voluntas superat omnia, nulla ex parte quicquã sentit inuitus. Cum ergo illa illi, & nos ista dicimus, vnusquisque eligat quod sequatur. Ego enim, quod bona fide coram Deo dixerim, sine vllo studio contẽtionis, sine aliqua dubitatione veritatis, & sine aliquo præiudicio diligentioris tractationis, quæ mihi videbantur exposui.

al. mutabilem. 1.retr.ca.19

1.retr.ca.19

REGVLA BEATI AVGVSTINI AD SERVOS DEI.

CENSVRA.

C *Regula hæc continetur etiam in Epistola 109. ad fœminas scripta. Bernardus de præcepto & dispensatione bis meminit Regulæ Augustini, in eamq; viris datam expositionem scripsit Hugo de sancto Victore.*

ANTE omnia, fratres charissimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia ista præcepta sunt principaliter nobis data.] Hæc [igitur] sunt quæ, vt obseruetis præcipimus in monasterio constituti. Primũ propter quod in vnum estis cõgregati, vt inanimes habitetis in domo Domini, & sit vobis anima vna, & cor vnum in Deo: & non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Et distribuatur vnicuique vestrum à præposito vestro victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia nõ æqualiter valetis omnes, sed potius vnicuiq; sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum: Quia erant illis omnia communia, & distribuebatur D vnicuiq; sicut cuique opus erat. Qui aliquid habebãt in sęculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter velint illud esse commune. Qui autem non habebãt, non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorũ infirmitati quod opus est tribuatur, etiam si paupertas illorum quando foris erãt nec ipsa necessaria poterat inuenire. Tantum nõ ideo se putent esse felices, quia inuenerunt victum & tegumentum, quale foris inuenire non poterant: nec erigant ceruicem, quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant: sed sursum cor habeãt, & terrena ac vana non quærant, ne incipiant esse monasteria diuitibus vtilia, non pauperibus, si diuites illic humilian tur, & pauperes illic inflantur. Rursus etiam illi qui aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatẽ ex paupertate venerunt. Magis autem studeãt non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari. Nec extollantur si cõmuni vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt: nec de suis diuitiis magis superbiant, quia eas monasterio partiuntur, quàm si eis in sæculo fruerentur. Alia quippe quæcunq; iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, vt pereant. Et quid prodest dispergere dando pauperibus, & pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur diuitias contemnendo, quàm fuerat possidendo? Omnes ergo vnanimiter & concorditer viuite, & honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti estis. Orationibus instate, horis & temporibus constitutis. In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit: vt si fortè aliqui etiam prẽter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, nõ eis sint impedimento qui ibi aliquid agendum putauerint. Psalmis & hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce. Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum. Quod autem nõ ita scriptum est vt cantetur, non cantetur. Carnem vestram domate ieiuniis, & abstinẽtia escæ & potus, quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis nõ potest ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cum ęgrotat. Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite, nec solæ vobis fauces † sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum. Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec iniustũ videri eis quos fecit aliqua consuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia sumunt quod non sumunt ipsi: sed sibi potius gratulentur, quia valent quod non valent illi.

Et si

1 Timoth.1. d.20.

2 Co.12.b.7

Vt.q.1.c. Non dicatis.

Actor.2.g. 44.

42.dist.1. oratorio.

al. suum.

Et ſi eis qui venerũt ex moribus delicatioribus ad monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, operimentorum datur, quod aliis fortioribus, & ideo felicioribus non datur, cogitare debent quibus nõ datur, quantum de ſua ſæculari vita illi ad iſtam deſcenderint, quamuis vſq; ad aliorum qui ſunt corpore firmiores frugalitatem peruenire nequiuerint. Nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius, non quia honorantur, ſed quia tolerantur, accipere: ne cõtingat deteſtanda peruerſitas, vt in monaſterio vbi quantum poſſunt, fiunt diuites laborioſi, fiant pauperes delicati. Sanè quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minus accipere, ne grauentur: ita & poſt ægritudinem ſic tractandi ſunt, vt citius recreẽtur, etiamſi de humillima ſæculi paupertate venerunt: tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo. Sed cum vires priſtinas reparauerint, redeãt ad feliciorem conſuetudinẽ ſuam: quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent: nec † ibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos neceſſitas aliquando leuarat infirmos. Illos † æſtiment ditiores: qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores: melius eſt enim minus egere, quam plus habere. Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. Quando proceditis, ſimul ambulate: cũ veneritis † quò itis, ſimul ſtate. In inceſſu, ſtatu, habitu, in omnibus motibus veſtris nihil fiat quod cuiuſquam offendat aſpectũ, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. Oculi veſtri etſi iaciuntur in aliquam fœminarum, figantur in nulla. Neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini: ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. Nec ſolo tactu & affectu, ſed aſpectu quoque appetitur & appetit concupiſcentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus, impudici cordis eſt nuncius. Et cum ſe inuicem ſibimet, etiam tacẽte lingua, conſpectu mutuo, corda nunciant impudica, & ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet qui in fœminam figit oculum, & illius in ſe ipſe diligit fixum, ab aliis ſe non videri cum hoc fecerit: videtur omnino, & à quibus ſe videri non arbitratur. Sed ecce lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo deſuper inſpectore, quem latere nihil poteſt? An ideo putandus eſt non videre, quia tanto videt patientius, quanto ſapientius? Illi ergo vir ſanctus timeat diſplicere, ne velit fœminæ malè placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam malè videre. Illius namque & in hac cauſa commendatus eſt timor, vbi ſcriptum eſt: Abominatio eſt Domino defigens oculum. Quando ergo ſimul eſtis in eccleſia, & vbicunque vbi fœminæ ſunt, inuicem veſtram pudicitiam cuſtodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis. Etſi hanc, de qua loquor, oculi petulantiam, in aliquo veſtrũm aduerteritis, ſtatim admonete, ne cœpta progrediatur, ſed de proximo corrigatur. Si autem & poſt admonitionem iterum vel alio quocunque die, idipſum eum facere videritis, iam velut vulneratum ſanandum prodat, quicunque hoc potuerit inuenire, prius tamen & alteri vel tertio demõſtratum, vt duorum vel trium poſſit ore conuinci, & competẽti ſeueritate coërceri. Nec vos iudicetis eſſe maleuolos, quãdo hoc indicatis. Magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, cum timeret ſecari: nónne crudeliter abs te fileretur, & miſericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifeſtare, ne deterius putreſcat in corde? Sed antequam aliis demonſtretur, per quos conuincendus eſt ſi negauerit, prius Præpoſito debet oſtendi, ſi admonitus neglexerit corrigi, ne fortè poſſit ſecretius correptus non innoteſcere cæteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi ſunt alij, vt iam coram omnibus poſſit non ab vno teſte argui, ſed à duobus vel tribus conuinci. Conuictus verò, ſecundum præpoſiti vel etiam presbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam: quam ſi ferre recuſauerit, etiamſi ipſa non abſceſſerit, de veſtra ſocietate proiiciatur. Non enim & hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat. Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, vindicandiſque peccatis, diligenter & fideliter obſeruetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum.

Quicunque autem in tantum progreſſus fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas vel quodlibet munus accipiat, ſi hoc vltro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehenditur atque conuincitur, ſecundum arbitrium presbyteri vel præpoſiti grauius emendetur. Veſtes veſtras in vnum habeatis, ſub vno cuſtode vel duobus, vel quot ſufficere potuerint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur. Et ſicut paſcimini ex vno cellario, ſic induamini ex vno veſtiario. Et ſi fieri poteſt, non ad vos pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, vtrum hoc recipiat vnuſquiſque quod depoſuerat, an aliud quod alter habuerat, dum tamen vnicuique prout cuique opus eſt non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, cum quæritur aliquis deterius ſe accepiſſe quam prius habuerat, & indignum ſe eſſe qui non ita veſtiatur, ſicut alius frater eius veſtiebatur, hinc vos probate quantum vobis deſit in illo interiore ſancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen ſi ſic veſtra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis quod depoſueratis, in vno tamen loco, ſub communibus cuſtodibus habete quod ponitis. Ita ſanè, vt nullus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera veſtra in † vnum fiant, maiori ſtudio & frequentiori alacritate, quam ſi vobis ſingulis faceretis propria. Charitas enim, de qua ſcriptum eſt, quod non quærat quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideo quanto plus rem communem quam propria veſtra curaueritis, tanto vos amplius proficiſſe noueritis: vt in omnibus quibus vtitur tranſitura neceſſitas, ſuperemineat quæ permanet charitas. Conſequens ergo eſt, vt etiam qui ſuis filiis aut aliqua neceſſitudine ad ſe pertinentibus in monaſterio conſtitutis aliquam contulerit veſtem, ſiue quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum, non occultè accipiatur, ſed ſit in poteſtate præpoſiti, vt in rem communem redactum, cui neceſſarium fuerit præbeatur. Quod ſi aliquis rem ſibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur. Indumenta veſtra ſecundum arbitrium præpoſiti lauentur, ſiue à vobis, ſiue à fullonibus, ne interiores animæ ſordes contrahat mundæ veſtis nimius appetitus. Lauacrum etiam corpori cum infirmitatis neceſſitas cogit, minimè denegetur. Fiat ſine murmure de conſilio medici, ita vt etiam ſi nolit, iubente præpoſito faciat quod faciendum eſt pro ſalute. Si autem velit, & fortè non expedit, ſuæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim etiam ſi noceat, prodeſſe tamen creditur quod delectat. Denique ſi latens eſt dolor in corpore, famulo Dei dicenti quid ſibi doleat, ſine dubitatione credatur. Sed tamen vtrum ſanando illi dolori

quod

al. cibi.

al. exiſtiment.

al. coitis.

Matt. 18. 5. q. 5. cap. nec vos iudicetis.

al. commune.

quod delectat expediat, si non est certũ, medicus consulatur. Nec eant ad balnea, siue quocunq; ire necesse fuerit minus quàm duo vel tres. Et ille qui habet aliquò eundi necessitatem, cum quibus præpositus iusserit ire debebit. Ægrotantium cura, siue post ægritudinem reficiendorum, siue aliqua imbecillitate †etiam, siue febribus laborantium, vni alicui debet iniungi, vt ipse de cellario petat, quod cuique opus esse perspexerit. Siue autem qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus præponuntur, sine murmure seruiãt fratribus suis. Codices certa hora singulis diebus petantur: extra horam qui petierit, non accipiat. Vestimẽta verò & calciamenta quando indigẽtibus fuerint necessaria, dare non differãt, sub quorum custodia sunt quæ poscuntur. Lites aut nullas habeatis, & quam celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit fratrem suum, homicida est. Quicunque conuitio vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læsit, meminerit satisfactione quãtocyus curare quod fecit, & ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Si autem inuicem sẽ læserint, inuicem sibi debita relaxare debebũt, propter orationes vestras: quas vtique quanto crebriores habetis, tanto †sanctiores habere debetis. Melior est autem qui quamuis ira sæpe tentatur, tamen impetrare festinat vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam: quàm qui tardius irascitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur. Qui non vult dimittere fratri, non speret accipere orationis effectum. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiamsi inde non proiiciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera. Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coërcendis, dicere vos verba dura compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis veniã postulatis, ne apud eos quos oportet esse subiectos, dũ nimiũ seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petẽda est venia ab omnium domino, qui nouit etiam eos, quos plus iusto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis. Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio. Præposito tanquam patri obediatur, multò magis presbytero, qui omnium vestrum curam gerit. Vt ergo cuncta ista seruentur, & si quid seruatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, sed vt emendandum corrigendúmque curetur, ad Præpositum præcipuè pertinebit, vt ad presbyterum, cuius est apud vos maior authoritas, referat quod modum vel vires eius excedit. Ipse verò qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente felicem. Honore coram vobis prælatus sit vobis, timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos. Patiens sit ad omnes. Disciplinam libens habeat, metuendus imponat. Et quamuis vtrunq; sit necessarium, tamen plus à vobis amari appetat, quàm timeri: semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Vnde vos magis obediendo, non solùm vestri, sed etiam ipsius misereamini: quia inter vos, quanto loco superiore, tãto in periculo maiore versatur. Donet Dominus vt obseruetis hæc omnia, tãquam spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore de bona conuersatione fragrantes, non sicut serui sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Vt autem vos in hoc libello, tãquam in speculo possitis inspicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea quæ scripta sunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Vbi autem sibi quicunque vestrum videt aliquid deesse, doleat de præterito, caueat de futuro, orans vt & debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

al. etiam sine.

1. Ioan. 3.

B

al. sanctiores.

86. Dist. ca. Quando.

1 Thess. 5. c. 14.

C

Mat. 6. b. 13

FINIS TOMI PRIMI.

APPENDIX
AD TOMVM PRIMVM
OPERVM S. AVGVSTINI;
COMPLECTENS QVAEDAM FALSÒ IPSIVS NOMINE IN PRIMO
Tomo antea edita : quæ ſunt,

Regula clericis tradita fragmentum,
Regula ſecunda, &
De vita eremitica, ad ſororem.

REGVLÆ CLERICIS TRADITÆ FRAGMENTVM.

CENSVRA.

Doctorum conſenſus vnicam tantum agnoſcit S. Auguſtini regulam: quæ hanc appendicem præceſſit. Ideoque ſequentes regulæ, ſeu potius regularum fragmenta, tam ex ſtylo, quam ex doctorum virorum conſenſu, Auguſtini eſſe negantur.

COMMVNI definitione decreuimus apud vos, quod nunquam poſtmodum ab vllo poterit infringi. Reſidentibus nobis in monaſterio, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, omnibus placuit ſecundum Apoſtolicam traditionem, vnum ſentire in Domino & cõmuniter poſſidere. Sic- Sap.1.a.1. ut ſcriptum eſt: Vnum ſentite in Domino. Et nemo quidem proprium ſibi vendicet quicquam, ſed fiat ſicut ſcriptum eſt in Act. Act.2.g.44 & 4.f.32 bus Apoſtolorum, Habẽtes omnia communia, nemo quicquam eſſe ſuum dicebat: quod à nobis ſcriptum eſt. In Domino ergo B iure obſeruationis nos teneamus, & in eo vſque in finem permaneamus: quoniam in lege ſcriptum eſt, Qui perſeuerauerit vſq; Matth. 10. 6. 22. in finem, hic ſaluus erit. Si quis autem venire deſiderat ad congregationem fratrum, qui in vnum eſſe videntur, non ignoret Euangelij dictum, quod dixit: Vendat omnia ſua, & eroget egenis Matth. 19. 6. 21. Luc. 9. & pauperibus. Et iterum: Abneget ſemetipſum, ſibi tollat & crucem ſuam, & ſequatur me. Et ne tractet in corde ſuo de victu aut veſtitu, & cæteris quæ neceſſaria ſunt corpori, ipſo Domino Mat. 6. d. 31 præmonente in Euangelio & dicente: Nolite cogitare dicentes, quid editis, aut quid veſtiemini: hoc enim gentes cogitant. Scit pater veſter quia horum omnium indigetis: quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia apponẽtur vobis. Veruntamen antequam ſtatuat eſſe in monaſterio, probet propoſitum fratrum atque exemplum, & ipſe probetur in omni conuerſatione ab illo qui prior eſt, & cæteris conſentientibus, propter C illud quod Scriptura docet & admonet, dicens: Amicum noli citò comprobare. Sed ſi cõtigerit vt aliquis ex qualibet cauſa neceſſitatis à monaſterio fuerit abſtractus, ne vel mente concipiat ſecum aliquid ferre de iis omnibus, quæ in monaſterio fuerunt, ſiue etiam quæ ſecum aliquando attulerat, ſiue ea quæ cum fratribus acquiſierat: quia certum eſt fratres nihil habere, poſſidere, dare vel accipere debere ſine ſuperioris licentia. Quòd ſi propinquus vel amicus, vel quilibet fratrum aliquid offerre voluerit, primo quidem priori inſinuetur, & ſic ſuſcipiatur ſi ipſe mandauerit, de quo tamen nihil fiat aliud, niſi quod Priori placuerit, vel permiſerit, quoniam valde verendum eſt, ne ſibi eueniat quod Pro.17 6.16 ſcriptum eſt: Vir mutabilis in lingua incidit in mala. Et iterum, vt nullum omnino de fratribus ſecum prouocet, ne magis deſtru- D ctor quam ædificator monaſterij videatur: propter id quod ſcriptum eſt, Matth.12. 6.30. Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui mecum non congregat, diſpergit. Et quicunque prouocatus ab aliquo, de monaſterio voluerit abſcedere, aut redarguat prouocantem, aut antè Loco præpoſiti, veteres legunt presbyteri, id eſt abbatis. indicet † Præpoſito, cui vtique de iis quæ in communi decreuimus nihil eſſe cenſeo ſubtrahendum, quia ſcriptum eſt, Pacifici ſint tibi multi, ſed vnus ex mille ſit tibi cõſiliarius. Igitur hęc quæ Eccl.6.4.6 ſcripta ſunt, cum ſumma diligentia obſeruanda ſunt à Præpoſito vſque ad omnes fratres. Et ſi quis ab aliquo doctrinam audierit præterquam in monaſterio conſecutus eſt ab eo cui ſe credidit, hanc autem ſuſcipiat, & eam non ſubtrahat doctori: quia ſcriptum eſt, Omne quod manifeſtatur, lux eſt. Si enim bona fuerit, Eph.5.6.13 collaudanda eſt: ſi verò praua, reprobanda. De iis autem fratribus, qui in vnitate conſiſtunt, ſi quis ſubitò aduerſus Præpoſitum Matth.18. altercatus fuerit, non ſolum ſemel, ſed ſecundo & tertio, vt Euan 6.22. gelium docet, licet exorare. Si autem noluerit ſe emẽdare, ille cui iniuriam irrogatus eſt poſt primam vel ſecundam correctionem, qui non reuocauerit contumacem, denunciet & illud Præpoſito, ne per taciturnitatem & ille & frater ſuus periclitentur, ſicut Salomon ait, Qui occultat inimicitiam, inſtruit dolum. Si verò (vt fieri ſolet) incurſio repentina ſuperuenerit, aut hoſtilitas, vt impoſſibile ſit fratribus in vnum fugam petere propter inſecutionem inimicorum, & poſtmodum Deo fauente euaſerint, & potuerint peruenire vbi Præpoſitum eſſe cognouerint, veluti filij ad patrem feſtinare debebunt. Nec vllo modo poterunt ſeparari, quos diuina charitas ſociauit, quia ſcriptum eſt, Perfecta di- 1.Io.4.d.18 lectio foras mittit timorem. Si quis autem quod ſuperius diximus, cauſa neceſſitatis detinet id quod à monaſterio ſecum portauit, neceſſe habebit, vbi Præpoſitus ſuus eſt, illud perferre: quia non poterit ſibi retinere quod per pactum ad omnes pertinet, & Deo vtique eſt conſecratum. Sed ſi cogitauerit de his aliquid retinere, contra dictum Apoſtoli agere videtur, qui ait, Ne- Rom.13.6.8 mini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis vos. Omnia ergo quæ in iſto libro continentur, omnes fratres obſeruent, atque ſubſcribent qui boni eſſe deſiderant. Verum propter illos ſunt cauta, id eſt ſcripta, qui in omnibus ſtabiles eſſe noſcuntur.

REGVLA SECVNDA.

ANTE omnia fratres chariſſimi diligatur Deus, deinde & Deut.6.a.5. proximus, quia iſta præcepta principaliter nobis ſunt data. Matth.22. Qualiter autem oporteat nos orare vel pſallere, deſcribimus: d.37. id eſt, in matutinis dicãtur Pſalmi III, LXII, VI, & LXXXVIII, cum debitis antiphonis, verſibus & reſponſoriis. Ad primam & tertiam dicantur ſui pſalmi, antiphonæ duę, lectiones duę. Simili modo ad ſextam & nonam dicãtur ſui pſalmi, cum debitis reſponſoriis & antiphonis. Hoc idem in veſperis & completoriis ſeruetur. Ad lucernarium autem pſalmus, reſponſorium vnum, antiphonę tres, lectiones tres. Et tempore opportuno poſt lucernarium, omnibus ſedentibus legantur lectiones. Nocturnæ autem orationes menſe Nouembri, Decẽbri, Ianuario, & Februario, antiphonæ duodecim, Pſalmi ſex, lectiones tres. Martio, Aprili, Septembri, Octobri, antiphonæ decem, Pſalmi quinque, lectiones tres. Maio, Iunio, Iulio, & Auguſto, antiphonæ octo, Pſalmi quatuor, lectiones duæ. Operentur à mane vſque ad ſextam, & à ſexta vſque ad nonam vacent lectioni, & ad nonam reddant codices. Et poſtquam refecerint ſiue in horto, ſiue vbicunque neceſſe fuerit, faciant opus vſque ad horam lucernarij. Nemo ſibi aliquid vendicet proprium, ſiue in veſtimento, ſiue Act.4.f.32. in quacunque re: Apoſtolica enim vita optamus viuere. Nemo

cum

cum murmure aliquid faciat, vt non ſimili iudicio murmuratorum pereat: fideliter obediant: patrem ſuum poſt Deum honorent: Præpoſito ſuo deferant, ſicut decet ſanctos: ſedentes ad menſam taceant audiẽtes lectionem: ſi autem aliquid opus fuerit, Præpoſitus eorũ ſollicitus ſit: ſabbato & Dominica ſicut cõſuetudo eſt, qui volunt vinum accipiant: ſi opus fuerit ad aliquam neceſſitatem mitti, duo eant: nemo extra monaſterium ſine præcepto manducet neque bibat, non enim hoc ad diſciplinam pertinet monaſterij: ſi opera monaſterij mittantur fratres vendere, ſolicitè caueant ne quid faciant contra præceptũ, ſcientes quoniam exacerbant Dominum in ſanctis ſuis: ſi aliquid emant ad neceſſitatem monaſterij, ſollicitè & fideliter vt A ſerui Dei agant: ocioſum verbum apud illos non ſit: mane ad opera ſua ſedeant, poſt orationem tertiæ eant ad opera ſua: non ſtantes fabulas contexant, niſi fortè aliquid ſit pro vtilitate animæ: ſedentes ad opera taceant, niſi fortè neceſſitas operum exegerit vt loquatur quis. Si quis autẽ non omni virtute adiuuãte miſericordia Dei hæc conatus fuerit implere, ſed contumaci animo deſpexerit, ſemel atq; iterum cõmonitus, ſi non emendauerit, ſciat ſe ſubiacere diſciplinę monaſterij ſicut oportet: ſi autem talis fuerit ętas ipſius, etiã vapulabit. Hæc autem in nomine Chriſti fideliter & piè obſeruantes, & vos proficietis, & nobis non parua erit de veſtra ſalute conſolatio. Hæc ſunt quæ obſeruetis præcipimus in monaſterio conſtituti.

DE VITA EREMITICA, AD SOROREM.

CENSVRA.

Librum hunc Auguſtini non eſſe conſtat ex multis. Cap. 19. meminit beati Benedicti. Capite 14. meminit regulæ beati Benedicti. Cap. 45. citat Gregorium, Romanum pontificem, quantum opinor. Habet etiam vocabula quædam beato Auguſtino incognita, &c.

IAM pluribus annis exigis à me ſoror, vt ſecũdum modum viuendi quem arripuiſti pro Chriſto, certam tibi formulam tradam, ad quã & mores tuos dirigere & vitam, religionis, & vitæ religioſæ poſſis exercitia ordinare. Vtinam à ſapientiore id peteres & impetrares, qui non coniectura qualibet, ſed experientia didiciſſet, quod alios doceret. Ego certè qui carne & ſpiritu tibi frater ſum, quoniam negare non poſſum, quicquid iniungis: faciam quæ hortaris, & ex diuerſis patrum inſtitutis aliqua quæ tibi videntur neceſſaria excerpens ad componendum exterioris hominis ſtatum certam tibi regulam tradere curabo, pro loco & tempore quædam adiiciens: & ſpiritualia corporalibus, vbi vtile viſum fuerit, interſerens.

Quomodo eſt inſtituta eremitica vita.

CAPVT I.

PRIMVM oportet te ſcire qua cauſa, quáve ratione vita hæc ab antiquis vel inſtituta ſit vel vſurpata. Sunt quidam quibus inter multos viuere pernicioſum eſt. Sunt & alij quibus etſi pernicioſum non eſt, tamen diſpendioſum eſt. Sunt & nonnulli quibus & nihil horum timendum eſt: ſed potius habitare magis æſtimant fructuoſum. Itaque antiqui vel vt vitarent periculum, vel ne paterentur diſpendium, vel vt liberius ad Chriſti anhelarent & ſuſpirarent amplexum, ſingulariter viuere elegerunt. Hinc eſt, quòd plures in eremo ſoli ſedebant, vitam manuũ ſuarum opere ſuſtentantes. Illi verò qui nec hoc ſecurum ſibi inter ſolitudinis libertatem & vagandi poteſtatem arbitrabantur, includi potius, & intra cellulam obſtruſo exitu contineri tutius æſtimabant. C

Quòd non ſufficit recluſio corporis & membrorum, niſi aſſit recluſio mentis & ſenſuum. CAP. II.

QVID tibi viſum fuit, cum te huic inſtitutioni voueres. Nam multi rationem huius ordinis vel ignorantes, vel non curantes, membra tantum intra parietes cohibere ſatis putant eſſe: cum mens non ſolùm per vagationem diſſoluatur, curis & ſolicitudinibus diſſipetur, immundis etiam & illicitis deſideriis agitetur, ſed etiam lingua, tota die per vicos & ciuitates, per foros & nundinas otioſe diſcurrant.

De periculo & caſu recluſarum ex confabulatione vetularum.

CAPVT III.

VIX aliquam incluſarum huius temporis ſolam inuenies, ante cuius feneſtram non anus garrula vel nugigerula mulier ſedeat, quæ eam fabulis occupet, rumoribus aut detractionibus paſcat, illius vel illius monachi vel clerici vel alterius cuiuſlibet ordinis viri formam, vultum, moréſque deſcribat. Illecebroſa quoque interſerat, puellarum laſciuiam, viduarum quibus licet quicquid libet libertatem coniugium in viris fallendis explendíſque voluptatibus aſtutiam depingat. Os interea in riſus cachinnóſque diſſoluitur, & venenum cum ſuauitate bibitum per viſcera membrãque diffunditur. D

Qualiter imprimitur in imaginatione quod præceſſit in confabulatione.

CAPVT IIII.

SIC cum diſcedere ab inuicem hora compulerit, incluſa voluptatibus, anus cibariis onerata recedat. Reddita quieti miſera eas quas auditus induxerat, in corde verſat imagines, & ignẽ præmiſſa confabulatione conceptum vehemẽtius ſua cogitatione ſuccendit: quaſi ebrius in pſalmo titubat, in lectione cadit, fluctuat in oratione. Refuſa mundi luce citantur mulierculæ addentes noua veteribus, non ceſſant donec captiuam liberius dæmonibus illu- B dendam exponunt. Nam manifeſtior ſermo non iam de accedenda, ſed potius de ſatianda voluptate procedens: vbi & quãdo & per quem poſſit explere quod cogitat, in commune exponant. Cella vtitur in proſtibulum, & delicato qualibet arte foramine, aut illa egreditur, aut adulter ingreditur. Infœlicitas hæc vt ſæpe probatur, pluribus cauſa viris in hoc noſtro ſæculo communis eſt.

De loquacitate & auaritia aliquarum recluſarum congregantium vt diſtribuatur pauperibus. CAP. V.

SVNT aliæ quæ licet turpia declinent loquaces, tamen loquacibus aſſiduè ſociantur, nimium curioſitati linguam & aures tota die ocio rumoribúſque dedentes. Aliæ non multum iſta curantes (quod fere vitium per omnes huius temporis ſerpit incluſas) pecuniæ congregandæ vel multiplicandis pecoribus inhiant: tantáque cum hac ſolicitudine in his extenduntur, vt eas matres vel dominas familiarum exiſtimes, non anachoretas. Quærunt aliquibus paſcua paſtores, qui procurent, qui cuſtodiant greges, fructus vel precium vel pondus; vel numerum à cuſtodibus expetunt. Sequitur emptio & venditio vt nummus nummo cumulum exigat, & auaritiæ ſitim accendat. Fallit enim tales ſpiritus nequam pro impertiendis eleemoſynis vel orphanis alendis. Pro aduenientium parentum vel amicorum charitate, & religioſarum fœminarum ſuſceptione, hoc vtile eſſe ac neceſſarium ſuadentes. Non eſt hoc tuum ad quam magis pertinet, vt pauper cum pauperibus ſtipem accipias, quàm relictis omnibus tuis pro Chriſto aliena quærere, vt eroges. Magnæ infidelitatis ſignum eſt, ſi incluſa de craſtino ſit ſolicita, cum dominus dicat, Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Quapropter prouidendum eſt vt mens omni rerum temporalium cura exuatur, & exoneretur ſolicitudine. C

Quòd recluſa de proprio labore viuat, vel aliunde antequam recludatur, ſibi procurer prouideri, nec doceat, nec hoſpites recipiat, nec puellas, ſed habeat probatam matronam & ancillam.

CAPVT VI.

QVOD vt fiat, videat incluſa, vt ſi fieri poteſt, de labore manuum ſuarum viuat. Hoc enim perfectum eſt. Si autem aut infirmitas aut teneritudo non permittat: antequam includatur, certas perſonas quærat, à quibus ſingulis diebus quod vni diei ſufficiat, humiliter recipiat, nec cauſa pauperum vel hoſpitum quicquam adiiciat. Non circa cellulam eius pauperes clament, non orphani plorent, non vidua lamentetur. Sed quis, inquies, hoc poterit prohibere? Tu ſede, tu tace, tu ſuſtine. Mox vt ſcient te nihil habere, ſeque nihil recepturos, vel fatigati diſcedẽt. Inhumanum hoc clames. Cæterum ſi præter neceſſarium victum & veſtitum aliquid habes, monacha non es. Quid ergo erogabis? præcipitur tamen incluſæ, vt quicquid de labore manuum ſuarũ victui ſuperfuit, mittat cuidam fideli, qui pauperibus eroget. Nolo vt inſidiatrix pudicitiæ vetula mixta pauperibus accedat propius, deferat ab aliquo monachorum vel clericorum eulogias, non blanda verba in aure ſuſurret, ne pro accepta eleemoſyna oſculans manum in aure inſibilet. Cauendum præterea eſt, vt nec ob ſuſceptionem religioſarum fœminarum, quodlibet hoſpitalitatis onus incluſa ſuſcipiat. Nam inter bonas plerunque etiam peſſimę veniunt, quæ ante incluſæ feneſtram diſcumbentes præmiſſis valde paucis de religioſis ſermonibus ad ſæcularia deuoluuntur, inde ſubtexere amatoria, & noctem ferè totam inſomnem ducere. Sanè tu tale deuita, ne cogaris audire, quod videre horreas. Forte enim videbuntur amara cum audiuntur, vel cernuntur: quæ ſequuntur dulcia, cum cogitantur. Si ſcandalum times, eò quòd nec pauperibus erogas, non ſuſcipis hoſpites: cum omnes tuam nuditatem didicerint, non erit qui reprehendat. Si verò nec pro pauperibus nec pro hoſpitibus te velim pecunioſam eſſe: multo vtique minus occaſione grandioris familiæ. Itaque eligatur tibi aliqua anus, non garrula, non vaga, nõ litigioſa, non nugigerula: ſed quæ bonos mores excoluerit, & ab omnibus habuerit teſtimonium veritatis. Hæc hoſtiũ cellulæ cuſtodiat, & quod debuerit vel admittat vel conſeruet. Habeat ſub cura ſua

fortiorem

fortiorem ad onera sustinenda, puellam quę aquam & ligna comportet, coquat fabas, aut olera: aut si hoc infirmitas exegerit, prępparet potiora. Hæc sub virgæ disciplina custodiatur, ne forte eius lasciuia tuum sanctum habitaculum polluatur, propositum blasphemetur, pueris & puellis nullum ad te concedas accessum. Sũt quędam inclusæ quæ in docendis puellis occupantur, & cellam suam vertunt in scholam. Illa sedet ad fenestram, iste in porticu residet. Illa intuetur singulas, & inter puellares motus nunc irascitur, nũc ridet, nunc minatur, nunc percutit, nunc blanditur, nũc osculatur, nunc flentem vocat pro verbere propius, palpat faciem, stringit collum, & in amplexum ruens nunc filiam vocat, nunc amicam. Qualiter inter hæc memoria Dei, nisi secularia & carnalia, & si non perficiantur, mouentur tamen, & quasi sub oculis depinguntur. Tibi vtique duæ illæ sufficiant ad colloquium & ad obsequiũ.

Quòd quælibet religiosa maxime virgo & recluſa debet parum & illud ordinate loqui.

CAP. VII.

SILENTII grauitatem inclusæ seruandam præcipuè suademus. Est enim in ea quies magna & fructus multus. Namcultus iustitiæ silentium. Sicut ait Hieremias, Bonum est cum silentio expectare salutare Dei. Et iterum, Bonum est viro cum portauerit iugum: vt sedeat solus, & taceat. Vnde scriptum est: Audi Israël, & tace. Fac ergo quod ait propheta, Dixi custodiam vias: vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam. Sic inclusa timẽs casum linguæ, quam secundum apostolum Iacobum nemo hominum domare potest, ponat custodiam ori suo, sola sedeat, & taceat ore, spiritu loquatur: & credat se non esse solam, quando sola est. Tunc enim cum Christo est, qui non dignatur in turbis esse cum ea. Sedeat ergo sola, taceat Christum audiens, & cum Christo loquens, ponat custodiam ori suo. Primùm, vt raro loquatur. Deinde quid loquatur, quibus, & quomodo loquatur, attendat. Rarò loquatur, id est, certis & constitutis horis, de quibus postea dicemus. Quid loquatur, id est certis personis, & quales eis fuerint designatæ. Quomodo loquatur, id est, humiliter, moderatè, non alta voce, nec dura, nec blanda, nec mixta risu. Nam si hoc ad quemlibet virum honestum non pertinet, quanto magis ad fœmina? quanto magis ad virginem? quanto magis ad inclusam? Sede ergo soror mea & tace. Si compelleris loqui, parum loquere, humiliter & modestè: siue de corporalium rerum necessitate, siue de animæ salute sermo incubuerit.

Quod non debet loqui nisi probato confeſſori, ſen, & raro: nec eum tanget, nec de manu conferat, nec ſolus ſibi loquatur aliquis, nec munuſcula tribuat.

CAPVT VIII.

IAM nunc personas quibus loqui debet, designemus. Felix illa quæ nec maritum admisit, nullum virorum videre volens, nec alloqui. Sed quæ nunc reclusarum hoc sequitur exemplum? Sufficiunt illis quæ modò sunt, si hanc corporalem castitatẽ conseruẽt, si non onusto ventre non extrahãtur: si non fletus infamis partum ediderit, quibus perpetuum, ne cum viris loquantur, indicere non possumus silẽtium, cum quibus honestius loqui possint, videamus. Ergo si fieri potest, prouideatur in magno monasterio vel ecclesia presbyter aliquis senex, maturus moribus: cui rarò, nisi de cõfessione & animæ ædificatione loquatur. A quo consilium accipiat in dubiis, in tribulationibus consolationem. Verum quia inclusum membris malum illud quod timemus plerumque suscitat, & emollit emortuam senectutem, nec ipsi manum suam tangendam præbeat vel palpandam. Nulla vobis de macie vultus, de exilitate brachiorum, de cutis asperitate sit cura.

Quod non propter ſororem ſed propter alias adoleſcentulas hæc ſcribit præcauenda eſſe reclusarum.

CAPVT IX.

HÆc tibi soror (gratias Deo) dicenda non fuerant: sed quia nec solum propter te, sed etiam propter adolescentiores quæ similem vitam tuo consilio arripere gestiunt, hanc tibi formulam tradi voluisti, hæc interserenda putaui: si aliqua magni nominis vel bonæ æstimationis personæ, abbas scilicet vel prior cum inclusa loqui voluerit, aliquo præsente loquatur.

De perſonarum colloquio euitando.

CAPVT X.

NVLLAM certè personam te frequentius visitare vellem, nec cum aliqua te crebrius visitante, familiare vellem tecum habere secretum. Periclitatur enim fama virginis crebra certe alicuius personæ salutatione, periclitatur & conscientia. Nam quãto sæpius eundem videris vultum, vel vocem audieris, tanto expressius eius imago tuæ memoriæ imprimetur. Et ideo inclusa etiam facie velata loqui debet cum viro, & eius causę conspectum, cui cum timore solum debet præstare auditum. Nam eandem viri vocem sæpe admittere, quibusdam periculosum esse non dubito. Adolescentium & suspectarum personarum deuita colloquium: nec vnquam tecum nisi tu audientiam illius qui tibi proprie loquatur. Et hoc si certa necessitas poposcerit. Cum nullo itaque aduenientium, præter episcopum aut abbatẽ, vel magni nominis priorem, sine ipsius presbyteri licentia vel præcepto loquaris, vt difficultas loquẽdi tecum, tibi præstet quietem. Nunquam inter te & quemlibet virum quasi occasione exhibendæ charitatis vel nutriendi affectus vel expetendæ familiaritatis aut amicitiæ spiritualis discurrant nuncij: nec eorum munuscula literásq; suscipias, nec illis tua dirigas, prout moris est, puta zonas, marsupia quæ diuerso stamine & subtegmine variata sunt, & cætera quæ huiusmodi adolescentiorib. monachi per clericos mittunt, quod fomentum est amoris illiciti, & magni materia mali.

Quod recluſa debet propriis manibus laborare, vt inde viuat, vel pauperibus eroget.

CAP. XI.

OPERARE proinde ea quæ vel necessitas poscit, vel præscribit vtilitas, & eorum precium tuis vsibus cedat, quibus si non egueris, aut necessaria ecclesiæ aut pauperibus, sicut diximus, tribuas. Ornet etiam omnes motus, omnes sermones inclusæ, verecundia, quæ linguam compescat, iram mitiget, iurgia caueat. Quã enim pudere decet honestè honesta loqui: quantæ impudentiæ est, vt inhonesta licet lacessita iniuriis aut stimulata furore loquatur.

Quod non debet improperiis reſpondere.

CAPVT XII.

INCLVSA igitur litiganti non respondeat, detrahenti non improperet, lacessenti non contradicat: sed in omnibus quæ in publico vel in occulto aut obiiciũtur, aut susurrantur, ex conscientiæ senioris arte contemnat, dicens cum apostolo, Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer. Super omnia enim inclusa studere debet, vt tranquillitatem spiritus, & pacem cordis iugiter retinens illum sui pectoris æternum habeat inhabitatorem: de quo scriptum est, In pace factus est locus eius. Et aliàs Dominus per prophetam, Super quem, inquit, requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum & timentem sermones meos? Hunc sacratissimũ mentis statum, non solùm stultiloquia euertunt, sed & peruertunt. Nihil tam esse tibi censeo sectandum, quàm silentium.

De tempore loquendi & tacendi.

CAPVT XIII.

IAM nunc tempus loquendi, ac tacendi tempus distinguamus. Igitur ab exaltatione sanctæ crucis vsq; ad quadragesimam post completorium vsq; ad auroram silentium teneat: & tunc dicta prima, si aliud de diurna necessitate voluerit suggerere seruienti, paucis hoc faciat verbis, nihil cuiquam postea vsq; ad tertiam loquatur. Inter tertiam verò & nonam his qui superuenerint, priùs si admittendi sunt, competenter respondeat, & ministris, quod placuerit, iniungat. Post nonam sumpto cibo omne colloquium & dissolutionis materiam caueat, ne impingatur ei illud quod scriptũ est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Porrò vespertina laude soluta, cum ministra vsque ad tempus collationis de necessariis conferat. Tempore verò quadragesimæ inclusa semper silentium tenere deberet. Sed quia hoc durum impossibiléque putatur, cum confessore suo & ministra rarius quàm aliis temporibus loquatur: & cum nullo alio nisi fortè aliqua reuerẽda persona ex aliis prouinciis superuenerit. Post pascha verò vsque ad tempus prædictum à completorio vsque ad solis ortum silentio custodito cùm horam primam in diurnis obsequiis celebrauerit, cũ ministris suis loquatur si oportuerit: cum superuenientibus, inter nonam & vesperam. Finita hora vesperarum, disponat cum ministris quod opus fuerit vsque ad collationem.

Quod vitandum & habendum exercitium.

CAPVT XIIII.

HIS inspectis operi manuum, lectioni & orationi certa tempora deputentur. Ociositas quippe inimica est animæ, quam præ omnibus cauere debet inclusa. Est enim omnium malorũ parens, libidinis artifex: peruagationum altrix, nutrix viciorum, fomentũ acedię, tristitiæ incentiuum. Ipsa pessimas cogitationes seminat, affectiones illicitas quærit, suscitat desideria. Ipsa quietis fastidium parit, horrorem incutit cellæ. Nunquam te improuidam, nunquam te spiritus inueniat otiosam. Sed quia mens nostra, quæ in hac vita subdita est vanitati, nunquam in eodem statu permanet. Ociositas exercitiorum varietate fuganda est, & quies nostra quadam operũ vicissitudine fulciẽda. Itaque à calen. Nouembris vsque ad quadragesimam secundum æstimationem suam, plus media nocte repauset: & sic surgens cum qua potest deuotione secundum formam regulæ beati Benedicti, nocturnas vigilias celebret, quibus mox succedat oratio, secundum quod eam spiritus sanctus adiuuerit, aut protelare debet aut abbreuiare. Caueat autem ne prolixior oratio fastidium pariat. Vtilius est enim sæpius orare breuiter, quã semel nimis prolixè: nisi fortè orationi deuotio inspirata ipso nesciente, qui orat, prolongauerit. Post orationem in honorem virginis debitum soluat officium, sanctorum commemorationes adiiciens. Caue autem ne de numero psalmorum vel commemoratione aliquã tibi legem imponas: sed quandiu te psalmi delectant, vtere illis. Si tibi cœperint esse onerosi, transi ad lectionem: quæ si fastidium ingerit, surge ad orationem. Sic ad opus manuum, his fatigata, pertransiens, vt salubri alternatione spiritum recrees, & pellas acediã. Finitis commemorationibus quarum numerum non propositioni, vel voci necessitas extorqueat: sed inspirans deuotio dictat, tempus quod restat vsque ad auroram, operi manuum cum psalmorũ modulatione deseruiat. Albescente aurora matutinas laudes cum horæ primæ hymnis persoluat: & sic in alternatione lectionum, orationum, psalmorum quoq; prout ea deuotio variauerit, tertiam expectet, qua dicta in opere manuum vsque ad horam nonã occupetur.

petur. Cibo autem sumpto & gratiarum actionibus Deo solutis, ad A
præscriptam mansitudinem redeat spiritalibus exercitiis, opus corporale intermittens vsque ad vesperas. Facto autem paruo interuallo aliquam lectionem de vitis patrum, vel institutis vel miraculis eorum sibi secretius legat: vt orta ex his aliqua compunctione, in quodam feruore spiritus completorium dicat: vt cum pleno pectore deuotionis lectulo membra componat: illa sane quæ literas non intelligit, operi manuum diligentius insistat. Ita vt cum paulatim fuerit fatigata, surgat, & genua flectat, & breuiter oret Dominum suum, & statim opus quod intermiserat resumat: & hoc faciat tempore scilicet vtroque lectionis & laboris, Dominicam orationem crebrius inter opera eadem repetens: & si quos psalmos voluerit, interserens.

De tempore Paschali in quo ad vigilias surgere debet.

CAPVT XV.

A Pascha verò vsque ad prædictas Calend. sic surgat ad vigilias, vt finitis nocturnis hymnis & orationibus paruissimo interuallo præmisso matutinas incipiat. Quibus expletis vsque ad plenum solis ortum orationibus vacet & psalmis, & tunc dicta prima sacrificium diurni operis inchoët, vsque ad horam tertiam: in lectione & oratione vsque ad sextam spiritum occupet. Post sextam sumpto cibo, pausét in lectulo suo vsque ad nonam: & sic vsque ad vesperam manibus operetur. Post vesperam verò orationibus vacet & psalmis, horam collationis ita temperans, vt ante solis occasum lectulus membra recipiat. Cauendum enim est omni tempore ne totam diei lucem nox antequam dormitum eat, suis obducat tenebris, & dormire cogatur cum vigilare debet.

De tempore quadragesimali qualiter est ieiunandum, & de virtute ieiunij.

CAPVT XVI.

DE tempore quadragesimali locuturi, primo excellentiam eius credimus commendandam. Cùm multa sunt Christianorum ieiunia, omnibus excellit quadragesimale ieiunium, quod diuina auctoritate non singulis quibuscunque personis, non illius vel illius ordinis hominibus, sed omnibus indicitur Christianis. Habet autem testimonium excellentiæ à lege, à prophetis & ab euangelio. Nã Moyses famulus Dei ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vt legem Domini accipere mereretur. Helias autem propheta cum manducasset de pane subcinericio, aquamque bibisset, quam angelus ei ministrauerat, ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tunc vocem Domini audire promeruit. Dominus & saluator noster cũ ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, superauit tentatorem, & accesserunt angeli & ministrabant ei.

De virtute ieiunij. CAP. XVII.

C

EST ergo ieiunium contra omnia tentamenta & peccabilẽ statum. In omni tribulatione vtile refugium, omnibus nostris irrefragabile fulcimentum. Quantæ autem virtutis sit ieiunium ipse Christus non tacuit, cur dæmonem qui lunaticum inuaserat, eiicere non potuerunt. Hoc genus, inquit, dæmoniorum non potest eiici, nisi in oratione & ieiunio.

De significatione quadragesimæ. CAP. XVIII.

LICET autem religionis comes semper debeat esse ieiunium, sine quo castitas tuta esse non potest: hęc tamen quadragesimalis obseruatio magnum in se continet sacramentum. Primus locus habitationis nostræ paradisus fuit. Secũdus mundus iste plenus ærumnis. Tertius in cælo cum angelis & spiritibus. Significant autem isti quadraginta dies totum tempus ex quo pulsus est Adam de paradiso vsque ad vltimum diem in qua plene liberabuntur ab hoc exilio. Hic autem sumus in timore, in labore, in dolore proiecti à facie oculorum Dei, exclusi à gaudiis paradisi, ieiuni ab alimento cœlesti: semper autem debemus hanc miseriam nostrã considerare & deplorare, & ostendere in operibus nostris quòd sumus aduenæ & peregrini in mundo. Sed quia hoc facile non potest humana fragilitas, constituit spiritus sanctus tertium tempus quo id faciamus, & quasdã obseruationes in ecclesia fieri ordinauit, quibus ipsius temporis causam animaduertere valeamus. Nam vbi o- D
stendit nos pulsos esse, adiectos morti propter verbum quod dixit Dominus ad Adam, cùm eum expelleret de paradiso, cũ cinerum aspersione dicitur vobis: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Vt sciamus etiam quòd in hoc exilio negatur vobis visio Dei, appenditur velum inter nos & sancta sanctorum. Verum vt reducamus ad memoriam quòd longe sumus ab eorum societate de quib. scriptum est: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Vsitatum verbum laudis intermittimus. Quod vero nos ipso hoc altiori ieiunio constringimur, recordari vos facit quòd in hac vita cœlesti pane non satiamur. In hoc ergo tẽpore omnis Christianus aliquid addere dicitur solitis obsequiis, & diligentius atque frequentius circa cordis & oris custodiam occupari. Sed inclusa maxime institutionis temporis huius rationem multo melius intelligit, quanto eam in propria vita sua expressius recognoscit. In his proinde sacris orationibus Christo placere præcipue desideramus, totam se Deo voueat atque sanctificet. Omnes delicias respuat, omnes confabulationes abiuret, & quasi dies nuptiarum hoc tempus existimans ad amplexus Christi omni auiditate suspiret. Frequentius solito incumbat orationi, crebrius se pe-

dibus Iesu prosternat, crebra nominis illius repetitione compunctionem excitet, lachrymas prouocet, cor ab omni vagatione compescat. Finis itaque sacris vigiliis interuallum quod à nocturnis laudibus diuidit matutinas, orationi & meditationi obseruiat. Dictaque post matutinas prima vsque ad plenam tertiam psalmis ac lectionibus vacet. Tertiæ vero horæ laude completa operi manuum vsque ad horam nonam deuota insistat, breues per interualla orationes inserens: dicta post hoc vespera corpus reficiet, & sic tempus completorij psallens expectet.

De cibi & potus qualitate & quantitate.

CAPVT XIX.

IAM de cibi & potus qualitate vel quantitate ex abundanti quidem tibi legem imponere soror quę ab ipsa infantia vsque ad senectutem, quæ nunc tua membra debilitat, parcissimo cibo vix corpus sustentas: pro aliis cum quibus id vtile futurum arbitrans, certam de his præscribere regulam tentabo. Beatus Benedictus libram panis & heminam potus concedit monacho: quod nos inclusis delicatioribus non negamus: adolescentibus tamen in corpore robustis, ab omni quod inebriare potest, abstinere vtilissimũ est. Panem nitidum & cibos delicatos quasi impudicitiæ venenum euitet. Sic necessitati consulat, vt & famem repellat, & appetitum non satiet.
B Itaque quæ ad perfectiorem abstinentiam progredi non valent, libra panis & hemina lautioris potus contentæ sint: siue bis comedant siue semel. Vnum habeant de oleribus vel leguminibus pulmentum, vel certe de farinaceis. Cui modicum olei, vel butyri vel lactis iniiciens, hoc condimento fastidium repellat. Et hoc ei, si ea die cœnatura est sufficiat. Ad cœnam verò parum lactis sibi vel piscis modicum, vel aliquid huiusmodi si præsto fuerit, apponat. Vno genere cibi contenta cum pomis & herbis crudis, si quas habuerit, hæc ipsa si semel comederit in die prælibato pulmento possunt apponi. In vigiliis sanctorum tamen & quatuor temporum ieiuniis, omnium etiam feriarum quarta & sexta, extra quinquagesimam in cibo quadragesimali ieiunet. In quadragesima verò vnum quotidie ei sufficiat pulmentum. Et nisi infirmitas impediat, feria sexta in pane & aqua ieiunet. Ab Exaltatione sanctæ crucis vsq; ad quadragesimam semel in die hora nona reficiat. In quadragesima dicta vespera ieiunium soluat. A Pascha vsque ad Pentecosten ad sextam prandeat, & ad prandium silentium teneat: quod etiam tota æstate faciet, præter ferias quarta & sexta, & solennibus ieiuniis. Diebus autem quibus ieiunat, liceat ei in æstate pro somno meridiano & inter matutinas & primam modicũ quietis indulgere corpusculo.

De vestimentis & calciamentis.

CAPVT XX.

PORRO talia ei vestimenta sufficiant quæ frigus repellant. Grossioribus pellicijs vtatur, & pellibus propter hyemem, propter æstatem autem vnam habeat tunicam: vtroque vero tempore duas de stupacio camisias vel staminas. Velamen capitis non sit de panno subtili vel precioso, sed mediocri nigro: ne videatur colore vario affectare decorem. Calciamenta, pedilles, caligas, quantum satis fuerit habeat. Et paupertatis suæ custos solicite consideret, vt etiam aliquãtulum minus habeat quàm indulgere sibi possit iusta necessitas. Hæc soror charissima, de exterioris hominis conuersatione non pro antiquitatis feruore, sed pro huius nostri temporis spacio te compellente conscripsi, infirmis temperatum quendam modum viuendi proponẽs, fortioribus ad perfectiora progrediendi libertatem relinquens.

Quare solitudo est hominum consortio præferenda propter conseruationem thesauri virginitatis.

CAPVT XXI.

SED iam nunc audiat & intelligat verba mea quæcunque abrenuncians mundo vitam hanc solitariam elegerit, abscondi desiderans non videri, & quasi mortua sæculo in spelunca Christo consepeliri. Primum tibi solitudinem hominum debeas præferre consortio diligenter attende. Virgo, inquit Apostolus, cogitat quæ sunt Dei, quo modo placeat Deo, vt sit sancta corpore ac spiritu voluntarium hoc sacrificium est, oblatio spontanea, ad quam non lex impellit. Sed necessitas cogit, non vrget præceptum. Vnde Dominus in euangelio: Qui potest capere capiat. Quis potest? Ille certè cui Dominus hanc inspirauerit voluntatem & præstiterit facultatem. Primum igitur vt virgo bonum propositum tuum ipsi qui inspirauit cum summa deuotione cordis commenda, intentissima oratione deposcens, vt quod impossibile est per meritum, facile sentiat per gratiam. Cogita semper quam preciosum thesaurum in quam fragili vasculo portes, & quam mercedem, quam gloriam, quam coronam virginitas seruata ministret. Quam insuper pœnã, quam confusionem, quam damnationem importet amissa, indesinenter animo reuolue. Quid hoc precioſius thesauro: quo cælum emitur, quo angelus delectatur, cuius ipse Christus cupidus est, quo illicitur ad amandum, & ad præstandum prouocatur. Quid? Audeo dicere seipsum & omnia sua. Itaque nardus virginitatis tuæ etiam in cœlestibus dans odorem suum, facit vt concupiscat rex decorem tuum, & ipse est Dominus Deus tuus. Vide qualẽ tibi sponsum elegeris, qualem tibi amicum attuleris. Ipse est speciosus forma præ filiis hominum. Speciosior etiam sole & super omnem stel-

larum pulchritudinem. Spiritus eius super mel dulcis & hæreditas eius super mel & fauum. Longitudo in dextera eius, & in sinistra eius diuitiæ & gloria. Ipse te iam elegit in sponsam. Sed non coronabit nisi probatam. Et dicit scriptura: Qui non est tentatus, non est probatus, virginitas aurum est, cella fornax, conflator diabolus, ignis tentatio, caro virginis, vas luteum in quo aurum reconditur, nec vas vlterius à quolibet artifice reparatur.

De contemplatione virginis in consideratione sponsi siue beatæ Mariæ, & sanctarum virginum, ne corrumpatur libidine necdum aliena, sed etiam propria.

CAPVT XXII.

HÆc virgo iugiter cogitans pretiosissimum virginitatis thesaurum qui tam vtiliter possidetur, tam irrecuperabiliter amittitur, summa diligentia summo cum timore custodiat. Cogitet sine intermissione ad cuius ordinatur thalamum, ad cuius præparatur amplexum: proponat sibi agnum quem sequi habet, quocunque ierit. Contempletur beatissimam Mariam præcedẽtem & præcinentem dulce illud cum virginitatis tympano choros virginũ canticum, quod nemo potest canere nisi vtriusque sexus virgines. De quibus scriptum est: Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Nec sic hoc dictũ æstimes, quasi non vir sine muliere, aut mulier sine viro possit fœdari. Cũ detestandum illud scelus quo vir in virum vel fœmina in fœminam omnibus flagitiis damnabilius iudicetur. Sed & absque alienæ carnis consortio virginitas plerunque corrumpitur, castitas violatur. Si vehemẽtior æstus carnem concutiens voluntatem sibi subdiderit, & rapuerit membra, cogitet virgo super omnia sua sanctificata Deo, incorrupta Christo, spiritui sancto dedicata. Indignũ iudicet quod Christi est tradere satanæ, & virginea eius membra erubescat vel simplici motu maculari.

Quomodo esuriens debet famem delicias reputare, & paupertatem diuitias.

CAPVT XXIII.

ITAQVE proinde in virginitatis suę custodiam totum animum tendat. Cogitationes expendat, vt virtutis huius perfectionem esuriens famem delicias putet, diuitias paupertatem. In cibo, in potu, in somno, in sermone semper timeat dispendium castitatis, ne si plus debito carni reddiderit, vires præbeat aduersario, & occultò nutriat hostem. Sedens igitur ad mensam decorem pudicitiæ mente reuoluat, & ad eius perfectionem suspirans cibos fastidiat, potum exhorreat, etiam quod sumendum necessitas iudicauerit, aut ratio dictauerit, cum dolore aut pudore, aliquando cum lachrymis sumat. Si ei sermo fuerit cum aliquo, semper metuat aliquid audire, quod vel modicum, serenitatem castitatis obnubilet, deserenda se à gratia non dubitet, si vel vnum verbum contra honestatem proferat.

Quod lectum intrans debet cogitare si in aliquo offendit, & dolere.

CAPVT XXIIII.

PROSTRATA lectulo pudicitiam tuam commenda Deo, & sic signo crucis armata reuolue animo quomodo die illo vixisti, si verbo, si opere, si affectu Domini tui oculos offendisti: si leuior, si ocioſior, si negligentior debito fuisti. Si plus cibo crudior, potu dissolutior metas necessitatis excessisti. Si subreptum tibi aliquid horum deprehendis, suspira, pectus tũde, & hoc sacrificio vespertino tuo reconciliatam sponso sponsus excipiat.

Quod contra carnis tentationem recurrat ad beatam & sanctam Agnen & angelum eius adiutorio.

CAPVT XXV.

SI vigilanti subito, aut quiete soporis, aut arte tentatoris calor corporis fuerit excitatus, & in somnum callidus hostis iniunxerit, diuersisque cogitationibus quietem pudicitiæ infestauerit, proposueritque delicias, vitæ durioris horrorem incusserit, veniat tibi in mentem beatæ virginis, quæ in tenera ætate tam crebro reportauit de impiissimo hoste triumphũ. Cogita Agnem beatissimam à qua aurum, argentum, vestes preciosissimæ, lapides precioſi & tota secularis gloriæ pompa quasi quædam stercora sunt reputata. Vocata ad tribunal non abfuit, blandiebatur iudex, cõtempsit, minabatur, irrisit, magis metuens ne parceret quàm ne puniret: fœdumque lupanar vertit in oratorium: quod cum virgine ingrediẽs angelus lucem infudit tenebris, & insectatorem pudicitiæ morte mulctabat. Si igitur & tu oraueris, & contra libidinis incentorem lachrymarum tuarum arma leuaueris, non certe angelus tuo casto deerit cubiculo, qui prostibulo non defuit. Meritò beatam Agnem ignis iste materialis nequiuit adurere, cui carnis flamma tepuerat, quam ignis succenderat charitatis. Quotiens cunque nequam spiritus illicita quæque suggesserit, vehemẽtior incubuerit æstus, illum qui scrutatur corda & renes, scito esse præsentem: & sub eius oculos esse quicquid agis vel cogitas. Habe proinde reuerentiam Domino, quem tibi assistere non dubites, & deprædatori respõde: Angelum habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meũ. Adiuuet conatum tuum in tali necessitate discreta abstinentia. Quia vbi multa carnis afflictio, aut nulla, aut parua aliqua potest delectatio.

A *Quod castitas ab adolescentibus sine magno desiderio & maceratione seruari non potest, cùm in ægris & senibus frequenter periclitatur.*

CAPVT XXVI.

NEMO se palpet, nemo blandiatur sibi, nemo se fallat. Nunquam ab adolescentibus sine magna cordis contritione & carnis afflictione castitas conquiritur, vel seruatur, quæ plerunque ægris vel senibus periclitatur. Nam licet continentia donum Dei sit, & nemo possit esse continens, nisi Deus det, nec vllis nostris meritis donum hoc, sed eius gratuitæ sit gratiæ adscribendum, illos tamen tanto dono indignos iudicat, qui aliquid laboris pro eo subire detrectant, volentes inter delicias casti esse, inter epulas continentes, inter pueros & puellas conuersari & non tentari: in commessationibus & ebrietatibus fœdis distẽdi humoribus & non coinquinari: ligare visum suum cum flammis & non exuri. Difficile hoc vtrum aut impossibile tu videris.

De monacho se propter castitatem in aquis immergente, & rursus affligente & orante, stimulum carnis extinguere nequeunte.

CAPVT XXVII.

NOVI ego monachum qui cùm initio suæ cõuersationis, tam naturalibus incentiuis, tam violentia vitiosæ consuetudinis, tam suggestione callidi hostis, vt tentatoris pudicitiam suam periclitari timeret, & erexit se contra se, & aduersus suam carnem suauissimum concipiens odium, nihil magis quam quod ad eam affectaret expeteret. Itaque inedia macerabat corpus, & quæ ei de se debebantur subtrahens, etiam motus eius simplices comprimebat. Sed cùm iterum nimia debilitas sibi plus indulgere compelleret, ecce caro rursus caput erigens adquisitam, vt putabatur, infestabat quietem, plerisque se frigidis aquis iniiciens, tremens aliquandiu psallebat & orabat. Sæpe etiam illicitos sentiens motus vrticis fricabat corpus, & nudæ carni aperiens incendium incendio superabat. Et cùm hæc omnia non sufficerent, nihilominus eum spiritus fornicationis vrgeret, tunc quod solum superfuit, prostratus ante pedes Iesu orat. Plorat, suspirat, rogat, adiurat, obtestatur, vt aut occidat vel sanet, clamat crebrò, non abibo, non quiesco, nec te dimittam nisi benedixeris mihi: præstatur ad horam refrigerium, sed negatur securitas. Quiescentibus enim paululum carnis stimulis affectiones illicitæ pectus inuadunt. Deus meus quas cruces, quæ tormenta tunc pertulit miser ille, donec tanta infusa est ei dilectio castitatis: vt omnes quæ sentiri possunt, vel cogitari, quasuis iniiceret voluptates, & tunc quoque recessit ab eo. Sed vsque ad tempus & nunc senectuti morbus accessit, nec sic tamen se de securitate blanditur.

Contra illos qui dicunt se esse frigidos vel impotentes, & in lecto se cum mulieribus ponunt, duplex malum cumulantes.

CAPVT XXVIII.

VNDE non parum pudet quorundam impudicitiæ, qui cùm in sordibus senuerunt, nec sic suspectarum personarum volunt carere consortio. Cunque, quod dictu nefas est, eodem lectulo cubantes inter amplexus & oscula de sua castitate se dicunt esse securos, quos frigescente corpore ad cęlos tepescentia mẽbra deficiant. Infelices isti & præ cunctis mortalibus miseri, quibus cùm desit sceleris perpetrandi facultas, adhuc manet in ipsa fœditate facultas. Non quiescit turpe desiderium, quamuis ei frigiditas neget effectum. Videat tamen vtrum verum dicat aut mentiatur iniquitas sibi, & dum nititur velare vnum, duplex in se prodat flagitiũ. Cùm & ferè decrepitos nocturnum aliquando plasma deludat, & emortuam senectutem intestinum hoc malum sæpius inquietat.

Quòd virgo nunquam debet se reputare securam, sed semper debet cogitare de scriptura diuina.

CAPVT XXIX.

TE soror nunquam volo esse securam, sed timere, semperque tuam fragilitatem habere suspectam, ad instar pauidæ columbæ frequẽtare riuos aquarum, & quasi in speculo accipitris cernere superuolantis effigiem & cauere. Riui aquarum sententiæ sunt scripturarum, quæ de limpidissimo sapientiæ fonte profluentes diabolicarum suggestionum produnt imaginem & sensum, quo caueantur, & eludant. Nihil enim magis cogitationes excludit inutiles, vel compescit lasciuias quàm meditatio verbi Dei, quod sic ad animum suum virgo debet assuescere, vt aliud nolens, non possit aliud meditari. Cogitanti de scripturis somnus obrepat. Euigilanti primum aliquid de scripturis occurrat, dormientis somnia memoria aliqua de scripturis sententia condiat.

Quòd rigor abstinentiæ non debet omitti timore futuri languoris vel infirmitatis cùm ob hoc corpus dometur.

CAPVT XXX.

SED quidam à salutaribus exercitiis retrahũtur timore, ne videlicet propter nimiam abstinentiam vel vigilias immoderatas incidant in languorem, & ita efficiantur aliis oneri, sibi autem dolori, hæc excusatio nostra in peccatis nostris: quàm pauci sunt hodie quos talis feruor igniuit, omnes sapientes sumus, omnes prouidi, omnes discreti: procul oderamus bellum, & sic morbum corporis antequam sentiatur, formidamus: vt languorem animæ quem præsentem sentimus, territi negligamus, quasi tolerabilius sit flammam libidinis, quàm ventris tolerare rugitum. Aut multo melius

melius sit continuo languore carnis vitare lasciuiam, quàm sanum & incolumem in eius redigi seruitutẽ. Quid enim interest vtrum abstinentia an languore caro superbiens comprimatur, castitas conseruetur? Sed remissio, inquit, cauenda est: ne forte occasione infirmitatis incurramus illecebras voluptatis. certè si languet, si ægrotat, si torquentur viscera, si aresçit stomachus, quæ licet deliciæ oneri magis erunt quàm delectationi.

De adolescente qui fuerat incontinens veram pœnitentiam agente, & cum dolore stomachi, Christum hora mortis vidente.

CAPVT XXXI.

VIDI hominem qui cum pœnitentia sua vi consuetudinis oppressus continere non posset, tãdem in se reuersus supra modum erubuit: & mox conculcauit cor eius intra eum, & in meditatione eius exarsit ignis. Deinde salubriter irascens, sibi inuectione grauissima irruit in seipsum, & bellum indicens corpori, etiam ei quæ necessaria videbantur, ademit. Successit grauitas leuitati, loquacitati silentium. Nemo enim postea vidit iocantem, ridentem nemo conspexit. Nemo exore eius ociosum sermonem audiuit, temporales consolationes, & quicquid carni suaue putabatur, ita contempsit & exhorruit, vt nullam sibi requiem, nullam in cibo vel potu consolationem indulgere ei pateretur. Cogitationum suarum ita solicitus & scrupulosus erat, vt in hoc solo nimius videretur. Ita demisso vultu oculisque deiectis stabat, sedebat vt timens & tremens diuinis tribunalibus videretur assistere. Talibus armis glorioſum retulit de tyranno triumphum. Nam grauissimum stomachi incurrens incommodum post diuturnum languorẽ, cum iam dormitionis eius hora instaret: sine, inquit, ecce Iesus venit.

Quòd discretio, quæ est mater virtutum, non est abiicienda.

CAPVT XXXII.

HÆc dico vt discretionem, quæ omnium virtutum & mater & nutrix est, detegam, sed vitiorum materias gulam comprimamus, requiem corporis, fœminarum & effœminatorum familiaritatem atque conuictum infra metas necessarias cohibeamus, quia sæpe falso nomine discretionis palliamus negocium voluptatis. Vera enim discretio est animam carni præponere, & vbi periclitatur vtraque, nec sine huiusmodi incommodo illi potest salus consistere, pro illius vtilitate istam negligere. Hæc diximus vt quãta tibi debeat in consideranda pudicitia esse solicitudo, aduerteres. Quæ cum omnium virtutum flos sit & ornamentum, sine humilitate tamen aret atque marcessit.

De humilitate seruanda à virgine, ne deueniat in superbiam carnalem vel spiritualem, vel vanitatem.

CAPVT XXXIII.

HOc est certum haud securum peccatorum omnium fundamentum ex quo quicquid ædificas ruinæ patet. Initiũ omnis peccati superbia quæ angelum de cælo, hominem de paradiso expulit. Huius pessimæ cum multi sint rami: omnes tamen in duas species diuiduntur, in carnalem scilicet & spiritualem. Carnalis superbia est de carnalibus: spiritualis est de spiritualibus superbire. Carnalis postea in duas subdiuiditur species: in iactantiam scilicet & vanitatem. vanitas est si ancilla Christi intus in animo suo glorietur se nobilibus ortam natalibus: Si se diuitiis paupertatẽ prætulisse pro Christo delectetur: Si se pauperioribus & ignobilioribus præferre conetur: Si se contempsisse diuitum nuptias quasi aliquid magnum admiretur.

De vanitate & inani gloria, nobilitate vel diuitiis vel aliis delectabilibus rebus vitandis. CAP. XXXIIII.

EST etiam quædam species vanitatis in affectata aliqua pulchritudine, etiam intra cellulam delectari, parietes variis picturis & celaturis ornare: oratorium pãnorum & imaginũ varietate decorare. Hæc omnia quasi professioni tuæ contraria caue.

De ornamentis cellæ vitandis. CAP. XXXV.

QVA enim fronte de diuitiis vel natalibus gloriaris, quæ illius vis sponsa videri, qui pauper factus est cum esset diues, pauperem matrem, pauperem familiam, domum etiam pauperculam & præsepij vilitatem elegit? Itáne gloriandum tibi est quòd Dei filium hominum filiis prætulisti, quòd fœdam carnem pro virginitatis decore spreuisti: quod æternas cęli diuitias atque delicias martyriis sanctorum commutasti?

De ornamentis virtutum acquirendis.

CAPVT XXXVI.

SI gloriaris in Domino, seruias ei cum timore. Sed illam te noli quasi sub specie deuotionis sequi gloriam in picturis vel sculpturis, in pẽnis auium, vel bestiarum aut diuersorum florum imaginibus variatis. Sint hæc illorum qui nihil intus in quo glorientur habentes, exterius sibi comparant in quibus delectentur. Omnis gloria eius filię regis abintus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Si autem tu iam filia regis es, vtpote filij regis, sponsa, patrisque vocem audisti, dicentis: Audi filia & vide & inclina aurem tuam. Sit tua omnis gloria abintus, vide vt gloria tua sit testimonium conscientiæ tuæ. Ibi sit pulcherrima virtutum varietas. Ibi diuersi colores sic conueniant & sic iungantur sibi, vt alterius pulchritudinem alter augeat: & qui in sua natura minus lucet, alterius collatione lucidior appareat.

Nota copulam castitatis & humilitatis, prudentiæ & simplicitatis, misericordiæ & iustitiæ, fortitudinis & modestiæ.

CAP. XXXVII.

IVNGATVR castitati humilitas, & nihil erit splendidius: prudentiæ societur simplicitas, & nihil erit lucidius. Copuletur misericordia iustitiæ, & nihil erit suauius. Adde fortitudini modestiã, & nihil erit vtilius. In hac varietate tuæ mẽtis oculos occupa. Hãc in anima tua omni studio forma: cui si fimbrias aureas addas, vestem polymitam, in qua te sponsus cum summa dilectione conspiciat, texuisti. fimbria extrema pars, quasi finis est vestimenti. Finis autem præcepti charitas est de corde puro & conscientia bona & fide non ficta.

Quod ornamenta altaris sicut corporalia debent esse linea & alba, sic & corpus vestrum.

CAPVT XXXVIII.

IN his glorieris, in his delecteris, intus non foris, in veris virtutibus, non in picturis & imaginibus. Panni linei candidi tuum adornent altare: qui castitatem suo candore commendent, & simplicitatem præmonstrent. Cogita quo labore, quibus tonsionibus terrenum in quo creuit lumen, colorem exuerit, & ad talem candorem peruenerit: vt ex ea ornetur altare, Christi corpus veletur. Cum terreno colore omnes nascimur: quoniam in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Primũ igitur chariſſima linum aquis immergitur, nos in aquis baptismatis Christo cõsepelimur, ibi deletur iniquitas: sed necdum sanatur infirmitas. Aliquid cãdoris recepimus in peccatorum remissione: sed necdum plene terreno colore exuimur pro naturæ quæ restat corruptione. Post aquas linum siccatur: quia necesse est post aquas baptismatis corpus per abstinentiam maceratum, illicitis honoribus vacuetur. Deinde linum malleis tunditur, & caro nostra multis tẽtationibus fatigatur. Post hoc linum ferreis aculeis discerpitur: vt deponat superflua, & nos disciplinæ vngulis rasi vix necessaria retinemus. Adhibetur post hoc lino suauior stimulorum leuiorque purgatio, & nos victis cum magno labore pessimis passionibus, à leuioribus & cotidianis peccatis simplici cõfessione & satisfactione mundamur. Iam tunc à nentibus linum in lõgum producitur, & nos in anteriora longanimitate extendimur. Porro vt ei perfectior accedat perfectio, pulchritudo ignis adhibetur & aqua: & nobis transeundum est per ignem tribulationis, & aquam cõpunctionis, vt peruenianus ad refrigerium castitatis. Hæc tibi oratorij tui ornamenta repræsentent, non oculos tuos varietatibus mentis pascant. Sufficiat tibi in altari tuo saluatoris in cruce pendẽtis imago, quæ passionem suam tibi repræsentet, quam imiteris: expansis brachiis ad suos te inuitet amplexus in quibus delecteris, nudatis vberibus lac suauitatis infundat, quo consoleris.

De consideratione virginitatis & humilitatis beatæ Mariæ, & beati Ioannis Euangelistæ, & de ipsorum commendatione.

CAPVT XXXIX.

ET si hoc placet ad cõmendandam tibi virginitatis excellentiã, virgo mater in sua, & virgo discipulus in sua iuxta crucẽ curuentur imagine, vt cogites quàm grata sit Christo vtriusque sexus virginitas, quam in matre & præ cæteris sibi dilecto discipulo consecrauit. Vnde eos pendens in cruce tanto fœdere copulauit, vt illam discipulo matrem, illum matri filium delegaret. O beatissimum hoc testimonio Ioannem, cui totius humani generis decus, opes mundi, gloria cæli, miserorum refugium, afflictorum solatiũ, pauperum consolatio, desperatorum erectio, peccatorum recõciliatio, postremo orbis domina, cæli regina, testamenti auctoritate committitur. Hæc tibi præbeant incentiuum charitatis, non spectaculum vanitatis. his enim omnibus ad vnum necesse est vt contendas: quoniam vnum est necessarium. Illud est vnum quod non inuenitur nisi in vno, apud vnum, cum vno, apud quem nõ est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Qui adhæret ei, vnus cum eo spiritus efficitur, transiens in illud vnum quod semper idem est, & cuius anni non deficiunt. Adhæsio ista charitatis quasi specialis est ornatus finis & fimbria.

De charitate habenda in dilectione Dei & proximi sibi non nocendo: nec noceat cupiendo & benefaciendo.

CAPVT XL.

VESTIS quippe nuptialis ex virtutum varietate contexta oportet vt fimbriis aureis, id est charitatis splendoribus ambiatur, quæ omnes virtutes contineat, & constringat in vnum, & suam singularem claritatem impertiens de multis vnum faciat, & cum multis vni adhæreat: vt iam omnia non sint multa, sed vnum. Charitas autem in duo diuiditur, in Dei videlicet dilectionem & proximi. Porro dilectio proximi in duo sub diuiditur, in innocentiam & beneficentiam, videlicet vt nulli noceas: benefacias quibus potueris. scriptum est quippe: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. & hæc innocentia. Et Dominus in Euangelio, Omnia inquit, quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis, à beneficentia. Quantum ad te duo ista pertineant, diligenter aduerte. Primum vt nulli noceas. Deinde vt nulli velis

nocere. Primum illud facile tibi, cum nec id possis nisi forte lingua percusseris, secundum illud, Non erit difficile, si propositum attendas tuum: si professam dilexeris nuditatem. Non enim tibi poterit erga aliquam esse malæ voluntatis materia, vbi cupiditas nulla, vbi nihil diligitur quod possit auferri: nihil tollitur quod debeat amari. Demum bene velis omnibus, prosis quib. possis. In quo, inquis, cum mihi non liceat vel modicum quod egentibus tribuam, possidere.

De exemplo Mariæ & Marthæ & vita actiuæ & contemplatiuæ.

CAPVT XLI.

AGNOSCE conditionem tuam charissima. Duæ sorores erant Martha & Maria: laborabat illa, vacabat ista. Illa erogabat, ista petebat: illa præstabat obsequium, ista nutriebat affectum. Denique non ambulans vel discurrens huc atque illuc, non de suscipiendis hospitibus solicita, non cura rei familiaris distenta, nō pauperum clamoribus intenta sedebat ad pedes Iesu, & audiebat verbum illius. Hæc pars tua charissima quæ sæculo mortua atque sepulta, surda debes esse ad omnia sæculi blandimenta audienda, ad loquendum muta: nec debes distendi, sed extendi, impleri non exhauriri. Exequatur partem suam Martha: quæ licet nō negetur bona, Mariæ tamen melior prædicatur. Nunquid inuidit Marthę Maria? Illa potius isti. ita etiam quodque optime videretur, in sæculo tuam vitam æmuletur, non illarum tu. Ad illos spectat eleemosynarum largitio, quorum est terrena possessio, vel quibus credita est rerum Ecclesiasticarum dispensatio.

De dispensatione rerum Ecclesiasticarum.

CAPVT XLII.

QVÆ enim sacrosanctis Ecclesiis à fidelibus collata sunt, episcopi, sacerdotes & clerici dispensanda suscipiunt, & non recondenda: non possidenda, sed eroganda. Quicquid habent, pauperum est, viduarum & orphanorum, & eorū qui altari deseruiūt: vt de altari viuant. Sed ea quæ in vsus seruorum Christi monasteriis conferuntur, à certis personis dispensari oportet, vt quod necessitatibus supereſt fratrum, non includatur marsupiis: sed hospitibus, peregrinis atque pauperibus erogetur.

Quod claustrales non debent habere curam de pauperibus.

CAPVT XLIII.

ET hoc illorum interest quibus pars est Marthæ commissa, non qui salutari otio vacāt cum Maria. Ita claustralibus nulla debet esse pro pauperibus solicitudo, nulla pro hospitibus suscipiendis distensio: quippe quibus nulla debet esse de crastino cura, nulla cibi vel potus prouidentia: nutriantur potius in croceis, spiritalibus pascantur. Altius autem hi qui contemptibiles sunt constituti ad iudicandum, amplexātur stercora. Ipsi quippe sunt boues, quorum piger stercoribus lapidatur.

Quod contemplatiui non debent desiderare temporales administrationes.

CAPVT XLIIII.

SVNT enim quidam qui circa spiritualia desides & pigri instar populi peccatoris super manna cœleste nauseant, videntésque alios circa temporalia occupatos inuident, detrahunt, murmurant, & pro stercoribus quibus ipsi fœdantur, zeli & amaritudinum stimulos ferunt: de quibus si forte aliquam temporalium dispēsationem fuerint adepti, conuenienter dici potest: Qui nutriti erant in croceis, amplexati sunt stercora. Cum igitur nec illis qui in cœnobiis sunt, quibus in Martha non parua communio est, circa plurima occupari conceditur, quanto minus tibi quæ te totam de sæculo exuisti, cui non solum possidere, sed nec videre, nec audire licet quæ sæculi sunt?

Quod recluſa debet ſi ſibi aliquid ſupereſt, erogare.

CAPVT XLV.

SIVE enim nihil tibi quisquam det ad erogandum, vnde habebis quod eroges, siue ex tuo aliquid habes labore, da non tua sed alterius manu. Si abunde tibi prouenit victus, vnde tibi aliena distribuere. cum nihil tibi supra necessarium liceat vsurpare. Quid ergo beneficij impendes proximo? Nihil ditius bona voluntate, vt ait quidam sanctus, hanc largire. Quid humanius pietate? hanc impende. Quid vtilius oratione? hanc largire.

Qualiter debet in corde dolere de neceſſitatibus aliorum & pro eis orare.

CAPVT XLVI.

ITAQVE totum mundum vno dilectionis sinu complectere, vbi simul omnes qui boni sunt considera, congratulare: vbi mali, intuere & luge. Ibi occurrāt animo miseria pauperum, orphanorum gemitus, viduarum desolatio, tristium mœstitudo, necessitates peregrinantium, pericula nauigantium, vota virginum, tentationes monachorum, prælatorum solicitudo, labor militantium, Omnibus pectus tuæ dilectionis aperias. His tuas impende lachrymas: pro his tuas preces fundas. Hæc eleemosyna Deo gratiosior, Christo acceptior, tuę professioni aptior, his quibus impēditur fructuosior. Huius munus beneficij tuum propositum adiuuat. Non perturbat dilectionem proximi. Auget non minuit, mentis quietem seruat, non impedit. Quod nihil est appetendū vt habeatur ad largiendum: cum nihil habere sit perfectū. Quid his plura dicamus? Cum sancti vt perfecte possent proximos diligere, studuerūt in hoc mundo nihil habere, nihil vel sine appetitu possidere. Agnoscis verba beati Gregorij. Vide quàm contra multi sapiunt: vt enim charitatis impleant legem, quærunt vt habeant quod erogent, cum eius perfectionem ipsis asscribat, qui nihil habendum, nihil vel sine appetitu possidendum arbitrantur.

De dilectione Dei & contemplatione prædictionis & prophetationis aduentus filij Dei, & annunciationis angelicæ plenitudinis gratiæ, visitationis & prophetationis Elizabeth & Ioannis, partu virginis, inbilationis angelorum, adoratione pastorum.

CAPVT XLVII.

HIS de proximi dilectione præmissis, de dilectione Dei pauca subiungam. Nam licet vtraque soror Deum proximumq; dilexerit, specialiter tamen circa obsequium proximorum occupabatur Martha. Ex diuinæ vero lectionis fonte hauriebat Maria: ad Dei vero dilectionem duo pertinent, affectus mentis, & effectus operis. Et opus hoc in virtutum exercitio. Affectus spiritualis gustus dulcedine, exercitio virtutum, tamen certo viuendi modo. In ieiuniis, In vigiliis, In opere, In dilectione, In oratione, In paupertate & cæteris huiusmodi commendatur. Affectus salutari meditatione nutritur. Itaque vt ille dulcissimus amor Iesu in tuo crescat affectu, triplici meditatione opus habes: de præteritis scilicet, præsentibus & futuris, id est præteritorum recordatione, de experientia præsentium, de consideratione futurorum. Cum igitur mens tua fuerit ab omni cogitationum sorde, virtutū exercitio purgata, iam oculos defecatos ad posteriora retorque. Ac primum cum beata Maria ingressa cubiculum, libros quibus virginis partus cū Christi prophetatur aduentu, euolue. Ibi aduentum angeli præstolare, vt videas intrantem, audias salutantem: & sicut repleta stupore & ecstasi dulcissimam dominam tuam cum angelo salutante salutes, clama dicens: Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Hoc plenius repetens quæ sit hæc gratiæ plenitudo de qua totus mundus gratiam mutuauit. Quoniam verbum caro factum est, & habitauit in nobis plenum gratiæ & veritatis. Contemplare & admirare Dominum, qui terram impleuit, & cælum intra vnius puellæ viscera clauditur, quam pater sanctificauit, filius fœcundauit, obumbrauit spiritus sanctus. O dulcis domina, quanta inebriabaris dulcedine, quo amoris igne succēdebaris, cum sentires in mente & ventre tantæ maiestatis præsentiam? Cum de tua carne sibi carnem assumeret, & membra quibus corporaliter omnis plenitudo diuinitatis habitaret, è tuis sibi membris aptaret. Hæc omnia propter te virgo, vt virginem quem imitari proposuisti, diligas virginis fructum cui nupsisti. Iam nunc cum dulcissima domina tua in montana conscende, & sterilis & virginis suauē intuere complexum, & salutationis officium in quo seruulus Dominum, præco iudicem, vox verbum intus in anilia viscera conclusus, in virginis vtero clausum agnouit, & indicibili gaudio salutauit. Beati ventres in quibus totius mundi salus exoritur, pulsisque tenebris tristitiæ, sempiterna lætitia prophetatur. Quid agis ô virgo? accurre quæso accurre, & tantis gaudiis admiscere, prosternere ad pedes vtriusque, & in vnius ventre tuum sponsum amplectere, amicum vero eius in alterius vtero venerare. Hunc eūtem in Bethleem cum omni deuotione prosequere, & in hospitium diuertens, eum illa assiste & obsequere parienti, locatoque in præsepio paruulo, erumpe in vocem exultationis, clamans cum Esaia: Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Amplectere dulce illud præsepium: vincat verecūdiam amor. Timorem depellat affectus, vt sacratissimis pedibus figas labia, & oscula gemines. Exinde pastorum excubias mente pertracta, angelorum exercitum admirare, cælesti melodiæ tuas interpone partes: corde simul & ore decanta, Gloria in excelsis Deo.

De magorum adoratione, fuga Chriſti in Aegyptum, de latrone à latere Chriſti dextro crucifixo, qui paruulum Ieſum viderat cùm duceretur in Aegyptum & petierat, Memento mei Domine cùm veneris in regnum tuum.

CAPVT XLVIII.

NOLI in tua meditatione magorum munera præterire: nec fugiētem in Ægyptum incomitatum relinque. Opinare verum esse quod dicitur, eum à latronibus deprehensum in via, & adolescentuli cuiusdam beneficio acceptum. Erat vt dicunt principis latronum filius, qui præda potitus, cum paruulum in matris gremio comperisset, tanta ei in eius speciosissimo vultu splendoris maiestas apparuit, vt eum supra hominem esse non ambigens, incalescens amore amplexatus est eum. Et ò, inquit, beatissime paruulorum: si aliquando se tempus obtulerit mihi miserendi, tunc memento mei, & huius temporis noli obliuisci. Ferunt hunc esse latronem qui ad Christi dexteram crucifixus est, cum alterum blasphemantem corripuisset, dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? & nos quidem iuste. Nam digna damna factis recipimus, hic autem nihil mali fecit. Conuersus ad Dominū cum in illa quæ in puerulo apparuerat, intuens maiestate, pacti sui non immemor, Memento inquit mei, cum veneris in regnum tuū. Itaque ad incentiuum amoris non inutile arbitror hac vti opinione, remota omni affirmandi temeritate.

De contem-

De contemplatione Christi in Nazareth, & in Ierusalem in obsequendo matri & Ioseph. CAP. XLIX.

PRÆTEREA nihílne tibi suauitatis æstimas accessurũ, si eum apud Nazareth puerum inter pueros contempleris? si obsequẽtem matri, si operanti nutricio assistentem intuearis? Quid si duodennem cum parentibus Hierosolymam ascendentem, & illis redeuntibus & nescientibus in vrbe remanentem per triduum cum matre quæsieris? O quanta copia fluent lachrymæ, cum audieris matrem dulci quadam increpatione filium verberantem: Fili quid feciſti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.

De consideratione baptismi, ieiunij & tentationis Christi. CAPVT L.

SI autem virginem vis sequi quocũque ierit, delectet altiora eius & secretiora scrutari: vt in Iordanis flumine audias in voce patrem, in carne filium, in columba videas spiritum sanctũ. Ibi tu ad spirituales initiatas nuptias sponsum suscipis datum à patre, purgationem à filio, pignus amoris à spiritu sancto. Exinde solitudinis tibi secreta ditauit, sanctificauit ieiunium, ibi subeundum docens cum callido hoste cõflictum. Hæc tibi facta & pro te facta, & quomodo facta, diligenter attendes. Dilige à quo facta sunt, & imitare quæ facta sunt.

De muliere in adulterio deprehensa. CAPVT LI.

OCCVRRIT iam nunc memoriæ mulier illa deprehensa in adulterio, & Iesus rogatus sententiam quid egerit, quídve dixerit recordare. Cum enim scribens in terra terrenos eos non cœlestes prodidisset, qui sine peccato est, inquit, vestrum, primum lapidem in illam mittat. Cum vero omnes sententia tenuisset & expulisset de templo, imaginare quam pios oculos in illam leuauerit, quam dulcem sua voce sententiam absolutionis eius protulerit. Pura quod suspirauerit, quod lachrymatus sit, cum diceret: Nemo te condemnauit mulier? nec ego te condemno. Felix vt ita dicam hæc quæ in adulterio deprehensa mulier, quæ etiam de præteritis absoluitur, secura efficitur de futuris. Iesu bone te dicente, non condemnabo, quis condemnabit? Deus qui iustificat? quis est qui condemnet? Audiatur de cætero vox tua: Vade, & iã amplius noli peccare.

De muliere lachrymis pedes eius rigante. CAPVT LII.

IAM nunc domum ingredere Pharisæi, & recumbentem ibi Dominum tuum attẽde. Attende cum illa beatissima peccatrice ad pedes eius, laua lachrymis, terge capillis, demulce osculis, & foue vnguentis. Nónne iam sacri illius liquoris odore perfunderis? Si tibi ad suos negat pedes, insta, ora, & grauibus lachrymis oculos attolle, imísque suspiriis & inenarrabilibus extorque quod petis. Luctare cum Deo sicut Iacob, vt ipse se gaudeat superari. Videbitur tibi aliquando quod auertat oculos, quod aures claudat, quod desideratos pedes abscondat. Tu nihilominus insta opportunè, importune, clama, Vsquequo auertis faciẽ tuam à me? vsquequo clamabo & non exaudies? Redde mihi Iesu bone lætitiam salutaris tui, quia dixit cor meum: quæsiui faciem tuam, faciem tuam requirã. Certe non negabit pedes suos virgini, quos osculandos præbuit peccatrici.

De paralytico per tegulas inuecto non solum corporaliter sed spiritualiter curato, licet hoc non peteret. Nam cui vult miseretur. CAPVT LIII.

SED domum illam non pręteribis vbi per tegulas paralyticus ante pedes eius submittitur, vbi pietas & potestas obuiauerũt sibi. Fili, inquit, remittuntur tibi peccata tua. O mira clementia, ô indicibilis misericordia. Accepit felix remissionem peccatorum, quoniam non petebat, quoniam non præcesserat confessio, non meruerat satisfactio, non exigebat cõtritio. Corporis salutem petebat, non animæ: & salutem recepit corporis & animæ. Vere Domine vita in voluntate tua. Si decreueris saluare nos, non est qui audeat dicere: cur ita facis? Pharisæe, à te quid murmuras? An oculus tuus nequam est, quia ipse bonus sum? Certe miseretur cui voluerit, ploremus & oremus vt velit. Bonis etiam operibus pingueſcat oratio, augeatur deuotio, dilectio excitetur. Leuentur puræ manus in oratione, quas non sanguis immunditiæ maculauit, tactus illicitus nõ fœdauit, non exasperauit auaritia. Leuetur & cor sine ira & disceptatione, quod tranquillitas sedauit, pax composuit, puritas conscientiæ animauit. Sed nihil horum paralyticus iste legitur præmisisse, qui tamen legitur remissionem peccatorum meruisse. Hæc est ineffabilis eius misericordiæ virtus, cui sicut blasphemũ est derogare, ita & hoc sibi præsumere stultissimum: potest cuicunq; vult hoc ipsum efficaciter dicere, quod dixit illi paralytico, dimittuntur tibi peccata tua. Sed quicunque sine suo labore vel contritione, vel confessione, vel etiam oratione sibi hoc dicendum expectat, nunquam ei remittentur peccata sua.

De receptione Christi in domo Marthæ & Mariæ, & Martha ministrante, & effusione vnguenti, & condemnatione Pharisæi. CAPVT LIIII.

SED exeundum est hinc, & ad Bethaniam veniendum, vbi sacratissima fœdera amicitiæ auctoritate Domini confecrantur. Diligebat enim Iesus Martham & Mariam, & Lazarum, quod hospi-

talis amicitiæ qua illi familiariori adhærebant affectu, detineri nemo qui ambigat. Testes sunt lachrymæ illæ dulces, quibus lachrymatus est cum lachrymantibus, quas totus populus amoris interpretatur indicium. Videte, inquiunt, quomodo amabat eum. & ecce ponunt ei cœnam ibi, & Martha ministrabat. Lazarus autẽ erat vnus ex discumbentibus. Maria autem sumpsit alabastrum vnguẽti, & fracto alabastro effudit super caput Iesu. Gaude quæso huic interesse cõuiuio, singulorum distingue officia. Martha ministrat, discumbit Lazarus, vngit Maria. Hoc vltimum tuum est. Frange igitur alabastrum cordis, & quicquid habes deuotionis, quicquid amoris, quicquid desiderij, quicquid affectionis, totum effunde super sponsi tui caput, adorans in Deo hominem, & in homine Deũ. Si fremit, si murmurat, si inuidet, si proditor perditionem vocat deuotionem, non sit tibi curæ. Vt quid, ait, perditio hæc? Posset hoc vnguentum venundari multo, & dari pauperibus. Pharisæus murmurat, inuidens pœnitenti: murmurat Iudas, inuidẽs effusioni vnguenti. Si iudex accusationem non recipit, accusatam absoluit. Sinite, inquit, illam. Bonum enim opus operata est in mè. Laboret Martha, ministret, paret hospitium peregrino, esurienti cibum, vestem algenti. Ego solus Mariæ, & illa mihi totum præstet quod habet: à me quicquid optat, expectet. Quid enim? Tũne Mariæ consulis relinquendos pedes, quos tam dulciter osculatur? auertendos oculos ab illa specioſissima facie quam contemplatur? amouẽdum auditum ab eius suaui sermone quo reficitur?

De obuiatione puerorum cum ramis palmarum, clamantium, Osanna in excelsis. CAPVT LV.

SED iam surgentes eamus hinc. Quò, inquis? Certè vt insidẽtem asello cæli terræque Dominum comiteris tanta fieri pro te obstupescens, puerorum laudibus tuas in sanctis clamans & dicens: Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. Iam nunc ascende cum eo in cœnaculum grande stratum, & salutaris cœnæ interesse deliciis gratulare.

De cœna Domini & de his quæ ibi gesta sunt. Quare beatus Ioannes supra pectus eius recubuit. CAPVT LVI.

VINCAT verecundiam amor, timorem excludat affectus: vt saltem de micis mensæ illius eleemosynam præbeat mendicãti. Vel à longe sta, & quasi pauper intendens in diuitem, vt aliquid accipias extende manum, famem lachrymis prode, cum iam surgens à cœna linteo se præcinxit, posuitque aquam in peluim. Cogita quæ maiestas, quæ potestas hominum pedes abluit & extersit: quæ benignitas proditoris vestigia sacris manibus tangit. Specta & expecta, & vltima omnium tuos ei præbe abluendos: quia quem ipse non lauit, non habebit partem cum eo. Quid modo festinas exire? Sustine paululum. Videsne quisnam ille est, rogo te, qui supra pectus eius recumbit, & in sinu eius caput reclinat? Felix quicunque ille est. O ecce video, Ioannes est nomen eius. O Ioannes, quid ibi dulcedinis, quid gratiæ & suauitatis, quid luminis & deuotionis ab illo hauriam fonte, dicito. Ibi certe omnes thesauri sapiẽtiæ & scientiæ: Ibi fons misericordiæ, domicilium pietatis, & fauus æternæ suauitatis. Vnde tibi ô Ioannes omnia ista? Nunquid tu sublimior Petro, Andrea sanctior, cæteris omnibus angelis gratior? speciale hoc virginitatis priuilegium, quia virgo es electus à Domino, antequam ires cum matre dilectus. Iam misericordiæ exulta virgo, accede propius, & aliquam tibi huius dulcedinis portionem vendicare non differas. Si ad potiora non potes: dimitte Ioanni pectus, vbi eum vinum lætitiæ in diuinitatis cognitione inebriet: tu currens ad vbera humanitatis, lac exprime quo nutriaris. Inter hęc sacratissima illa oratione discipulos commendans patri dixerit: Pater serua eos in nomine tuo. Inclina tu caput, vt & tu merearis audire: Volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum.

Qualiter post cœnam ad orandum ad montem Olineti accesſit. CAPVT LVII.

BONVM est tibi hic esse. Sed exeundum est, præcedit ipse ad mõtem Olineti, tu sequere. Et licet assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi ad secreta secesserit, vel à longe intuere quomodo in se nostram transtulit necessitatem. Vide quomodo ille cuius sunt omnia pauere incipit & tædere, Tristis est anima mea inquiens vsque ad mortem. Vnde hoc Deus meus compateris mihi exhibens hominem, vt quodammodo videaris nescire quod Deus es, prostratus in faciem: oras, & factus est sudor tuus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terrã. Quid stas? accurre, & suauissimas illas guttas lambe, & puluerem pedum illius linge. Noli dormire cum Petro, ne merearis audire: Sic non potuisti vna hora vigilare mecum?

Qualiter proditor ad eum capiendum venit, qualiter Petrus gladio percussit, sed post negauit. CAP. LVIII.

SED ecce iam proditorem pręeũtem impiorum turba subsequitur, & osculum præbente Iuda manus iniiciunt in Dominum tuum, tenent, ligãt, & illas dulces manus vinculis astringũt. Quis ferat? Scio occupat nunc cor tuum pietas, omnia viscera tua zelus inflammat. Sine rogo patiatur, qui pro te patitur. Quid optas gladium? Quid irascéris? Quid indignaris? Si instar Petri cuiuslibet aurem abscideris, si ferro brachium tuleris, si pedem truncaueris, ipse restituet omnia. Qui etiam siquidem occideris, absque dubio suscitabit.

Qualiter male tractatur, coram Pilato falso accusatur, & falso iudicatur, & flagellatur, & corona spinea coronatur.

CAPVT LIX.

SEQVERE potius eum vsq; ad atrium principis sacerdotum, & speciosissimam eius faciem quam illi sputis illinūt, tu lachrymis laua. Intuere quàm piis oculis, quàm misericorditer, quàm efficaciter tertio negantem respexit Petrum, quando ille conuersus & in se reuersus fleuit amare. Vtinam bone Iesu tuus me dulcis respiciat oculus, qui te totiens ad vocem ancillæ procacis carnis meæ pessimis operibus affectibusque negaui. Sed iā mane facto traditur Pilato. Ibi accusatur, & tacet: quoniam tanquam ouis ad occisionem ducitur, & sicut agnus coram tondente se, sic nō aperuit os suum. Vide, attēde quomodo stat ante præsidem inclinato capite, demissis oculis, vultu placido, sermone raro, paratus ad opprobria, prōptus etiam ad verbera. Scio non potes vlterius sustinere, nec dulcissimum dorsum eius flagellis atteri, nec faciem alapis cædi, nec venerandum illud caput spinis coronari corona spinea, nec dexteram quæ cælum & terram continet, arundine dehonestari, tuis oculis aspicere poteris. Ecce educitur flagellatus, portās spineam coronam, & purpureum vestimentum. Et dicit Pilatus: Ecce homo. vere homo est, quis dubitet? Testes sunt plagæ virgarum, liuor vlcerum, fœditas sputorum. Iam nunc cognosco Zabule quia est homo. Vere homo est, inquis. Sed quid est quod in tot iniuriis non irascitur vt homo, non mouetur vt homo, non suis tortoribus indignatur vt homo? ergo plus est quàm homo, si quis cognoscit illū. Cognoscitur certe homo impiorum iudicia sustinens. Sed cognoscetur Deus iudicium faciens. Sero animaduertisti Zabule.

De consideratione passionis Christi, & deceptionis diaboli, qui eum hominem solum esse credebat.

CAPVT LX.

QVID tibi per mulierem visum est agere vt dimittatur. Tarde locutus es. Sedet pro tribunali iudex, prolata sententia iam portat propriam crucem, ducitur ad mortem. O spectaculum, vides ne? Ecce principatus super humerum eius. Hæc est virga æquitatis, virga regni tui. Datur ei vinum felle mixtum. Exuitur vestimentis suis, & inter milites diuiduntur. Tunica non scinditur: sed sorte transit ad vnum. Dulces manus eius & pedes clauis perforantur, & extensus in cruce inter latrones suspenditur.

Quomodo pependit in cruce inter cælum & terram, vt ima summis reconciliaret.

CAPVT LXI.

MEDIATOR Dei & hominum inter cælum & terrā medius pendens ima superis vnit, & cœlestibus terrena coniungit. Stupet cælum, & terra miratur: Quid tu? Non mirum si sole contristato, tu contristaris. Si terra tremiscente, tu cōtremiscis, si sciſſis saxis cor tuum scinditur. Si flentibus iuxta crucem mulieribus, tu collachrymaris.

De mira patientia in passione reddendo bonum pro malo.

CAPVT LXII.

VERVM in his omnibus considera illud dulcissimum pectus, quam tranquillitatem seruauerit, quam habuerit pietatem. Non suam attendit iniuriam, non pœnam reputat, non sentit contumelias. Sed illis potius à quibus patitur, ille compatitur à quibus vulneratur. Ille medetur, vitam procurat à quibus occiditur. Cum qua mentis dulcedine, cum qua spiritus deuotione, in qua charitatis plenitudine, clamat, Pater ignosce illis?

Oratio peccatoris ad Christum.

CAPVT LXIII.

ECCE ego Domine tuæ maiestatis adorator, non tui corporis interfector, tuæ mortis venerator, nō tuæ passionis irrisor, tuæ misericordiæ contemplator, non infirmitatis cōtemptor. Interpellet itaque pro me tua dulcis humanitas, commendet me patri tua ineffabilis pietas. Dic ergo dulcis Domine, pater ignosce illi. At tu virgo, tu maior es apud virginis filiū confidentia à mulieribus, quæ longe stant cum matre virgine & discipulo virgine accede ad crucem, & perfusum pallore vultum cominus intuere. Quid ergo? Tu sine lachrymis amantissime Domine lachrymas videbis, tu siccis oculis manens eius animam pertransit gladius doloris. Tu sine singultu audies dicentem matri: Mulier ecce filius tuus, & Ioāni: Ecce mater tua, cum discipulo matrem committeret, latroni paradisum promitteret. Tunc vnus ex militibus lancea latus eius aperuit, & exiuit sanguis & aqua. Festina ne tardaueris, comede fauū cum melle tuo. Bibe vinum tuum cum lacte tuo. Sanguis tibi in vinum vertitur, vt inebrieris: in lac aqua mutatur: vt nutriaris, facta sunt tibi in petra flumina, in membris eius vulnera. Et in maceria corporis eius cauerna, in quibus instar columbæ latitaris, & deoscularis singula ex sanguine eius. Fiant sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.

De decurione. CAP. LXIIII.

SED adhuc expecta donec nobilis ille decurio veniens extractis clauis, manus pedesq; dissoluat. Vide quomodo fœliciſſimis brachiis corpus complectitur, ac suo astringit pectori. Tunc dicere potuit vir ille sanctissimus: fasciculus myrrhę, dilectus meus mihi inter vbera commorabitur. Sequere tu preciosissimum illum cæli terræq; thesaurum, vel pedes porta, vel manus brachiaq; sustēta: vel certe defluentes minutatim preciosissimi sanguinis stillas curiosius collige, & pedum illius puluerem linge. Cerne præterea quod dulciter beatissimus Nicodemus sacratissima vulnera eius tractauit digitis, fouit vnguentis, & cum sancto Ioseph inuoluit sindone, collocauit in sepulchro.

De Magdalena. CAP. LXV.

NOLI præterea Magdalenæ deserere comitatum: sed paratis aromatibus cum ea Domini tui sepulchrum visitare memento. O si quod illa oculis tu in spiritu cernere merearis nunc super lapidem reuolutum ab ostio monumenti angelum residentē, nunc intra monumētum, vnum ad caput, alium ad pedes resurrectionis gloriam prædicantes. Nuncipsum Iesum, Mariam flentem, & tristem tam dulci respicientem oculo, tam suaui voce dicentem, Maria. Quid hac voce dulcius, quid suauius, quid iocundius Maria? Rumpuntur ad hāc vocem omnes capitis characteres, ab ipsis medullis eliciuntur lachrymę. Singultus atque suspiria ab imis trahūtur visceribus, Maria. O beata quid tibi pro meritis fuit, quid animi cum ad hanc vocem te prosterneres, & reddens vocem salutanti inclamares, Rabbi. Nam plura dicere lachrymæ prohibent, cū vocem occludat affectus, omnesque animæ corporisq; sensus nimius ardor absorbeat. Sed ô dulcis Iesu, cur à sacratissimis ac desideratissimis pedibus tuis sic arces amantem? O verbum durum. Noli, inquit, me tangere. Vt quid Domine? Quare non tangam desiderata illa vestigia tua, pro me perforata clauis, perfusa sanguine, non tangam, non deosculabor? An inimicior es eo, quia glorioſior? Ecce non dimittam te, non recedam à te, non parcam lachrymis, pectus singultibus suspiriisque rumpetur nisi tangam. Et ille: Noli me tangere, Noli timere. Non auertur tibi bonum hoc, sed differtur: vade tamen & nuncia fratribus meis quia surrexi. Currit cito volens redire. Redit cum aliis mulieribus. Quibus Iesus occurrens blanda salutatione, deiectas sic erigit, tristes consolatur. Aduerte. Tunc est datum quod ante fuit dilatum. Accesserunt enim & tenuerunt pedes eius. Hic quamdiu potes virgo morare. Non has delicias tuas somnus interpolet, nullus exterior tumultus impediat.

De consideratione mundi & rerum præsentium vt vilescant, quasi statim mors sequatur, quæ est principium futurorum, & finis præsentium.

CAPVT LXVI.

VERVM quia in hac misera vita nihil stabile, nihil æternū est, nunquam in eodem statu permanet homo: necesse est, vt anima nostra dum viuimus, quadam varietate pascatur. Vnde à præteritorum recordatione ad experientiam præsentium transeamus, vt ex his quoque quantum à nobis sit Deus diligendus, omnes intelligere valeamus. Hæc omnia reuolue animo, vt in eū totus tuus resoluatur affectus: vilescat tibi mundus, omnis amor carnalis sordescat. Nescias te esse in hoc mundo, quæ ad illos quę in cælis sunt & Deo viuunt, tuum amorem transtuliſti. Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Noli cum argenteis simulacris vili marsupio tuum includere animum, qui nunquam cum nummorum pondere poterit transuolare ad cælum: puta te cotidie morituram, & de crastino non cogitabis. Non te futuri temporis sterilitas terreat, non futuræ famis timor tuam mētem deiiciat. Sed ex ipso tota fiducia tua pendeat, qui aues pascit & lilia vestit. Ipse sit horreum tuum, ipse apotheca, ipse marsupiū, ipse diuitiæ tuæ, ipse solus sit tibi omnia in omnibus. Et hæc interim de præsentibus satis sint.

De mortis conditione quæ à cunctis timetur, non timenda à fidelibus.

CAPVT LXVII.

QVI autem tanta suis præstat in præsenti quanta illis seruat in futuro? Principium futurorum & finis præsentium mors. Hanc cuius natura non horret, cuius nō expaueſcit affectus. Nam bestiæ fuga latibulis & aliis mille modis mortem cauent, & vitam tenent. Iam nunc diligenter attende, quid tua tibi respondeat conscientia: quid præsumit fides tua: quid spes promittat, quid expectet effectus. Si vita tua tibi oneri est: si mundus fastidio corporeos labores assumit: Hoc vnum dico omnibus mundi huius præstare deliciis, honoribus atque diuitiis si ob conscientiæ serenitatem, fidei firmitatem, spei certitudinem, mortem non timeas. Quod ille maxime poterit experiri, qui aliquo tempore sub hac seruitute suspirans in liberioris conscientiæ auras euasit. Hęc sunt futuræ beatitudinis tuæ primitiæ salutares, vt morte superueniēte naturalem horrorem fides superet, spes temperet, conscientia secura repellat.

De securitate & consolatione iusti in morte, & qualiter angeli cum eo assistunt.

CAPVT LXVIII.

ET vide quomodo mors beatitudinis principium est, laborum meta, peremptoria vitiorum. Sic enim scriptum est: Beati mortui qui in Domino moriuntur. amodo enim iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis. Vnde propheta reproborum ab electorum morte discernens: Omnes, inquit, reges dormient in gloria in domo sua. Tu autem proiectus es de sepulchro tuo quasi stirps inutilis, pollutus & obuolutus.

De anima egrediente & vbi collocatur.

CAPVT LXIX.

DORMIVNT quippe in gloria quorum mortem bona commendat conscientia. Quoniam preciosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius. Dormit facie in gloria, cuius dormitioni assistunt angeli, occurrunt sancti & conciues, suum præbentes auxilium, & impertientes solatium hostibus se opponūt, obsistentes re-

tes repellunt, refelluntaccuſantes: & ſic vſque ad ſinum Abrahæ ſanctam animam comitantes in loco pacis collocant & quietis. Nō ſic impij, quos de corpore quaſi de fœtenti ſepulchro peſſimi ſpiritus cum inſtrumentis infernalibus extrahentes pollutos libidine, obuolutos cupiditate iniiciunt ignibus exurendos, tradunt vermibus lacerandos, æternis fœtoribus deputant ſuffocandos. Vere expectatio iuſtorum lætitia: Spes autem impiorum peribit.

De requie æterna & gloria ſanctorum qualis ſit.

CAPVT LXX.

SANE qualis ſit illa requies, quæ pax illa, quæ iucunditas de ſinu Abrahæ, quę illic quieſcentibus promittitur, & expectatur: quia experientia non docuit, ſtylus explicare non poterit. Expectant felices donec impleatur numerus fratrum ſuorum, vt in die reſurrectionis duplicis ſtolæ induti corporis pariter & animæ perpetua felicitate fruantur.

De conſideratione diei iudicij, iudicis irati, damnatione malorum & ſaluatione iuſtorum.

CAPVT LXXI.

IAM nunc intuere diei illius terrorem, quādo virtutes cælorum mouebuntur, elementa ignis calore ſoluentur, patebunt inferi, occulta omnia nudabuntur. Veniet deſuper iudex iratus, ardēs furor eius, & vt tempeſtas currus eius, vt reddat in ira vindictam & vaſtationem in flamma ignis. Beatus qui paratus eſt occurrere illi. Quid tunc miſeris, an finis erit, quos nunc luxuria fœdat, auaritia diſſipat, extollit ſuperbia? Exibunt angeli & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, iſtos à dextris, alios à ſiniſtris ſtatuentes. Cogita nunc te ante tribunal inter vtranque hanc ſocietatem aſſiſtere, & necdum in partem alteram ſeparatam. Deflecte nunc oculos ad ſiniſtram iudicis, & miſeram illam multitudinem ſpecta.

De confutatione & pœna malorum.

CAPVT LXXII.

QVALIS ibi horror, quis timor, quis fœtor, quis dolor? Stant miſeri, & infelices ſtridentes dentibus, nudo latere palpitantes, aſpectu horribiles, vultu deformes, deiecti prę pudore, præ corporis turpitudine & nuditate confuſi latere volunt, & non datur: fugere tentant, & non permittuntur. Si leuant oculos deſuper, iudicis imminet furor: ſi deponūt, infernalis putei eis ingeritur horror. Non ſuppetit criminum excuſatio, nec de iniquo iudicio aliqua poterit eſſe cauſatio. Cum quicquid decretum fuerit, iuſtū eſſe ipſum eorum conſcientiam non latebit.

De dilectione Dei qui hic ſeparat bonos à mala vita & operibus impiorum.

CAPVT LXXIII.

CERNE nunc quàm amādus ſit qui te ab hac damnata ſocietate prædeſtinando diſcernit. Vocando ſeparauit, iuſtificando purgauit. Retorque nunc ad dexteram oculos, & quibus te glorificando ſit inſerturus, aduerte.

De gloria bonorum. CAP. LXXIIII.

QVIS ibi decor, quis honor, quæ felicitas, quæ ſecuritas. Alij die iudiciaria ſede ſublimes. Alij martyrij corona ſplendētes. Alij virginitatis florum candidi. Alij eleemoſynarū largitione fœcundi. Alij doctrina & eruditione præclari, vno charitatis fœdere copulantur. Lucet eis vultus Ieſu Chriſti non terribilis, ſed amabilis: non amarus, ſed dulcis: non terrens, ſed blandiens.

De dubio hominis exiſtentis in hoc ſæculo, qualiter iudicabuntur, & quomodo ſe debent conuertere ad Deum.

CAPVT LXXV.

STA nunc in medio, neſciens quibus te iudiciis ſententia deputabit. O dura exſpectatio, timor & tremor venerunt ſuper me, & contexunt me tenebræ. Si me ſiniſtris ſociauerit, non cauſabor iniuſtum: ſi dextris aſcripſerit, gratiæ eius hoc, non meis meritis eſt imputandū. Vere Domine vita in voluntate tua. Vides ergo quantum in amore eius tuus extendi debeat animus, qui cū iuſte poſſet in impios prolatam, in te quoque retorquere ſententiam, mitibus te maluit ac ſaluandis inſerere. Iam te puta ſanctæ illi ſocietati cōiunctam vocis audire decretum: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mūdi. Miſeris audientibus verbum durum plenū iræ & furoris: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Tunc ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam. O dura ſeparatio, ô miſerabilis conditio, ſublatis verò impiis ne videant gloriam Dei.

De viſione Dei poſt iudicium, & quæ ſit interim gloria hic poteſt colligi.

CAPVT LXXVI.

IVSTIS quoque ſingulis ſecundum gradum ſuum, & meritum angelicis ordinib. inſertis, fiet illa glorioſa proceſſio Chriſto præcedente capite noſtro: omnibus membris ſuis ſequētibus, & tradetur regnum Deo & patri: vt ipſe regnet in ipſis, & ipſi regnēt cum ipſo illud percipientes regnum, quod paratum eſt illis ab origine mundi.

De gloria & gaudiis paradiſi.

CAP. LXXVII.

CVIVS regni ſtatus nec cogitari quidem poteſt à nobis, multo minus dici vel ſcribi. Hoc ſciendum quòd omnino nihil aberit quod vel adeſſe, nec quicquam aderit, quod vel abeſſe. Nullus igitur ibi luctus, fletus nullus, non timor, non dolor, non diffidentia, non inuidia, non ſuſpicio, non ambitio, non adulatio, non detractio, non ægritudo, non ſenectus, non mors, non paupertas, neque tenebræ, non edendi vel bibendi, vel dormiendi vlla neceſſitas, nulla fatigatio, defectio nulla: quid ergo boni ibi eſt, vbi nec luctus, nec fletus, nec dolor eſt, neque triſtitia? quid poteſt eſſe niſi perfecta lætitia, vbi nulla tribulatio, nulla tentatio, nulla temporū mutatio, vel aëris corruptio, æſtus vehementior, nec hyems aſperior? Quid poteſt eſſe vbi ſumma quædam rerum temperies, & mētis & carnis vera ac ſumma tranquillitas: vbi nihil quod timeas, vbi nulla diſcordia, nulla inuidia, nulla ſuſpicio, nulla ambitio, nulla adulatio, detractio nulla? Quid poteſt eſſe niſi ſumma & vera dilectio, vbi nulla paupertas, nulla cupiditas: quid poteſt eſſe niſi bonorum omnium plenitudo? Vbi nulla deformitas, quid poteſt eſſe niſi vera pulchritudo? vbi nullus labor vel defectio, quid erit, niſi requies ſumma & fortitudo? Vbi nihil eſt quod grauet vel oneret, quid eſt niſi ſumma facilitas? Vbi nec ſenectus expectatur, nec morbus timetur, quid poteſt eſſe niſi vera ſanitas? vbi neque nox neque tenebræ, quid erit niſi lux perfecta? vbi mors, & mortalitas omnis abſorpta, quid erit niſi vita æterna? quid eſt vltra quod quæramus, certe quod his omnibus excellit, id eſt viſio, cognitio & dilectio creatoris. Videbitur in ſe, videbitur in creaturis ſuis regens omnia ſine ſolicitudine, ſuſtinens omnia ſine labore: impertiēs ſe, & quodam modo diſpertiens ſingulis pro ſua capacitate ſine ſui diminutione vel diuiſione. Videbitur ille vultus amabilis, & deſiderabilis, in quem deſiderant angeli proſpicere, de cuius plenitudine, de cuius lumine, de cuius ſuauitate quid dicetur? videbitur pater in filio, filius in patre, ſpiritus ſanctus in vtroque. Videbitur non per ſpeculum & in ænigmate, ſed facie ad faciē. Videbitur enim ſicuti eſt, impleta illa promiſſione qua dicit: Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Ex hac viſione illa procedit cognitio de qua ipſe ait: Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te vnum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ex his tanta naſcitur dilectio, tantus ardor paterni amoris, tanta dulcedo charitatis, tanta feruendi copia, tanta deſiderij vehementia: vt nec ſatietas deſiderium minuat, nec deſiderium ſatietatē impediat. Quid eſt hoc? certè quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe.

Concluſio in contemplatione diuini amoris ex beneficiorum præteritorum Chriſti memoria & præſentium experientia, & expectatione futurorum.

CAPVT LXXVIII.

HÆC tibi ſoror de beneficiorum præteritorum Chriſti memoria, de præſentium experientia, de expectatione futurorum quædam meditationum ſpiritualium ſemina præſeminare curaui, ex quibus diuini amoris fructus vberior oriatur & creſcat, vt meditatio affectum exerceat, affectus deſiderium pariat, lachrymas deſiderium excitet, vt ſint lachrymæ tuæ panes die ac nocte, donec appareas in conſpectu eius, & ſuſcipiaris ab amplexibus eius: Dicasque illud quod in Canticis ſcriptum eſt: Dilectus meus mihi & ego illi. Habes nunc ſicut petiſti corporales conſtitutiones, quibus incluſa exterioris hominis mores componas. Habes formam præſcriptam, qua interiorem hominem, vel purges à vitiis, vel virtutibus ornes. Habes in triplici meditatione quomodo in te dilectionem excites, nutrias, & accendas.

Verſus notabiles.

Dulcia ſunt animæ ſolatia, quæ tibi mando.
Nam proſunt minimè niſi ſerues hæc operando.

Si quis igitur in huius libelli locutione profecerit, hanc labori meo vel ſtudio vicem impendat: vt apud ſaluatorem meum quem diligo, apud remuneratorē meum quem expecto, apud iudicē meum, quem timeo, pro peccatis meis intercedat.

DIVI AVGVSTINI HIPponenſis Epiſcopi, de vita eremitica libri finis.

FINIS.

CASTIGATIONES TOMI PRIMI OPERVM B. AVGVSTINI.

Libros Retractationum emendando vſi ſumus 4. MS. exemplaribus, Gemblacenſi, Parcenſi, Cambronenſi & Bethlehemitico.

Libros confeſſionum caſtigando vſi ſumus 5. MS. *exemplaribus, Gemblacenſi, duobus Parcenſ. Bethlehemitico, & Tornacenſi.*

Lib. principiorum dialecticæ emendãdo ſolo vſi ſumus MS. *Carthuſiano.*

In emendandis categoriis vſi ſumus 3. MS. *Carthuſiano, Cambronenſi & Gemblacenſi.*

In principiis Rhetorices recognoſcendis vſi ſumus ſolo MS. *Carthuſiano.*

In conferendis libris de Muſica vſi ſumus 4. MS. *Carthuſiano, Gemblacenſi, Cambronenſi, S. Amandi.*

Caſtigando libros cõtra Academicos habuimus 4. MS. *Gemblacenſe, Floreffienſe, S. Amandi & Carthuſianum.*

Lib. de ordine emendando, vſi ſumus 4. MS. *Cambronenſi, S. Amandi, Gemblacenſi & Carthuſiano.*

Lib. de beata vita contulimus cum 4. exemplaribus MS. *quæ tam ante commemorauimus.*

Soliloquia recognouimus ad 5. MS. *Cambronenſe, Gemblacenſe, S. Amandi, Carthuſianum, Tornacenſe.*

Librum de magiſtro caſtigauimus tribus exemplaribus MS. *Cambronenſi, Carthuſiano, Gemblacenſi.*

Librum de immortalitate animæ contulimus cum 3. MS. *Cambronenſi, Floreffienſi, & Carthuſiano.*

Ad emendationem libri de quantitate animæ vſi ſumus 4. MS. *Carthuſiano, Gemblacenſi, Floreffienſi, Tornacenſi.*

Recognouimus lib. 3. de lib. arbitrio ad 4. MS. *S. Amandi, Tornacenſe, Gemblacenſe, Carthuſianum.*

Lib. de vera religione emendando vſi ſumus 5. MS. *duobus Tornacenſibus, Gemblacenſi, Cambronenſi, Floreffienſi.*

Librum de moribus Eccleſiæ Catholicæ contulimus cum 5. MS. *Cambronenſi, Gemblacenſi, Floreffienſi, Carthuſiano, S. Amandi.*

Ad caſtigationem 2. librorum de Geneſi cõtra Manichæos, vſi ſumus duobus exemplaribus MS. *Carthuſiano & Cambronenſi.*

Regulam ad ſeruos Dei contulimus cum MS. *Gemblacenſi.*

LIBRO PRIMO RETRACTATIONVM.

PAGINA 3. *col.* 1. *a.* In prologo iamdiu eſt quod, *lege ex* MS. Iam diu iſtud: *ſequitur enim relatiuum*, quod.

Ibid. b. Illud etiam quod ſc. *eſt ratio ſuperioris, ideo lege ex* MS. Illud enim.

Ibid. col. 2. *c.* CAP. 1. & vbi dici debet, & *abeſt in* MS.

Ibidem, ſapientiæ portus. MS. philoſophiæ portus.

PAG. 4. *col.* 1. *a.* inſulſa illa quaſi facula. MS. *omnia*, fabula.

Ibid. c. ſingulis ſinguli. MS. ſingulæ.

Ibid. d. quantum impios. MS. quantum ipſos im.

Ibid. col. 2. *a. Cap.* 2. Manlio Theodoro. MS. Mallio.

Ibid. b. Cap. 3. quo à corporalibus. MS. 3. cùm à corp.

Ibid. d. quod quidem dixit. *le.* quidam *ex* MS. *Gembl.*

PAG. 5. *col.* 1. *a. Cap.* 4. ratione indagandæ. *Manuſcr. omnia*, rationem.

Ibidem, Et ex quadam. MS. *omnia*, Et quadam.

Ibidem, c. Ad ſapientiæ cognitionem. *lege ex omnibus Manuſcr.* conjunctionem.

Ibidem, col. 2. *c. Cap.* 6. vel duci. *omnia* MS. vel ducere.

PAG. 6. *col.* 1. *a. Cap.* 7. & aliis teſtim. *Manuſcr. omnia*, ex aliis verò teſt.

Ibidem, b. vera eſſe in ipſis rebus, in *abeſt in* MS. 4.

Ibidem, col. 2. *a.* cum hoc vtrum. *Manuſcr.* 3. cum hoc exemplum vtrum.

Ibidem, c. Cap. 8. vel ad ſeipſum. MS. *omnia*, ſeipſam.

Ibid. quam redderer mihi. MS. *& locus quem citat, habent*, quã reddere me mihi.

PAG. 7. *col.* 1. *b. Cap.* 9. propter hanc propoſitam quæſtionem. MS. 3. propter hoc propoſita quæſtione.

Ibid. d. Quia opus eſt. MS. *omnia*, Quid opus eſt.

PAG. 8. *col.* 1. *b.* torquente colore. MS. *omnia*, dolore.

Ibidem, col. 2. *b. Cap.* 10. niſi vt putent. *lege*, putentur *ex* MS.

PAG. 9. *col.* 2. *d. Cap.* 13. quadam vita ſua. *aliàs*, quadam ſuauitate. MS. 3.

PAG. 10. *col.* 1. *c.* immerito. *lege ex Manuſcr. omnibus*, non immeritò.

Ibidem, concupiſcit quidem nolens. *aliàs*, volens *Manuſcr. Parc. Gembl.*

Ibidem, d. quodammodo hæreditarium. *Gembl.* voluntarium.

Ibidem, reatus omnium peccatorum. *Manuſcr. omnia*, omnium præteritorum.

Ibidem, col. 2. *d.* vt ita Latinum videatur religio. *lege*, religo *ex* 2. *Manuſcr.*

Ibid. Cap. 14. catholicæ fidei diſciplinam. MS. *quædam*, in catholicæ fidei diſciplina.

PAG. 11. *col.* 1. *c.* nulla quæſtio eſt. MS. *duo*, nulla magna qu.

Ibid. col. 2. *b.* de ipſa catholica doctrina. doctrina *abeſt in omnibus* MS. *& loco quem citat.*

Ibid. c. Cap. 15. atque vtrunque miſcuerit. vtranque *Gembl.*

PAG. 12. *col.* 1. *a.* perficere autem bonum non inuenio. Inuenio *abeſt in omnibus* MS. *Et ſimiliter citauit Cap.* 9.

Ibidem, b. vel non admittendum. *lege*, amittendum *ex* 2. MS. *Similiter ibid. c.*

Ibid. c. Quod enim ſi voluiſſet. niſi voluiſſet. 3. MS.

Ibidem, col. 2. *a.* Idemque in eo. *le.* Itemque.

Ibid. c. naturas malas. MS. *omnia*, natura malas.

PAG. 13. *col.* 1. *a.* Quem inuiolabilem atque incorruptibilem, atque immutabilem credi. MS. 3. Quem inuiolabilem atque incorruptibilem credi.

Ibid. c. Cap. 16. aut non omnino aut non poſſit facile. MS. 1. aut omnino, aut non poſſit facile.

Ibidem, d. ibi lex æterna. MS. 2. *non habent*, æterna.

Ibidem. Cap. 17. concilium Hippone regio agebant. *Manuſcr. omnia*, habebant.

PAG. 14. *col.* 1. *b. Cap.* 19. vt ad iſtam pacem pleniſſimam quandoque veniatur. MS. *Gembl.* perueniatur.

Ibid. c. illa quæ ſperamus. MS. in illa quam ſperamus.

Ibid. Iota vnum & vnus. MS. *Gemb.* Iota vnum aut vnus.

Ibidem d. Et docuerit ſic homines. *Manuſcr. omnia non habent*, homines.

Ibid. col. 2. *c.* limitanda ſit hæc fornicatio. MS. 3. elimanda. *notandum in margine.*

Ibid. d. quis in eius ſancta familia non poteſt dici? *legendum per interrogationem.*

PAG. 15. *col.* 1. *b. Cap.* 20. Tales enim abecedarios. MS. 3. Quales enim abecedarias. *poteſt enim vel ad* literas, *vel ad* pſalmum *referri.*

Ibid. Hypopſalma quod reſpondetur, & procemium cauſę quod nihilominus cantatur. MS. 3. reſponderetur: cantaretur.

Ibidem, c. Cap. 21. Cui contradicimus. In hoc libro dixi. MS. 1. *parcen.* Cui contradicimus in hoc libro. In quo dixi.

Ibidem, col. 2. *c. Cap.* 22. Apoſtolica diſciplina. *Manuſcr.* 3. doctrina.

Ibidem, Sed addendum erat atque. MS. Sed addendum erat pene atque.

Ibid. d. Quorum trium modorũ tanquam ſola ſint. *Gembl.* ſoli.

PAG. 17. *col.* 2. *c. Cap.* 26. Qui de vita Bracmanarum aliquanta conſcripſit. MS. *omnia, non legunt.*

PAG. 18. *col.* 1. *d.* vbi quod dixi. *Manuſcr.* 3. vbi quid eſt quod dixi.

Ibid. col. 2. *d.* venundatus ſum ſub peccato, &c. *in* MS. *omnibus abeſt, apparet irrepſiſſe ex margine.*

LIBRO SECVNDO RETRACTATIONVM.

PAG. 19. *col.* 2. *c. Cap.* 1. Non ſolùm autem illa ſed ex Rebecca. MS. *omnia*, Non ſolum autem, ſed & Rebecca.

Ibid. ſpiritus Domini malus in Saul. MS. 2. ſpiritus Domini malus irruit in Saul.

PAG. 20. *col.* 1. *a. Cap.* 2. Principia eius ſola redarguit ſed in ceteris eius partibus annotationes vbi, &c. MS. *Parcen.* Principia eius ſola redarguit, ſed in vltimis eius partibus cum an fractus omnes vbi videbatur exploſi ſint, Annotationes. MS. *Camb. Gembla.* principia eius redarguit alibi, ſed in vltimis illis partibus anfractus omnes vbi videbantur exploſi ſunt. Sed & in ceteris illius partibus annotationes, &c.

Ibid. c. Cap. 4. Non eſſe eius libri authorem. MS. *omnia*, Non eſſe hunc eius libri auctorem.

Ibid. Quem de ſacramentis ſiue de prophetia ſcripſit. MS. *omnia*, de philoſophia, *nam meminit Aug. lib. 2. cap. 6. & 5. libri de ſacramentis regenerationis ſiue de philoſophia.*

Ibidem, d. Cap. 6. dicens quòd anima mea vna quodammodo. *Manuſcr.* 3. dicẽs quòd anima noſtra vna quodammodo. *quia cõfeſſ. lib. 4. cap. 6. habet*, nam ego ſenſi animam meã, & animam illius, *&c.*

Ibidem col. 2. *a.* Quæ mihi quaſi declamatio leuis quam grauis confeſſio videtur. *legendum videtur, quanquam non adiuuent* MS. Quæ mihi quaſi declamatio leuis magis quàm grauis confeſſio videtur.

Ibid. b. Cap. 7. In libro 3. cum ſolueram. MS. *omnia*, ſoluerem.

PAG. 21. *col.* 1. *a. Cap.* 8. qua verè liberi ſunt. *Manuſcr. omnia*, fiunt.

Ibid. d. Cap. 13. redigere in vnum. MS. 3. redegerunt in vnum.

Ibid. col. 2. *c. Cap.* 15. nec autem quadrupedem. 1. MS. nec auem quadrupedem.

Ibidem, diſcernit ab immundis. MS. diſcernit eas ab immundis.

PAG. 22. *col.* 2. *b. Cap.* 21. Inde quaſi pugnantium. MS. *Parcen.* Inde quaſi purgantium.

PAG. 23. *col.* 2. *a. Cap.* 27. Contra hoc ſcriberet. MS. 5. contra hæc ſcriberet.

Ibidem. Cui reſpondens alium. *Manuſcr.* Cui reſpondens & alium.

PAG. 25. *col.* 1. *a. Cap.* 38. ſtudioſis ſcriptis nonnulla. MS. 3. ſtudioſis ſcripta nonnulla.

Ibid. col. 2. *c. Cap.* 43. inter diuiſas victimas concurriſſe. MS. *omnia*, cucurriſſe.

Ibidem, d. Cap. 45. ipſe non ſoluit. *Manuſcr. omnia*, Ipſe non ſolui.

PAG. 26. *col.* 1. *b. Cap.* 47. quæ illi niſi damnaſſet. MS. quæ ille, *&c.*

PAG. 27. *col.* 2. *a. Cap.* 58. Librum quem miſiſtis. MS. 3. Libro quem miſiſtis. *ſic enim opus incipit.*

CONFESSIONVM LIBRO PRIMO.

PAG. 28. *col.* 1. *d. Cap.* 1. quia ſuperbis reſiſtis. MS. *omnia*, quia ſuperbis Deus reſiſtis.

Ibid. col. 2. *d. Cap.* 3. Sed qui imples omnia. MS. 2. Sed quæ imples omnia.

PAG. 29. *col.* 1. *d. Cap.* 6. In iſtam dico mortalem vitam, mortalem dicam vitam an mortem vitalem neſcio. MS. 3. In iſtam dicam vitam mortalem an mortem vitalem neſcio.

Ibid. d. & diuitias vſque ad fundum. MS. *Tornacen.* & diuitias bonitatis vſque ad fundum.

Ibid. col. 2. *c.* Laudare te à me. *Manuſcr. omnia*, Laudari te à me.

PAG. 30. *col.* 1. *c. Cap.* 7. Quod etſi iniquitate. MS. *omnia*, Quod ſi in iniquitate.

Ibid. c. d. Cap. 8. Et vocibus variiſque membrorum motibus. MS. 2. Et vocibus variis variiſque membrorum motibus.

Ibid. d. Prenſabam memoria. MS. 2. Penſabam memoria.

Ibid. col. 2. *a.* Natuque maiorum hominum. *Manuſcr. omnia*, nutuque.

Ibid. Cap. 9. Præſtruxerunt ærumnoſas vias. MS. 2. Præſtruxerant ærumnoſas vias.

Ibid. b. qui hæc acerbiſſimè infligant. MS. *omnia*, formidant.

Ibid. d. Cap. 10. Et ſcalpi aures meas falſis fabellis quo prurirent ardentius eadem curioſitate magis magiſque per oculos periculoſa micante in ſpectacula ludosque maiorum. MS. *Parcen.* Et ſcalpſi aures meas falſis fabellis quo prurirent ardentius, ea curioſitate magis magiſque per oculos emicante in ſpectaculo ludisque maiorum.

PAG. 31. *col.* 1. *b. Cap.* 11. vt cito ſanarer & id ageretur. MS. 2. & cito ſanarer & id ageretur.

Ibidem, d. Cap. 13. vt legam ſi quid ſcriptum. MS. vt & legam ſi quid ſcriptum inuenio.

Ibid. col. 2. *c. Cap.* 14. & dulciſſime vanus eſt, mihi tamen. MS. *Beth.* & dulciſſime vanus eſt, & mihi tamen.

Ibidem, videlicet difficultas omnino. MS. *omnia*, videlicet difficulter. difficultas omnino.

Ibid. d. Sed illius fluxum reſtringis legibus. MS. 3. ſed illius fluxũ hæc reſtringit legibus, *&c.*

PAG. 32. *col.* 1. *a. Cap.* 15. Sed & in rebus nõ vanis, &c. MS. 2. Sed & quæ in rebus non vanis, *&c.*

Ibid. Cap. 16. tonantem Iouem & adulterantem. MS. *omnia*, & tonantem Iouem & adulterantem.

Ibid. b. humana ad eos. MS. 2. humana ad deos.

Ibid. ne flagitia flagitia putarentur. *Manuſcr. omnia*, ne flagitia putarentur.

Ibidem, ſuper mercedem ſalaria. MS ſupra mercedem ſalaria.

Ibid. col. 2. *a. Cap.* 17. laudi tuæ Domine. *Manuſcr.* laudes tuæ Domine.

Ibidem, c. Cap. 19. non facientibus inuiderem. MS. non faciẽtibus hæc inuidere.

PAG. 33. *col.* 1. *a. Cap.* 20. Eram enim, & iam tunc videbam *&c.* MS. 3. Eram enim & iam tunc, & viuebam, videbam, *&c.*

LIBRO SECVNDO CONFESSIONVM.

PAG. 33. *col.* 1. *b. Cap.* 1. & carnales corruptiones animæ meæ. *Manuſcr. Tornacenſe*, & carnales voluptates, corruptiones animæ meæ.

Ibidem, Non quod eas amem. MS. *Tornacenſe*, Nõ quo eas amem.

Ibidem, d. Cap. 2. in plurima & plura ſterilia. MS. *Parcenſ.* in plura ac plura.

Ibidem, imponere leuem manum. *Manuſcr. omnia*, lenẽ manum.

Ibidem col. 2. *b.* cum accepit in me ſceptrum. MS. *tria*, cum accepit in me luxuria ſceptrum.

Ibid. veſania libidinis licentioſæ. MS. *tria*, veſaniæ, *&c.*

Ibidem, Cap. 3. Cui narrabo hæc? *Manuſcr. omnia*, Cui narro hæc?

Ibid. c. ſi cor confidens. MS. ſi cor confitens.

Ibid. d. & creaturam tuam pro te amaui. MS. *omnia*, amauit.

Ibidem, in ima voluntatis ſuæ. MS. *Parc. & Beth.* voluptatis ſuæ.

Ibid. Et hæc recens erat. MS. 4. Et hoc recens erat.

PAG. 34. *col.* 1. *a.* iactantes flagitia ſua. MS. 4. iactitantes, *&c.*

Ibid. libebat malum facere. MS. 4. libebat facere.

Ibid. c. Cap. 4. nec penuria, ſed faſtidio iuſtitiæ. MS. 3. niſi penuria & faſtidio iuſtitiæ.

Ibid. d. turpis animæ & diſſiliens. MS. turpis anima & diſſiliens.

Ibid. non dedecore aliquid. MS. *Tornacenſ.* non decus aliquod, *Parcenſ. verò*, non de decore aliquid.

Ibid. col. 2. *b. Cap.* 5. coniugem aut prælium. *Manuſcr. omnia*, prædium.

Ibid. c. Cap. 6. ſolam iniquitatem qua lætabar fruens. MS. 4. ſola iniquitate qua lætabar fruens.

Ibid. & vegetante vita. MS. 2. & vegetante anima.

PAG. 35. *col.* 1. *b. Cap.* 7. non metuit inde. Diligã te, *&c.* MS. *Parc.* non metuit. Inde diligam te, &c.

Ibid. c. Cap. 8. quæ non recolens. MS. *omnia*, quæ nunc recolens.

Ibid. d. nec cõfricatione conſociorum animorum accenderẽ pruritum cupiditatis me. MS. *omnia habent*, conſciorum. 2. MS. cõfricationem. *Manuſcr.* 3. Pruritu, *vt videatur legendum*, nec confricationem conſciorum animorum accenderem pruritu cupiditatis meæ.

CONFESSIONVM LIBRO TERTIO.

PAG. 35. *col.* 2. *b. Cap.* 1. & amare amabam. MS. *omnia*, & amari amabam.

Ibid. c. amans amare. MS. 3. amans amari.

Ibid. viam ſine decipulis. MS. *omnia*, viam ſine muſcipulis.

Ibid. d. Cap. 2. Quid enim eſt. MS. *omnia*, Quid eſt.

Ibid. Et auctori earum imaginum. MS. *Gembla.* Et actori earum imaginum.

PAG.

PAG. 36. *col.* 1. *a. Ibid.* Ergo amantur & dolores? MS. *omnia*, lachrimæ ergo amantur & dolores?

Ibidem. in quo ipſa mutatur per neutrum proprium. MS. *omnia*, in quos ipſa mutatur per nutum proprium.

Ibidem, *b.* ſed non in ea delectatur cor. MS. *Parcenſ.* ſed non in ea delectat dolor.

Ibidem. longè lateque purius. *Manuſcr.* 4. longè alteque purius.

Ibidem, quo nullo dolore ſauciaris. MS. 4. quòd nullo dolore ſauciaris.

Ibid. c. qualia ſpectarem. MS. 3. qualia ſpectare.

Ibid. Cap. 3. VT deſerentem te, deduceret me ad ima infida. MS. *Gẽblacenſ.* VT deſerente te, deduceret me ad infima.

Ibid. d. ſed mihi ad culpam meam. *Manuſcr.* ſed nihil ad culpam meam.

Ibidem, *col.* 2. *a.* quam perturbabant gratis. MS. 4. quam perturbarent gratis.

Ibidem, *d. Cap* 5. inclinare ceruicem ad eius greſſus. MS. *Parcenſ.* ad eius ingreſſus.

PAG. 37. *col.* 1. *a. Cap.* 6. Hæc enim omnia. *Manuſcr.* 2. Hæc enim nomina.

Ibidem, & multi eam dicebant mihi. MS. 2. & multum eam dicebant mihi.

Ibid. c. nec in ſummis tuis conditionibus habes. MS. 2. nec in ſummis tuis conditionibus abes.

Ibidem, Peregrinabar ab te. *Manuſcr.* 3. Et longè peregrinabar abs te.

Ibid. col. 2. *a. Cap.* 7. nec cui eſſe moles eſſet. MS. 3. nec cui moles eſſet.

Ibid. certo ſpatio definito. MS. 4. certo ſpatio definita.

Ibid. d. omnia quæ præcepit. *Manuſcr.* 2. omnia quæ præcepit Deus.

PAG. 38. *col.* 1. *d. Cap.* 8. prout quiſque delectauerit. MS. 2. prout quidque delectauerit.

Ibidem, *col.* 2. *a. Cap.* 9. & incertum eſt an libidine nocendi. MS. *Tornacenſ.* & incertum eſt an libidine vlciſcendi. *in pumtione enim dubium an nocumentum inferatur corrigendi ſtudio, an vlciſcendi.*

CONFESSIONVM LIBRO QVARTO.

PAG. 39. *col.* 1. *c. Cap.* 1. & contentioſa certamina. MS. 3. & contentioſa carmina.

Ibidem, *col.* 2. *b. Cap.* 2. non ex tua charitate repudiaui. MS. 4. non ex tua caſtitate.

Ibid. Cap. 3. Ideóque planetarios illos. MS. 2. Planos. 2. Phanos, *quorum illud*, πλάνῳ Græcè ἀπὸ τῦ πλανᾶεν, *ſeductorem, & impoſtorem ſignificat: hoc verò* φάνῳ, *eum interdum qui aliquid nunciat. Rectius videtur legendum*, Ideóque planos illos, *&c.*

Ibid. c. qui pro conſule manu ſua coronam illam agoniſtam impoſuerat. MS. 2. qui proconſul è manu ſua coronam illam agoniſticam impoſuerat.

PAG. 40. *col.* 1. *b. Cap.* 4. cocta fauore parilium ſtudiorum. MS. 3. coacta feruore parilium ſtudiorum.

Ibidem, *col.* 2. *c. Cap.* 6. ecce intus vidi. *Manuſcr.* 4. ecce intus vide.

Ibid. talium affectionum infectione. MS. 4. à talium affectionum immunditia.

PAG. 41. *col.* 1. *d. Cap.* 10. Nam quaquauerſum ſe vertit. MS. 2. Nam quoquouerſum &c.

Ibidem, *col.* 2. *a.* Ecce ſic peragitur & ſermo. MS. *omnia*, Ecce ſic peragitur vt ſermo.

Ibidem. ſed non infigatur in eius glutino, *&c.* MS. 4. ſed non infigatur in eis glutino.

Ibid. & requieſcere in eis quæ amat. MS. 4. & requieſcere amat in eis quæ amat.

Ibidem, *b. Cap.* 11. non eſſe vana. MS. *omnia*, noli eſſe vana.

Ibid. non te deponent quò deſcendunt. MS. 2. quò diſcedunt.

Ibidem, *d. Cap.* 12. & rape ad eam. *Manuſcr. omnia*, & rape ad eum.

PAG. 42. *col.* 1. *b. Cap.* 13. non amamus aliquid niſi pulchrum? MS. *omnia*, num amamus, *&c.*

Ibid. c. Cap. 14. vt ad Hierium Romanum. MS. 2. vt ad Icherium Romanum.

Ibid. poſtea in Latina etiam doctor. MS. 2. poſtea in Latina etiam dictator. *vt ſignificet illum ſcriptorem egregium fuiſſe.*

Ibidem, *d.* ſed tamen non ſicut auriga ille nobilis. *Manuſcr. 4. non legunt*, ille.

Ibid. col. 2. *b.* ob os contemplationis meæ. MS. 3. modos contemplationis meæ.

PAG. 43. *col.* 1. *a. Cap.* 15. & penè errare confitebar. MS. & pœna errare confitebar.

Ibid. c. Cap. 16. etſi minus pulchrum. MS. 4. etſi minus magnum & minus pulchrum.

Ibid. d. quia & celeritas intelligendi & diſputandi acumem. MS. *Beth.* diſcutiendi. MS. 2. diſpiciendi.

Ibidem, *col.* 2. *a.* in meretricias cupiditates. MS. 2. in meretrices cupiditatis meæ. *Parcenſ.* 1. in meretrices cupiditates.

Ibidem, *b.* quoniam firmitas noſtra quando tu es. MS. 2. quoniam infirmitas noſtra quando tu es.

CONFESSIONVM LIBRO QVINTO.

PAG. 43. *col.* 2. *c.* CAP. 1. nec ſpiritus omnis per os ad te conuerſum. MS. *Tornacenſ.* nec ſpiritus omnis hominis, *&c.*

PAG. 44. *col.* 1. *d. Cap.* 3. & verum creaturæ artificem. MS. 4. & veritatem, *&c.*

Ibid. col. 2. *a.* nec defectuum luminarium. *Manuſcr.* 4. nec defectuum lunarium.

Ibid. Cap. 4. ipſe placet tibi MS. 4. iam placet tibi.

Ibid. b. neque creatorem eius nouit aut didicit. MS. 4. *legunt*, aut diligit.

Ibid. d. Cap. 5. *c.* Chriſtianum aliquem fratrem illum vel illũ. MS. 2. Chriſtianorum aliquem fratrum illum vel illum.

Ibidem, quibus illa ſuadere. *Manuſcr. omnia*, quibus illa ſuaderet.

PAG. 46. *col.* 2. *a. Cap.* 9. & faciebas ordine quo, &c. MS. 4. & exaudiebas & faciebas ordine quo.

Ibid. quæ iam commemoraui, & quæ non memoraui. MS. 3. & quæ iam commemoraui & quæ non commemoraui.

Ibid. c. Cap. 10. B. te à me. MS. 2. te in me.

Ibidem, quam ad te ad ſalutem velle ſuperari. MS. *omnia*, quam me à te, *&c.*

Ibidem, *d.* plures enim eos Roma occultat. *Manuſcr. Gemblacenſ.* occultabat.

PAG. 47. *col.* 1. *a.* per terram repentem imaginantur. MS. 2. tetram repente imaginantur.

Ibid. currere in catholicam fidem. MS. 4. recurrere, *&c.*

Ibid. b. per loci ſpatia diffunderetur abs te. *Manuſcr.* 4. *non habent illud*, abs te.

Ibid. d. Cap. 12. ſed ſubitò inquiunt MS. *Gemblacenſ. non habet*, inquiunt.

Ibidem, *col.* 2. *c. Cap.* 14. mihi quippe iam deſperanti. MS. 4. ea mihi quippe iam deſperanti.

Ibid. d. poterat habere doctos aſſertores ſuos. MS. *Tornacenſ.* doctores aſſertoréſque ſuos.

Ibid. Academicorum more, ſicut exiſtimant. MS. 3. ſicut exiſtimantur.

PAG. 48. *col.* 1. *a.* à parentibus commendata. *Manuſcr.* 4. mihi à parentibus commendata.

CONFESSIONVM LIBRO SEXTO.

PAG. 48. *col.* 1. *a. Cap.* 1. An verò non tu feceras & diſcreueras me, *&c. Manuſcr. Beth.* An verò tu feceras me & non diſcreueras me. *&c.*

Ibidem, *b.* Et inuenit periclitantem. *Manuſcr.* 4. Et inuenit me periclitantem.

Ibid. ſed reſuſcitatum tibi flebat. MS. 4. ſed reſuſcitandum, *&c.*

Ibid. c. per quem tranſiturum me. *Manuſcr.* 4. per quam tranſiturum me.

Ibid. d. Cap. 2. pro ſuo palato pluſquã ſobriè. MS. 4. pro ſuo palato pluſquam ſobrio.

Ibid. col. 2. *a.* & quia illa quaſi parentalia, *Manuſcr.* 3. parentilia, *habent.*

Ibid. & ſi communicatio Dominici corporis. MS. *Gemblacenſ.* & ſic, *&c.*

Ibid. matrem meam non fuiſſe ceſſuram. MS. 2. matrem meã non fuiſſe ceſſaturam.

Ibidem, *b. Cap.* 3. inquietus erat animus. MS. *omnia*, inquietus erat animus meus.

Ibid. c. quod reparandæ menti ſuæ nanciſcebatur, feriatũ ab ſtrepitu cauſarum. MS. 3. feriatus, *legunt.*

Ibid. d aut

Ibidem, *d.* aut de aliquibus difficilioribus disceptare. *Manuscr.* 2. dissertare.
Ibid. cui effunderentur. MS. 4. cui refunderentur.
Ibid. aduersus diuinos libros innectebant. MS. 2. aduersus diuinos libros inuectabant.
PAG. 49. *col.* 1. *a. b. Cap.* 4. quo credēdum esset. MS. *Parcens.* quomodo mihi credendum esset. MS. *Gemblacens.* quasi ita credendum esset.
Ibid. col. 2. *b. Cap.* 5. aut administrationem rerum humanarum ad te minime pertinere. MS. 2. *non legunt*, minimè.
Ibidem, *d. Cap.* 6. die illo cum quo &. *Manuscr.* 4. die illo quo cum &.
PAG. 50. *col.* 1. *b.* inde quot diebus. *Manuscr.* 4. vide quot diebus.
Ibid. d. Cap. 7. Sed eum de memoria. *Manuscr.* 4. Sic eum de memoria.
Ibidem, ludorum cæco & præcipiti studio. MS. 2. ludorum cæcio, *&c.*
Ibid. col. 2. *b.* cum miserabili voluptate cœcabatur. MS. 2. mira, & 2. mirabili.
Ibid. Cessit ille atque consensit. MS. 4. Cessit ille atque concessit.
Ibid. Cap. 8. Romam processerat. MS. 4. præcesserat.
Ibidem, gladiatorij spectaculi inhiatu. MS. 4. hiatu.
Ibid. cum forte de prandio redeuntibus obuius esset. MS. 4. cum forte de prandio redeuntibus peruium esset.
Ibid. d. immanitatem simul ebibit. MS. *Gemb.* immanitate simul ebibit. *vt possit suppleri*, sanguinem.
PAG. 51. *col.* 1. *c. Cap.* 9. facile posset totum iudicare. MS. 2. cum facile posset, totum iudicaret.
Ibidem, *d. Cap.* 10. Et ibi iam assederat. MS. Et inter hæc iam, &c.
Ibid. Comiti largitionum Italicanarum. MS. 3. Italicarum.
Ibidem col. 2. *c. Cap.* 11. Et ecce iam tricenariam gerebam. MS. 4. Et ecce iam tricenariam ætatem gerebam.
Ibidem, *d.* Ante meridianas horas discipuli occupant. MS. 4. Ante meridianis horis discipuli occupant, *vt suppleatur*, me.
PAG. 52. *col.* 1. *b. Cap.* 12. Causans nullo modo nos posse. MS. 4. cantans nullo, &c.
Ibid. sicut iam diu desideraremus. MS. 4. desideraueramus.
Ibid. d si quod est coniugale decus. *Manuscr.* 2. sicut est coniugale decus.
Ibid. col. 2. *c. Cap.* 14. anni tanquam magistratus. *Manuscr.* 4. annui. &c.
Ibid. Sed posteaquam cœpit cogitare. MS. 2. cogitari.
Ibidem. atque confractum est. MS. 4. atque confractum & abiectum est.
PAG. 53. *col.* 1. *a. Cap.* 16. ereptura me de cœno & ablutura. MS. *Gemblacens.* ereptura me de cœno & ablatura.

CONFESSIONVM LIBRO SEPTIMO.

PAG. 53. *col.* 2. *a. Cap.* 1. Ita etiam te vita vitæ meæ. MS. *Tornacens.* Ita enim te, *&c.*
Ibid. b. Cap. 2. ob hoc mutos. MS. *omnia, non habent illud.*
Ibid. c. emouendos à pressura pectoris mei. *Manuscr.* 4. euomendos, *&c.*
Ibidem, *d. Cap.* 3. sic eam quærendam videbam. MS. *Tornacens.* sic eam quærendam putabam.
PAG. 54. *col.* 1. *a.* vt cernerem quod audieram. MS. 4. vt cernerem quod audiebam.
Ibidem. iamque animaduertebam. *Manuscr.* iam iamque animaduertebam.
Ibidem, *b. Cap.* 4. sicut etiam præponebam. MS. 4. sicut iam præponebam.
Ibid. d. Cap. 5. & animalia mortalia. MS. 3. & alia mortalia.
Ibid. distinctam generibus corporum creaturam tuam, siue quæ vera corpora, *&c.* MS. *Parcēse*, distinctam generibus corporum creaturarum tuarum siue quæ reuera corpora, *&c.*
Ibid. col. 2. *c.* & præter doctrinæ normam fluctuans. *Manuscr.* 3. fluitans.
Ibid. Cap. 6. Iam etiam Mathematicorum. MS. *Parcens.* Iam enim &c. *nam est ratio superioris, siue ἀπολογία.*
Ibid. quia mundus administratur. MS. 4. qua mundus, *&c.*
Ibid. Vindiciano acuto seni. MS. 4. Vendiciano acuto seni.
Ibid. d. quod tantum valere ad illius. *&c. Manuscr.* 4. quod quantum valeret.
PAG. 55. *col.* 1. *a.* quod cum eundem Firminum prægnans mater esset. MS. *Tornacens.* quod cum de eodem Firmino prægnãs mater esset.
Ibid. b. omnis illa conluctatio mea. MS. 4. reluctatio.
Ibid. c. hinc autem accepto auditu. *Manuscr.* 3. hinc autem accepto aditu.
Ibid. d. vt dum quisque consuluit hoc audiat. MS. 4. consulit.
Ibid. col. 2. *c. Cap.* 8. Et residebat tumor. MS. 2. Et sic residebat timor.
PAG. 56. *col.* 1. *a.* in similitudine hominum factus. MS. 4. in similitudinem.
Ibid. b. sed pro omnibus tradidisti eum. MS. 4. sed pro nobis omnibus, *&c.*
Ibid. col. 2. *a. Cap.* 10. quia ipse fecit me. *Manuscr.* 4. quia ipsa fecit me.
Ibid. b. Cap. 12. Et manifestatum est mihi, quoniam bona sunt quę corrumpuntur. MS. Et manifestum est mihi quoniam summa bona non sunt quæ.
Ibidem, quæ neque corrumpi possent si summa bona essent, neq; nisi bona essent, corrumpi possent. MS. 2. quæ neque si summa bona essent, neque nisi bona essent, corrumpi possent.
Ibid. d. Cap. 13. sed & vniuersæ creaturæ tuæ. MS. 2. sed nec vniuersæ, *&c.*
PAG. 57. *col.* 1. *c. Cap.* 16. detortam in infimam volũtatis peruersitatem. MS. 3. detortæ in infima voluntatis peruersitatem.
Ibid. & non instabam frui Deo meo. MS. 4. & non stabam. *&c.*
Ibid. col. 2. *a. Cap.* 17. mutabili certa præponeret. MS. 4. mutabili certo præponeret.
Ibidem, quod est in ictu trepidantis aspectus. *Manuscr. Parcens.* quod non est, *&c.*
PAG. 58. *col.* 1. *a. Cap.* 20. quod per tenebras amne, *&c.* MS. 4. quid per tenebras. *&c.*
Ibid. te infinitum esse. MS. 4. te & infinitum esse.
Ibid. c. Cap. 21. quicquid illac verum legeram, hac cum commendatione. MS. 3. quicquid in illa verum legeram ac cum cõmendatione.

CONFESSIONVM LIBRO OCTAVO.

PAG. 58. *col.* 2. *b. Cap.* 1. perfundãtur ossa mea delectatione tua. MS 4 dilectione tua.
PAG. 59. *col.* 1. *c. Cap.* 2. Populusque etiam omnigenũ deum monstra. MS. 4. Populi vsiam & omnigenum deum monstra.
Ibid. col. 2. *a.* seruo autem tuo Dominus Deus erat spes eius. MS. 2. seruo autem suo, *&c.*
Ibid. b. citò siluerunt. MS. 3. & cito siluerunt.
PAG. 60. *col.* 1. *a. Cap.* 3. Ibique maius gaudium molestia maior præcedit. MS. 4. Ibique maius gaudium molestia maiori præceditur.
Ibidem, *b. Cap.* 4. quia feruere faciunt & inflammãtur. MS. 4. quia feruefaciunt, *&c.*
Ibid. c. ob tam magnæ insigne victoriæ. *Manuscr.* 4. ob tam magnum, *&c.*
Ibid. Quanto igitur gratius cogitabatur pectus. MS. 4. Quãto igitur gratius cogebatur pectus. vt sic pectus cogi sic trahi per gratiam dicatur.
Ibid. col. 2. *a. Cap.* 5. Sic intelligebam meo ipso experimento. MS. 2. Sic intelligebam in me ipso experimento.
Ibid. b. melius tuæ charitati me dedere. MS. 2. melius tuæ charitati me reddere.
Ibid. c. Cap. 6. quo arctissimè tenebar. MS. 4. quo arctissimo tenebar.
Ibid. sub quorum pondere gemebam. MS. 4. sub quorum pondere degebam.
Ibid. d. ociosus ab opere iurisperitorum post assessionem tertiam. MS. 3. post ascensionem tertiam.
PAG. 61. *col.* 1. *a.* venit & ad me & Alipium Potitianus. MS. 2. Pontianus, *& alia* MS. 2. Põtianus. *sic etiam in fine cap. & in principio sequentis.*
Ibid. c. iratus ita sibi coniecit oculos. MS. 4. *non habent*, ita.
Ibid. amicus autem Dei si voluero, ecce nunc fio. MS. 2. amicus autem Dei si voluero esse, nunc fio.
Ibid. Dixit hoc, & turgidus parturitione. MS. 4. Dixit hoc, & turbidus, &c.
Ibidem d. relinquendi omnia & sequendi te. MS. 4. relinquendi omnia sua, *&c.*

Ibid. col. 2. *a.*

Ibid. col. 2.a.b.Cap.7. sed dissimu'abam & conniuebam & cohibebam. MS.4. sed dissimulabam & conuiuebam & obliuiscebar.

Ibid.b. quod se totos sibi sanandos dederant. MS. 4. quod se totos tibi,*&c.*

Ibid.c. sed quasi præponens eam certis. MS.4. cæteris. *legunt.*

Ibidem, qui neque ita inquirendo attriti sunt. *legunt* MS.4. *pro,* qui neque in quærendo ita attriti sunt.

Ibidem d.Cap. 8. Quid est hoc quod audisti? MS.4. quid est hoc? quid audisti?

PAG. 62. *col.* 1. *b.* quia mox vt vellem vtique vellem. MS. *Gemblacens.* quia mox vt vellem vtique possem.

Ibidem,c. ad voluntatem suam magnam in sola voluntate. MS. 4. ad voluptatem suam magnam in sua voluntate.

Ibidem.Cap.9. Imperat animus vt velit animus nec alter est. MS.4. Imperat animus vt velit & animus est.

Ibidem,d.Cap. 10. boni erunt si vera senserint. MS. *Parcens.* si bona senserint.

Ibidem,col. 2.*b.* vna bona hac ad conuenticulum ducit, altera mala illac ad theatrum reducit. MS. 3. vna bona hac ducit, altera mala illac reducit.

PAG. 63. *col.* 1.*b. Cap.* 11. & succutiebant vestem meam carneam submurmurabant. MS.4. & submurmurabant.

Ibid.c. qua intenderem faciem. MS. 4. qua intenderam.

Ibid. suscipiendum & amplectandum pias manus. MS. 4. suscipiendum & amplectendum.

Ibid. Proiice te in eum. MS. 2. proiice te securus in eum.

Ibidem col. 2.*a.Cap.* 12. in aliquo genere ludendi cantare. *Manusc.* 4. cantitare.

Ibidem,b. omnes dubitationes tenebræ diffugerunt. MS.4. omnis dubitationis.*&c.*

Ibid.c. Sed tali admonitione firmatus est. MS.4. Et tali.*&c.*

Ibid. miserabilibus eius flebilibúsque gemitibus. MS.2. miserabilibus fletibus & gemitibus.

CONFESSIONVM
LIBRO NONO.

PAG. 64. *col.* 1.*a.Cap.* 1. sed homini secreto interiori. MS.4. sed omni secreto interior.

Ibid.c.Cap. 2. ne in ima vergeremus. MS. *Beth.* mergeremur.

Ibid. sed de publica professione ante discedere. MS. 2. si de publica professione ante discederem.

Ibid. vt conuersa in factum meum ora hominum. MS. 3. vt non conuersa,*&c.*

Ibid. multa dicerent quod quasi appetissem. MS.4. multi dicerẽt, *&c. sed præcesit,* ora, *ideo reliquimus,* multa.

Ibid.d. Pœnè iam necessitate deponere cogebar. MS.4. pœnè iam necessitate deponere cogebat.

Ibid. col. 2.*c. Cap.* 3. quem potat ille. MS. 2. à quo potatur ille.

Ibid. de tali conuersatione nostra. *Manuscr.* 2. de tali conuersione nostra.

PAG. 65. *col.* 1.*b. Cap.* 4. Et tamen toto orbe cantatur. MS.4. cantantur.

Ibidem. vellem vt alicubi iuxta essent ignorãte me, vtrum audirẽt tunc & me nesciente. MS.4. vellem vt alicubi iuxta essent tũc, ignorante me, vtrum audirent & me nesciente.

Ibidem,d. qui adhuc diligunt vanitatem. *Manuscr.* 3. qui adhuc vsque,*&c.*

Ibidem, col. 2.*a.* quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. MS.4. quod illuminat omnem hominem.

Ibid. ibi enim, vbi mihi iratus. MS.4. ibi enim, ibi mihi iratus.

Ibid. ibi mihi dulcescere ceperas. MS. 3. vbi mihi,*&c.*

Ibid c. & cum tantum ingraueſceret. *Manuscr.* 4. & cum in tantum,*&c.*

PAG. 66. *col.* 1.*b. Cap.* 6. ex ea æstuabat inde affectus. MS. 3. ex ea æstuabat affectus.

Ibidem, col. 2.*a. Cap.* 8. vt in æternam lucem nascerer. MS. 4. renascerer.

PAG. 67. *col.* 1.*a.* fluxum sæculorum ordinans turbulẽtum. MS. *Tornacens.* fluxum sæculorum. Ordinate turbulenta.

Ibidem,c. Cap. 9. memorabili inter se beneuolentiæ suauitate vixerint. MS.4. vixerunt.

Ibidem, d. nec exagitare nec excitare malè loquendo. MS. 4. nec excitare nec angere malè loquendo.

Ibid. col. 2.*c. Cap.* 10. attigimus eam modicè. MS. 4. attingimus,*&c.*

PAG. 68. *col.* 1.*a. Cap.* 11. Tum in ea rea vix intra quinque dies. MS.4. Cum interea.*&c.*

Ibidem,b. illa vultu anxio reuerberans eum oculis quod talia saperet. MS.2. *non habent,* oculis.

Ibid.c. illisque stupentibus virtutem. MS.4. illis stupentibus,*&c.*

Ibid. col. 2.*b. Cap.* 12. eoque fomento veritatis. MS. 2. eoque fermento,*&c.*

Ibid.d. Piam in te & sanctam, in nos blandam. MS. 3. Piam in te & sancte in nos blandam.

PAG. 69. *col.* 1.*a.* si est grandis charitate. MS.4. si est grandi charitate.

Ibid.c. Cap. 13. vt nos auferat ei. MS.4. vt nos offerat ei.

Ibid. col. 2.*a.* quam per orationes meas. MS. 2. per operationes meas.

CONFESSIONVM LIBRO DECIMO.

PAG. 69. *col.* 2.*b. Cap.* 1. quanto magis fletur. MS. 2. quãto magis fletur in eis.

Ibid.Cap. 2. quàm hoc tribuere mihi. MS.4. quàm hoc nõ tribuere mihi.

Ibidem, c. neque enim dico rectè aliquid. MS.4. neque enim dico recti,*&c.*

Ibidem, quod non â me tu prius. MS. *Gemblacens.* quod à me tu prius,*&c.*

Ibid. Cap. 3. quid agatur in homine. MS.4. quæ sunt in homine.

Ibid. d. quorum aures charitas aperit. MS. quorũ mihi aures,&c.

PAG. 70. *col.* 1.*a.* Deus meus qui cõfitentur. *Manuscr.* 4. cui confitetur.

Ibid. qua boni sunt non mentiri. MS. 2. qua boni sunt vel quia bonus sum non mentiri.

Ibid.b. Cap. 4. contristatur de me. MS. *omnia,* contristatur pro me.

Ibid.c. & consortium mortalitatis meæ. MS. *Beth. legit,* immortalitatis.

Ibid. col. 2.*a. Cap.* 6. non dubia sed certa conscientia. Domine amo te. MS.4. Non dubia sed certa conscientia Domine amo te. *vt cap.6. incipiat ab illo,* non dubia,*&c. non autem ab illo,* Dñe,&c.

Ibid.b. aromatorum suaueolentiam. MS.4. aromatum,*&c.*

Ibid.c. dicite mihi de Deo meo. MS. 2. dixistis mihi de Deo.

Ibid.d. sed eodem modo vtrique apparens. MS.4. vtrisque, *legunt.*

PAG. 71. *col.* 1.*b. Cap.* 8. & istam vim naturæ meæ gradibus. MS. 3. & ista naturæ meæ,*&c.*

Ibid. qui fecit me. MS.4. qui fecit mecum ea.

Ibidem, rebus sensus inuectarum. Ibi reconditum. MS. 2. rerũ sensibus inuentarum. Vbi reconditum.

Ibidem, col. 2.*b.* ad habendum seipsum angustus est. MS. 2. ad habitandum,*&c.*

Ibid. vt vbi sit quid sit non capiat. MS.4. *pro* sit, *habent* sui.

Ibid.c. Cap. 9. hinc sunt & illa. MS. *Tornacens.* hic sunt & illa.

Ibid.d. Cap. 10. percurro ianuas omnis carnis meæ. MS.4. percurro ianuas omnes,*&c.*

PAG. 72. *col.* 1.*a.* Vnde & qua hæc intrauerunt. MS.4. Vide vnde & qua hæc intrauerunt.

Ibid. col. 2.*a. Cap.* 14. dicimus, nõ fuit in animo. MS.4. dicimus, fuit in animo.

PAG. 73. *col.* 1.*b. Cap.* 16. non ipsam obliuionem cùm ea memini. MS.4. cùm eam memini.

Ibid. col. 2.*c. Cap.* 19. donec illud absit vbi simul. MS.4. donec illud adsit.

PAG. 74. *col.* 1.*a. Cap.* 20. qui vna voce. MS.4. quia vna voce.

Ibidem,b. Cap. 21. Quamuis & hoc nomine. MS. 4. Quamuis enim hoc nomine.

Ibid.c. & delectati similiter hoc esse desiderant. MS.4. & delectati sunt & hoc esse desiderant.

Ibid. quanquam nisi in exteriori notitia. MS. 2. qua nisi in exteriori notitia.

Ibid. nam gaudium meum ita tristis. MS. 4. nam gaudium meum etiam tristis.

Ibid.d. vtrum beati esse velint, vterque. MS.4. vtrum beati esse velint, fieri possit vt vterque.

Ibidem, num fortè quoniam. MS.4. nam fortè quoniam.

Ibid. col. 2.*a. Cap.* 22. & non altera. MS.4. & non est altera.

Ibid.c. Cap. 23. & inimicus eius factus est. MS. 4. & inimicus eis factus est.

Ibidem. & quia falli nolent, nolunt,*&c.* MS.4. & quia falli nolunt, nolunt.

PAG. 75. *col.* 1.*a. Cap.* 25. quales habent & bestiæ. MS.4 quas habent & bestiæ.

Ibid.c.

Ibid.c. Cap. 28. Tollerari iubes eas. MS. 4. Tolerare iubes eas.
Ibid.col. 2. *a. Cap.* 30. quas ibi consuetudo mea fixit. MS. 4. quas sibi consuetudo mea finxit.
Ibid.d. Cap. 31. præsto est consolatione munerum, MS. 4. præsto est ex consolatione, *&c.*
PAG. 76. *col.* 1. *a.* qua transeatur quam quo transire. MS. *Gemblacens. non habet*, quam.
Ibid.b. & quicquid boni antequam oremus accipimus, à te accipimus. MS. 2. & quicquid boni antequã oraremus accepimus.
Ibid. d. vt nemo nos iudicet in cibo aut in potu. *lege*, & vt nemo.
Ibid. col. 2. *a. Cap.* 32. ita mihi videor forsitan. MS. 4. ita mihi videor, fortasse fallar.
Ibid.b. vt qui fieri potuit. MS. 4. vtrum qui fieri potuit.
Ibid.c. Cap. 33. pro suaui diuersitate habere proprios modos. MS. 4. pro sui diuersitate, *&c.*
PAG. 77. *col.* 1. *a. Cap.* 34. Ipsa enim regina colorũ lux. MS. 2. ipsa enim regina cælorum lux.
Ibid.d. inde trahunt approbandi modum, non autem inde trahũt vtendi modum. MS. 2. inde trahunt vtendi modum, non autem inde trahunt viuendi modum.
Ibid. nam & ego capio. MS. 4. nam & ego capior.
Ibid. col. 2. *a. Cap.* 35. Præter enim concupiscentiam. MS. 4. Præter eam enim concupiscentiam.
Ibid. Audi quid rutilet. MS. 2. audi quam rutilet.
Ibid.b. Et hoc autem euidentius. MS. 4. Ex hoc autem euidentius.
Ibid.c. ad solam experientiam desiderata. MS. *Gembl.* desideratam.
Ibid. fortassis ab aliqua. MS. 4. fortassis & ab aliqua.
PAG. 78. *col.* 1. *a.* vna spes mea magna valde. MS. 4. vna spes mea in magna valde.
Ibid. conceptaculum sit cor nostrum & portet. MS. 4. conceptaculum fit cor nostrum & portat.
Ibidem. dum ad aures tuas voce cordis intendimus. MS. 4. vocem.
Ibid. Cap. 36. nisi tota misericordia tua. MS. 2. nisi nota, *&c.*
Ibid.c. vt te peruersa & distorta via imitanti. MS. *Parcens.* imitati.
Ibid. prætende alas tuas & fugiamus super eas. MS. 4. & fugiamus sub eas.
Ibid. non defendetur ab hominibus iudicante te, nec eripietur damnante te. MS. 4. *legunt*, eripitur & defenditur.
Ibid.d. propter aliquod donum quod dedisti ei. MS. 4. propter aliquod bonum, *&c.*
Ibid. col. 2. *c.* minus mihi in hac re notus sum ipse quam tu. MS. 2. quam tibi.
PAG. 79. *col.* 1. *a. Cap.* 38. ideoq; non iam de ipso gloriæ contemptu. MS. 4. ideoq; non iam de ipso vanæ gloriæ contemptu.
Ibid. Cap. 39. sed non sua merita. MS. *Beth.* sed non secundum sua merita.
Ibid.b. & vulnera magis subinde à te sanari. *Manuscr.* 4. & vulnera mea, *&c.*
Ibidem, *Cap.* 40. iamque in memoriæ latis opibus. MS. 4. iamq; in memoria elatis opibus.
Ibid. nec ipse eras tu. MS. 4. nec ipsa eras tu.
Ibid.c. quod vita ista non erit. MS. *Beth.* scio quod vita ista nõ erit.
Ibid. Tantũ consuetudinis sarcina degrauat. MS. 4. *legũt*, digna est.
Ibid. col. 2. *a. Cap.* 42. exerentes potius quàm tundentes pectora. MS. *Beth.* quàm condentes pectora.
Ibid.c. Cap. 44. & mole peccatorum & miseriæ meæ. MS. 4. & mole miseriæ meæ.
Ibid.d. & laudant Dominum. MS. 4. & laudabunt Dominum.

CONFESSIONVM LIBRO VNDECIMO.

PAG. 80. *col.* 1. *b. Cap.* 2. enumerare ex ordine. MS. 4. enunciare ex ordine.
Ibid. & nolo in aliud diffluant horæ. MS. 4. defluant.
Ibid.d. vox tua super affluentiam voluptatũ. MS. 2. superfluẽtium voluptatum.
Ibid. col. 2. *a.* aspice & vide & approba. MS. 4. aspice & approba.
Ibid. in adoptionem populum credentium. MS. 2. in adoptionem populum tuum credentium.
Ibid.d. Cap. 5. & vnde hoc valeret. MS. *Beth.* valet.
PAG. 81. *col.* 1. *c. Cap.* 7. simul & sempiternè. MS. 4. simul & sempiterno.
Ibid. col. 2. *a. Cap.* 9. In hoc principio Deus fecit cælum. MS. 4. In hoc principio Deus fecisti cælum.
Ibid.c. Cap. 11. vt esse creatura: cur non sempiterna creatura? MS. 4. vt esset creatura, cur non sempiterna & creatura?
Ibid. & figet illud vt paululum stet. MS. 4. & affiget illud vt paululum stet.

PAG. 82. *col.* 1. *a. Cap.* 13. euigilet atque attendat. MS. *Tornacens.* intendat.
Ibid.c. cum dixisti; Ego hodie. MS. 4. cui dixisti, *&c.*
Ibid. Cap. 14. at illa si semper manerẽt. MS. 4. at illa si permaneret.
Ibid. col. 2. *b. Cap.* 15. vtrum qui agitur annus. MS. 4. vtrum qui agitur vnus.
PAG. 83. *col.* 1. *a. Cap.* 17. cum ex futuro fit præsens. MS. 2. quod modo ex futuro fit præsens.
Ibid.b. Cap. 18. scio tamen vbicunque sunt. MS. 4. vbicunque sint.
Ibid.c. iam existentes præsententur imagines. MS. 2. iam existẽtes præsentiantur imagines.
Ibidem, sed præsens erit. MS. 4. sed præsens est.
Ibid. arcana præsentia futurorum. MS. 3. arcana præsentio, *&c.*
Ibid.d. qua duo præsentia cernuntur. MS. 4. quæ duo, *&c.*
Ibid. col. 2. *b. Cap.* 21. metitur ergo cùm præterit, cùm autem præterierit non metitur. MS. 4. *vtrobique habent*, metimur.
Ibid.c. Cap. 22. ad hanc inhio vt contẽpler. MS. 4. ad hãc viuo. *&c.*
Ibid.d. ad illam simplam breuem. MS. 4. ad illam syllabã breuem.
Ibid. Cap. 23. ipsa sint tempora & non annui. MS. ipsa sunt tempora & non anni.
Ibidem. aut non essent in verbis nostris. MS. 4. aut essent in verbis nostris.
PAG. 84. *col.* 1. *a.* sed etiam totius eius circuitus. MS. 4. sed etiã totus eius circuitus.
Ibid.b. si vtrunq; motus & mora nec ille. MS. 4. si vtrumq; nec ille.
Ibid. col. 2. 1. *c. Cap.* 27. & ecce desinit, iamq; silentium. MS. 4. & ecce desinit sonare, iamque silentium.
PAG. 95. *col.* 1. *b.* In te inquam tempora metior, affectionẽ. MS. 4. In te inquam affectionem.
Ibid. col. 2. *a. Cap.* 28. atque in singulis syllabis eius. MS. 2. & quod in singulis particulis eius.
Ibid.b. Cap. 29. & à veteribus diebus colligat. MS. 4. colligatur.

CONFESSIONVM LIBRO DVODECIMO.

PAG. 86. *col.* 1. *a. Ca.* 1. & quærẽs inueniet. MS. & quærẽs inuenit.
Ibid.b. Cap. 2. terráq; quam calco. MS. 4. terrámque quam calco.
Ibid.c. Cap. 4. pro suo gradu infirmo. MS. 4. infimo.
Ibid. col. 2. *a. Cap.* 6. eundémq; transitum de forma in formam per informe quiddam. MS. eumq; transitum de forma in formam per informe quoddam.
Ibid.b. nihil aliquid est, & non est. MS. 2. nihil aliquid est & est non est.
Ibid. Cap. 7. sed ipsum & idipsum & idipsum. MS. 4. sed ipsum & ipsum & idipsum.
PAG. 87. *col.* 1. *a. Cap.* 8. quia inuisibilis erat & incõposita. MS. 3. quia inuisibilis erat materies & incomposita.
Ibid. in qua sentiri & dinumerari possunt. MS. 2. in quo, *&c.*
Ibid. Cap. 9. tacet de temporalibus, silet de diebus. MS. 4. tacet de temporibus. *&c.*
Ibid. ista verò infirmitas terræ inuisibilis. MS. 4. ista verò infirmitas terræ inuisibilis.
Ibid.b. Cap. 10. etiam tenebræ meæ loquantur mihi. MS. 4. non tenebræ meæ loquantur mihi.
Ibid. propter tumultus impacatorum. MS. 4. peccatorum.
Ibid. & tunc viuam. MS. 4. & hinc viuam.
Ibid.d. Cap. 11. cuius peregrinatio longinqua facta est. MS. 4. quantum peregrinatione longinqua facta est.
Ibid. col. 2. *a.* si sola remaneat infirmitas. MS. 4. informitas.
Ibid.c. Cap. 13. in manifestatione facie ad faciem. MS. 4. in manifestata facie ad faciem.
PAG. 88. *col.* 1. *b. Cap.* 15. non aliqua noua voluntate. MS. 4. non aliqua tali noua voluntate.
PAG. 89. *col.* 1. *b. Cap.* 17. si quis alius velit. MS. si quis aliud velit.
Ibid.c. Cap. 18. & noui magister noster. MS. & nouit, *&c.*
Ibid. col. 2. *b. Cap.* 21. id est corporabile illud quod fecit Deus. MS. 4. id est incorporale, *&c.*
Ibid.d. Cap. 22. si non vultis informitatem. MS. 4. si non vultis hãc informitatem materiæ.
Ibid. & id quod sequitur. MS. 4. vt id quod sequitur.
PAG. 90. *col.* 1. *a.* non tamen intelligimus. MS. 4. non tamẽ intelligamus.
Ibid.c. intelligamus ex Deo factã esse. MS. 4. intelligamus à Deo.
Ibid. Cap. 23. & electer cum eis in te. MS. 4. & delecter, *&c.*
Ibid.d. Cap. 24. qui noui tibi sacrificium. *Manuscr.* 4. qui voui tibi. *&c.*
Ibid. col. 2. *a.* æquo animo ferri. MS. 4. æquo animo ferre.
Ibid.b. Cap. 25. Nunc verò dicit. MS. 4. Cùm verò dicit.

PAG.91.*col.*1.*b.Cap.*27.qui per multa locorum ab eodem fonte. MS.*Beth.*qui per multa locorum ſpatia.&c.

*Ibid.c.*ſtatim exiſtere quod iuſſum eſt. MS.4.ſtatum exiſteret.&c.

*Ibid.*quaſi vtilitatem dictorum aſpernatus extra nutritorias curas. MS. 4. quaſi vilitatem dictorum aſpernatus extra nutritorias cunas,&c.

*Ibid.d.Cap.*28.ſed de nihilo diſſimilitudinem. MS.*Beth.*ſed de nihilo ſimilitudinem.

*Ibid.col.*2.*a.* per tempora & loca pulchras narrationes. MS. *Beth.* per tempora & loca pulchras variationes.

*Ibid.*quantulum hic valent.MS.4.quantulum hinc valent.

Ibid. & reſpicit ſapientiam principium.*Manuſcr.Tornac.*& meminit,*&c.*

*Ibid.col.*2.*d.Cap.*29.non perficiendi potentia prior.MS.4.non per faciendi potentiam.

*Ibid.*cantus eſt non ſonus. MS.4.non tantum ſonus.

PAG.92.*col.*1.*c. Cap.* 13. vt quid veri quiſque de his rebus capere poſſet mea verba reſonarent, quum vt vnam veram ſententiam. *&c.* MS.4. vt quod veri quiſque de his rebus capere poſſet,mea verba reſonarent,quam.*&c.*

*Ibid.d.Cap.*32.vbi multa occurrere potuerunt. MS. 4. vbi multa occurrere poterunt.

LIBER XIII.

PAG.92.*col.*2.*c. Cap.*2.euntia in immoderationem. MS.4. euntia in moderationem.

PAG.92.*col.*1.*b.Cap.*5.æqua tibi & coæterna.MS.4.æqualis tibi,*&c.*

*Ibid.c.col.*2.*b.Cap.*8.redde mihi te,en amo. MS. 4. redde mihi, te enim amo.

*Ibid.*donec abſcondatur in abſcondito. MS.4. donec abſcondar.

*Ibid.c. Cap.*9. in dono tuo requieſcimus: ibi te fruimur. MS. 4. in domo tua requieſcemus,ibi te fruemur.

*Ibidem,d.Cap.*10.cauſa qua dictum eſt vt aliter eſſet. MS.4.cauſa qua factum eſt vt aliter eſſet.

PAG.94.*col.*1.*a.* quaſi ego illuminem illum hominem. MS.4. quaſi ego illuminem vel vllum hominem.

*Ibid.b.Cap.*11.aut terna ſingulorum ſint.MS.4.vt terna.*&c.*

Ibid. quo eſt & ſibi notum eſt.MS.4.quod eſt,*&c.*

*Ibid.c.*appropinquabit enim regnum.MS.4.appropinquauit,*&c.*

Ibid. fiat lux,& facta eſt lux. MS.4.fiat lux.

*Ibid.Cap.*13,ſed iam non in voce.MS.4. ſed in voce.

*Ibid.col.*2.*a.Cap.*14. Deus meus vbi es? MS.4.Deus meus vbi es? ecce vbi es?

*Ibid.b.*incerto humanæ notitiæ. MS. 4. incerto humanæ vitæ noſtræ.

*Ibid.c.Cap.*15.in ſcriptura tua diuina. MS.4.de ſcriptura tua,*&c.*

*Ibid.d.*da mihi hæc ſubter poſito. *Manuſcr.*4. da mihi hoc ſubter poſito.

*Ibid.*ſunt aliæ aquæ quæ ſuper. MS.4.ſunt aliæ aquæ ſuper.

PAG.95.*col.*1.*a.*nec plicabitur liber eorum.*Manuſcr.*2.nec plicatur,*&c.*

*Ibid.*quos firmaſti ſuper infirmitatem. MS.4.quod firmaſti,*&c.*

*Ibid.*vbi ſuſciperent & cognoſcerent.MS.2. vbi ſuſpicerent,*&c.*

*Ibid.*temporaliter enuntiantem te. *Manuſcr.*4.temporaliter enuntiante te.

*Ibid.b.*currimus poſt odorem.MS.4.cucurrimus,*&c.*

*Ibidem,Cap.*16.& ſcientia tua eſt & vult incommutabiliter.MS.4. *illud non habent.*

*Ibid.c.Cap.*17.niſi tu qui dediſti.MS.4.niſi tu qui dixiſti.

*Ibid.*quouſque progredi ſinantur,atque.MS.4.quouſque progredi ſinantur aquæ.

*Ibid.col.2.b.Cap.*18.das vota optanti.MS,4.das vitam optanti.

*Ibid.*qui non deficient,horreũ præparas.MS.4.qui non deficiunt, ortum præparas.

PAG.96.*col.*1.*a.Cap.*19.ſed non deſpectorum.MS.4.ſed nõ deſperatorum.

*Ibid.b.Cap.*20. facta ſunt magna mirabilia. MS.4. facta ſunt magnalia mirabilia.

*Ibid.c.*vt in cognitione animi res vna.MS.*Parc.*vt in cogitatione animi reſidua.

*Ibid.d.*produxerũt hæc,ſed in verbo tuo neceſſitates alienatorum ab æternitate veritatis tuæ populorum.MS.*Parc.non habet.*

Ibidem. ſpiritaliter viueſceret anima. MS. 2. ſpiritaliter viuificaret omnia.

*Ibid.col.*2.*a.Cap.*21.immitte in eam verbum.MS.4. immitte in ea verbum.

Ibidem b.& benedicuntur ab eis.*Manuſcr.*4.& benedicunt eis.

Ibid. per miracula & ſacramenta. *Manuſcr.* 4. per myſteria & ſacramenta.

*Ibid.*vbi intenta ſit ignorantia.MS.*Tornac.*vbi attenta,*&c.*

*Ibid.c.*Si enim non tantum ad audiendum verbum ſed etiã.MS.4. Sic enim non tantum ad audiendum ſed etiam.

*Ibid.*motus enim animæ ſunt iſti. MS.2.iſta,*legunt.*

*Ibid.*motus ſunt animæ morituræ.MS.4.*legunt,* mortuæ.

PAG.97.*col.*1.*b.Cap.*22.& conſpiciẽs intellectu veritatẽ. MS.4. & conſpiciens intellectam veritatem.

Ibid.& facis eum iam capacem.MS.4. & doces,*&c.*

*Ibid.d.Cap.*23.tanquam ſpiritualis homo diiudicat.MS.3. *legunt,* quanquam.*&* *Tornac.*quenquam.*&c.*

*Ibidem, col.*2.*a.* ſiue in ea qua ille piſcis exhibetur. MS. *Tornacenſ.* excipitur.

*Ibid.b.Cap.*24.vt implerent aquas.MS.4.& implerent,*&c.*

PAG.98.*col.*1.*c.Cap.*25. Ergo vt verum loquar. Ecce. *&c.*MS. 3.ergo vt verum loquar de tuo loquar. Ecce,*&c.*

*Ibid.col.*2.*a.Cap.*26.Iſti autem diuturno tædio.*Manuſcr.*4.Iſti ergo,*&c.*

*Ibid.*ergo in omnibus gaudes. *Manuſcr.*4. vnde ergo in omnibus gaudes.

PAG.99.*col.*2.*c.Cap.*33.non de te aliqua,non de tua. MS. nõ de aliqua non tua.

*Ibid.*quia eius informitatem.MS.qui eius informitatem.

PAG.100.*col.*2.*b.Cap.*38.tu Deus vne bone. MS. 2. tu Deus vnde bona.

PRINCIPIA DIALECTICES.

PAG.112.*col.*1.*d.Cap.*5.ſciuntur enim corporalia, *&c. vſque ad* Signum eſt,*non habentur in manuſcripto.*

PAG.113.*col.*1.*a.Cap.* 6.Ergo omne verbum propter id. MS.*legit,*præter id.

*Ibid.col.*2.*a.*vt vſurpetur non tam rei ſimilis. MS.vt vſurpetur nomen non rei ſimilis.

PAG.114.*col.*1.*b. Cap.*7. vtrum per ſe tranſeuntes. MS. monere, vtrum per ſe,*&c.*

PAG.115.*col.*2.*c.Cap.*10.Aliter enim definitur apud Grammaticos quid ſit æquinocum.MS.*addit,*& aliter apud dialecticos.

PAG.116.*col.*1.*b.* an dactyli poëtæ.MS.dactylici poëtæ.

CATEGORIÆ DECEM.

PAG.117.*col.*1.*c.Cap.*1.ſub vno nomine naturæ ſuccidũt.MS.3. ſuccedunt.

*Ibid.col.*2.*a.*Eadem tamen genera ſpecies etiam nominari.MS.3. Eadem tamen genera ſpecies vel ideæ etiam nominari.

*Ibid.d.Cap.*2.multis nominibus aſſignari.MS.3.ſignari,*legunt.*

PAG.118.*col.*2.*b.Cap.*4.ſed iam ſatis de his quę dicuntur.MS.3. ſed iam ſatis de his quæ ſignificant.

Ibid.d.& non ſubiecto appellari.MS.& non in ſubiecto appellari.

PAG.119.*col.*1.*a.Cap.*6.idem pro parte.MS. 3.id eſt ſingulare.

*Ibid. col.*2.*d.Cap.*7.bipes greſſutum.MS greſſiuum.

PAG.120.*col.*1.*a.*homo eſt animal mortale, bipes, riſus capax. MS. 3.Animal eſt homo mortalis,bipes,riſus capax, eadem & de homine potes dicere.

*Ibid. col.*2.*b. Cap.*8. quæ in eo quod de ſubiecto. MS. 3. quàm in eo.*&c.*

PAG.121.*col.*1.*a.Cap.*9.ſiquidem cum generale eſt. MS.3.ſiquidem generale eſt.

*Ibid.col.*2.*d. Cap.*10.quippe cum in verbo ſit tantum in ſono & in nullo ſit corpore.MS.3.*non habent illud,*tantum in ſono.

PAG.122.*col.*1.*d.*illud ſuper,hæc deorſum.MS.3.ſemper ſurſum hæc deorſum.

*Ibid.col.*2.*a.*aut ſi impar,inæqualis dicatur.MS.3.aut ſi impar non inæqualis dicatur.

*Ibid.c.Cap.*11.qui ante ſe aliquid.MS.3. qui ante ſe ad aliquid.

PAG.123.*col.*1.*b.*Similiter cum dicimus duplum. MS.3.Siquidem,*&c.*

*Ibid.d.*quæ Græci δύναμιν καὶ ἐνέργειαν.MS.3.quas Græci,*&c.*

PAG.125.*col.*1.*a.Cap.*12.ſiue vt augurius. MS.3.Argorius.

PAG.126.*col.*2.*a.Cap.*18. nõ inſuaſibiliter vel inſuauiter. MS.3. *non legunt,*illud vel inſuauiter.

PRINCIPIA RHETORICÆ.

PAG.128.*col.* 2.*c. Cap.* 2. vt ſit finis benedicendi perſuadere. *Manuſcr.* vt ſit finis oratoris officij bene dicere, finis bene dicendi perſuadere.

PAG.129.*col.*1.*d.Cap.*3. an decernendum duellum prælio. MS. an decernendi duelli prælio.

*Ibid.col.*2.

Ibid.col.2.a.b. aut meritum esse contendat. MS. aut meritum esse se contendat.

PAG.130.*col.1.b.Cap.5.* λόγος interdum verbum significet, interdum ratio legitur, rationales. *&c.* MS. λόγος interdum verbum significet, interdum rationem. Igitur rationales.

Ibid.col.2.c.Ca.7. Causam Hermagoras αἴπον συνέχον, *&c.* MS. Causam Hermagoras αἴπον vocat, συνέχον, *&c.*

PAG.131.*col.2.c. Cap.9.* Quarta autem facies cõtrouersiæ. MS. Quarta autem species.

PAG.132.*col.2.b.Cap.10.* vt nullo suspecto cuiusdam odio. MS. vt nullo suscepto cuiusdam odio, *&c.*

Ibid.d. cum pro Achaia diceret. MS. cum pro Archia diceret.

DE MVSICA LIB. I.

PAG. 133.*col.2.c.Cap.1.* vnde distant cum & iisdem. MS. 3. vnde distat, *&c.*

Ibid. Eo distant quod in diuersis. *&c.* MS. 5. Eo distat. *&c.*

PAG.134.*col.1.b.Cap.2.* si mihi liqueſceret. MS. 3. Si mihi liqueret. *Præterea in his libris frequenter mutauimus interlocutores, quia vnus pro alio, & alibi quàm oporteret, sæpe interserebantur.*

Ibid.col.2.b.Cap.3. & quemadmodum mihi exemptum sit. MS. 3. ereptum sit.

Ibid.c. illud notissimum vbique seruandum. MS. *Gembl.* illud nostrum. *&c.*

PAG. 135.*col.1.a.Cap.4.* aut congruere plebi nolunt. MS. 3. *legunt*, volunt.

Ibid. aut propter magnas curas relaxandi. MS. 3. aut post magnas curas, *&c.*

Ibid. vel qui tibiis canunt vel cithara. MS. 3. qui vel. *&c.*

Ibid.d. satis impropriè abs te positum est. MS. 3. satis propriè. *&c.*

Ibid.col.2.d. quid fieri debeat, vel quantum debeat imputari. MS. 3. quid feriri debeat, vel quantum debeat amputari.

PAG.136.*col.1.c.Cap.6.* tibi te commodas magis. MS. 3. tanquam tibi te, *&c.*

Ibid.col.2.a. quæ ne nostra quidem putanda sunt. MS. 3. quod nostra intelligentia continetur.

Ibid.col.2.c. non ab eo contemnendi. MS. 3. non eo contemnendi.

PAG. 137.*col.1.c.Cap.9.* Illos enim certus quidã motus. MS. 3. modus, *legunt.*

PAG.138.*col.1.b.Cap.11.* aut quas in eis leges. MS. 3. vt quas, *&c.*

Ibid.col.2. a.Cap.12. ab ineũte pueritia dicamus. MS. 3. didicimus.

Ibid.b. principium & medium & finem. *Manuscr.* 3. & finem, *non habent.*

Ibid. cùm finem per medium. MS. 3. cùm finem nisi per medium.

Ibid.c. principium de illo principio. *Manuscr.* 3. principiũ de illo primo.

Ibid. principia ista sunt ambo. MS. 3. principia ita sunt ambo.

PAG.139.*col.1.b.* quãto eris in eruditione promptior. MS. 3. promotior, *legunt.*

LIB. II. MVSICES.

PAG.140.*col.2.b.Cap.1.* & illam syllabam qua ne tuæ aures offenderentur corripui. MS. & illam syllabam quam, *&c.*

PAG.141.*col.1.b.Cap.4.* simplum ad duplum, ita in isto duplum ad simplum. MS. 3. simplum & duplum, ita in isto duplum & simplum.

Ibid.c. non possunt esse plures, *&c.* MS. num possunt. *&c.*

Ibid.d. Cap.5. placuisse non oportere discedere. MS. placuisse nobis non oportere discedere.

Ibid.col.2.c. eum debet ordinem gignere. MS. 3. eam debere ordinem gignere.

Ibid.d. deinde iã doctiores, *&c.* MS. 3. deinde iã productiores. *&c.*

Ibid. sed quod facile erat. MS. 3. & quod facile erat.

PAG.142.*col.1.b.Cap.6.* D. Teneo. M. MS. 3. M. Tenes.

Ibid.col.2.d. Quarti prior pars duę longę, quatuor temporibus ac posterior longa & breuis tribusque temporibus. MS. Quarto priorem partem similiter faciunt duæ lõgæ quatuor temporum, ac posterior in longa ac breui est, tribusque temporib.

PAG.144.*col.1.a.Cap.10.* Atqui opus est vt hoc discere valeas. MS. atqui opus est vt hoc dispicere valeas.

Ibid.d. Cap.11. quæ leuatione ac positione partes pedis sibimet confert. MS. 3. qua eleuatione ac positione, *&c.*

Ibid.col.2.c.Cap.12. Aciem rebus agendis decet intentam. MS. 3. aciem rebus agendis decenter intentam.

PAG.145.*col.1.c. Cap.13.* Accipe igitur collationem. MS. 3. Accipe igitur collocationem.

LIB. III. DE MVSICA.

PAG.146.*col.1.c.Cap.1.* quia ista prouolutio nõ habet modum.

Manuscr. 3. quia ipsa prouolutio. *&c.*

Ibid. propter aliquam mensuram continuationis. MS. 3. propter nullam, *&c.*

Ibid.col.2.a.Cap.2. Cunctæ igitur Camœnæ. MS. 3. Ite igitur Camœnæ, *sicut postea citauit cap.7.*

Ibid.c. quo distinguuntur vt omne metrum. MS. 3. quo sic distinguitur, *&c.*

PAG.148.*col.1.b.Cap.5.* Imo mecum etiam tu. MS. 3. Imo mecum etiam tuum.

Ibid.d. & ideo ne pedes quidem istos appellandos putauerunt. MS. 3. *legunt*, putauerim.

Ibid.col.2.b. Fac iam cessisse tibi. MS. 3. Fac me iam, *&c.*

PAG.149.*col.1.b. Cap.7.* eos enim metiendum. MS. 3. eos enim metiendos.

Ibid.c. Si dichoreum eadẽ difficultas est. MS. 3. Si choriambũ, *&c.*

Ibid. Cap.7. & collatione ordinatius. MS. 3. & collocatione ordinatius.

Ibid.col.2.b.Cap.8. vt sex tẽporum esset choriambus. MS. 3. vt sex temporum esset sicut choriambus, *nã bacchius addita bi cui non fit choriambus.*

Ibid. at si post choriambum, iambi locentur. MS. 3. iambus locetur, *legunt.*

Ibid.d. naturali motu atque consideratione. MS. 3. naturali motu ante considerationem.

PAG.150.*col.1.a.* vera esse prospiciens. MS. 3. vera esse perspiciens.

Ibid.c.Cap.9. necesse erit eum tot pedes ratione nõ excedere. MS. 3. *non legunt illud* ratione.

LIB. IIII. DE MVSICA.

PAG.151.*col.2.a.Cap.3.* hoc accipe. MS. 3. hos accipe.

Ibid.b. Qui amat homo similis erit. MS. 3. Qui amat homo similis erit eis.

Ibid.d.Cap.4. gratiamq́; habeo. MS. 3. gratumque habeo.

Ibid.vers.7. bonus Deum videre qui vult. MS. 3. Deum videre qui cupiunt, *ponatur in margine.*

PAG.152.*col.1.a.* bene viuit hic videbit. MS. 3. bonusq́; viuit. *&c.*

Ibid.pro nono genere versuum interserit Camb. Bonum videre qui cupit diem, Bonus sit hic videbit & Deum illic.

Ib.vers.11. hinc egestas. MS. 2. hinc eget miser, *ponatur ad marginẽ.*

Ibid.vers.12. hinc eget miser. MS. 2. hinc egenus errat, *itidẽ in margine ponendum.*

Ibid.vers.13. hinc æger miser fit. MS. 2. hinc eget miser bono, *ad marginem adijciatur.*

Vers.14. hinc eget miser homo. MS. 2. hinc eget miser bono.

Ibid. Cap.5. nam ista de se habent optime. MS. 2. nam ista se, *&c.*

Ibid.b.vers.6. quæ gigni videmus. MS. 2. quæq; gigni & videmus.

Ibid.vers.12. quod renouatur. MS. 2. quod enouatur.

PAG.153.*col.1.c.Cap.10.* aut vnam lõgam aut quatuor. MS. 3. aut vnam longam vt quatuor.

Ibid.d. & primam secundam molossi. MS. 3. & primam vel secundam molossi.

Ibid.col.2.d.Cap.11. Et hoc æquè est verũ. MS. 3. Et hoc æque scio.

Ibidem, qui similiter post anapæstum. MS. qui similiter post antispaston, *nam in illo pede conuenit relatio quam dat Augustinus.*

PAG.154.*col.2.a.Cap.12.* nam & vna syllaba post eũ. MS. 2. Nam & vna syllaba longa. *&c.*

Ibidem, b. tria cum ionico à minore. *Manuscr.* 3. *legunt*, à maiore.

PAG.155.*col.1.a.Cap.14.* vt post tres primas syllabas. MS. 2. vt post tres breues, *&c.*

Ibid.b. & post vna concludetur. MS. 3. & post vna longa concludetur.

Ibidem, vt dimidij spatium temporis non excedat. MS. 3. vt dimidij spatium pedis non excedat.

PAG.156.*col.1.a.Cap.15.* pro quolibet ionico metitur. Sequitur choriambus. MS. pro quolibet ionico meritus sequitur choriambus.

PAG.157.*col.1.b.Cap.16.* ad rem solam pertinet. MS. 3. ad rationem solam, *&c.*

Ibid.d. vt à nobis asseri, atque ostendi queat. MS. 6. vt à nobis erui atque ostendi queat.

LIB. V. DE MVSICA.

PAG.158.*col.2.a.Cap.2.* quę aliqua parte temporis metiũtur. MS. 3. quæ aliqua parte temporis metimur.

PAG.161.*col.1.d.Cap.8.* quæ ante disserimus. MS. 3. quæ ante disseruimus.

PAG. 162. *col.* 1. *c. Cap.* 10. omnium longarum ſpondæos. MS. 3. omnium longarum qui ſpondæos.

Ibid. col. 2. *b. Cap.* 11. ſed ſemis incipit. MS. 3. ſed vnde minimus incipit.

Ibid. memorati longiores collocantur pedes. MS. 3. memorati longiores collocant pedes.

PAG. 163. *col.* 1. *a. Cap.* 12. atque illa proportione. MS. 3. atque ita proportuone.

Ibid. c. vigies quinquies. MS. 3. vicies quinquies.

LIBER VI. DE MVSICA.

PAG. 164. *col.* 1. *c. Cap.* 2. nullum horum quatuor reperitur. MS. 3. vllum horum quatuor reperitur.

Ibid. col. 2. *a.* nec nobis eam ſonus inſerit. MS. 3. nec nobis eam ſonus infert.

Ibid. c. Cap. 3. cùm in alias cogitationes deferimus. MS. 3. deferimur.

Ibid. nec dubito eos poſſe ſine cæteris. MS. 2. nec dubito eos eſſe ſine cæteris.

Ibid. d. non reſiſtam tibi & vellem. *Manuſcr.* 3. non reſiſto tibi & te vellem.

PAG. 165. *col.* 1. *c. Cap.* 4. & cum hos ſentimus, hoc patimur. MS. 3. & cum hos ſentimus, hos patimur.

PAG. 166. *col.* 1. *c. Cap.* 5. quaſi familiari quadam cõſenſione coheſerint. MS. 3. quaſi familiari quadã conſenſione cõceſſerint.

Ibid. col. 2. *a.* non videtur mihi aliter. MS. 3. non videtur niſi aliter.

Ibid. Hoc ergo genus taliter mouere. MS. 3. Hoc ergo aliter mouere.

Ibid. b. tanto quiſque attentius, quãto difficilius, operamur. MS. 3. tantò quique attentius, *&c.*

Ibid. c. vt ergo tota eſſe. MS. 3. vt ergo tuta eſſe.

Ibid. carnalem quæ dicitur concupiſcentia. MS. 3. carnalis, *&c.*

Ibid. Hoc autem delicto multo minus eſt, quàm erat cum ille ante delictum. *&c.* MS. 3. Hoc autẽ delicto dominæ multo minus eſt quàm erat illa.

PAG. 167. *col.* 1. *c. Cap.* 7. cùm illos & illos audierint. MS. 3. cùm & illos congruos & illos incongruos audierint.

PAG. 168. *col.* 1. *b. Cap.* 8, auctorem conuenientiæ atque concordiæ. MS. 3. auctorem omnis conuenientiæ atque concordiæ.

Ibid. numerus namque iſte qui interuallis numerorum conſtat niſi adiuuemur. MS. 3. numerus nanque iſte interuallis numerorum conſtat, & niſi adiuuemur, *&c.*

Ibid. d. vt ergo effuſione lucis. MS. 3. vt ergo effuſione eorum.

Ibid. col. 2. *a.* qui numeroſis interuallis temporum ſitus. MS. 3. qui numeros interuallis temporum ſitos.

Ibid. quia & hoc aliqua mora. MS. 3. quia & hæc aliqua mora. *&c.*

Ibid. c. inquantum eos memoria indicãtium mouet. MS. 3. inquantum eos memoria indicantis admouerit.

PAG. 169. *col.* 1. *a.* aliam ſecundum hos latentiorem. MS. 3. aliam ſecundum hos latentiores.

Ibid. col. 2. *a. Cap.* 9. aſpice vim potentiamque rationis. MS. 3. aſpice in vim potentiamque rationis.

Ibid. modeſtis interuallis & humano ſenſui accommodatũ. MS. 3. modeſtis interuallis & humano ſenſui accommodatis.

Ibid. quid in his moderandis, ſentiendis, retinendis ageret anima. MS. 3. quid in his moderandis, ſentiendis, retinẽdis, delectandis ageret anima, *&c.*

Ibid. c. aut in vnam ſimplam ex æqualibus partem. MS. 3. aut in vnam ſimplam ex qualibet parte.

Ibid. quantum poſſunt, æqualitate conſentiant. MS. 3. quanta poſſunt, *&c.*

PAG. 170. *col.* 1. *a.* dum reſtat ſpatium taciturnitatis. MS. 3. dum reſtat ſpatium tacitis nutibus.

Ibid. c. ad idem redit, & cæleſtia corpora ad idem reuocat. MS. 3. ad diem, *vtrobique legit.*

Ibid. pro noſtris meritis aſſueti. MS. 3. pro noſtris mẽtibus aſſueti.

Ibid. col. 2. *d. Cap.* 11. Hæc autem animæ conſuetudo facta in carne. MS. 3. *legunt*, facta cum carne.

PAG. 171. *col.* 1. *a.* non ſpatiis locorum & temporum. MS. 3. non in ſpaciis locorum & temporum.

Ibid. d. Cap. 12. vt vno vni duplæ non reſpondeant. MS. 3. vt duo vni non duplo non reſpondeant.

Ibid. col. 2. *b. Cap.* 13. quæ certè æqualitatem illam incommutabilem eſſe confitetur. MS. 3. quæ certe æqualitatem aliam, *&c.*

PAG. 172. *col.* 1. *c.* Quando verò ſuperbia intumeſcit. MS. 3. quare ſuperbia intumeſcere.

Ibid. d. exerit anima de hærentib. MS. 3. exerit anima de inhærẽtib.

Ibid. col. 2. *c. Cap.* 14. niſi ſui diſſimile niſi diſcluſum locis. MS. 3. niſi ſui diſſimile, nihil diſcluſum locis.

Ibid. d. vel qui adiungendas exeruntur. MS. 3. vel qui ad adiungendas referuntur.

PAG. 173. *col.* 1. *b.* inferiora ordinat, nec ab inferioribus ordinatur. MS. 3. inferiora ornat, nec ab inferioribus ſordidatur.

Ibidem, de noſtra quoque parili mortalitate numeri facti ſunt, nõ eos abdicemus. MS. 3. de noſtra quoque, pœnali mortalitate numeri facti ſunt, non eos abiudicemus.

Ibid. d. aut pronas vltrà quàm decet. MS. 3. aut pronas cõtrà quàm decet.

Ibid. col. 2. *a.* Attentio namque animæ ad corporis partem. MS. 3. Attentio nanque animæ ad temporis partem.

PAG. 174. *col.* 2. *a. Cap.* 16. tales quædam potentiæ in æterna vita, ſperandæ ſunt. MS. *legunt*, in æterna ei vita ſperandæ ſunt.

Ibid. d. namque ab aliqua imperuli nota. MS. 3. namque ab aliqua imparili nota.

Ibid. ad impertilem notam. MS. 3. ad imparilem notam.

PAG. 175. *col.* 2. *a.* non temporum habens digeſta interualla numerorum ſuorum, ſed tempora miniſtrante potentia, ſuper quam. MS. 3. non temporalia habens digeſta interualla numerorum ſuorũ, ſed tẽpora miniſtrante potentia, ſupra quã, *&c.*

Ibid. Cap. 17. notionis & ſcientiæ fallaci pollicitatione. MS. 3. *legũt*, rationis & ſcientiæ, *&c.*

LIB. I. CONTRA ACADEMICOS.

PAG. 176. *col.* 2. *a. Cap.* 1. quantam ſæpe admiror. MS. 4. quantam ſemper admiror.

Ibid. humanam vitam errorum omnium pleniſſimam ingrederis. MS. 3. ingredereris.

Ibidem, b. indubitanter peterent, indubitanter haurirent. MS. 3. indubitanter peteret, indubitanter hauriret.

Ibid. d. quo in te neſcio quo. MS. quod in te neſcio quo.

PAG. 177. *col.* 1. *a.* nulla ætas quæretur excludi. MS. 2. quæritur, *legunt.*

Ibid. col. 2. *b. Cap.* 3. Ergo ait Græcus non ſum. MS. 3. Ego ait, *&c.*

Ibidem, c. per ſe ipſa inueſtigatione poſſe contingere. MS. 3. per ſe ipſam. *&c.*

Ibid. d. niſi cuius ponderis ad id quod volo, aſſerendum, rationes afferam. MS. *Car.* niſi alicuius ponderis, *&c.*

PAG. 178. *col.* 2. *b. Cap.* 4. quam beatam vitam eſſe. MS. *Amand.* qua beatam vitam eſſe.

PAG. 179. *Cap.* 5. nam cauſam meam nullatenus adiuuat. MS. 3. nam cauſam meam nulla plus adiuuat.

Ibid. col. 2. *a. Cap.* 6. Cur ergo non quęſo ſapientiã vocamus. MS. 4. cur ergo non quæſo ſapientem vocamus, *&c.*

Ibid. b. priuſquam omnino ipſe aut eoſdem nummos vidiſſet aut quãtum ſibi ablatum fuerit. *&c.* MS. 3. priuſquam omnino ipſe aut eoſdem nummos vidiſſet, aut quantum ſibi allatũ fuerit.

Ibid. c. num igitur aut res humanę erant, de quibus conſulebatur aut ſine rerum diuinarum ſcientia eam certa conſulẽtibus & vera reſpondit aut vtrumque abſurdum eſt. MS. 3. num igitur aut res humanæ non erant de quibus cõſulebatur, aut ſine rerum diuinarũ ſcientia tam certa conſulentibus & vera reſpondit. At vtrunque abſurdum eſt.

Ibid. d. Cap. 7. & de cõiectoribus dixiſſe putatote. MS. 3. & de coniectoribus ſomniorum dixiſſe putatote.

PAG. 180. *col.* 1. *b.* inde auolare. MS. 3. vndecunque aduolare.

Ibid. c. quibus aërem iſtam inuiſibilium animantium naturam. MS. 4. quibus aëream.

Ibid. d. Cap. 8. quæ ſideribus profecto viliora ſunt. *Manuſcr.* 3. præ ſideribus, *&c.*

Ibid. col. 2. *c. Cap.* 9. nam primum ipſe ociosè intulit. MS. 4. *non legunt*, ocioſe.

Ibid. d. demonſtraretque ſi poſſet, per aliam definitionem, *&c.* MS. 4. *legunt*, per illam definitionem.

LIB. II. DE ACADEMICIS.

PAG. 182. *col.* 1. *d. Cap.* 3. Et quaſi gentiles inter ſe. MS. *Carth.* Et quaſi Germanæ inter ſe, *&c.*

Ibid. ne ſe contemnat. MS. 4. ne illam contemnat.

Ibid. col. 2. *a.* Sed ad nos redeam. MS. 4. Sed ad nos redeamus.

Ibid. quam certè eſt in te. MS. 4. quam certa eſt in te.

Ibidem, c. quod ſolus frueris Luciniano. *Manuſcr.* 4. *legunt*, Luciano.

PAG. 183. *col.* 2. *d. Cap.* 6. Qui ſi ſecus ſe habent. *Manuſcr.* 3. Quæ ſi ſecus, *&c.*

PAG. 184. *col.* 1. *d. Cap.* 7. nihil eſt de te deſperandum. MS. 4. ſed nihil eſt de te deſperandum.

Ibid. vt viſendæ alienæ pugnę deſiderio. MS. 4. aut vt viſendæ. *&c.*

PAG. 185. *col.* 1. *d. Cap.* 10. Quæ verba ſecteris ignoro. MS. 4. quid verba ſecteris ignoro.

Ibid. col. 2. *a.* ſi quid autem eſt quod nunc diſputauimus. MS. *Carth.* ſi quid autem eſt quod nunc diſputabimus.

Ibid. c. Cap. 11. aut non id ſcire arbitremur. MS. 3. aut nos id ſcire arbitremur.

PAG. 186. *col.* 1. *a. Cap.* 12. At nomen ei non potui aliud imponere. MS. 4. At enim nomen, *&c.*

Ibidem. quæ ſæpetenus probabili ratione fundata fuit. MS. 4. quæ ſemper tenus probabili fundata fuit.

Ibid. b. quærendum non eſſe. MS. *Carth.* quærendum non eſſet.

LIBRO III. CONTRA ACADEMICOS.

PAG. 186. *col.* 2. *c. Cap.* 1. Quamobrē qualiter vobis heſternum diem videmur duxiſſe. MS. 4. Quamobrē qualem vobis. *&c.*

PAG. 187. *col.* 1. *a. Cap.* 2. niſi forte diſſerendum cuiquam videtur. MS. *Carth.* niſi forte diſcernendum. *&c.*

Ibid. quod cùm euenerit. MS. 4. quod cùm ei euenerit.

Ibid. d. Cap. 3. ſed quid tibi videatur. MS. 4. ſed qui tibi videatur.

Ibid. col. 2. *b.* iſtos adoleſcentulos vix hæc poſſe diſcernere. MS. 4. iſtos adoleſcentulos vix adhuc hæc poſſe, *&c.*

Ibid. b, c. quod etiam mihi videatur ſapientem nonnihil ſcire. MS. 4. quod etiam mihi videatur (nam mihi videtur) ſapientē. *&c.*

Ibid. c. ſed poſtmeridianas horas rediemus. MS. 4. ſed pomeridianis horis, *&c.*

PAG. 188. *col.* 1. *b.* ſed plene paſtoricium eſſe iudicauit. MS. 4. & plane paſtoricium, *&c.*

Ibid. col. 2. *b. Cap.* 5. Academicorum labefacta omnis intentio. MS. 3. Academicorum labefactata omnis intentio.

Ibid. d. ſed eo quod nulli rei aſſentiendum, *&c. Manuſcr.* 4. ſed ex eo, *&c.*

PAG. 190. *col.* 1. *c. Cap.* 9. ſed quum te tali ſtudio exercueris. MS. 4. ſed quum te tali ſtudio ſatis exercueris.

Ibid. d. Quid enim eſt homini ſapientia clarius. MS. 4. *legūt*, carius.

Ibid. col. 2. *b.* & quia eſt probabilis. MS. 3. ſed quia eſt, *&c.*

Ibid. c. Cap. 10. Dicamus ea nos ſcire. MS. 4. Dicamus ea nos neſcire.

PAG. 191. *col.* 1. *b.* verum enim ſunt iſta diſiuncta, nec ſimilitudine aliqua falſis ea poteſt. *&c.* MS. 4. vera enim ſunt iſta diſiuncta nec ſimilitudine aliqua falſi.

Ibid. d. Cap. 11. ſi non falſum nihil ſcimus, ſed etiam, *&c.* MS. 4. ſi non ſolum. *&c.*

PAG. 192. *col.* 2. *a. Cap.* 13. tota tibi rurſum cauſa verſabitur. MS. 4. tota ibi rurſum cauſa verſabitur.

Ibid. Cap. 14. roboratam (hoc enim dixiſti) Academicorum ſententiam. MS. 4. roboratum (hoc enim dixiſti) Academicorum ſententia.

Ibid. d. At ſi iam veriſimile eſt. MS. 3. Aut ſi iam, *&c.*

PAG. 193. *col.* 1. *c. Cap.* 15. qui falſam vitam ſequitur. MS. 4. qui falſam viam, *&c.*

Ibid. d. in loco illo quò tendebat. MS. 4. in loco illo quò tendebāt.

Ibid. col. 2. *b.* Illud tamen meminerit. *Manuſcr.* 4. Illud tantum meminerit. *&c.*

Ibid. d. peccare autem nihil magnum dixiſſe. MS. 3. *legunt*, duxiſſe.

Ibid. non poſſe inuenire. MS. 4. *legunt*, inueniri.

PAG. 194. *col.* 1. *a.* qui hoc ſolum diceret. MS. 4. ſi hoc ſolum diceretur.

Ibid. d. Cap. 17. priuſquam didiciſſet ea quę in illam ſcholam, *&c.* MS. *Amand.* priuſquam dedocuiſſent ea. *&c.*

Ibidem, col. 2. *a.* quam maximè poterat. *Manuſcr.* 4. nam maximè poterat.

Ibid. b. ſuperioribus cæteris iſta reſtituiſſet. MS. 4 ſuperioribus cæteris ita reſtituiſſet.

PAG. 195. *col.* 1. *a. Cap.* 18. tātum autem intereſſe temporis. MS. 4. tantum autem intereſt temporis.

LIB. I. DE ORDINE.

PAG. 196. *col.* 1. *d. Cap.* 1. Quorumque animalium membra fingantur. MS. 4. Quorumque animalium membra figurantur.

Ibid. col. 2. *a.* aut liberalibus medicant. MS. 4. aut liberalibus medicantur diſciplinis.

Ibid Ca. 2. ſectatur auiditate pauperiem. MS 4. ſectaturque auiditate pauperiem.

PAG. 197. *col.* 1. *a. Cap.* 3. & apud ſe habitare conſuefacerem. *Manuſcr.* 4. & ſecum habitare conſuefacerem.

Ibid. c. Quod tu ita miratus es. *Manuſcr.* 3. Quod tu iſta miratus es.

Ibid. col. 2. *b. Cap.* 4. vafrum quidam & captatorium. MS. 4. vafrum quiddam, *&c.*

Ibid. c. Sic pater ille Deum faciat, ſic altus Apollo Incipiat. MS. 3. Sic pater ille Deus faciat, ſic altus Ieſus Incipiat.

Ibid. ſi poſſum hoc totum neſcio quid. MS. 4. ſi poſſum hoc tantum neſcio quid.

PAG. 198. *col.* 1. *a.* ſecutos eſſe homines vber terræ. MS. 4. ſecutos eſſe homines vbertatem terræ.

Ibid. vos parum videre. MS. 4. nos parum videre.

PAG. 199. *col.* 2. *a. Cap.* 8. alia longè neſcio quid luce. MS. 3. aliud longè aliud neſcio quid luce, *&c.*

PAG. 200. *col.* 1. *b.* quacunque atque vbicunque ſectari iubet. MS. 4. quacunque aut vbicunque ſe quæri iubet.

Ibidem, c. elatas à ceruice pinnulas. *Manuſcr.* 4. elatas à ceruice pinnulas.

Ibid. d. nihil nobis vbique aliud. MS. 3. nihil nobis vtique aliud.

Ibid. & ego attentiſſimè ambobus. *Manuſcr.* 4. & ego attentis in me ambobus.

Ibid. col. 2. *a.* nunc mecum habere quam vos eſtis intentos. MS. 3. non minus mecum habere, *&c.*

Ibid. nunquam pro eius magnitudine ocioſum accepi. MS. 3. *legunt*, ocioſus.

LIB. II. DE ORDINE.

PAG. 202. *col.* 1. *c. Cap.* 1. Eſt enim ſumma æqualitas quæ ordinē. MS. *Carth.* Eſt enim ſumma æqualitas apud Deum quæ ordinem.

Ibid. non ſolùm vtique bona dicimus. *Manuſcr.* 3. non ſola vtique. *&c.*

Ibid. col. 2. *b. Cap.* 2. in alterius definitione quod non probē. MS. 3. in alterius definitione quid non probem.

PAG. 203. *col.* 1. *b.* nunc fortaſſe quid promeres. MS. 3. nunc fortaſſe quod promeres.

Ibidem, d. aut fortaſſe quid ſuarum rerum non propter ſe quidem, ſed propter ſuos ſibi tamen neceſſarios. MS. 4. an fortaſſe quid ſuarum rerum non propter ſe quidem, ſed propter ſuos ſibi tamen neceſſarium.

PAG. 204. *col.* 1. *c. Cap.* 3. oculis apertis ſanis puriſque poſſit videre, tamen tenebras non poteſt. MS. 4. oculis apertis, ſanis, puriſque ſit, videre, *&c.*

Ibid. col. 2. *d. Cap.* 5. aut ad ſummum illum modum. MS. 3. vt ad ſummum illum modum.

PAG. 205. *col.* 2. *a. Cap.* 6. quòd ſi potes facias. Volo prorſus, inquit. MS. 3. quod ſi potes, facias volo. Prorſus inquit, *&c.*

Ibid. c. & non poſſum dicere, vbi, vbi ſit corpus ſapientis. MS. 3. & non poſſum dicere, ibi vbi ſit, *&c.*

PAG. 206. *col.* 1. *c. Cap.* 7. ſua cuique diſtribuere. MS. 3. ſua cuique tribuere.

Ibid. col. 2. *d. Cap.* 8. in omni vero contractu atque conuerſatione cum omnibus. MS. 3. *legunt*, cum hominibus.

PAG. 207. *col.* 1. *a.* ſuperbos minus curent minimè ſint. MS. *Carthuſ.* ſuperbos minus curent, minimi ſint.

Ibid. col. 2. *c. Cap.* 10. latius quàm nonnulli opinantur, vltra officiū clementiæ. MS. 3. latius quàm nonnulli opinantur, officiū clementiæ, &c.

PAG. 208. *col.* 2. *c. Cap.* 11. nuncio quidem aurium, ſed ad ſolam mentem refertur. MS. *Carthuſ.* non ad iudicium quidem aurium, *&c.*

Ibid. d. Cap. 12. ſine quodam defixo termino. MS. 3. ſine quodā in ſe fixo termino.

PAG. 209. *col.* 1. *a.* inde ſpacia temporum, alia duplicia, alia ſimplicia eſſe comperit. MS. 4. inde ſpacia temporum alia ſimpla, alia dupla eſſe comperit.

Ibid. c. Cap. 14. Hinc ſe illa ratio ad ipſarum rerum diuinarū beatiſſimam contemplationem rapere voluit. MS. 4. *legunt*, reparare voluit.

Ibid d. importuno ſtrepitu reuocabant. MS. 3. in portum noſtræ picturæ vocabant.

PAG. 210. *col.* 1. *a. Cap.* 16. nec in loco eſſe, nec vſquam. MS. 4. nec in loco eſſe nec nuſquam.

Ibid. b. Quod verò & illis. *Manuſcr.* 3. Quod verò ex illis.

Ibid. Cap. 17. numero pauciſſima, id eſt potentiſſima. MS. *Carthuſ.* numero pauciſſima, vi potentiſſima.

Ibidem, c. vt & ipſa eius ratio barbara. MS. 4. vt & ipſa eius oratio barbara.

Ibid.d. Et ſi omnipotens & tanta mala fiant. MS.4.& ſit,*&c.*

PAG.211. *col.* 1.*a.Cap* 19.certis dimẽſionibus ratione linguam dentibus & palato accommodamus,vt ex ore litteraturæ. MS. 4.certis dimenſionibus linguam dentibus ac palato accõmodamus,vt ex ore litteræ.

Ibid.d. Quotidiana verba decurrunt & ſordidata,*&c.* MS. Quotidiana verba occurrunt,*&c.*

Ibid.col. 2.*a.* quamlibet partem totam pulchram eſſe. MS.3.quamlibet partem,tanquam totum,totam pulchram eſſe.

Ibid.col. 2.*b.Cap.* 10. Quid enim nõ de illa venerabili. MS.4. Quid enim nobis,nónne illa venerabilis.

Ibid. noſtris etiam pœnè oculis reſeratum eſt. MS. 4. reſerata eſt. *legunt.*

LIBER DE BEATA VITA.

PAG.212.*col.* 1.*d.* quos cùm lachrymabiles tragœdiæ.*&c.* MS.4. quos cùm vel lachrymabiles tragœdiæ.

Ibid.col. 2.*a.* in libros doctorum ſapientiſſimorumq; hominũ traxerint. MS.4.in libros doctorum ſapientiſſimorumque hominum truſerint.

Ibid. in optatiſſimam vitam quietámque. MS.*Camb.* in optatiſſimam patriam quietámque.

PAG. 213.*col.*1.*a.* vel quaſſatam nauem feſsámque perducerem. MS.4.vel quaſſatam nauem fiſſámque perducerem.

Ibidem,b. quæ profectò vita beata eſt,me admoueam eámq; contingam. MS.4.quæ profectò vna beata eſt,me admoueam atq; contingam.

Ibid.d. nec Laſtidianum & Ruſticum. MS. 3. Lartidianum *legunt.*

Ibid.col. 2.*b.* an eius eſca ſcientia nobis videtur. MS.4.vobis *legunt.*

Ibid.c. ſi ſuper eas aliquid percipere poſſit. MS.4. ſi per eas aliquid percipere poſſit.

PAG.215.*col.*1.*b.* Quod ita cùm annuerem. MS. 4. Quod item cùm annuerem.

PAG.217.*col.*1.*b.* quod ab eo potiſſimum dictũ eſſet. MS.4.quod ab ea,*&c.*

Ibid.col. 2.*d.* Saluſtius electiſſimus penſator verborum. MS.4. Saluſtius lectiſſimus.*&c.*

PAG.218.*col.* 2.*c.* iis mater recognitis verbis. MS.4 Hic mater recognitis verbis.

Ibid.c. ad quam nos feſtinanter poſſe perduci. MS.4. ad quam nos feſtinantes poſſe perduci.

LIB. I. SOLILOQVIORVM.

PAG. 219.*col.* 2.*b. Cap.* 1. vt pro ſalute tua fias animoſior. MS. 5. vt prole tua fias animoſior.

Ibid. vt me agam dignum quem exaudias. MS. 5. vt me agam dignum quem liberes.

Ibidem. omnium quem oculi ſentiunt pulcherrimum. MS.*Gemb.* omnium quæ oculi ſentiunt pulcherrimum.

Ibid.d. Deus à quo euerti,cadere. MS. 5. Deus à quo auerti,cadere.

PAG. 220.*col.* 1.*a.* Deus quem accepimus. MS. 5. Deus per quem accepimus.

Ibid.b. quo hauſto nunquam ſitimus. MS. 5.quo hauſto nũquam ſitiamus.

Ibid. Deus cui ſeruiunt omnia. MS 5. Deus cui ſeruiũt omnia quæ ſeruiunt.

Ibidem, col. 2.*a.* quia & iſti me quando à te fugiebam. MS. 5. quia & iſta me quando à te fugiebam.

Ibid.b. tãdem oro excellentiſſimã clementiã. MS. 5. tantũ oro.*&c.*

PAG. 221.*col.* 2.*b.Cap.* 4. Linea vel ſphęra ſimiles ſunt? MS. 5. Linea vel ſphæra ſimiles ſunt Deo?

PAG. 222.*col.* 2.*a.Cap.* 9. præter tui Dei ſcientiam. MS. 5. præter tui Deique ſcientiam.

Ibid.b. facit animo nõnullam ægritudinem, nam & id cõſequens eſſe video. A. Rectè vides,negare non poſſim. R. MS. 3. facit animo nonnullam ægritudinem. A. nam & id conſequens eſſe video. R. rectè vides. A. negare non poſſum. R.

Ibid.c. morbis animi & perturbationis agitaris. MS. 4. morbis animi, & perturbationibus agitaris.

Ibid. nam cum XXXIII. annos. MS. 3. nam cum XXXIIII. annos.

PAG. 223. *col.* 1.*c. Cap.* 11. per eam facilè adipiſci poſſunt. MS. 4. per eam facile adipiſci poſſis.

Ibid. Iſtud dicis quaſi ego nunc,*&c.* MS. 4 Ita iſtud dicis.*&c.*

PAG. 224.*col.* 1.*a. Cap.* 13. tanto mihi amici futuri,quanto,*&c.* MS. 4. tanto mihi amiciores futuri,quanto,*&c.*

Ibid. quippe pro ſua ſanitate. MS. 4. quippe pro ſua quiſq; ſanitate.

PAG. 225.*col.* 1.*a. Cap.* 15. intereuntibus rebus veritatem nõ interire. MS. 4. intereuntibus rebus veris veritatem non interire.

Ibid.c. quicquid iam viſus ipſe præceperit. MS. 4. quicquid iam viſus ipſe forte præceperit.

LIB. II. SOLILOQVIORVM.

PAG.225.*col.* 1.*c.Cap.* 1. impatiẽs eſt animus nec lachrymis modus fit,niſi amore detur. MS. 4. impatiens eſt amor,nec lachrymis modus fit niſi amori detur.

PAG.227.*col.* 1.*a.Ca.* 6. tam hoc illi,quam aliud huic. MS. 4. tam hoc illi,quam illud huic.

Ibid.b. vmbras autem corporũ quia nõ nimis abs re abeſt. MS. 4. vmbræ autem corporum quia non nimis abs re abſunt.

Ibid.d.Cap. 7. ſpe tanta peruenienti. MS.*Gemb.* ſpe tantum peruenienti.

PAG.228.*col.* 1.*c.Cap.* 9. nulla magis nam nulla magis tendunt. MS.4.at nulla magis tendunt.

Ibidem,col. 2.*a.Cap.* 10. ad aliorum habitum adumbrati. MS. 4.ad alienum habitum adumbrati.

PAG.229.*col.* 2.*b.Cap.* 13. Aut vt moras. MS.4. An vt moras.

Ibid.c. loquere,quid negas. Omne. MS. 2. loquere,quid enecas. R. Omne.

PAG.230.*col.* 1.*c.Cap.* 15. aut veritatem eſſe diſputãdi rationem. MS.*Carthuſ.* aut veritatem non eſſe diſputandi rationem.

Ibid.col. 2.*c.* ſed illud ipſum de quo nunciatur. MS. *S.Amandi,* ſed illud ipſum de quo enuntiatur.

PAG.232.*col.* 1.*a.Cap.* 20 lætiſſimè atque pleniſſimè intueantur, MS.*Carth.* latiſſimè atque pleniſſimè intueantur.

Ibid.b. Quare ergo iurat,ſi tamen benè erudita eſt. MS. *Carthuſ.* Quare ergo iudicat,ſi tamen bene erudita eſt.

Ibid. col. 2.*a.* ipſa cogitatione imaginaria ducere. MS.4.ipſa cogitatione imaginari ac ducere.

LIB. DE MAGISTRO.

PAG.233. *col.* 1.*a. Cap.* 1. à quo quid eſſet. MS. 3. à quo & quid eſſet.

Ibid. nihil aliud agere quam commonere. MS. 3. nihil aliud agere quam commemorare.

Ibid. col. 2.*a. Cap.* 2. ſiue maneat ſiue ex vrbe Roma dicimus eſſe. MS. 3. ſiue manente ſicut ex vrbe Roma dicimus eſſe.

PAG.234.*col.* 1.*b.Cap.* 4. cũ enim loquimur, ſignis facimus. MS. 3. cum enim loquimur, ſigna facimus.

Ibid. non enim ſola verba ſunt ſigna. MS. 3. num enim,*&c.*

Ibid.d. AD. imo aliquid. AV. nũ nihil diſtat. MS. 3. AD. imo aliquas. AV. num quid diſtat.

Ibid. Hoc videlicet imprimis. MS. 3. Hoc vel imprimis.

Ibid.col. 2.*d.* Dicimus enim ea vniuerſaliter omnia. MS. 3. Dicimus enim ea ſigna vniuerſaliter omnia.

PAG.235.*col.* 2.*a. Cap.* 5. quomodo recte poſſumus omnia nomina verba dicere. MS. 3. quomodo recte poſſumus omnia verba nomina dicere.

Ibid.c. quod iſtud tribus literis ſignificatur. *Manuſcr.* 3. quod iſtis tribus,*&c.*

Ibid.d. nihil intereſſe vtrum quiſque dicat. MS. 3. nihil intereſſe vtrum quis dicat.

Ibid. Itáne tu vides nomen eſſe. MS. 3. Itáne tu non vides,*&c.*

PAG.236.*col.* 1.*a.* non eſſe firmum quam putamus. MS. 3. nõ eſſe tam firmum,*&c.*

Ibid. quanquã dixerit præceperitque rectiſſimè. MS. 3. quanquam vixerit,præceperitque rectiſſime.

Ibid.b. quod nos nominamus heu,reſponderi οἴμοι. MS. 3. *legũt* οἰ.

Ibid.d. in vno loco,in altero,equus. MS. 3. in vno,homo;in altero, equus.

Ibid.d. ſed non temerè planè dicerem. MS. 3. *legunt*, diceres.

Ibid.col. 2.*a.* vtrũ iſtę duæ ſententiæ plenæ pronunciatę ſint. MS. 3. vtrum iſtæ duæ ſententiæ plena pronunciata ſint.

PAG.237.*col.* 1.*c. Cap.* 7. vt cum dicimus etiam verbum ſignificamus MS. 3. vt cum dicimus ſignum. etiam verbum,*&c.*

Ibid.d. ad auris verberationem. MS. 2. ad aëris verberationem.

Ibidem col. 2.*c. Cap.* 8. & aliud quam mo. MS. 3. & aliud ſecunda quam mo.

PAG.238.*col.* 1.*c.* mihi ipſe renuncio,hominem non eſſe. MS. 3. mihi ipſe renuncio me hominem non eſſe.

Ibid.col. 2.*b.Cap.* 9. non temerè hoc eſſe aſſentiendum. MS. 3. non temerè hic eſſe,*&c.*

Ibid.d. neque id ob aliud iure laudatur. MS. 3. neque hic ob,*&c.*

PAG.239.*col.* 1.*b.* ſed ſi non antecellat, non etiam ſubiiciendum eſt. MS. 3. Sed ſi non antecellat,num etiam,*&c.*

Ibidem,c. potes hoc modo cogitationi. MS. 3. potes hoc modo cognitioni.

PAG.240.*col.*1.*c.Cap.*10. ne cũ appellarentur.MS.3.neq; cũ,*&c.*
PAG.241.*col.*2.*c.Cap.*12. vt his ſaltem loquentis animus indicetur.MS.3.*legunt*,iudicetur.

LIBER DE IMMORTALITATE ANIMÆ.

PAG.243.*col.*1.*b. Cap.*1.quæ per medium ducuntur, maxima. MS.3.quæ non per medium ducuntur,maxima.
*Ibid.*immutabilem eſſe non negat. MS. 3. immutabilem diſciplinam eſſe,*&c.*
*Ibid.*non enim id agit,niſi qui intelligit. MS. 3. non enim id agit, niſi quod intelligit.
*Ibid. col.*2. *b. Cap.*3. aut omnino motum eſſe. MS. 3. aut omnino nondum eſſe.
PAG.244. *col.*1.*d. Cap.*5. quæ (vt opinor) manifeſtiores.MS.3. qui(vt opinor)manifeſtiores.
*Ibid.col.*2.*b.*vt eſſe non animã faceret. MS. 3.vt eã non animã,*&c.*
*Ibid.d.Cap.*6.vt manente illa hic deeſſe deſinat. MS.3.vt manente illa hic eſſe deſinat.
PAG.245.*col.*1.*a.* quo nihil eſt incommutabilius.MS.3. qua nihil eſt incommutabilius.
*Ibid.col.*2.*a.Cap.*7.Sed quid pugnamus. MS.3.Sed ponamus.
*Ibid.d.*cui autem non ſit certè.MS. 3.certum,*legunt.*
*Ibid.*vnde omne quod animatum eſt,viuit.MS.3.*legunt*,viuere.
PAG. 246.*col.*1.*a.Cap.*10. animo à corporis cõſuetudine alienato.MS.3.animo à corporum conſuetudine alienato.
Ibid.b.& tamẽ ſunt maximè quæ ſunt.MS.3.maximeq; ſunt.*legũt.*
PAG.247.*col.*1.*c. Cap.*15.non vim propriam poſſe minui. MS.3. non vitam propriam poſſe minui.
*Ibid.col.*2.*d.Cap.*16.in vnaquaque parte corporis eſt. MS. 2. in vnaquaque parte corporis tota eſt.

LIBER DE QVANTITATE ANIMÆ.

PAG.247.*col.*2.*b.Cap.*1.ac ſi queras,vt dictum eſt,vnde ſit terra; Simplex animæ natura dici poteſt, quia ex aliis naturis nõ eſt. MS.3.*illud*: Simplex animæ nat. *&c. non legunt.*
*Ibid.*hanc enim eius propriam naturam.MS.3. hãc enim eius propriam quandam naturam.
*Ibid.c.*vnde ſit anima quæ mecum ſedulo.MS. 3.vnde ſit anima id eſt ex Deo,quæ mecum ſedulo.
*Ibid.*qualia Deus facit.MS.3.qualia Deus fecit.
PAG.249.*col.*1.*d. Cap.*4. per ea quæ te ducendum. MS.3. per ea per quæ te ducendum.
*Ibid. col.*2.*b.*quam ſi me de fluctu interroges. MS. 3. quam ſi me de flatu interroges.
PAG.250.*col.*2.*c.Cap.*6.ineſt etiam latitudo.MS.3.ineſt ei iam latitudo.
*Ibid.b.Cap.*7. neceſſario quæ videbant. MS.3. neceſſaria quæ videbant.
*Ibid.c.*ac ducat ratio quò vult.MS.3. ac ducat ratio qua vult.
PAG.251.*col.*1.*c.d.Cap.*9.quædam,vt ita dicã,imparilitas. MS.3. quædam vt ita dicam imparitas.
PAG.252.*col.*2.*b. Cap.*12. nam etiam hoc modo quaſi erecta altitudo.MS.3.nam etiam hoc modo quaſi erecta latitudo.
PAG.253.*col.*1.*d.Cap.*14.ſi illum eadem ratio, id eſt ſeipſum.MS. *Tornacenſ.*ſi illum eadem ratio, id eſt ſeipſe. MS. *alia* 2. ſi illum eadem ratio.
*Ibid.col.*2.*b.Cap.*15.quã fateri nos ratione præſtare beſtiis. MS.4. quam fateri nobis ratione præſtare beſtias.
PAG.254.*col.*1.*b.Cap.*16.foris & in ſeipſo. MS.4. fortis & in ſeipſo,*&c.*
*Ibid.c.*non opinor negabis. MS.4.non vt opinor negabis.
*Ibid.col.*2.*a.Cap.*17.Sed de hac pòſt loquemur.MS.4. Sed de hac re,*&c.*
*Ibid.a,b.*nam id potiſſimum eſſe, maximeque in figuris dominari.MS.2.nam id potentiſſimum eſſe, *&c.*
Ibid.c.& elegantiſſimæ vrbanitatis. MS.2.& elegãtiſſimæ formæ. *nam loquitur de muto.*
PAG.256.*col.*1.*b. Cap.*22. Quod ſi amplius aliquid animalium maiora capita.MS.*Floreffienſ.*Quod ſi amplius aliquot animalium maiora capita,*&c.*
Ibidem,citius quidem maior terræ peruenit. MS.4. citius quidem maior pars ad terram peruenit.
*Ibid.d.*quis negat ſuo pondere prædita.MS. 3. quis negat ſuo pondere præpedire.
*Ibid.col.*2.*d.*cur vbique illa ſentit.MS.3.vbique ictus ſentit.
PAG.258.*col.*1.*c.Cap.*24. vbi aliena comprehendi. *Manuſcr.* 3.vbi aliena comprehendit.
PAG.260.*col.*2.*c.Cap.*30. ſiue per temperantiam corporis.MS.2. ſiue per temperationem corporis.
PAG.263.*col.*1.*b.Cap.*33.homini etiam cum robuſtis cõmunia. MS.3.homini etiam cum arbuſtis communia.
*Ibid.col.*2.*c.* Quod effectum erit,cum fuerit ab omni tabe.MS.3. Quod cùm effectum erit id eſt cùm fuerit ab omni tabe.
Ibid.d. Eſt ergo quintus gradus. MS. 3. Eſt ergo iſte quintus gradus.
PAG.265.*col.*1.*a.Cap.*35 quintus in ſeipſam. MS.4. quartus in ſeipſa.

LIBER PRIMVS DE LIBERO ARBITRIO.

PAG.267.*col.*1.*b. Cap.*1.cùm mali aliquid eſt perpeſſum. MS.4. cum mali eſſe perpeſſum.
*Ibidem c.*malum non facit.MS.4.malè non facit.
*Ibid.col.*2.*c.Cap.*2.tenere nos debemus, ſi bene nobis conſcij ſumus.MS.4.tenere nos bene nobis conſcij ſumus.
Ibid.d. Dei virtutem & Dei ſapientiam nominauimus. MS.4.*legunt*,nominamus.
PAG.268.*col.*2.*c.Cap.*4.tam me planè cognouiſſe.MS.Iã me,*&c.*
PAG.269.*col.*1.*a.Cap.*5.vt ei legi cum libidine temperare.MS.4. vt ei legi cum libidine obtemperare.
*Ibid.*Poſtea ergo illi legi. MS.4.Poteſt ergo illi legi.
*Ibid.col.*2.*c.Cap.*6. in iſta temporali nihil eſſe iuſtum atque legitimum.MS.4.in illa temporali,*&c.*
PAG.270.*col.*1.*c.Cap.*7. qua ratione atque intelligentia paratur. MS.4.quia ratione atque intelligentia paratur.
*Ibid.col.*2.*d. Cap.*10. vt plus poſſit metus quam cupiditas. MS.4. vt plus poſſit mens quam cupiditas.
PAG.271.*col.*1.*a.* non poteſt aliam mentem pari æquitate ac virtute regnantem.MS.4.num poteſt aliam mentem, *&c.*
*Ibid.a.Cap.*11.negare non poſſumus.MS.4.negare non poſſum.
*Ibid.*ſpoliatamq; virtutis opulentia. MS.4. exſpoliatamque virtutis opulentia.
Ibid. d. cùm interea cupiditatum illud regnum tyrannicè ſentiat. MS.4.*legunt*,ſæuiat.
*Ibid.*adipiſcendæ quæ non habetur.MS.4.adipiſcendæ quæ non habebatur.
*Ibid.col.*2.*a.*qui hoc aut voluerit.MS.4.qui hæc aut voluerit.
*Ibid.*vt meritò hæc dicamur,propter deſertam, *&c.*MS.4. vt meritò hæc dicamur perpeti propter deſertam,*&c.*
Ibidem,& electam ſub libidine ſeruientem.MS.4.& electam ſub libidine ſeruitutem.
*Ibid.d. Cap.*12.velle ſolum eſt, vt habeatur. MS.4.velle ſolũ opus eſt vt habeatur.
PAG.272.*col.*1.*d.Cap.*13.delictorem bonæ volũtatis ſuæ.MS.4. dilectorem,*&c.*
*Ibid.col.*2.*b.*aſſequatur tantam rem tãta felicitate. MS. 4. aſſequatur tantam rem tanta facilitate.
PAG.273.*col.*2.*a.Cap.*15.quas ſibi ſubditas eſſe oportebat. MS.4. quas ei ſubditas eſſe oportebat.
Ibid. amittere aut non habere. MS. 4. amittere ac non habere

LIBER SECVNDVS DE LIBERO ARBITRIO.

PAG.274.*col.*1.*c.Cap.*1.quia non ſolùm in nos benigniſſimus. MS.4.qui non ſolum,*&c.*
*Ibid.d.*non enim aut peccatum eſſe.MS.4.*legunt*,eſſet.
*Ibid.col.*2.*d.Cap.*2.ſatis eſſe exiſtimas. MS.4. ſatius eſſe,*&c.*
*Ibid.*niſi enim eſſet & aliud.MS.4.niſi enim aliud eſſet.
*Ibid.col.*2.*b.Ca.*3. rationali animaduerſione & cognitione diſcernimus. MS. 4. rationali animaduerſione & cogitatione diſcernimus.
PAG. 276.*col.*1.*d. Cap.*5. quem quidem intra rationem. MS.4. quem quidem infra rationem.
*Ibid.col.*2.*b.*cũ vel leniter vel aſperè corpus attingitur. MS.4.cum vel leniter vel aſperè corpore attingitur.
*Ibid.*cæteros ſenſus proſequi.MS.4.*legunt*,perſequi.
PAG.277. *col.*1.*b. Cap.*7. & aliud aliquid quodlibet alio ſenſu. MS.4. & aliud aliquid quolibet alio ſenſu.
*Ibid.col.*2.*a.*nec tu tamen cum meo ſenſu ſentias.MS.4.nec tu tamen eum meo ſenſu ſentias.
PAG. 278.*col.*2.*d. Cap.*8.inuertibilem ſinceramque conſiſtere. MS.4.inconuertibilem,ſyncerámque conſiſtere.
*Ibid.*circuiui ego & inclinaui cor.MS.4.circuiui ego & cor.

PAG. 279. *col.* 2. *b. Cap.* 9. & ſi multa ſint bona eaque diuerſa. MS. 4. ſi multa ſunt bona.

PAG. 280. *col.* 1. *d. Cap.* 11. vt alterum in altero cõſiſtat. MS. 4. aut alterum in altero. *&c.*

PAG. 281. *col* 1. *b. Cap.* 12. Et iudicamus ſecundum illàs inferiores regulas. MS. 4. Et iudicamus ſecundum illas interiores regulas.

Ibid. col. 2. *b. Cap.* 13. quæ ſibi ſuo captu intelligentes homines. MS. 4 quæ ſibi pro ſuo. *&c.*

PAG. 282. *col.* 2. *c. Cap.* 16. Quare deinde artificis ipſius mẽbra. MS. 4. Quære deinde, *&c.*

PAG. 283. *col.* 1. *a.* adhuc habent de circumfulgentia lucis tuæ. MS. 4. adhuc habet, *&c.*

Ibid. c. d. Cap. 17. quòd in ſeipſa manens innouat omnia. Hinc etiam comprænduntur omnia prouidentia gubernari. MS. 4. quòd in ſeipſa manens innouet omnia, hinc etiam comprehenditur omnia, *&c.*

Ibid. d. inueneris aliquod creaturarum genus. MS. 4. inueneris aliquid aliud creaturarum genus.

Ibid. col. 2. *a.* aut quid poteſt minus quàm corpus. MS. 4. aut quid poteſt minus eſſe quàm corpus.

PAG. 284. *col.* 1. *a. Cap.* 18. multaque alia vitæ commoda refert vſus oculorum. MS. 3. refertur, *legunt.*

LIBER TERTIVS DE LIBERO ARBITRIO.

PAG. 285. *col.* 1. *d. Cap.* 1. neſcio an vlla culpa ſit. MS. 4. neſcio an nulla culpa. *&c.*

Ibid. col. 2. *c.* vt ſuperioribus deſertis inferiora diligat. MS. 4. vt ſuperioribus deſertis inferiora deligat.

Ibid. d. omnisque de hac diſciplina vtilis. MS. 4. omnisque de hac re, *&c.*

PAG. 286 *col.* 1. *a. Cap.* 2. in quo faciendo bonitatem ſuam oſtenderet. MS. 4. in quo faciendo bonitatem ſuam oſtenderat.

Ibid. b. pulſaſti vehementer, miſericordia Dei adſit, aperiatq;. MS. 4. pulſaſti vehementer miſericordiam Dei; adſit, aperiatque.

Ibid. feriendos & laniandos libidinibus. MS. 4. feriendos & dilaniandos libidinibus.

Ibid. c. quam quod aliud cogitatione concipiunt. MS. 4 quã quicquid aliud cogitatione, *&c.*

Ibid. d. Cap. 3. vt Deus prẽſcius. MS. 4. vt & Deus prẽſcius.

Ibid. col. 2. *c.* non enim poſſum aliud. MS. 4. non enim poſſes, *&c.*

PAG. 287. *col.* 1. *d. Cap.* 4. Quorum autem non eſt malus auctor, iuſtus eſt vltor. MS. *Camb.* Quorum autem non eſt auctor iuſtus eſt vltor.

Ibid. col. 2. *a.* quia iuſtitia Deus peccata puniat. *Manuſcr.* 4. qua iuſtitia, *&c.*

Ibid. b. Cap. 5. dum cogitantur quales eſſent. MS. 4. dum cogitatur, *&c.*

PAG. 288. *col.* 1. *b.* quam perpetua tenendæ iuſtitiæ voluntate promeretur. MS. 4. quem perpetua, *&c.*

Ibid. c. vel oberrans equus quam lapis propterea non oberrans. MS. 4. vel aberrans equus quam lapis propterea non aberrans.

Ibid. col. 2. *a.* aut quid hoc? MS. 4. vt quid hoc?

Ibid. c. Cap. 6. quamuis neceſſe eſt, vt fiant quæ ipſa futura præſciuit. MS. quamuis neceſſe eſt vt fiant quæ ipſæ futura, *&c.*

Ibidem, non eſſe quam miſeram me eſſe mallem. MS. 4. non eſſe quam miſerum me eſſe mallem.

Ibid. d. non ideo mori volo quod malum miſer eſſe. MS. 4. nõ ideo mori nolo, *&c.*

PAG. 289. *col.* 1. *d. Cap.* 7. conſurges atque extrueris, in id quod ſummè eſt. MS. 4 conſurgis atque extrueris, *&c.*

Ibid. col. 2. *d. Cap.* 8. ita nullo pacto fieri poteſt. MS. 3. ita nullo pacto fieri oportet.

Ibid. non erat tam difficile ac laborioſum. MS. 4. non erat tamen difficile, *&c.*

Ibid. Cap. 9. qui dicit, etiam talis eſſet. MS. 4. qui dicit etiam iſta talis eſſet.

PAG. 290. *col.* 2. *d.* non ideo volunt eſſe æquales angelis, ſed ſibi. MS. *Cambronenſ.* non ideo volunt eſſe æquales angelis, ſed angelos ſibi.

PAG. 291. *col.* 1. *a.* principio omnium peccatorum & præpoſito mortis. MS. 2. principi omnium peccatorum, *&c.*

Ibid. c. Cap. 10. non commutatione naturæ ſuæ, ſed habitu mortalitatis noſtræ. MS. 4. non commutatione naturæ ſuæ ſed habitu noſtræ.

Ibid. col. 2. *b. Cap.* 11. etiam ſi plurimum deeſſet. *Manuſcr.* 4. etiam ſic, *&c.*

PAG. 292. *col.* 1. *a. Cap.* 12. quanquam non peccauit, ſic eam peccaturam, *&c.* MS. 2. quanquam non peccauit ſicut eam peccaturam, *&c.*

Ibid. b. ſiue vlla eſt melior rerum ordinatio. MS. 4. ſiue nulla, *&c.*

PAG. 294. *col.* 1. *b. Cap.* 16. quanto & in ipſis eum laudabilẽ inuenio. MS. 4 quando & in ipſis. *&c.*

Ibid. col. 2. *d. Cap.* 18. vt amittat vnuſquiſque quo bene vti voluit. MS. 4. *legunt*, noluit.

PAG. 295. *col.* 2. *b. Cap.* 20. quas & non dilectus ipſe faciat, & diligens eas reficiat, & dilectus ipſe perficiat. MS. 4. quas & non dilectus faciat, & dilectus ipſe perficiat.

Ibid. c. in iſtis autem ianua miniſterij. MS. 2. *legunt*, myſterij.

PAG. 297. *col.* 2. *d. Cap.* 23. talium quæſtionum ſtudioſiſſimi examinatores, ſed loquaciſſimi ventilatores. MS. 4. talium quæſtionum non ſtudioſiſſimi, &c.

PAG. 298. *col.* 1. *b.* ab illa ſumma & ineffabili vnitate creatoris. MS. 4. ab illa ſumma & ſublimi & ineffabili vnitate, &c.

Ibid. quæ non in eo ipſo quod dolorem fugit. MS. 4. quæ non eo ipſo quo dolorem fugit.

PAG. 299. *col.* 2. *c. Cap.* 25. vnius autem Dei nomine. MS. 4. vnius autem diei nomine.

LIBER DE VERA RELIGIONE.

PAG. 300. *col.* 2. *d. Cap.* 1. à quo omnis vniuerſitas & inchoatur. MS. 4. à quo vniuerſitas inchoatur.

PAG. 301. *col.* 1. *a. Cap.* 2. Socrates tamen audacior cæteris. MS. *Tornac.* Socrates tanquam audacior cæteris.

Ibid. b. & vnum Deum colerent. MS. 4. & vnum Deum quæreret.

Ibid. non enim ſic nati erant vt populorum ſuorum. MS. 4. non enim ſic iſti nati erant vt populorum ipſorum.

Ibid. d. Cap. 3. tranſeuntium rerum amore ac dolore ſauciatur. MS. 3. tranſeuntium rerum amore ac dolore ſatiatur.

Ibid. col. 2. *c.* dicitur diſcordioſis. Diligite, *&c.* MS. *Camb.* dicitur diſcordibus. Diligite, *&c.*

PAG. 302. *col.* 1. *c. Cap.* 5. ſed quoquo modo ſe habeat philoſophorum iactantia. MS. *Torn.* ſed quoquo modo ſe habebit, *&c.*

Ibid. col. 2. *a.* Sicut neſcio qui ſerpentini qui appellãtur Manichæi MS. 4. Sicut neſcio qui ſerpentini, qui appellantur, ſicut Manichæi.

Ibid. c. Cap. 6. qui non poterunt corrigi aut ſuſtineri. MS. 4. qui non potuerunt corrigi aut ſuſtineri.

PAG. 303. *col.* 1. *b. Cap.* 7. ſed & ſimiliter omnia, & vnamquanque naturam. MS. 4. ſed & ſimul omnia & vnamquanque naturã.

Ibid. c. Cap. 8. doleamusque illos hoc non credentes. MS. 4. doleamusque illos hæc non credentes.

Ibid. d. Quapropter multi vt diem dei videãt. MS. 4. Quapropter multi vt diem Dei videant.

Ibid. col. 2. *b. Cap.* 9. cuius commixtione atque miſcela hoſtẽ temperatum eſſe. MS. 4. cuius commixtione atq; miſeria hoſtẽ, *&c.*

Ibid. & quomodo non perturbet animum ea. MS. 4. & quomodo non perturbent, *&c.*

Ibid. c. Cap. 10. de ſpecie corporis corporeo ſenſu tracta. MS. 4. de ſpecie corporis corporeo ſenſu attracta.

Ibid. d. & perfecta religio eſt. MS. 3. & hæc perfecta religio eſt.

PAG. 304. *col.* 1. *b. Cap.* 11. frui corporibus quibus eam perfecit. MS. 4. frui corporibus quibus eam Deus præfecit.

Ibid. c. ſine qua vnumquodque animal, ſine qua, *&c.* MS. 4. *vtrobique legunt*, ſiue.

Ibid. col. 2. *b. Cap.* 12. Dono etiam eius quod animæ datur id eſt ſancto ſpiritui. MS. 4. *legunt*, ſpiritu.

PAG. 305. *col.* 1. *a. Cap.* 16. Itaque loquens ad turbas vt Deus. MS. 4. ita loquens, *&c.*

Ibid. col. 2. *b. Cap.* 17. totius doctrinæ modus partim apertiſſimis rationibus. MS. 4. totius doctrinæ modus partim apertiſſimus partim, *&c.*

PAG. 306. *col.* 1. *c. Cap.* 19. Quæ igitur bona ſunt. MS. 4. Quia igitur bona ſunt.

PAG. 307. *col.* 1. *b. Cap.* 21. temporalium formarum numeros in pulchritudinem complent. MS. 3. temporalium formarũ numerum in vnam pulchritudinem complent.

Ibid. c. Cap. 22. plus ſe auribus quàm intelligentiæ dederũt. MS. 4. *legunt*, dediderunt.

Ibid. d. ſolis impiis animis damnatisque non placet, ſed etiam animalibus ſanctis. *Manuſcr.* 4. *non habent illud*, ſed etiam animalibus ſanctis.

PAG. 308. *col.* 1. *a. Cap.* 25. vt neceſſaria non eſſet poſteris. MS. *Floreff.* vt neceſſaria non eſſent poſteris.

Ibid. nul-

Ibid. nulla ſuperbia humana perducit. MS.3. nulla ſuperbia perducit.

Ibid.col.2.a.Ca.26. omnibus etiam perſecutionibus & mũdi huius tempeſtatibus. MS.4. omnibus & perſecutionib. *&c.*

PAG.309. *col.1.c. Cap.29.* ita rationalem vtique præſtare. MS.4. ita rationalem vtrique. *&c.*

Ibid. quanquam iſte ſenſus ſit rationi. *&c.* MS. 4. quanquam iſte ſenſus iam ſit. *&c.*

Ibid.d. in tribus autem ſenſibus. MS.4. in tribus autem ſenſus.

Ibid.col.2.d. Cap. 31. pro ſui natura vicinniora ſunt iis. MS. 4. pro ſua natura. *&c.*

PAG. 310. *col.1.b.* legem mundis animis fas eſſe cognoſcere. MS. 4. legem mundis animis fas eſt cognoſcere.

Ibidem. quod ſignificemus poſſe eſſe & aliter. MS.4. quo ſignificemus, *&c.*

Ibid.c. Cap. 32. dicet hoc dicere hoc eſſe pulchrum. MS. 4. dicet hoc decere.

Ibid.col.2.b.Cap.33. qui autem nõ volens aliud putat. MS.4. quod autem non volens aliud putatur.

Ibid. Quod ſi non ſolùm ipſi ſed omnes. MS.2. Quod ſi non ſolùm ipſi ſed etiam omnes.

Ibid.d.Cap.34. & tamen corpus ipſum eſſet, niſi vtrunq; vnum eſſet. MS.4. & tamen nec corpus ipſum. *&c.*

PAG.311. *col.1.a.* non qui viderit, velit ſe videre. MS.4. non qui videri velit ſe videre.

Ibid.b. qua non eſſe vera cognoſcis. Per hanc illud vnũ vides nec tamen hoc eſſe. MS. 4. qua hæc non eſſe vera cognoſcis. Per hanc illud vnum vides, quo iudicas vnum eſſe quicquid aliud vides nec tamen, *&c.*

Ibid. agnoſcetis quia ego ſum Dominus. Et etiam vacate & videte quoniam ego ſum Dominus, non ociũ deſidiæ quæro, ſed. *&c.* MS. 4. agnoſcetis quia ego ſum Dominus, non ocium deſidiæ, ſed. *&c.*

Ibid.c. ſi filij Dei eſſe noluerint. MS. 4. *legunt*, voluerint.

Ibid.col.2.a.Cap.36. qui pro naturali ſui corporis affecti. MS.4. qui pro natura ſui corporis, *&c.*

Ibid.c.Cap.37. alia etiam cæterorum ſyderũ corpora. *Manuſcr.4.* alij etiam. *&c.*

Ibid.d.Cap.38. vel voluntatis vel excellentiæ. MS.3. vel voluptatis vel excellentiæ.

PAG.312. *col.1.b.* in homine quam veritas ſuſcepit. MS.4 in homine quem. *&c.*

Ibid. c. Cap. 39. qui non excipiebatur ab aliqua effigie veritatis. Quare in corporibus, *&c.* MS. qui non excipiatur ab aliqua effigie veritatis. Quære in corporibus.

Ibid.d. Cùm ad ſeipſum veritas. MS. 2. Cùm ad ſeipſam veritas.

Ibid. col. 2. a. ſed ſumma & ſpiritali voluptate conueniat. MS. 4. ſed ſumma & ſpiritali voluntate. *&c.*

Ibidem, b. cum inueniuntur non innouant. MS.4. cum inueniuntur nos innouant.

Ibid.Cap.40. & in ſua comparatione fœnum videt. MS.4. & in ſua comparatione fœdum videt.

PAG.313. *col.1.d.Ca.41.* Quid ergo mirum ſi homines animam. MS.2. Quid ergo mirum ſi hominis animam.

Ibid. in comparatione nihil iure laudatur. MS. 4. in comparatione nihili iure laudatur.

Ibid.col.2.b.Cap.42. ibi incumbere vt ſurgat. MS.3. ibi incumbere debet, vt ſurgat.

PAG. 314. *col.1.a. Cap.43.* & menſis ad vnum. MS.4. & mẽſis ad annum.

PAG. 315. *col.1.a.Cap.46.* neque hoc cuique inhumanum videri debet. MS.4. neque hoc cuiquam inhumanum, *&c.*

Ibid.col.2.a.Cap.47. ſi æqualiter non poteſt hominibus. MS.4. *legunt*, omnibus.

Ibid.b. Etſi aliquando forte huius periculo. MS.4. Etſi aliquando forte alicuius periculo.

PAG.316. *col.1.a. Cap.49.* vt cum interrogati. MS. 4. vt cum interroganti.

PAG. 317. *col.1.c. Cap.53.* ſine quibus agi hæc vita non poteſt. MS.4. ſine quibus agi hæc vita poteſt.

Ibid.d.Cap.54. & hoc ſignificari. MS.4. & hoc ſignificare.

PAG.318. *col.1.d. Cap.55.* quia vnus eſt oculus intuendæ, *&c.* MS.3. qui vnus eſt oculus, *&c.*

Ibid.col.2.a & omnia ſancta Dei myſteria. MS.4. & omnia ſancta Dei miniſteria.

Ibidem, c. quæ ab ipſo bona eſſe poteſt. *Manuſcr.4.* poſſet, *legunt.*

LIBER DE MORIBVS ECCLESIÆ CATHOLICÆ.

PAG.320. *col.1.b.Cap.1.* vel quos malè intelligi volunt. MS.5. vel quas malè intelligi, *&c.*

Ibid.c. animaduertent & quàm non ſit Chriſtiana vita. MS.4. animaduertant & quàm non ſit, *&c.*

Ibid.col.2.a.Cap.2. Ita fit ſanè. MS.4. Ita ſit ſanè.

PAG.321. *col.1.a. Cap.5.* in ſuo genere quantum poteſt optima. MS.5. in ſuo genere quam poteſt optima.

Ibid.b. eoque optime ſeſe habeat quod eſt optima. MS.4. eoque optimè ſeſe habeat quo eſt optima.

Ibidem, col.2.b.Cap.7. veluti ſignis temperatoriis veritatis. MS.5. veluti ſignis temperatioribus veritatis.

Ibid.c.Cap.8. quemadmodum ipſe Dominus in euangelio præceperit eſſe videndum. MS.5. quemadmodum ipſe Dominus in euangelio præceperit eſſe viuendum.

PAG. 322. *col.1.c. Cap.9.* Charitas verò ipſa non potuit ſignificari expreſſius. MS.5. *legunt*, preſſius.

Ibid.Cap.9. aut Apoſtolo conuenire. MS.5. aut Apoſtolo nõ conuenire.

Ibid.d. in quo libro credam quod me oportere credere cõfiteris. Nam illud dicis. MS.4. in quo libro inueniam quod me oportere credere confiteris. An illud dicis.

Ibid.col.2.c.Cap.10. ſed rurſus nemo qui ab humani erroris labe. MS.4. ſed rurſus nemo qui ſe ab humani, *&c.*

PAG.324. *col.1.c.Cap.16.* nec enim hoc eſt intelligere. MS.3. nec enim hoc eſt eligere.

PAG.325. *col.1.a.Cap.17.* Concupiſcentia autem ſapiẽtiæ. MS.3. Concupiſcentia itaque ſapientiæ, *&c.*

Ibid.c. Cap.18. ſcientiam charitatis Chriſti, vt impleamini in omni plenitudine. MS.3 ſcientiæ charitatẽ Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinem.

Ibid.d. quo vos ego audiui. MS. quo eos ego audiui.

PAG.326. *col.1.b.Cap.21.* ſi attendantur, ſi pendantur, ſi diſcutiantur. MS.4. ſi attendantur, ſi perpendantur, *&c.*

Ibid.col.2.a. Cap.22. indefeſſo curſu per immania quæque tendentes. MS.4. deflexo curſu, *&c.*

Ibid.b.Cap.23. quam omnino non eas poſſidere. MS.4. *legunt*, ea.

PAG.327. *col.2.c.Cap.27.* aduerſus etiam externos ictus actusq; ſeruatur. MS.4. aduerſus etiam externos ictus caſusq; ſeruatur.

PAG.328. *col.1.b. Cap.28.* tam immoderata tranſgreſſione peccantibus. MS.4. tam immoderata progreſſione, *&c.*

Ibid. quantum ſcripturis ipſis diuinis colligi licet. MS.3. quantum in ſcripturis ipſis. *&c.*

Ibid.c. vt primo teneat, deinde diligat Deum. *Manuſcr.4.* vt primo timeat, *&c.*

Ibid.col.2.a. nam hæc ſolent dicere. MS.4. nam hoc ſolent, *&c.*

Ibid. & in his ſummam cum euangelio eſſe concordiam. MS. 4. vt in his, *&c.*

PAG. 329. *col.1.a. Cap.30.* nam Chriſtianis hæc dicta eſt forma viuendi. MS.4. nam Chriſtianis hæc data eſt forma viuendi.

Ibid. col. 2. a. quæ grauius feriat atque interimat præcepti contẽpti conſcientiam. MS.4. *legunt*, conſcientia.

PAG.330. *col.1.d. Cap.32.* prius toleranda quæ ſedanda eſt peſtilentia. MS.4. prius toleranda quam ſedanda, *&c.*

Ibid.col.2.a. Cap.33. vidi ego ſanctorũ diuerſoria Mediolani. MS. 4. vidi ego diuerſorium ſanctorum Mediolani.

PAG.331. *col.1.d.Cap.34.* quorum vitia vituperata decipiatis incautos. MS.4. quorum vita vituperata, &c.

Ibid. cum in veſtra paupertate. MS.4 cum in veſtra paucitate.

Ibid.col.2.a. Cap.35. Eſt certus aditus quamuis paucioribus notus, quo poſſit intrari. MS.2. *legunt*, qua poſſit intrari.

Ibid.d. mulier ſui corporis poteſtatem non habet, &c. Similiter & vir ſui corporis poteſtatem non habet. MS. 4. *legunt vtrobique*, habeat.

LIBER DE MORIBVS MANICHÆORVM.

PAG.332. *col.2.d.Cap.2.* quod tardis & imbecillibus facile perſuadetur. MS.4. *legunt*, perſuadeatur.

PAG. 333. *col.1.b.Cap.4.* creaturam vocant, cui noceri, &c. MS.4. creaturam vocat cui noceri, &c.

Ibid.d.Cap. 5. eo namque ipſo quo nõ caret, viduari dum corrumpitur poteſt. *Manuſcr. 3.* eo nanque ipſo quo non caret, fraudari, &c.

PAG. 334.

PAG. 334. *col.* 2. *d.* Tanta enim à nobis in diſcordiæ gente. MS. 4. Tanta enim à vobis in diſcordiæ. *&c.*

PAG. 335. *col.* 2. *d. Cap.* 11. nec ſpiritus eſt neceſſarius qui animã in veritatem inducat. *Manuſcr. Gemblacenſ.* nec Apoſtolus eſt neceſſarius. *&c.*

PAG. 336. *col.* 1. *a.* partem Dei eſſe prohibetis. *Manuſcr.* 3. perhibetis, *legunt.*

Ibid. d. Cap. 12. poſſet ſine veſtra peruerſitate præſtari. MS. 3. poſſet ſine noſtra peruerſitate, &c.

Ibid. Cum eum quidam quem maximo illi errore. MS. 3. Cum eum quidam quem maximè illo errore. *&c.*

PAG. 337. *col.* 1. *d. Cap.* 14. & confitebitur omnis lingua. MS. 3. & confitebitur omnis lingua Deo.

Ibid. col. 2. *c.* & peribit infirmus in tua conſcientia frater. MS. 3. & peribit infirmus in tua ſcientia frater.

PAG. 338. *col.* 1. *c. Cap.* 15. fugit enim in omnibus motibus animalium. MS. 2. fugit etiam in omnibus, *&c.*

Ibid. d. fugit etiam in ipſa quiete veſtra. MS. 3. *legunt*, noſtra.

PAG. 339. *col.* 1. *a. Cap.* 16. quem vos certe & canibus omnibus. MS. 4. quem vos & carnibus omnibus, *&c.*

Ibid. b. quo ſiccato ruſtici ſic vtuntur ad locum. *Manuſcr.* 3. ad focum, *legunt.*

Ibid. d. Antequam ad cibum veſtrum veniant. *Manuſcr.* 3. *legunt*, noſtrum.

Ibid. dum non ſtatim vt decerpta fuerint, aſſumuntur. MS. 3. *legũt*, abſumuntur.

Ibid. col. 2. *d.* quibus afflictionibus etiam de rebus viuentibus. MS. 3 quibus afflictationibus. *&c.*

PAG. 341. *col.* 1. *c. Cap.* 17. notum eſt vos id eſt auctorem ipſum. MS. *S. Amandi*, notum eſt vobis auctorem ipſum.

PAG. 342. *col.* 1. *b.* non eſt mandatum auctoribus. MS. 3. *legunt*, auditoribus.

Ibid. d. quanquam ſæpe etiam dicere audiatis. *Manuſcr.* 5. *legunt*, audeatis.

PAG. 343. *col.* 2. *b. Cap.* 19. qui ſic peccauerat, ne agnoſceretur. MS. qui ſic præcauerat ne agnoſceretur.

LIB. I. DE GENESI CONTRA MANICHAEOS.

PAG. 345. *col.* 2. *c. Cap.* 1. aut non difficile aut intelligi. MS. 2. aut vix aut difficile.

Ibid. d. ſi enim Deo probati ſunt. MS. 2. Illi enim Deo probati, *&c.*

PAG. 346. *col.* 1. *a.* Qui homines, ſi bonæ ſint fidei, non credunt hæreticis. MS. 2. Qui homines, ſi bonæ ſint fidei, non concedũt hæreticis.

Ibid. b. Cap. 2. tempus quo Deus nondum fecerat cælum. MS. 2. tẽpus quando Deus nondum fecerat cælum.

Ibid. col. 2. *a.* & voluntatem Dei noſſe quiſquam deſideret. MS. 2. & ſi voluntatem, *&c.*

Ibid. quia ſi voluntatem hominis noſſe vellet. MS. 2. quia ſi voluntatem hominis noſſe quiſquam vellet.

Ibid. d. Cap. 4. ſed locus vbi corpus non eſt, inanitas dicitur. MS. 2. ſed locus vbi corpus non eſt, inanis dicitur.

PAG. 347. *col.* 1. *c. Cap.* 6. Hæc ergo omnia ſiue cælum & terra. MS. 2. Hæc ergo omnia nomina ſiue cælum & terra. *&c.*

PAG. 348. *col.* 2. *d. Cap.* 13. cuius ſemen in ſe ſecundum ſuam ſimilitudinem. MS. 2. cuius ſemen eſt in ſe, *&c.*

PAG. 349. *col.* 1. *d. Cap.* 14. per dies ſingulos computatum. MS. 2. *legunt*, computari.

Ibid. quia pleraq; à mane incipiũt. MS. 2. quia pleriq; à mane, *&c.*

Ibid. nũquid enim tres illi dies. MS. 2. nunquid enim aiũt tres, &c.

PAG. 351. *col.* 2. *b. Cap.* 21. Quin etiam in ſermone aliquo. MS. 2. Quia etiam in ſermone. *&c.*

PAG. 353. *col.* 1. *a. Cap.* 23. quicunque bonus miniſter eſt, & eum quantum poteſt imitatur. MS. 2. quicũque miniſter eſt, & eum bene quantum poteſt. *&c.*

Ibid. b. quum ipſe Dominus in charitate venturus eſt. MS. 2. quum ipſe Dominus in claritate venturus eſt.

LIB. II. DE GENESI CONTRA MANICHAEOS.

PAG. 354. *col.* 1. *a. Cap.* 1. Et nomen ſecundi fluminis Geon. MS. 2. Gion, *legunt.*

Ibid. & poſuit eum in paradiſum. MS. 2. *legunt*, paradiſo.

Ibid. Ex omni ligno quod eſt in paradiſo edemus. MS. 2. Ex omni ligno quod eſt in paradiſo edimus.

PAG. 355. *col.* 2. *a. Cap.* 5. rediet ad illum intimum fontẽ. MS. 2. rediret ad illum intimum fontem.

PAG. 356. *col.* 2. *a. Cap.* 8. inſufflauit in eum ſpiritus vitæ. MS. 2. inſufflauit in eum ſpiritum vitæ.

Ibid. b. ne forte ſi probaretur his teſtimoniis. MS. 2. ne forte ſi non probaretur, *&c.*

PAG. 357. *col.* 1. *a. Cap.* 9. in ea quę anteriora ſunt ſe intẽdere. MS. *Camb. legit*, ſe extendere.

Ibid. b. Cap. 10. ſignificat tamen ciuitatem pacis ſpiritaliter. MS. 2. ſignificat tamen viſionem pacis, *&c.*

PAG. 358. *col.* 2. *b. Cap.* 15. Sciebat enim Deus quoniam qua die. MS. 2. Scit eum, *&c.*

Ibid. quid intelligitur niſi perſuaſum eſſe. MS. 2. quid hic intelligitur, *&c.*

Ibid. quaſi inuidentes ne ſeipſi regerent. MS. 2. quaſi prouidentes vt ſeipſi regerent.

IN REGVLA S. AVGVSTINI.

PAG. 363. *col.* 1. *c.* Ante omnia, *prima hæc clauſula abeſt in* MS. *& in Commentario Hugonis de S. Victore.*

Ibid. nam æqualiter præualetis. *lege*, valetis, *ex* MS. *& Hugone.*

Ibid. col. 2. *c.* in vobis Deum inuicem, *clarius* MS. *Gemb.* in vobis inuicem Deum.

Ibid. d. fauces ſumant cibum. MS. *Gemb.* fauces ſuum cibum.

Ibid. videri eis quod. *legendum*, quos, *ex* MS.

PAG. 364. *col.* 1. *b.* nec ibi eos teneat voluptas. *Hugo legit*, cibi.

Ibid. Illos æſtiment ditiores. *Gemb.* exiſtiment.

Ibid. cum veneritis quò itis. *Gemb.* quo coitis.

Ibid. col. 2. *b.* Si fieri poteſt. *ex* MS. *lege*, Et ſi fieri.

Ibid. c. in vnum fiant. *Gemb.* in commune fiant.


Ibid. d. de conſilio medicinæ. *Hugo*, medici. MS. *Gembl.* conſilium medicinæ.

PAG. 365. *col.* 1. *a.* ſine aliqua imbecillitate etiam, ſiue febribus, *non male conuenit etiam lectio codicis Gemb.* etiam ſine febribus.

Ibid. b. tanto ſaniores. *Hugo legit*, ſanctiores.

FINIS VARIARVM LECT. ET CASTIGATIONVM I. TOMI OPERVM D. AVGVSTINI.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA -



.D.

AGVS

OP

an

2.754